


Analecta Sacra Spicilegio Solesmensi parata

Jean Baptiste Pitra

Card. Jean Baptiste Pitra, editor.

ANALECTA SACRA

T. VIII.

Venumdatur XX libell. apud Bibliopolas
PARISIIS
Jouby et Roger, via vulgo dicta
Des grands Augustins, n. 7.
(Roger et Chernoviz Success.)
ROMAE
Spithover (*Piazza di Spagna*)

ANALECTA
SANCTAE HILDEGARDIS
OPERA
SPICILEGIO SOLESMENSI PARATA

EDIDIT

JOANNES BAPTISTA CARD. PITRA

EPISCOPUS TUSCULANUS, S. E. R. BIBLIOTHECARIUS

TYPIS
SACRI MONTIS CASINENSIS
MDCCCLXXXII.

BENEDICTO

SANCTO . MONACHORUM . PARENTI

HILDEGARDIS

INCOMPARABILIS . FILIA

IN . SAECULARI . TRIUMPHO

A . MDCCCLXXX

HUMILI . F. VOVENTE

OPERA . NOVA

D. D. D

PROOEMIUM

I.

Sanctae et summae Hildegardis tandem habemus integrum opus, in tres libros divisum, qui ab ipsa dicti sunt *Scivias* unus, alter *Vitae meritorum*, tertius *Divinorum operum*, quorum medius nunc primam in lucem editur.

Ac mirari subit cur adeo tardo molimine in medium prodierit tanti nominis, tamque diuturni laboris illa quam dicere fas est *Trilogiam* fatidicae vatis, per totos stupendae vitae annos elaboratam, summis viris ac primi subsellii probatam magistris, ortam in saeculo grandium operum et ingeniorum feracissimo, immo plausu exceptam apostolico.

Obvia erat in publicis bibliothecis series trium librorum integerrima. Haud magnae molis volumina erant, non semel in unum tomum coacta, saepe eidem inserta codici ex quo scripta minoris momenti diligenter accepta sunt. Nihilominus jam a plurimis lustris fervebant praela typorum, opellis toties redundantia, quum anno 1513, pars prima seu *Scivias* (aliter *scito vias Domini)* ab incunabulis oriebatur. Saecula porro post duo et quod excurrit, a. 1761, Dominico Mansi occurrebat ultima pars *Divinorum operum*, quam in Baluzii Miscellanea inseruit. Intermedia pars neglecta jacebat; hiabat misere mutila ingens fabrica, in ipsa compage interrupta et pendens, donec adderetur liber *Vitae meritorum*, qui nunc profertur, caeteris fortasse praestantior.

Elapso enim altero saeculo, ante hos quadraginta annos, mihi iter Belgicum agenti, et invisenti ruinas Termundum translatas superbae olim abbatiae Affligehemiensis, dum sparsas inter ejus membranas et direptas tabulas, haud sine moerore, rusticarer, insperata fortuna fuit, incidere in optimum codicem, sanctae Hildegardis aevo fere aequalem, qui tum *Vitae merita*, tum *Cantica* notis musicis ornata continebat. Favente fratrum optimorum humanitate, codex Solesmos usque exulavit; ejusque apographum, diligenter rescriptum et collatum, post annorum octo lustra, adhuc in schedis meis sepeliretur, nisi tenebras rupisset saecularis festivitas, nuper nomine sancti Patriarchae Benedicti in orbe monastico celebrata.

Nec tantum dignum erat hoc Hildegardis opus, quod promptius e tenebris erumperet. Sed dolendum, neminem hactenus in docta Germania inveniri, qui ejusdem qualiacumque scripta, certa incertave, libros, litteras, opuscula, cantica et carmina, didascalias et apophthegmata, linguam notam et *ignotam*, arcana alphabeta et cyclica volumina de re physica, medica, physiologica, undequaque colligat, expansisque more patrio lacertis, intortisque robustis nervis, monumentum exigat aere perennius, quo posteris commendetur nomen immortale, immo, ut vir germanicus hisce diebus scripsit, nulli impar a Rabano Mauro usque ad novissimum ab Humboldtio Alexandrum.

Symbola tandem nostra, juxta pedes monastici Patriarchae, qualiacumque sint, sternimus. Incoeptum opus multo ante saecularia festa, nostris dudum traditis chartis, apographis, etiam typis, ac spe concepta fore ut opportuno tempore absolveretur, nonnisi post tres annos publici juris fieri potuit.

Nec tamen aequum esset non debitas reddere grates et laudes egregiis Casinensibus, qui perficiendum opus susceperunt; qui non solum in plagulis purgandis et ventilandis indefesse aestuarunt, sed luculentum in arte pingendi lumen addiderunt, et splendorem omnium admirationi statim a limine propositum. Honoris causa et grati animi, memorare lubet in primis cl. D. Oderisium Piscicellium, ejusque dilectum socium Anselmum Capletium. Quibus tamen praeivere, ratione temporum, nonnulli Solesmenses, calamo, penicillo, varioque stylo amice conspirantibus, Christophoro Gauthey, nunc Massiliensi abbate, Jo. Ludovico Pradier, Francisco Chamart, Hildephonso et Josepho Pothier, qui inter multas rerum vicissitudines, neque etiam longinquis parcentes itineribus, communia illustrandae Hildegardi studia contulerunt.

Moras praesertim texuerunt inexpectata et nova centum quinquaginta epistolarum et opusculorum collectanea, Vindobonae, Wisbadeni, Heidelbergae, Hafniae, Bruxellis asservàta, praeter alia Romae et Florentiae inventa: quae haud sine intricatis ambagibus, tam locorum intercapedine, quam temporum litteris infestorum injuria, aegerrime ad usus nostros pervenerunt.

At quo magis arduum fuit hujusmodi commercium, eo juvat ampliori laude commendare prolixam voluntatem insignium virorum qui in auxilium signa contulerunt. Ignoscant, si huc nudis nominibus convocentur, cll. vv. Nic. Ansiani, Ant. van der Linde, Zangemeister, Birke, Chr. Bruun, Aldin, qui Laurentianae, Wisbadensi, Heidelbergensi, Caesareae Vindobonensi, Regiis Hafniae et Burgundiae bibliothecis nobilissimo titulo et merito jure praesunt.

Neque tacere aequum esset optimum simul et doctum Albertum Kinter,

Reigradensem bibliothecarium, qui per integrum annum, negotiis licet laboribusque obrutus, mea uti sua curavit, ad omnia semper facilis, obvius et amoenus.

Neque etiam impedior altius suspicere, usque ad summos viros publicis rebus addictos, qui, quum tot sustinerent et tanta negotia, fastidio non duxerunt importunas audire preces, in aula nempe Caesarea cl. Comes A. Wolkenstein, Comes A. de Croy, gallicus apud Danos legatus, atque in primis Sanctae Sedis Pronuncius ad apostolicum Imperatorem, Eminentissimus Ludovicus Jacobinius, cujus vel nudo nomine deliciae universorum revocantur.

Quid vero emolumenti sperandum sit ex hoc tomo, neque mole, neque opera, neque tot hominum subsidiis exiguo, paucis dicere animus est, exordio ab epistolis sumpto, inde ut ad librorum et opusculorum indolem, auctoritatem et fructum transeamus.

II.

Epistolarum sanctae Hildegardis primus thesaurus fuit tomus ab ipsa memoratus in exordio libri *Vitae meritorum*, sive « responsa et admonitiones tam minorum quam majorum plurimarum personarum, » idem fortasse ac « magnum volumen, » quod Trithemius vidit ac tenuit in monasterio S. Ruperti, « continens epistolas multas ad diversos, numero *centum triginta quinque.* » Unde intulisse licuit, editas dudum fuisse omnes Hildegardis epistolas, quum Coloniae tum primum prodierint ex *archetypo S. Roberti* litterae tres et quinquaginta, quibus octoginta et tres cum addiderit Martenius, nihil amplius jam expectandum erat.

Sed praeter unam et alteram epistolam relatas in vita, auctore Theodorico *(edd. LX, LXI)*, praeter alias tres apud Praemonstratenses Parcenses Lovanii inventas, quas Bollandistae Actis suis inseruerunt *(edd. LVI, LVII, LVIII)*, supersunt quatuor saltem auctaria, quae nondum exhauriuntur.

Novarum epistolarum prima series, olim facile uberior, inter codices Gemblacenses, ex variis incendiis ereptos, sepelitur in farragine opusculorum Guiberti abbatis: exigua quidem supellex, sed quae sola pertinet ad ultimos Hildegardis annos, et quae haud poenitenda Bollandianis commentariis subsidia praebuisset. Guibertus ipse, qui dum Bingiae maneret, tabularium excutere potuit, significavit peculiarem sibi fasciculum reservavisse (*infra* p. 399). Haec ego miscellanea semel et iterum, in repetito itinere belgico, sed

perfunctorie, evolvere potui. Suppetias diligenter attulerunt alii Solesmenses. Etiam opem amicam recentiores Bollandistae ultro dederunt. Nec tamen certa mihi fiducia est exhaustam esse ad usus meos aurifodinam Gemblacensem.

Alteram seriem vix locupletiorem collegit a. 1220 Gebeno, prior Eberbacensis, eaque in primis selegit quae ad futura tempora spectare existimavit, addendaque curavit cuidam historico speculo, sive *Pentachrono* (vid. infra p. 483-488); quae passim in multis Europae bibliothecis, extra Italiam, potius negliguntur quam asservantur.

Caeteras vero classes longe superat series recondita in codice Vindobonensi 629, in quo haud pauciores quam septuaginta una supra centum continentur epistolae, quarum centum et viginti nunc primam in lucem succedunt (*infra p. 519-574*). Immo plura Caesareis ex pluteis ambiebam, jamque unus codex minoris momenti, utpote Gebenonis, ad me pervenerat. Sed ecce, quum inopinum et ferale incendium sustulisset in conflagrato Mommsenii museo quoddam κειμήλιον Caesareum, horrore justo perculsi, Praesides caeteros epistolarum codices ad me transmitti refugerunt. Annuerunt tamen humanissime, ut quaedam amanuensibus a me conductis committerentur; quorum diligentia haud ita comperta manet, quin verear ne praeter plurima menda, etiam lacunae in apographa irrepserint. Adde quod, prolixa quum sint haec nova syntagmata, qui ea olim colligenda curaverunt, singulas rescribere epistolas omiserunt, quibus respondet Hildegardis: unde ejus monita, quaestionibus interrogantium destituta, non paucis tenebris obsidentur.

Quid plura? Sub ipsum hujus saeculi initium, Caesarea inter κειμήλια, superbiens emicuit omnium Hildegardis codicum major et praestantior: membraneum ingens monumentum, aevo ejus aequale, in quo praeter tripartitum opus *(Scivias, Vitae merita, Divina opera)*, praeter evangeliorum integras *expositiones*, praeter *linguam ignotam, coelestem harmoniam*, ipsam *vitam*, ex ordine succedebant epistolae 283, quarum 79 tantum editae dicuntur. Stupori parce, lector. Ut audivimus ab Hildegarde, a. 1141 ipsa primum absolverat volumen « Responsionum », quod licet ingens dixerit Trithemius, non ultra centum et triginta quinque epistolas spatiabatur. Quum vero adhuc fere quadraginta annos supervixerit cana prophetissa, neque destiterit oracula et vaticinia innumeris tradere ad tripodem concurrentibus, nihil mirum sibyllina folia fere ad tercena pullulavisse. Sed ubi codex ille auro charior? A septuaginta circiter annis, quo fato nescitur, in natura rerum non comparet. Evanuisse tamen eum aegre cum persuasum habeam, quumque hujusmodi exules in extremis Europae

finibus sistere soleant, mihi temperare nequeo, quin, donec edocear de profugo, appellari jubeam Sarmatas et Moscos, Danos et Suecos, Anglos et in ultimo orbe Britannos. Ubi vero editis ante nos 145 epistolis nunc novas justo eodem numero addimus, nihil forte casu aut furto periit.

Sed quum ad manus sint epistolae 290, taedet nostri non esse instituti texere universam omnium Hildegardis litterarum notitiam historicam et chronologicam. Nemo non videt quanta lux spargeretur non solum in longam ejus vitae periodum, ad octoginta usque annos productam, sed in totum XII saeculi theatrum; in quo simul cum Hildegarde consistunt Pontifices, reges, imperatores, episcopi et praelati, clerici et monachi, ac saeculares cujuscumque conditionis, quibus Prophetissa Germanica singulis fere diebus direxit monita, minas, increpationes, oracula, de qualicumque argumento, ab altissimis dogmatibus sacris usque ad domestica et minuta negotia. Utinam exurgat gnavus veterum rerum indagator, qui spartam hanc suscipiat, et cum integro Hildegardis registro, ex ordine temporum exacto, evolvat et conferat caetera omnia duodecimi saeculi tabularia! Nos *Analectorum* legi mancipatos, oportet nova anecdota, prout jacent, rescribere, hic vero brevi tantum in compendio referre historica subsidia, quae aut nova aut clariora sunt, et potissimum ad vitam beatae Hildegardis pertinent.

III.

Ab ortu duodecimi saeculi, in ipso anno MC, natam esse Hildegardem, communis est, etiam apud nos (p. 407, 435), sententia coaequalium, dum recentiores, aliquo ipsius sanctae testimonio, ut videtur, fulti, annum natalem MXCVIII vel MXCIX statuunt.

Matrem habuit Mechtildem (*alias Mathildem*), patrem vero Hildebertum, nobilem vassallum Comitis Meginharti de Spanheim, in Palatinatu et dioecesi Moguntina. Parentum, uberi progenie florentium, decima filia fuit; « communi utriusque et spontanea oblatione, ipsi Deo, qui decimas sibi in lege offerri mandavit, sequestrata (*vid. p. 408*). » Inter ejus fratres hactenus ignotos, jam nunc duo innotescunt, quorum unus fuit in monte S. Disibodi monachus (p. 578), alter, Hugo nomine, cantor in ecclesia cathedrali Moguntina (p. 579); quibus addendi sunt duo nepotes, Wicelinus Coloniensis praepositus et Gillebertus canonicus (p. 581).

Atque intra paternae domus penetralia, innocens puella tam praematuro

supernorum charismatum dono crevit, ut tribus tantum annis natae jam illuxerit prima velut aurora perpetuae visionis, quae per totam vitam, ut lumen in lumine, illi ostensa est, quod quinto aetatis anno coepit magis perspicue intueri. « Lumen erat, ait, sive *luminis viventis umbra*, velut caeruleum coelum » coram oculis expansum, in quo aliud et splendidius *lumen vivae lucis* varia visionum spectacula mystico penicillo pingebat. Constans est Hildegardis usque in senio testimonium de hoc singulari et quasi unico privilegio visionis, duplici modo per totam vitam coruscantis (p. 412).

« Erat per id temporis Comitis de Spanheim filia, Jutta (*sive Judith*) nomine, juvenis aetate (p. 408), » quae spiritu ducta in desertum virgineum, secessit juxta monasterium sancti Disibodi, in cellulam arctissima custodia clausam.

Octennis erat Hildegardis, quum instantibus ultro suis parentibus, apud nobilem inclusam recepta fuit, oblata sub regula sancti Benedicti, manu puellae, ut moris erat, mappae altaris involuta, inserta quoque sponsalium chartula, ac « pluribus tam altis quam mediocribus personis astantibus, ritu eorum qui supremo exequiarum deponuntur officio, accensis funalibus, ut per hoc fulgentibus lampadibus sponso, media nocte venturo, se occurrere debere moneretur. » Inclusa simul fuit junior Jutta, neptis alterius, quibus aliae mox et plurimae accesserunt, per viginti et quatuor annos ab eadem matre et magistra ad meliora in diem charismata deductae (p. 408).

Quo tramite puella progrediens, usque ad annum quintum decimum « multa vidit, plura simpliciter loquens, ita quod illi ammirabantur qui hanc audierant... Quapropter, et magno timore correpta est, nec amplius de suo interiore homine cuiquam manifestare audebat. »

Sed dum prudenti silentio sacramentum regis occultat, non negligit et magisterio matris et consortio sociarum uti, ad omnes animae et ingenii vires exerendas in excolendis litterarum disciplinis, tum temporis per singula monialium asceteria florentibus. Sane jam juxta aderat « puella nobilis et bonorum morum (p. 8), » ter memorata in exordio trium librorum, quae in conscribendis dictaminibus continuum illi auxilium praestitit. Nec praefracte asserendum, Hildegardi adeo ignotam fuisse linguam ecclesiasticam, ut dumtaxat teutonice dictaret aut confabularetur (1). Praeter enim psalterium, ipsa

(1) Etiam Guibertus Gemblacensis huic sententiae favet, qui tamen quum linguam teutonicam ignoraret, non nisi latine videtur per plures annos, cum Hildegarde tam voce quam scriptis, tam intra quam extra Bingense monasterium, egisse, nullo interprete adhibito.

teste, probe intellectum, caeterasque monastici officii variatissimas preces, compertum est memoriter eam et familiari usu tenuisse innumeras paginas sacras, nec pauca cantica commisisse latinitati utcumque eleganti, saltem proprio suo imbutae ingenio. Quid quod, vel inter umbratilia et libera otia, non solum hymnos ecclesiasticos recinere solebat, sed scenicos miscere lusus, latine usque ad nos traductos, quibus egregiae moniales acuebant animum et recreabant? Nolim de hisce proferre quod gravissimus scriptor Eusebius Amort de sancta Gertrude asseruit, eam cum eximia eruditione in scriptoribus latinis tam profanis quam sacris conjunxisse sanctitatem morum et familiaritatem cum Deo admirandam (*De revelationibus* p. 170, 171). Sed non urgenda esse reor modestae Virginis verba, ruditatem affectantis, limatisque verbis se uti negantis. Neque dissimulaverim, ut ejus verbis utar, « non more leonum locutam fuisse, nec nisi pennam levem, in Spiritu volantem, aestimandam esse flammamve coruscantem, aut nubem in aere puro motam. » (*Cf. Bolland. num. 18, 19, 20 in Patrol. CXCVII*).

Eodem interea anno 1136, obiere simul beata Jutta et Richardus Disibodianus abbas, cui successit Cono, ac simul unanimi sororum consensu, Hildegardis « ad disciplinae censuram super eas exercendam eligitur, ac licet totis obnititur viribus, abbatis praecepto et sodalium suarum instantia, officium prioratus subire compellitur (p. 411). »

Vix autem oneri humeros supposuit, quum pondere visionum gravius opprimitur. A. 1141, ipsa referente (sicuti in praefixa huic tomo pagina pingitur elegantissime): « Maximae coruscationis igneum lumen, aperto coelo veniens, totum cerebrum meum transfudit; et totum cor, totumque pectus meum velut flamma, non tamen ardens, sed calens, ita inflammavit, ut sol rem aliquam calefacit, super quam radios suos ponit. Et repente intellectum expositionis librorum, videlicet psalterii, evangelii et aliorum catholicorum tam veteris quam novi Testamenti voluminum sapiebam (p. 504). »

Teste autem Guiberto, vox de coelo jubet « non solum ut audiat, sed audita scripto referat. Pavet ac silet aliquandiu; virgineo potius pudore quam obstinatione silet ac reluctatur, sed in lucta sternitur, doletque in medullis et in venis totius carnis, multum passionis dolorem sufferens, in ruinis cordis ejus circumsepta, ne mens ipsius superbiret; ceciditque in lectum aegritudinis depressa, donec manum ad scribendum apposuerit, quum quadraginta duorum annorum, ait, et septem mensium essem (p. 413, 504). »

Favente igitur nobili sociarum puella, ipsi dictanti astante Wulmaro prae-

posito (cujus nomen primum discimus), Cononis quoque erecta praesidio et consiliis, statim ut scribere incipit, morbo liberatur, quo tamen identidem vexari non destitit. Priora capita libri *Scivias* abbas Cono Moguntiam festinus detulit, et Henrico archiepiscopo virisque in clero praecipuis cribranda communicavit. Qui primus liber nonnisi post decem improbi laboris annos absolutus est (*Cf.* Bolland. n. 14, 17.).

Interea oneri onera addere jussa, immo ad durum certamen coacta cum fratribus, locum mutavit. Post obitum beatae Juttae, primum in capitulo, deinde in capella ad aram B. V. depositae, magnus videtur fuisse tumulo obeuntium concursus, quem auxit fama novae abbatissae. Non defuere superna monita, ut locum quaereret tranquilliorem, inter derelicta quaedam rudera, ad sepulcrum S. Ruperti. Ex novis constat litteris, quam acerbe tulerint monachi tantum sidus ab iis recessisse. Pacem fortasse composuit S. Bernardus, quando Treviros accedens, cum Eugenio III et Romana curia, litteras benignissimas scripsit « ad dilectam in Domino filiam Hildegardem, praepositam in monte beati Ruperti. » (*Cf. epp. LIV, LV, et ed. XXIX*). Gravissimum tunc illud facinus contigit, quod quum Treviris adessent decem et octo Cardinales, medio Abbate Clarevallensi inter innumeros praelatos, novum Hildegardis opus, jubente Eugenio, duobus viris doctis traditur examinandum, satque probatum est, ut fidelibus legendum permitteretur.

Operis continuatio per alterum decennium suspensa est; hoc vero otium negotiis oppressum est. Tum intercidit praecipua moles epistolarum; tum plurimae gravis argumenti occurrunt commentationes; tum densis ex tenebris eruuntur SS. Disibodi et Ruperti acta; tum etiam novum conditur monasterium Hibingense; tum demum longinqua frequentantur itinera. Quae quum sigillatim expendere longum sit, novas ad epistolas revertimur.

IV.

Ante annum 1148 perpaucae litterae cum certa temporis nota, saltem in codicibus nostris, existunt. Sed postquam in solemni conventu Trevirensi, Hildegardis fama celebrior eruperit, dixeris totum subito orbem catholicum assurrexisse. Non solum ex omnibus Germaniae partibus cujuscumque generis homines et feminae, qua verbis, qua litteris, qua legatis et amicis, qua agminibus per vias effusis concurrere; sed ex longinquis regionibus turmae peregrinantium, equites, peditesque increbrescere. Ex amplo et conferto interro-

gantium theatro sacram ducere pompam cernitur Hildegardis, et quae post vestigia totum fere mundum ad octoginta annos usque trahit, eadem ad posteros graditur ovans, inceditque per saecula, comitatu quem ulla vix alia mulier novit, stipata et circumsepta.

Aderant jam in notis epistolis quatuor pontifices, Eugenius, Anastasius, Adrianus, Alexander. Aderant Conradus rex, Philippus Flandriae dux, Hierosolymitanus patriarcha. Aderant divus Bernardus, sanctus Eberhardus Juvavensis, sancta Elisabeth Schonaugiensis; ac ne plura, ipsi Parisienses Magistri, cum Galliarum et Belgii antistibus, oracula requirebant.

Nunc vero ecce novo in agmine prodit semel et iterum ferox Fredericus Ahenobarbus, fasces et arma submittens, an ante, an postquam Mediolanum perflaverit, Tortonam, Cremam, Spoletum solo aequarit, Romam diripuerit (p. 523, 561)? Ecce Regina Anglorum Eleonora, et juvenis rex Henricus, heu! Cantuariensis martyris futurus carnifex (p. 556). Ecce Matthaeus, atrox dux Lotharingiae, Palatina pia et suavis Gertrudis, ac nescio quae Sibylla trans Alpes et Sibylla Lausanensis (p. 521, 538, 552, 555, 560). Ecce Bertha, Graecorum Regina, CPoli dicta Irene, Manuelis Comneni uxor (p. 542). Ecce Romani duo Cardinales, Bernardus et Gregorius (p. 520), una cum Odone Suessionensi, postmodum antistite Tusculano (p. 534, 539). etc.

Quum vero Hildegardis nec voce, nec scripto intra claustra satis posset omnibus facere, quantumvis aegritudine fessa, accinxit se itineribus, maxime in hoc decennio (1152-1162) frequentioribus, quibus tamen nedum cessaret interrogantium importunitas, crevit in diem fruticans litterarum commercium.

Ieritne secundum rhenanos tractus? Geminantur epistolae Trevirensium, Moguntinorum, Coloniensium, Trajectensium, Eberbacensium (*infra* p. 518, 519, 526, 527, 532, 535, 565).

Franconiam adierit? Scripturientes succrescunt Bambergenses, Ratisbonenses, Halberstadienses, Ebracenses, Kitzengenenses (p. 519. 528, 550. 531, 535, 536, 538, 547, 549, 550, 551, 553, 559, 568, 573, 574).

Descenderit ad inferiorem Germaniam? Incidit in Sigebergenses, in Fuldenses, in Emerannenses, in Andernacenses (p. 524, 526, 535, 559, 560).

Post iter in Sueviam cumulantur epistolae Hirsaugiensium, Zwifaldensium, Kircheimensium, Mulbrunnensium (p. 519, 521, 524, 527, 531, 532, 533, 543, 546, 549, 553, 554, 559, 572, 573).

Ultra ne Rhenum excurrit ad Mosellam Metensium? Ecce ad eam conversos

non solum presbyteros Metenses, abbatissam S. Clodosindis, sed matronas Strateburgenses: nec vicini silent Belgae et Helvetii, Lausanenses, Constantienses, Averbodienses (1), Belvacenses (p. 524, 525, 526, 535, 536, 558, 561).

V.

Quoties ex longinqua peregrinatione ad sorores suas revertitur, quae solatia erant, nisi suavissima cantica? quorum novos rythmos una cum verbis inauditis, quasi coelitus inspirata profudit, ludens in arte musica, tunc peritissimis ardua et invia. Quinimmo, sive ut arcana et tricas augeret, sive ut furtivas et inexpectatas crearet illecebras, *ignotam* excogitat linguam (2) novam que scripturam, quibus, opinor, lepidiora erant innocentissimi theatri ludicra colloquia (p. 441-465, 496-504).

Sed quod majus est, nec minori admiratione dignum, sedens in capitulo, accessit ad interpretationem evangeliorum, multasque ex tempore edidit homilias, quarum sexaginta ad nos pervenerunt, nunc primum publici juris. Easdem aut fortasse plures legit Trithemius, tot librorum comestor; subhorruit autem, obscuritate concionum deterritus. Quid porro? Teutonice domi concionabatur: aberat capitulo Wolmarus; notarii erant moniales, quae quo subtilior concio fuerit, eo liberius glossas volaticas aucupari studentes, augebant fortasse vel truncabant audita, nec nisi aegre audaciores allegorias, bis terque ex interpretis arbitrio mutatas, persequebantur. Privatum ergo totum opus esto, nulli certo jure tribuendum (p. 245-327).

Nec satis erat spiritualibus omnium morbis consulere: tum maxime in eodem decennio, ex epistolis constat confluxisse aegrotos, etiamque procul positos remedia quaesivisse. Agedum, indefessa sicut apis argumentosa, non timuit morborum scrutari indolem et causas, animalium nosse naturas, ar-

(1) Probabilis opinio est Bollandistarum, nobilem abbatiam Praemonstratensium latere in nomine *Eberbutde, Eberbusde*. cf. p. 535, 558. Nec displicet conjectura cl. Schmelzeis, ignotissimum episcopum Henricum *de Beves*, frustra quaesitum a Bollandistis, esse episcopum Bellovacensem, sive *de Beuvais*, cf. *Das Leben und Wirtken d. h. Hildeg*. p. 200.

(2) De Hildegardis *Lingua ignota* omnia fere, ardua licet plenaque fastidio, habebam descripta, exacta, typis parata, uti promisi (p. 7,) quum de tenui libello vir germanicus, ita cursu mecum certavit, ut omnia mihi praeriperet (vid. ad calcem prooemii bibliographicas notas). Locum praeoccupatum reliqui libenter, nisi quod retinui, uti par erat, partem herbariam a cl. et amico viro Car. Descemet egregie illustratam. (vid. p. 490-502.) Etiam spopondi (*p. 7.*), favente συνέργῳ Solesmensi, edere *cantica* cum *notis musicis:* quas utrique partim cl. Schmelzeis. abstulit, plenius vero corripuit W. E. Roth ac sepelivit inter *Fontes rerum Nassoicarum*.

cana plantarum, arborum, metallorumque investigare, manifestare *subtilitates diversarum naturarum*, uti ait; inde duplex derivasse videtur liber, unus *simplicis*, alter *compositae medicinae*. Quidquid sit de integritate et sinceritate librorum hujusmodi, qui sub Hildegardis nomine circumferuntur, certum est eamdem multa de re medica, non sine stupenda eruditione, dictavisse, ac nullum fortasse exstare opus magis genuinum quam liber *de Causis et Curis*, quem habet unicus codex Hafniensis (cf. p. 468-482), cujus accuratam recensionem, principemque, ut aiunt, editionem ab erudito viro germanico prope diem expectamus (1).

Transacto inter tot rerum et negotiorum impedimenta decennio, Virago alacriter novo operi conscribendo incubuit, cui titulum dedit: *Liber Vitae meritorum*, quem jam totum habes in hoc tomo (p. 1-244). Cujus in exordio ipsa recenset quidquid antea scripserat. « Igitur, ait, in sexagesimo primo aetatis meae anno, qui est MCLVIII Dom. incarnationis annus... manum ad scribendum posui (2); fortem et mirabilem visionem vidi, in qua etiam per quinquennium laboravi (a. 1158-1162).

Neque etiam tunc a gravissimis litteris et negotiis abstinuit se, quum fortiter obstiterit diro schismati a Frederico Barbarosso, ut aiunt, per omnem Europam impresso, ac praeterea Catharos qui per Gallias, Belgium et Germaniam grassabantur, impetivit usque ad a. 1163 (p. 348).

Quibus per septem annos (1163-1170) successit tertium opus sive *Liber Divinorum operum*. « Cum sexaginta, ait, annorum essem, tanti mysterii et fortitudinis visionem vidi, ut tota contremiscerem, et pro fragilitate corporis mei aegrotare inciperem: quam visionem, per septem annos scribendo, vix consummavi. »

Nonnisi ergo plusquam septuagenaria totum opus, per triginta annos productum, ultima coronide complevit. Ac paulo post, mulier fortis maximum et postremum iter aggreditur: Rhenum transmeat, Belgium adit, Gallias peragrat, ut S. Martino Turonensi se peregrinam sistat. Dura tunc certamina cum Frederico et tribus antipapis, Antichristi instar luctantibus, Ecclesia exercebat. Cum Alexandro, tandem victore, stabat Hildegardis, quae Turonos

(1) Codicem etiamnunc ad manum habemus, ac penes nos fuit, favente cl. Bruun, Hafniensi bibliothecario, totum opus in hunc tomum decussisse. Sed quum doctorum vigiliis, etiam extra fines patrios, parcendum sit, onus et honorem cedere primo occupanti, Car. Jessen, rei botanicae magistro Greisswaldensi, satius existimavi.

(2) Cf. p. 7, 8. Codices tres, prout jacent, exhibentur, nisi quod ante ultima prolixae periodi verba, *mihi ad explanandum ostenderat*, irrepsit importunissima vocula *quas*, ad perturbandam totam exordii seriem.

adiit, hieme saeviente, sive ad orandum in extremo agone, sive ad victoriam celebrandam, sive demum ut suos quoque ultimos labores Galliarum thaumaturgo dicaret. In quo itinere venit Parisios, circa medium Novembrem, ac mense rediit Januario, ut tres libros majores, virorum doctorum examini subjectos, solemni judicio honestaret. Silent de hoc itinere litterae superstites; silet quoque, id ego miror, Guibertus, tam Hildegardi quam Martino devotus prae caeteris; silent etiam vitae a coaequalibus scriptae: sed Acta authentica inquisitionis de virtutibus et miraculis ejus, inita sub Gregorio IX, a. 1233, omne dubium tollunt tam de insolenti peregrinatione, quam de solemni librorum examine *(Cf. Bolland. n. 192)*.

VII.

A longo itinere redux Hildegardis, inexpectatam tempestatem monasterio suo ingruentem averruncavit. Tempore schismatis Teutonici, duo erant de archiepiscopatu Moguntino contendentes, alter nimirum legitimus et adhaerens Alexandro III, Conradus, quo cum Hildegardis mutuas et suaves epistolas habuit *(p. 557, cf.* Bolland. n. 163.); alter vero nomine potius quam fide Christianus, a Frederico intrusus, qui tamen, pace inita a. 1177, cedente Conrado, infulas Moguntinas retinuit. Unde pronum erat, quum intrusi asseclae summas rerum haberent, ut caeteris hactenus adversis minus indulgerent, inter quos haud ultima erat veneranda Bingensis abbatissa.

Accidit porro, circa a. 1178, ut juvenis aliquis, antea censuris strictus, sed dudum absolutus, sacramentisque ante obitum munitus, sepeliretur in S. Ruperti coemeterio. Statim praelati, qui pro episcopo Christiano, adhuc in Italia degente, Moguntiae praeerant, mandatum mittere, jubere Hildegardi corpus ex humo tollat, aut a divinis in ecclesia litandis abstineat se. Per amplissimas litteras respondere Hildegardis, se terrore correptam, ad verum lumen jussam fuisse aspicere, vidisseque corpus efferri non posse, sed audivisse in lumine vocem, ne funestaretur defunctus, « in omni christiana rectitudine, cum tota Pingensi processione, a sacerdote suo absolutus, » ne sacramentis Christi injuria fieret, a praelatis autem petitum iri veniam; interim, ne contumaces audirent, moniales publica divinarum laudum cantica silentio pressisse, etiam ipsas a suscipiendo corpore dominico per singulos menses abstinuisse.

Praeterea veneranda vetula Moguntiam cucurrit, libellum supplicem obtulit, mortui, suumque vindicavit jus, sed frustra. Vix interposito Philippo

Coloniensi, inducias obtinuit, ut legatos mitteret ad Christianum, qui verbis blandus, sed virga asper, interdictum confirmavit: at mox currente anno, idem potius miles quam antistes, post vitam in rebus bellicis dissipatam, cum clade suorum captus, perque biennium constrictus ergastulo, in castris occubuit. Quo demum fato pax est Binguiae restituta *(cf. epp. edd. VII, VIII, IX)*.

Sed dum foris bella, intus funera. Gerundis rebus monasterii dudum aderant duo strenui monachi, quorum unus frater germanus Hildegardis, uterque una cum Wolmaro ad omnia promptus et necessarius. Infra duos menses Wolmarus ultima primus solvit, quem ambo ejus socii, febre correpti, mox ad patres secuti sunt (p. 577, 578).

Insperatum tandem solatium attulit Guibertus Gemblacensis, quem juvaret huc adducere et audire suas recitantem litteras, sane loquaces et flandricis ampullis turgidas, sed lepido amoenas candore, quae, ut opinor, feliciter ex tenebris eruuntur.

Curioso alacer ingenio, avidis auribus hauserat sparsos de prophetissa stupendos rumores. Scire gestiebat quae illi videndi modus, quae ratio contemplandi, quae consuetudo vivendi, quis sermo, lingua, scriptura. Propterea tum primum plura sciscitari non dubitavit, circa a. 1177; per litteras (p. 328), quibus responsum nunc primum luci datur (p. 331): quo nihil hactenus fuit luculentius ad introspicienda prophetissae arcana penetralia.

Nec tamen Guiberto satis: quid saperet mystica columba, et quousque etiam sublimi in altissima dogmata volatu ascenderet, tentare ausus est, proposuitque solvendas XXXVIII quaestiones, quae prae caeteris arduae ipsi videbantur (p. 380, 390-392 *Cf. Patrol.* col. 1037.). Idem semel, iterumque institit per varias litteras, quae omnes non supersunt, sed in altera exstante (p. 378) urget solutionem quaestionum, et inquirit rursus de visionibus, de libro *Scivias*, de caeteris scriptis, plura committens latoribus, etiam bonae feminae vel nobili equiti, ore tantum ad os referenda.

Cum pro solita facilitate Hildegardis respondisset, quali cum reverentia exultans Guibertus, et una cum eo religiosus coetus, et tota domus nobilis viri Sigeri de Vaura, receptam epistolam audire, suspicere, osculari sategerint, Gemblacensis monachus haud sine lepore et elegantia fuse retulit (p. 381-388).

Ab ipso fortasse provocati, Cistercienses vicini Villarienses alteram seriem intricatarum quaestionum miserunt, de quibus mirum quot fastidia tam Guiberto quam Hildegardi creaverint (p. 388, 389, 393, 395, 397, 398

401, 404, 580, 581). Qui susceptum saltem librum *Vitae meritorum* (1), ipsis et Guiberto missum, publice in mensa lectitabant (p. 394 397).

Quo commercio litterarum augebatur, nedum expleretur Guiberti desiderium invisendi Bingense asceterium. Etiam incoeptum una cum abbate iter est, sed suspensum (p. 393), interjecto ex falsis rumoribus ferali nuntio de obitu Hildegardis. Tandem socio S. Lamberti Leodiensis quodam canonico, ad optatum locum pervenit, coram stans cum prophetissa, sed quatuor diebus dumtaxat. Paulo post cum obiisset Wolmarus, in epistola quam dolemus excidisse, Hildegardis Guibertum mortuo subrogandum accersivit (p. 578). Licentia vix obtenta ope Philippi in Parco abbatis, iterum cum socio Wolchero Helnonensis abbatiae custode, denuo accessit ad S. Rupertum. Vix advenerat, quum duo rerum temporalium et spiritualium supra memorati curatores simul interierunt. Unde totus monialium conventus cum matre enixe obstiterunt, ne ad sua reverteretur. Ipse Joannes abbas Gemblacensis, properare coactus a suis, ut Guibertum reduceret, victus quasi ejulatu monialium, inefficax et solus recessit. Unde per duos annos integros, etiam post venerandae abbatissae extremum diem, in ejus monasterio permansit.

Nec solum in tanta mora licuit, Hildegardis nomine, extendere amplissimas paginas de contemplata Sancti Martini gloria (p. 369-378), de visione trium virtutum (p. 415-434); non solum colligere juvit fasciculum epistolarum, prout sibi dudum promiserat (p. 399): sed opus aggressus est, profecto, si ad nos pervenisset, cedro linendum, vitam nempe sanctae Hildegardis, ipsa vivente incoeptam, expolitamque ab oculari teste, gravi, solerti, copioso; qui etiam nobis referre potuisset Hildegardis novissima verba et postrema vaticinia; sed quod superest in duobus mss. voluminibus, eodem modo mutilum est: hic in media pagina vacua, illic ad calcem quaternionis, cujus sequens aut periit, aut alicubi latet ignotus. Utinam restituta ex insperato lacuna, denique tandem opus redivivum ex orco emergat! (2)

(1) Sanderus, bibliothecas Belgicas describens, exstare notavit *Librum vitae meritorum* apud Villarienses, idipsum fortasse volumen ab Hildegarde missum et a Guiberto memoratum. *Bibl. Belg. ms.* Insulis 1641 p. 271. Quid si illud Affilighemium transierit, inde Termundum?

(2) Desiderium non explet nova, sed brevis legenda, in VIII lectionibus divisa, quae Bollandistas fugit (*vid. p.* 434), ad usum, ut videtur, chori Gemblacensis, antequam Breviarii monastici ordo praesens statueretur, cum nota successione Scripturae, legendae et homiliae; ut argumentum inde sit, cultum publicum Hildegardis a saeculo XIII Gemblaci incoepisse.

VIII.

Recensita, cum Hildegardis vita, serie omnium scriptorum, superest ut paucis dicamus quanti eadem valeant sive theologo, sive historico, sive veterum medii aevi litterarum studioso.

Notare ante omnia praestat, nullum inter theologos hactenus inventum esse, qui censura attigerit diversos libros, certo jure Hildegardi assignandos. Non est enim vel uno quidem oculi ictu dignum, nescio quale mendacium, nescio quae vaticinia adversus viros sacros, putida haereticorum inventa. Sed etiam apud censores plus minus graves, qui morosius, interdum acriter, carpere non dubitarunt magna nomina Gertrudis, Mechtildae, Brigittae, Elisabethae Schonaugiensis, Mariae de Agreda, invenire me non memini quemquam easdem ab Hildegarde exceptiones repetentem.

Etenim si quis severiorem admoverit trutinam, qua mystica id genus scripta perpenduntur, in dexteram et bonam lancem premi Hildegardiana probabit. Commendantur enim, uti nostra, haec opera tum maxime quum ad honorem Dei et hominum salutem aperte conducunt; quum non abhorrent ab eo scribendi ac dicendi modo qui probatis ab Ecclesia viris attribuitur; quum similitudinem gerunt cum iis thematibus de quibus non dubitamus; quum etiam effectu complentur, liberisque et remotis factis comprobantur; quum demum contemplata sive mente sive oculis spectacula in alio lumine versantur, quod toto genere a lumine naturali diversum est (*Cf. Eus. Amort de Revelationibus etc. ed. Venet. 1740 p. 7, 50, 73, 77, 79, 80, 189 etc.*). Quae quum omnia huc concurrunt, adde quod Hildegardis se humilitate eximia constantissime dimittit, modestia splendet, simplicitate pollet, haud ingenio praeceps, nec in phantasiam prona, nec bile atra moerens, nec curiosa captans; non nisi interrogata respondet, et quasi coacta, charitatisque visceribus mota. Equidem, quod severam facile censuram in femina meretur, carpere debuit viros ecclesiasticos, etiam praelatos et summa Ecclesiae societatisque capita: ut vero sic respondeat, premitur precibus quae jussa prae se ferunt, pulsantibus haud sine vi fores aperit, ingemiscit et dura patitur, grave jugum invita sibi potius imponit quam aliis decernit.

Caeterum quisque novit, privatis revelationibus, etiam fide dignissimis, liberum esse prorsus credere vel non credere. Etiam quando ab Ecclesia approbantur, non accipiuntur ut citra dubium credendae, sed tamquam probabiles.

Neque applicandae sunt ad resolvendas quaestiones historicas, physicas, philosophicas aut theologicas, quae inter doctores controvertuntur. Sane fas est a revelationibus hujuscemodi vel approbatis recedere, cum solido rationum fundamento, maxime si contraria sententia inconcussis constat documentis et certa experientia. Nec mirum, si quid nutat in paginis Hildegardianis, quae immenso ambitu cyclicam omnium rerum eruditionem, qualem ipsius aetas tulit, amplectuntur.

Ad historiam quod spectat, haud mediocrem id movet admirationem, quod priscis scriptis destituta, ita valuerit texere acta SS. Disibodi et Ruperti, post tria aut quatuor saecula, ut ne Bollandistae quidem, ex officio hypercritici, ea fastidiose respuerint, dum Elizabetham Schonaugiensem, in acta Ursulana excurrentem, vix non sannis proscindunt. Sed quod magis miror, Stiltingius, quantum nomen post Bollandum! cogitabundus sistit ad singula Hildegardis oracula de futuris remotisque temporibus. Ad Henricum Moguntinum, bonum et benignum protectorem, inexspectatas minas intentans, « respondet, inquit hagiographus, prophetico more et non obscure; exemplo Nabuchodonosor praedicit, Henricum dignitate sua privandum, et non diu admodum victurum, pro ut revera factum est. (*Boll. n. 40*). » — « Non obscure praedicit schismata, aliaque Ecclesiae mala, quae nata sunt sub Frederico I. Addit multa eodem spiritu prophetico de variis Ecclesiae temporibus et vicissitudinibus, illaque non difficulter explicari possent, si luberet futura tunc temporis lustrare (n. 42). » De famoso ad Anastasium papam vaticinio: « Et tu, o Roma, in extremis jacens, conturbaberis etc. » subditur: « Roma certe multum turbata est per schisma quod exortum est quinque aut sex annis post hanc praedictionem (n. 49). » Similiter ex epistola ad Fredericum « colligitur, molitiones varias imperatoris ab ipsa minime fuisse probatas, aut potius a Spiritu Sancto, qui per sanctam alias indoctam loquebatur, aperte improbatas (n. 45). » Arnoldo Moguntino interitum praedicit, quem narrat Baronius ad. a. 1160, « observans ipsum eodem anno in conciliabulo Papiensi primum subscripsisse sententiae, contra Alexandrum III legitimum pontificem latae (n. 56). » — « Epistolas ne recensebo quibus consulta fuit de occultis et arcanis? Harum tantus est numerus, ut manifesto liqueat, quasi universalem fuisse hominum persuasionem, occulta et arcana multa S. Hildegardi revelata fuisse (n. 63). » In epistola ad clericos Colonienses, « multa incipit praedicere mala, quibus Deus Ecclesiam castigaturus erat. Tam clare autem praedicit futuros haereticos, ut ea de re nullum videa-

tur dubium relinqui. Videtur hic Lutheri tempora praedixisse; sed id clarius perspicit, qui omnia non modo Coloniensibus, sed etiam Trevirensibus et Wernero de Kirchem praedicta accurate voluerit expendere (n. 92). » Trevirenses « in multis redarguit, et ad praedictiones futurorum pergit; et non dubito observare, nihil in omnibus istis me reperire quod non fuerit impletum. Facile enim videbit, qui historiam ecclesiasticam utcumque cognitam habet, modo attendere voluerit, quantum Ecclesia saeculo XVI passa sit detrimentum (n. 96). » Ad Wernerum de Kirchem, a. 1170, praedictiones mittit, « quae saeculo XVI omnino impletae sunt (n. 100). Nescit sane, quid in eodem saeculo factum sit in magna parte Germaniae et in aliis quoque regnis, tum in ipsa Suevia, ubi haec dicta fuerunt, qui non perspicit omnia esse completa (n. 101). »

Ad Theologos porro pergit doctus Bollandista haec verba dirigere: « Quanquam non possumus non mirari sanctam a tot viris, dignitatibus et scientia inclytis, de rebus occultis et arcanis consultam fuisse, magis tamen obstupescere cogor, dum perspicio, ad mulierem indoctam, et omnis scientiae studio acquisitae expertem, delatas fuisse quaestiones ex theologia subtilissimas, ex sacris litteris difficillimas, ipsamque non dubitasse responsa dare theologica et scripturistica, quamvis aliquando ad quaesita, curiosa magis quam utilia, plenum responsum non dederit (*n. 114. Cf. infra p. 539, 540*). »

Nil igitur severiori theologo mirum sit, prima Hildegardis opera, doctorum crisi in solemni conventu Trevirensi subjecta, cum unanimi plausu excepta fuisse; deinde, tres praecipuos libros ab ipsa Hildegarde Parisiensibus doctoribus delatos, perque duos menses cribro excussos, ita inventos fuisse censura immunes, ut insignis vir, Guillelmus Antissiodorensis, unus ex censoribus, commendandos pronuntiaverit, « quod esset magistrorum sententia, non in eis esse verba humana, sed divina (*Acta* a. 1233, n. 9). »

Sed quod majus est, Gregorio IX, quo vix inter pontifices Romanos alius doctrina insignior est, cum in severa vitae et miraculorum inquisitione, omnia quotquot tunc temporis scripta Hildegardis exstabant, tradita et discussa sunt, innocua manserunt.

Ita vero actum est, quum ad culmen provecta esset theologia catholica, cum ab arce Romana, acutissima esset custodum scientiae sacrae vigilantia, et summa Magistrorum Parisiensium auctoritas: inter quos Hildegardis judices aderant fortasse cum Guillelmo Antissiodorensi, Petrus Lombardus vel Odo Suessionensis, sive Tusculanus. Etiam nunc non desunt, ne recentiores innumeros in censum adducam, qui dogmaticas Hildegardis laudes renovarunt, mihique no-

tus est vir doctus, inter didascalos universitatum gallicarum haud ultimus, qui theologum Hildegardem coelo attollebat, mirabaturque nondum exceptas fuisse ex certis ejusdem operibus formulas egregias, quibus singula fidei dogmata tam perspicue pronunciantur, ut digna sit nobilis abbatissa, quae vocetur Magistra sententiarum.

Caeteris quidem uberior est de re theologica liber *Scivias*, in quo praecipua fidei christianae capita a Trinitate et creatione ad Antichristum et novissima tempora declarantur, ac si celebraretur triumphus Ecclesiae in dramatico cantico, sive *Ordine virtutum*, quo liber, coronidis instar, absolvitur. Liber *Divinorum operum* referre videtur quoddam Hexaemeron cum Apocalypsi junctum. « Curiosa multa continet, ait Dominicus Mansi, ut de totius mundi systemate, de hominis exteriori et interiori physica constitutione, de aeris vicissitudinibus, de morbis hominum, et aliis hujus saporis (*Patrol.* col. 144). » Intermedius *Liber Vitae meritorum* omnem vitae christianae rationem explicat, varias hominum classes conditionesque instruit, ac singulis virtutibus vitia singula tam apte et graphice componit, opponitque, ut vix alia tibi occurrerit doctrina morum plenior et praestantior.

Unde si quis Hildegardis trilogiam, ut dixi, brevi verbo vult perstringere, illi primus liber dogmaticus erit, secundus moralis, tertius physicus; primus theologorum, alter ethicorum, tertius philosophorum per me licet declaretur.

Si vero minus consideras librorum argumenta quam scribendi rationem et modum, nolim te statim de aliqua obscuritate stomachari. Primum monearis oportet, ambiguitatem non semel oriri ab incuria amanuensium aut typothetarum protervia, menda mendis certatim addentium. Deinde obscuritas non tanta scribentis est, quanta legentis, cui ignota sunt, in hac remota vetustate, plurima regionum, virorum, negotiorum discrimina, quibus uti obviis alluditur uno verbo, vel brevi symbolo, tunc facile perspicuo; unde multae paginae caligant, tenebris obsitae cimmeriis. Denique cum gravi Trithemio dicere fas est: « Et revera in quantum nos judicare possumus, ejus scripta non humano sensu vel intellectu sunt edita, sed divino potius spiritu mirabiliter infusa; et ideo non passim intelliguntur ab omnibus, sed ab illis dumtaxat utcumque possunt intelligi, quorum pura mens Deo per amorem meruit uniri (*Chron. Hirsaug.*) »

Ad ea quae nunc edimus quod spectat, pauca si excipiantur, omnia plana et luculenta sunt, neque nonnulla identidem desideratur elegantia. Ea nam-

que solet esse in Germania hujusmodi scripturarum indoles, ut mystici Teutonici parabolarum et imaginum poetica consuetudine gaudeant. Dum enim apud Italos uberrima fluunt colloquia, dum Hispani more theologico argumentantur, Germanicis placet ingeniis spatiari lento gradu per amoena spectacula, aereos affectare campos, prospicere flores, arbuscula, aviculas, angelorum choros et tympana. Quid ergo? Nonne Spiritus ubi vult, spirat? inspirat, uti placet? Etiam dum afflaret priscos utriusque foederis vates, singulis se ingeniis aptavisse, compertum est. Quibuscumque igitur si locis, temporibus, viris divinum numen blande accomodatur, quis contradicet?

Haec vero quae nunc prodeunt, nulla licet arte vel industria sculpantur, non carent, maxime in VI libris *Vitae meritorum*, diserto rerum ordine, neque ingenua imaginum et personarum symmetria. Emicat unitas in *Viro,* qui ut gigas exultat, et quatuor ad orbis partes versus, et in se reversus, et prospiciens orbem, cardo novi theatri consistit. Quoties vertitur, vitiorum et virtutum agmina veluti acies instruuntur, colloquia hinc inde reciproca succedunt; tum varia imaginum descriptio, deinde allegorica declaratio; postea subditur gravissimis verbis poena et poenitentia singulis vitiis servata. Haud raro intermiscentur, sed apto in loco Scripturae verba, prudenti et salubri munita commentario: quae omnia christianam ad vitam optime regendam, moresque sancte componendos, aperte conducunt. Poematis, verbo venia sit, tela sextuplici emensa, si quis cuncta secum recogitet, unoque speculo variatissima spectacula colligat, virtutum vitiorumque omnium, haud sine nexu philosophico sibi succedentium, cyclum prae oculis habebit, cum multo animae suae emolumento, nec sine divinae cujusdam epopoeiae rythmo, ab Aligherianis scenis haud alienissimo.

Nunc superest, instantius urgere votum, pluries jam propositum, quo finem prooemio imponam. Utinam exoriatur aliquis, omni armatura fortium constrictus, qui universa Hildegardis opera, hactenus nota vel adhuc ignota, circumcingat, ac pro eorum copia, dignitate, sublimitate, novam curet quam dicunt editionem vere principem, omnibus numeris absolutam; ita ut prae se ferat, quod accurata theologia praecipit, quod alta philosophia docet, quod cyclica totius medii aevi ars in lato pomaerio suo tenet, quod integerrima duodecimi saeculi historia narrat, quod mystica vitae perfectae sanctitas sentit altius et penitius infundit. Hoc erat in votis.

Ego vero qui senior Entello, jus cum injuria habeo, ut caestus artemque reponam, id quod potui, utcunque feci, nimium impeditus, neque in senio

captans Tusculana otia, quae Angelus Maius frustra quaesivit, ut inter amoena vireta, perinde ac olim Tullius de Romana, sic de Christiana republica, litteris valedicens, in pace commentaretur. Junioribus tamen haud invideam, exilia quantumvis sint, relicta mihi de veterum et recentiorum libris Hildegardianis subsidia.

Ex Arce Tusculana, ineunte anno MDCCCLXXXII.

NONNULLI CODD. MSS.

Vatican. Palatin. 311, membran. saec. XII in forma majori, duabus col. *Liber Scivias.* Capitula ab edd. differunt, abundantque variae lectiones. Manus secunda vetus plura emendavit et supplevit in marg. interque lineas. Litterae ab initio ornatae desiderantur. Cf. infra p. 503-517.

Vatican. Palatin. 859 chartac. saec. XV. f. 119. *Excerpta* (Gebenonis?)

Florentinus Laurent. S. Crucis Plut. XXII, 4, membran. XIII Saec. f. 142, 143. *Epistola ad Odonem Magistrum Parisiensem* (Tusculan. episc.). *Epistola Sibyllae trans Alpes.* Cf. infra p. 521, 539.

Vindobonensis Palatin. cod. 628. (Mich. Dionys. catal. t. I. p. 1, col. 2393-2399) membran. saec, XIII. f. 1-41 Gebenonis *Speculum* sive *Pentachronon.* f. 42-167 *Epistolae,* inter quas *Vita S. Ruperti, Vita S. Disibodi, Expositio Symboli Athanasii, Regulae S. Benedicti.* ad calcem duae *Cantilenae* de B. V. Cf. infra p. 466, 467. 483, 495, 601-605. *Prooem. p. IV.*

Vindobon. cod. 629 (catal. l. l. col. 2399) membran. saec. XIII, *epistolae* 171, recensitae aut rescriptae infra p. 519 574, 605, 606. Prooem. p. IV.

Vindobon. 630 (Catal. l. l. col. 2408-2411) membran. saec. XIII, f. 1-107 *liber Scivias,* f. 108 *Resp. ad quaestiones XXXVIII.* Cf. infra p. 390-392. Fragmenta et excerpta plerumque Gebenonis occurrunt in codd. recentioribus 297, 615, 631, 632, 674, 937 (cf. Catal. l. l. col. 1140, 2348, 2408, 2411, 2414, 2562, in parte alt. cod. 2269.)

Etiam memorantur in altera serie codd. aeque recentiores et minoris momenti 2739, 3702, 4224 4500, 4613, 4919, 4948, 4954, 4971, Philol. 206 (Endlicher. Catal. p. 106, 107).

Sed praestat amissum cod. 721, de quo supra *Prooem.* p. IV, V, describere ex Dionysii t. II p. II, col. 1723. Membran. XIII saec. f. 1-146 *Liber Scivias.* f. 147-210 *Liber vitae meritorum.* f. 211-340 *Liber divinorum operum.* f. 341-357 *Vita,* auctore Theodorico. f. 358-457 *Epistolae* CCLXXXIII, quarum editae dicuntur tantum LXXIX. Caeterarum ne syllabus quidem superest (1). f. 458-498 *Expositiones evangeliorum* (ab initio ad finem omnino ut cod. Wiesbaden. et infra p. 245-327). f. 499-502 *Ignota lingua* cum Alphabeto. f. 503-528 *Caelestis harmonia* (ut infra p. 440 466.)

Cod. Monacensis 935 (catal. C. Hahn. 1873 t. III p. 1.) « Membran. saec. XII-XIII f. 72 sqq. « *Series precum* ad singula Dei et Christi opera, figuris pictis expressa se referentium. Adscribitur liber S. Hildegardi. Latinis picturarum inscriptionibus alia theodisca addita est, quae Rheni inferioris saec. XII dialectum sapit. — f. 23 sqq. *precationes germanicae* saec. XII, quae lineis perductis ita deletae sunt ut non facile legi possint. » Sane totus codex meretur qui a perito palaeographo et philologo diligentissime versetur.

(1) Haud omittendum Dionysio, quantumvis docto, ignotas tamen fuisse, aut quadam ἀβλεψίᾳ neglectas LXXX litteras a Martenio vulgatas. Interim cum favente merentissimo praeside Birke, resciverim eumdem codicem antea fuisse a bibliothecario Torlosia descriptum, spem nutrire lubet fore ut sive ex hujus viri catalogo, sive ex aliis bibliothecae schedis, aliquis saltem syllabus CCLXXXIII epistolarum supersit et innotescat.

Gebenonis *Pentachronon.* et varia excerpta plus minus dubia occurrunt in eod. catal. t. III, p. I num. 324, 819, 935, tom. III, 2 num. 101, 290, 748, 1301, t. III, 3. num. 25. t. IV, 2. num. 1543. t. IV, 4. num. 1199.

Wiesbadensis cod. major, olim S. Ruperti, deinde Eibingensis ab a. 1632, tum Wiesbaden. ab a. 1814. Membran. 2 col. XII saec. continet I°. *Libr. Scivias.* II.° *Libr. vitae meritorum.* III.° *Libr. divinorum operum.* IV. *Epist. ad praelatos Moguntinos.* V. *Vitam,* auctoribus duobus monachis. VI. *Vitam S. Roberti.* VII. *Vitam S. Disibodi.* VIII. *Expositiones evangeliorum.* IX. *Ignotam linguam.* X. *Villarensium epist. ad moniales.* XI. *Rythmum de S. Hildegarde* (infra per totum.)

Wiesbadens. codex minor, picturis insignior, saec. XIV, *Liber Scivias.* Cf. tomi nostri frontispicium et varias lectiones infra p. 503 (1).

Hildelbergensis cod. inscriptus *Salem. X, 16* membran. XII saec. *Liber Scivias* cum picturis notatu dignis.

Cusanus cod. olim monast. S. Eucharii Trevirensis, dein card. Cusani, nunc in nosocomio ab eodem condito asservatus, scriptus a. 1210 ab Ottone monacho S. Euch. Inest *Liber Scivias* cum picturis.

Hafniensis n. 904, olim S. Maximini Trevirensis, inscriptus *Beate Hildegardis Cause et Cure,* membran. saec. XIII, duab. col. in saec. XV numeris arabicis ad singula capitula et indice ad calcem instructus, constans fol. 92. Cf. infra p. 468-482, 521-523.

Bruxellensis num. 2551. Hildeg. *de fructibus terrae, de saxis, metallis* etc.

Cod. num. 5527-5533. Guiberti Gemblacensis *Opuscula* cum epist. Hildegardis et aliorum. Cf. infra p. 369, 438, 518, 574, 600.

Num. 5400 *Visio de S. Martino.*

Num. 8064. *Dicta de regula S. Benedicti.*

Num. 11568 *B. Hildegardis revelationes* (excerpta Gebenonis?).

Afflighemiensis cod. saec. XII, membran. continet *Librum Vitae meritorum* et *Cantica* cum notis, de quo pauca nunc dicere est, quum nuper neque illum cum apographo nostro iterum conferre, neque cantica describere, neque etiam coram possessoribus folia cernere licuerit.

Parisiensis 2592, saec. XV. S. Hildegardis *epistolae.* — Gebeno *de libris et prophetia* S. Hildegardis.

Cod. 4126. saec. XIV. Hildegardis *epistola ad Colonienses* de futura tribulatione clericorum.

Cod. 4895. A. saec. XIV. S. Hildeg. *epistola ad Colonienses* de futuro tempore. — *Ad Trevirenses* de eodem. — *Gebeno* ad filias S. Hildegardis. — Hildegardis *de quibusdam haereticis.* — *de quinque futuris temporibus.* — Gebenonis *excerpta.*

Cod. 6952. A. saec. XV. *Liber subtilitatum diversarum naturarum.*

Trecensis cod. 683 membran. olim Clarevallens. in quo *Liber divinorum operum* XII saec. Bernardi *de consideratione.*|XIII saec. Ad calcem in fol. additilio fragmentum ex alio cod. *epistolarum* saec. XII. [*Danieli*] *Pragensi episc.* Vox vitae (edd. ep. XXI, cf. infra p. 519)-[*Guntero Spir*]*ensi.* Lux summae (ep. XV. cf. infra 519 (2).

Oxoniensis cod. coll. Merton (CLX catal. coll. et aular. auct. H. Coxe), DCXXVII in Barnart *Cat. bibliothecar. mss. Angliae et Hibern.* Saec. XIII, *Liber Scivias.*

Praeter hunc codicem optimae notae, quem vidisse me juvit in ipsa collegii bibliotheca humanissime mihi aperta a. 1859, nihil puto notatu dignum esse in multis chartis per Angliam sparsis, quas recenset Barnart. Cf. si lubet in 1. serie num. 1638, 1699, 1697, 2171; in 2. serie num. 1144, 1148, 1433, 1659, 2327; in 3.ª serie num. 3226, 4509, 6408. 6889, 6957; in 4. serie num. 428, 665, 784.

Cum Gebenone plus minus integro, passim in Anglia recurrit rancidum illud et putide recoctum *de fratribus* vaticinium.

Similia aut aliae visiones latent in codd. mss. Basileae, S. Galli. Midlehill, teste Haenel in suo *Catal. omnium bibliothecar. mss.*

(1) Varietates horum codd. uberiores collegit D. Rossel, quibus locum facere uti sperabam, nullomodo potui.

(2) Duplex igitur codex Hildegardis ad Claravallenses pervenit in aevo S. Bernardi; unus liber *divinorum operum,* alter *epistolarum* qui potius accedebat Vindobon. 629 quam ad archetypon S. Ruperti, respectu ad ordinem epistolarum. Nonnulla de libro *Divinorum operum* diligenter notavit amicus vir Philippus Guignard, Divionensis bibliothecarius, quae declarare illic non pigebit: I.° In parte III vis. X n. 17 (*Patrolog.* col. 1004 C) crux rubra supra lineam figitur in verbis: *Cum vera fide et sanctissimis operibus elucidati sint* ✠. *Et necesse fuit...* Ad haec e regione in marg. rubricatur manu

SELECTA BIBLIOGRAPHIA.

1. 1513 *Liber trium virorum et trium virginum spiritualium, Hermae lib. 1. Uguetini lib. 1. Fr. Roberti lib. II, Hildegardis Scivias lib. III, Elizabeth virginis lib. VI, Mechtildis virginis lib. V, studium piorum*, editore Jac. Fabro Stapulensi, Volgatio Pratensi in officina reçognitore, Paris. in fol. apud Henricum Stephanum avum.

2. S. l et a. *Namen haffter offenbarung zwo, aine sagt der abbt Joachim, die annder die heylig fraw Hildegradis* (sic) *so jnen von Gott geöffenbart ist worden, der propheceyen gar nahend sind.* (sic per totum), Cf. Reuss. *Patrol. 143.*

3. 1524. Köbel, *Die Legend des heyligen herzogen sant Ruprechts. — Die Legend von der seligen jungfravven Hildegard.* (Oppenheim).

4. 1529. Hieron. Gebuilero litterarum urbis Haganoviens. moderatore auct. *De praesenti clericorum tribulatione futurorumque temporum eventu divae Hildegardis prophetiarum libellus. Hagenoae 8.°*

5. 1533. *Physica S. Hild. elementorum. fluminum aliquot Germaniae, metallorum. leguminum, fructuum, et herbarum, arborum et arbustorum, piscium denique, volatilium et animalium terrae naturas et operationes IV libris mirabili experientia posteritati tradens*, ed. J. Schotto librario Argentorati die 14 Jan. in fol.

6. a. 1544. Eadem repetita in fol. ibid. in *Experimentario* G. Krautii cum Octavio Horatiano, Trotula, Theodori diaeta etc.

7. a. 1566. *Epistolarum liber* ex archetypo monasterii S. Roberti. Accedunt *Vita S. Hild.* auct. Theodorico mon. *Explicatio symboli S. Athanasii, Expositio regulae S. Benedicti* ab Justo Blanckvvall presbytero Moguntino, Coloniae in 4° apud baered. J. Quentel et Gervinum.

8. 1570 Surius *De probatis sanctorum historiis.* Vita S. Ruperti 15 Maii, Vita S. Disibodi 8 Jul. Vita S. Hildeg. 17 Sept.

9. a. 1602. *Vita Beati Roberti* post opp. Hincmari etc. cum notis Jo. Busaei S. J. Moguntiae in fol. typ. Jo. Albini.

10. 1622. Opuscula S. Hild. (ut sup. n. 7), in *Magna Bibliotheca veterum PP.* saec. XII. Colon. fol.

11. 1628. S. Hild. *Liber Scivias* cum revelationibus S. Brigittae et S. Elisabeth Schonaug. Colon. fol.

12. 1680-1755. Bolland. *Acta Sanctorum* etc. *Vita S. Roberti* Maii t. III p. 504. cum notis Henschenii. *Vita S. Disibodi* Jul. t. II p. 588. cum notis Solerii. *Vita S. Hildegardis* cum notis Stilting. Sept. t. V p. 629.

13. 1677. — S. Hildegardis opp, (ut supra n. 1, 4, 7) in *Maxima Bibliotheca PP.* t. XXIII p. 387 sqq. Lugduni fol.

14. 1716. *Scrutinium theologicum visionum Hildegardis* auct. Martino Chaldenio, Vitebergae, 4. Alia id genus Andreae Osiandri a. 1527, Georgii Bellamerae Ubio, a. 1620, etc. *Elixir* etc. a. 1643, Peter Jarricus, *The Prophecy of S. Hild. fusfiled in the Jesuitas* etc. furfuracea id genus alia consulto omittimus.

15. 1724 1733. *Epistolae LXXX* ed. Edm. Martene in *Impliss. Col.* t. II p. 1015 Paris fol.

coaequali: ✠ *ab hinc usque in finem valde utilia sunt et multum timenda.* Spectant ad tempora *Antichristi*, de quo Gebenonis Pentachronon videtur Cistercienses sollicitavisse. II.° In ead. vis. n. XV (col. 1017 A) ad verba: *ad justitiam se convertent* ✠. *Justitia itaque...* notatur in marg. ✠ *Hic incipit rod*[ale] *illud quod quidam s*[crip]*sit sub nomine sce Hildegar*[dis] *plura addens* [quae] *hic scripta non* [sunt]. Exciso margine a bibliopego, quaedam exciderunt... III.° In ead. vis. n. ult. XXXVIII (col. 1038 B, C) ad verba: *ut sibi placuit, mirabiliter edidit. Unde* ✠ *nullus hominum...*, margini allinitur rubrica; *Si hoc adtendisset qui Rodale sub nomine ejus scripsit, nunquam profecto tanta addidisset. — Rodale,* quod a meo Cangio abest, idem forte quam *rotale volumen*, videtur significare Gebenonis Pentachronon, in aliquo rotulo scriptum, quum tria loca superius notata ad ejusdem excerpta pertineant. Ipse Gebeno in epistola ad moniales S. Ruperti, additamenta exprobrantes, causam suam infra p. 486, 487, etiam adducto loco: *Unde nullus* etc. utcumque defendit. Superest ut cum eadem diligentia vir alius curiosus cum editione Mansiana, totum conferat codicem, qui unus fortasse nunc superest.

16. 1761, *Liber divinorum operum*, ed. Dominic. Mansi in Balusii *Miscellaneis*, t. II, p. 337. fol.

17. 1832. J. Conrad. Dahl *Die heilige Hildegard, Historische abhandlung*, Moguntiae, apud Rupferberg.

18. 1847, J. J. Grimm. *de lingua ignota* apud M. Haupt. Zeitschrift für deutsch. Alterthum Leipz. t. VI p. 326.

19. 1854. Ludwig Clarus, *Briefe und Leben der heiligen Hildegard*. Regensburg. 8.°

20. 1855. S. Hildegardis *opp. omnia* (ut sub num. 5, 7, 13, 15, 16 cum auctariis DD. F. A Reuss et Car. Daremberg.) *Patrolog.* t. CXCVII, Paris. Migne.

21, 22. eod. a. *De vita et scriptis S. Hildeg.* notitia ibid. p. 130. Prolegomena et annot. ad libr. *Subtilitatum diversarum naturarum creaturarum* p. 1118.

22. 1865. Bernard, *Histoire de S. Hildegarde* Paris. Victor Sarlit.

23. 1870. *Die neun Chöre der Seligen Geister—Aus dem Scivias d. H. Hildeg.* von. J. Ph. Schmelzeis Regensburg. Manz. 84 s.

24. 1875. *Historisch-politische Blätter*. 76 Band 8, 9 Heft. n. XXXVII s. 604-628, 659-689 *(De authenticitate operum S. Hildeg. in codd.* Wis*baden. adversus Profess. Preger)*

25. 1879. J. Ph. Schmelzeis. *Das Leben und Wirken der heiligen Hildegardis*. Freiburg in Breisgau. Herder. in 8.

26. 1879. *Gregorius-Blatt (de cantilenis et musica S. Hildegard.* Aquis Gran.)

27. 1880. *Fontes rerum Nassoicarum*. tom. I. fascicul. III.—*Die Lieder und die unbekannte Sprache der H. Hildegardis* herausgegeben von F. W. E. Roth. s. 33. Wiesbaden-Limbarth.

SANCTA HILDEGARDIS

LIBER VITÆ MERITORUM.

INCIPIUNT CAPITULA PRIMÆ PARTIS 1)

DE VIRO AD ORIENTEM ET AD AUSTRUM ASPICIENTE 2)

[1]) Prolixa haec *capitula*, quae breviori compendio infra perstrinximus, uti jacent in nostro codice, huc producimus; quin tamen certare animus sit, si quis ea minus sincera existimet, nec nisi praepostera, aut corrasa ex laciniis male consutis, quae nec rerum integritati, neque etiam ipsi argumento cohaereant. Haud magis placebunt *summaria* intermixta tam in libro *Scivias* inscripto, quam in altero dicto *Divinorum operum;* quae tamen quum nemo hactenus neglexerit, neque in nostris codd. omittantur, ita et nos piaculo duximus nostros expungere indiculos: at novam seriem numerorum praefigere et instruere subinde in operis serie commodius visum est. — Variae lectiones codicum Affligheniensis et Wiesbadensis, de quibus dictum in *Prolegomenis*, notantur infra sub siglis A, W.

[2]) *inspiciente* A. — [3]) Cf. infra p. 16 not. 1.
[4]) *omnium* A.

XXIII. *Quod homo ex quo factus est, usque ad defectum suum loqui poterit: quid autem ante eum vel quid post eum futurum sit, ignoret* [1]).

XXIIII. *Quid ante principium mundi fuerit, Deus solus novit.*

XXV. *Quod aeternitas ignis est, et hic Deus est, et ignis operans est.*

XXVI. *Verba Isaiae prophetae.*

XXVII. *Quod ab ortu creaturarum usque ad Christum, miracula quaedam manifesta sunt, quaedam obnubilata.*

XXVIII. *Quod vetus Lex sonus Verbi et non Verbum erat.*

XXVIIII. *Ut corpus a genibus sustentatur, sic etiam a Deo cuncta creata portantur.*

XXX. *Quod sicut vetus Lex obumbrata fuit, nova autem aperte videt: sic animae sanctorum plenum gaudium nondum habent, quod habitaculis suis receptis, ad perfectum inspicient.*

XXXI. *Quod vocatio novi populi, quamvis sudorem in multis tribulationibus sentiat, tamen non corruet.*

XXXII. *Ut in superioribus multa sunt quae ab homine nesciuntur, sic etiam et in inferioribus abyssi.*

XXXIII. *Quid post finem filii perditionis* [2]) *futurum sit, nullus hominum scire poterit.*

XXXIIII. *Verba Sapientiae de eodem.*

XXXV. *Quod Deus in homine, qui in malum corruerat, majores virtutes sanctitatis dedicavit.*

XXXVI. *Quod Deo in operibus suis nemo assimilatur.*

XXXVII. *Quod dispositioni Dei omnia strenue obediunt.*

XXXVIII. *Quod Deus omnia disponens, spiritus supernorum civium in rectitudine continuit; hominem ne omnino periret, sustinuit; et quod per incarnationem suam opera tenebrarum fugavit.*

XXXVIIII. *Quod angeli faciem Dei inspicientes, ad voluntatem ipsius prompti sunt.*

XL. *Quod Deus opera sanctorum novit, nec ea oblivioni tradet.* [3])

XLI. *Quod beati spiritus in una conjunctione unanimitatis sunt.*

XLII. *Quod Deus, per judicia supernorum civium, fulgura et tonitrua in terram mittit; ac fame et pestilentia et incursibus bellorum legis suae praevaricatores exterret.* [4])

XLIII. *Quod angeli in omnibus judiciis Dei laudes Deo dicunt.*

XLIIII. *Ioannes in Apocalypsi de eodem.*

XLV. *Quod angeli bona opera hominum laudant, et quod Deus ab angelis et ab hominibus* [5]) *laudari vult.*

XLVI. *Quod nullus homo omnia arcana Dei scire potest, cum quidam supernorum spirituum Deo assistentium per prophetas nominati sunt, quidam autem non sunt.*

XLVII. *Paulus de eodem.*

XLVIII. *Quod, cum homines in bono perseverant, et in sanctitate vivunt, diffusio bonorum operum eorum cor humanum excedit.*

XLVIIII. *Quod in beatis mansionibus, quae sancta opera sibi paraverunt, animae sanctorum sunt.*

L. *Quod animae sanctorum corpora sua recipere desiderant.*

LI. *Quod animae sanctorum habitacula sua non recipient ante concussionem* [6]) *elementorum.*

1) *ignorat* A. — 2) *perditi ovis* A, W male, fort. errore lectionis et apographorum. Cf. n. 45. — 3) *tradit* A. — 4) *terret* A. — 5) *et hominibus* A. — 6) *combustionem* A.

[1] *et habitu ejus* om. A.

[2] *istis faciunt* A, W. — [3] *sic* A.

nominabantur, praeterierunt; fortitudo autem sanctitatis non deficiet.

LXXXVII. *Item de quibusdam purgatoriis poenis animarum quorumdam hominum, qui in joculatoria vanitate deliquerant, et quare easdem sic patiantur.*

LXXXVIII. *Quomodo homines poenitendo peccatum joculatoriae vanitatis in semetipsis puniant.*

LXXXVIIII. *Quod joculator in squalidis moribus animam in vanitatem et in mendacium convertit.*

LXXXX. *Quidquid sine Deo quaeritur, in interitum ibit.*

LXXXXI. *Item de quibusdam purgatoriis poenis animarum quorumdam hominum, qui in obduratione peccaverant, et quare in his ita puniantur.*

LXXXXII. *Qualiter in obduratione peccantes ipsum peccatum in semetipsis examinent.*

LXXXXIII. *Quod obduratio nec misericordiam, nec caritatem, nec bona opera habens, per jussionem rationalitatis emolliri non vult.*

LXXXXIIII. *Item de quibusdam purgatoriis poenis animarum quorumdam hominum, qui in ignavia peccaverant, et cur easdem hoc modo sustineant.*

LXXXXV. *Qualiter homines peccatum ignaviae poenitendo in semetipsis puniant.*

LXXXXVI. *Quod ignavia in timore Dei non lucet.*

LXXXXVII. *Item de aliis quibusdam purgatoriis poenis animarum quorumdam hominum, qui in ira cum odio peccaverant, et cur* [1]) *easdem sic patiantur.*

LXXXXVIII. *Item de quibusdam aliis purgatoriis poenis, in quibus animae quorumdam hominum puniuntur, qui sine odio in ira peccaverant, et cur eas sic habeant.*

LXXXXVIIII. *Item de quibusdam aliis poenis in quibus animae illorum purgantur, qui in saeculo per furorem irae homicidium perpetraverant, et quare in eis hoc modo torqueantur.*

C. *Item de quibusdam aliis purgatoriis poenis animarum quorumdam* [2]) *hominum illorum, qui in saeculo viventes, propter avaritiam homicidium fecerant, et cur easdem ita patiantur.*

CI. *Item de quibusdam aliis poenis, in quibus animae illorum mundantur, qui se invadentes occiderant, ne ab eis occiderentur, et quare eaedem poenae hujusmodi sint.*

CII. *Item de quibusdam aliis purgatoriis poenis animarum hominum illorum, qui per ignorantiam homicidium fecerant, et quare eas hoc modo perferant.*

CIII. *Item de quibusdam aliis poenis in quibus animae illorum examinantur, qui in saeculo viventes alios homines veneficio aut alio aliquo modo sine effusione sanguinis occiderant, et cur easdem sic patiantur.*

CIV. *Item de quibusdam aliis purgatoriis poenis animarum hominum illorum, qui materiam figurae hominis in semetipsis extinxerant, ac infantes de se natos mortificaverant, et quare easdem hoc modo sustineant.*

CV. *Quod animae illorum qui se ipsos in mortem praecipitaverant, cruciatus latronum habentes, in gehenna sunt.*

CVI. *Ut homines seipsos pro excessibus suis dum vivunt puniant, et qualiter iram in odio per se commissam, in semetipsis poenitendo, cilicio et verberibus ac jejuniis deleant.*

[1]) *quare* A.

[2]) *quorumdam* om. A.

CVII. *Quod homines iram absque odio perpetrantes, semetipsos puniant, ne debitis poenis subjaceant.*

CVIII. *Quod ira quasi cor Diaboli existens, coelestia commovere desiderat.*

CVIIII. *Quod qui per furorem irae homicidium commiserint, constrictis jejuniis et flagellis poenitendo se castigent, etiam cum absentia luminis per aliquod tempus.*

CX. *Quod qui per avaritiam hominem occiderit, jejuniis et flagellis corpus suum puniat, consortia hominum per aliquod tempus devitans.*

CXI. *Quod qui hominem se occidere volentem praeveniendo occiderit, jejuniis condignis cum poenitentia se castiget, prioribus tamen plus alleviatis.*

CXII. *Quod qui hominem ignoranter* [1]) *in mortem miserit, jejuniis se poenitendo expurget, quamvis levioribus.*

CXIII. *Qui hominem veneficio seu alio aliquo modo sine emissione sanguinis mortificaverit, constrictis jejuniis et verberibus et cilicio per poenitentiam se affligat, consortia quoque hominum per aliquod tempus fugiens.*

CXIIII. *Quod feminae quae conceptus suos dissipaverint, jejunia et verbera poenitentes recipiant.*

CXV. *Quod qui infantes de se natos mortificaverint, acerrimis jejuniis, verberibus et asperitate vestium in solitudinis angustia se affligant.*

CXVI. *Quod qui seipsum in mortem praecipitat, se totum sine consolatione extinguit.*

CXVII. *Quod in judiciali poenitentia, naturalis possibilitas consideranda est.*

CXVIII. *Quod Deus, qui omnia creavit, gloriam suam solus habere noluit* [2]), *cujus consilia nullus repugnare potest.*

CXVIIII. *Quod contra hoc quod homo peccare potuit, Filius Dei in corpore suo multas passiones sustinens, peccata etiam poenitentium ad se traxit.*

CXX. *Quod quamvis homicidium pessimum malum malorum sit, homicida tamen per transfixa vulnera Christi in poenitentia requiritur.*

[CXXI. *De poena ineptae laetitiae.* [3])

CXXII. *De poenitentia ineptae laetitiae.*

CXXIII. *Verba psalmi de inepta laetitia.*]

CXXIIII. *Quod cum animae illorum qui in saeculo poenitentiam faciunt, pleniter* [4]) *non purgantur, corporibus exutae poenis plenius examinantur.*

FINIUNT CAPITULA PRIMAE PARTIS

[1]) *ignorantem* A. — [2]) *voluit* A. — [3]) tria capitula in codd. desiderantur, quae non videntur fuisse in libro interpolata. — [4]) *plenitus* apogr. A. de quibus cf. p. 12 not. 1.





cce quadra-
gesimo tercio
temporalis cur-
sus mei anno
cum celesti visi-
oni magno ti-
more et tremu-
la intentione inhererem vidi maxi-

C. Isselbächer cop. Wiesb.

INCIPIT LIBER VITÆ MERITORUM

PER SIMPLICEM HOMINEM

A VIVENTE LUCE REVELATORUM

ET factum est in nono anno, postquam vera visio veras visiones, in quibus per decennium insudaveram, mihi simplici homini manifestaverat; qui primus annus fuit [1]), postquam eadem visio *sublilitates diversarum naturarum creaturarum* [2]), ac responsa et admonitiones tam minorum quam majorum plurimarum personarum [3]), et *symphoniam armoniae celestium revelationum* [4]), *ignotamque linguam* [5]) *et litteras*, cum quibusdam aliis

[1]) Quo exordio statim extricatur nodus, quem doctus Dominicus Mansi « vix ac ne vix quidem, ipso teste, solvere » aggrediebatur, donec adverterit Hildegardis fuisse *triplicem visionem*, immo seriem ternam visionum: quarum prima, in libro *Scivias* enarrata, per decem annos (1141 ad 1151) obtinuit, secunda quinquennio contenta (a. 1158-1163) ad hunc librum pertinet; tertia inter ann. 1165-1168 librum *Divinorum operum* respicit. Quid actum in septennio quod intercessit ab a. 1151 ad 1158, statim in eodem exordio exponitur. Hinc variorum errores emendantur, quos in prolegomenis attigimus, ubi plura adduntur de hac S. Hildegardis *Trilogia*, ὡς εἰπεῖν, quae, tandem integra et absoluta, divae luci dicatur.

[2]) Quae visio, a. 1157 assignanda, continetur in libro ejusdem tituli, qui pluries in medio positus exstat, sed semper mendis horridus et confossus vulneribus, quae satis non reduxit medica manus cl. Doctoris Caroli Daremberg, Divionensis, suppetias ferente D. E. A. Reuss Wirceburgensi, quos honoris et gratae memoriae causa nomino, ambos obitu immaturo studiis ereptos. Cf. *Patrol. lat.* CXCVII, col. 1117. a. 1855.

[3]) Multae, sed non omnes hujusmodi litterae, ad nos pervenerunt, hactenus numero CXLV, quarum praecipuas ipsa Hildegardis refert ad ann. 1152-1157: huc enim recidunt epistolae scriptae ad Anastasium II, Hadrianum IV, summos pontifices. Exigua quidem superest messis, in duobus codd. quae etiam in hoc tomo magna ex parte colligitur.

[4]) Latet hactenus, siluitque *Symphonia*, sed plures innotuere codd. ex quibus in hoc volumine spondeo fore ut insonuerit, addita veteris musicae nova et eleganti interpretatione unius ex nostris Solesmensibus.

[5]) « *Ignotam linguam* explicare, inquit Reuss, aggressus est J. Grimm in *Haupt. Zeitschrift fur Deutsch. Alterthum.* VI, 321. » Neque in his Analectis arduum opus omittetur.

expositionibus[1]), in quibus post praedictas visiones, multa infirmitate multoque labore corporis gravata, per octo annos duraveram, quas mihi ad explanandum ostenderat. Cum sexaginta annorum essem, fortem et mirabilem visionem vidi, in qua etiam per quinquennium laboravi.

2. Igitur in sexagesimo primo aetatis meae anno, qui est millesimus centesimus quinquagesimus octavus Dominicae Incarnationis annus, sub pressura Apostolicae Sedis, regnante Friderico Romanorum imperatore, audivi vocem de coelo mihi dicentem: « Tu quae ab infantia tua, per spiritum Domini, non corporali, sed spiri- » tuali vera visione docta es, dic ea quae nunc vides et audis. Nam a principio vi- » sionum tuarum, quaedam visiones velut liquidum lac tibi ostensa sunt; quaedam » autem velut suavis et lenis cibus tibi denudatae sunt; quaedam autem velut so- » lidus et perfectus cibus tibi manifestatae sunt. Dic ergo etiam et nunc, secun- » dum me et non secundum te, et scribe secundum me et non secundum te. » Et ego testimonio hominis illius quem, ut in prioribus visionibus praefata sum, occulte quaesieram, et inveneram, et testimonio cujusdam puellae mihi assistentis[2]), manus ad scribendum posui. Et iterum audivi vocem de coelo ad me dicentem et me docentem sic.

PRIMA VISIO PRIMAE PARTIS[3])

3. Et vidi virum[4]) tantae proceritatis quod a summitate nubium coeli usque ad abyssum pertingebat, ita quod ab humeris suis sursum supra nubes in serenissimo aethere erat; et ab humeris deorsum ad femora sua, sub iisdem nubibus in alia quadam candida nube; et a femoribus ad genua sua, in terreno aere; et a genibus ad suras suas, in terra; et a suris deorsum ad plantas suas, in aquis abyssi, ita quod etiam supra abyssum stabat. Et se ad Orientem verterat, ita quod et Orientem et Austrum inspiciebat. Vultus autem ejus tanta claritate fulgebat, quod eum ad perfectum intueri non poteram. Ad os quoque ejus candida nubes erat, quae similitudinem tubae habebat, et quae omnium sonorum velociter sonantium plena fuit. In quam dum idem vir flatum daret, tres ventos emisit, quorum unus nubem igneam, unus nubem turbidam, unus lucidam super se habebat, ita quod iidem ven-

1) Respectu fortasse ad expositiones in *Evangelia*, infra primum editas, in *Regulam S. Benedicti*, in *Symbolum S. Athanasii*, et ad *responsa Guiberto Gemblacensi XXXVIII*, *Patrol.* t. l. 1037, 1053, 1065. De scriptis S. Hildegardis disputavit vir doctus nuper a. 1875 in *Historisch politische Blätter*. Plura prolegomenis nostris reservantur.

2) Ita in prooemio libri *Scivias:* « testimonio cujusdam *nobilis et bonorum morum puellae*, et hominis illius quem occulte quaesieram et inveneram, *manus ad scribendum apposui.* » Ita iterum ab exordio libri *Divinorum operum*: « Testificante homine illo, quem, velut in prioribus visionibus meis praefata sum, occulte quaesieram et inveneram, testificante etiam *eadem puella*, cujus in superioribus visionibus mentionem feci. » Nec notare otiosum est, illud semel et rursus dictum: *manum ad scribendum posui*, opus proprium potius significare, quam sermonem teutonicum, latine versum a Theodorico monacho, ut plerique volunt, de quo scriptore vix obscure loquitur Hildegardis. Immo utinam ipsa minus sileret de hac *nobili puella*, *testificante* et *assistente*, quae perpetuo latebit, sicut doctae, argutaeque moniales, quae cum SS. Gertrude et Mechtilde calamum tenuere haud semper inelegantem. — 3) Titulum om. A.

4) *Vir, Christus est*, ut fert *Clavis Meliton*. Patris vero videtur *Vox*, quae per totum librum visiones interpretatur.

ti easdem nubes sustinebant. Sed ventus igneam nubem super se habens ante faciem ejusdem viri permansit; alii autem duo cum nubibus suis ad pectus ejus descendebant, et ibi flatus suos expandebant; sed ventus qui ante faciem ejus[1]) permanserat cum nube sua, se ab Oriente ad Austrum expandit.

4. Et in hac praedicta[2]) ignea nube, vivens ignea multitudo erat, qui omnes in una voluntate et in una conjunctione vita una fuerunt. Et coram ipsis tabula pennis undique plena fuit expansa, quae in praeceptis Dei volavit. Cum ipsam praecepta Dei elevabant, in qua scientia Dei quaedam arcana scripserat, quae multitudo haec studio uno inspiciebat. Cumque eadem scripta inspicerent, virtus Dei ipsis dabat, quod velut fortissima tuba, in omni genere musicorum uno sono resonabant.

5. Ventus autem qui praedictam turbidam nubem super se habebat, eam secum ab Austro ad Occidentem extendebat, ita quod longitudo ac latitudo ejusdem nubis velut platea erat, quae prae amplitudine sua humano intellectu capi non potest. In eadem autem nube, maxima multitudo beatorum fuit, qui omnes spiritum vitae habebant, et quos nemo dinumerare poterat. Et voces eorum erant ut sonus aquarum multarum, et dixerunt: « Habitacula secundum placitum productoris venti hujus habemus. Et quando illa recipiemus? Nam si ea nobiscum haberemus, plus quam nunc gauderemus. »

6. Sed praedicta multitudo, quae in praedicta nube ignea erat, istis in voce psallentium responderunt, dicentes: « Cum Divinitas tubam suam tetigerit, fulgura ac tonitrua ac ardentem ignem in terram emittet; ac etiam ignem illum, qui intrinsecus in sole est, tanget, ita quod omnis terra commovebitur; quod erit, cum Deus signa sua magna ostendere voluerit. Et tunc in tuba illa omnibus tribubus terrae ex omnibus generibus linguarum clamabit, et omnibus qui in eadem tuba scripti sunt, et hic habitacula vestra recipietis. »

7. Et ventus super quem praefata lucida nubes erat, cum eadem lucida nube ab Oriente ad Septentrionem se dilatavit. Sed maximae tenebrae, multa densitate et horrore, ab Occidente venientes, se ad eamdem lucidam nubem expandebant. Sed tamen prae lucida nube illa ultra procedere non potuerunt. In illa autem lucida nube sol et luna apparuerunt. Et in sole leo erat, et in luna capricornus. Et idem sol supra coelum et in coelo, ac in terra et subtus terram lucebat, et sic processit oriendo, et redibat declinando. Sed cum idem sol procederet, leo[3]) cum illo et in illo processit, ac multa spolia diripuit; et cum rediret leo, cum illo et in illo redibat, ac prae gaudio multos rugitus emisit. Luna quoque, in qua capricornus erat, solem in procedendo et in redeundo cum eodem capricorno paulatim sequebatur. Et idem ventus flatum dedit, et dixit: « Mulier feta pariet,[4]) et capricornus contra Septentrionem pugnabit. »

[1]) *ipsius* A. — [2]) *praedicta* om. A. — [3]) Admovere ad classica rei symbolicae κανονίσματα singulas Hildegardis imagines, improbum opus esset, ac plerumque frustraneum. Sua enim lege, suo jure utitur virgo fatidica, et tam insolita spectacula quam nova vaticinia condit. Hic vero *Leo* satis aperte est *Leo de tribu Juda*, maxime ut homo, « qui cum Verbo et in Verbo procedit. » Tum *Sol* Christus est, ac subinde *Luna*, in qua *Capricornus*, Ecclesia est cum signo victoriae; ita enim solet intelligi capricornus, quem fuisse Augusti triumphantis solemne emblema, nemo nescit. Cf. infra num. 65, 66, 67, lib. II n. 36, 62, etc. — [4]) *paries* W.

8. In praefatis autem tenebris innumerabilis turba perditarum animarum fuit, quae a sono illorum in Austro canentium declinaverant, quando consortium eorum nolebant; quorum dux seductor appellatus est, quia opera ejus secuti[1]) sunt, quia Christo percussus, ultra quicquam non valuit. Et hae omnes lamentabili voce clamabant, dicentes: « Vae, vae noxiali et horrendo operi, quod vitam fugit, et » quod in nobis ad mortem tetendit! »

9. Deinde vidi nubem ab Aquilone venientem, quae se ad easdem tenebras dilatavit, et quae ab omni gaudio et ab omni felicitate arida fuit, quia etiam nec sol illam tetigit, nec se illi ostendit. Ipsa autem malignorum spirituum plena fuit, qui in ea hac et illac vagabantur, et hominibus insidias machinabantur, ac qui praedictum virum erubescebant. Et audivi antiquum serpentem intra se dicentem: « Vi» res fortitudinis meae ad propugnacula praeparabo, et contra inimicos meos, » quantum possum, pugnabo. » Et sic spumas multarum immunditiarum cum omnibus vitiis ab ore suo inter homines emisit, ac plurimam irrisionem eis inflavit, et dixit: « Vach! illos qui per lucida opera se soles nominant, ego noxiales et no» cturnos ac horribiles in tenebris faciam. » Et teterrimam nebulam afflavit, quae totam terram, velut nigerrimus fumus tetigit, ex quo etiam maximus rugitus intonuit, dicens: « Nullus homo alium Deum adoret, nisi quem videt et cognoscit. Quid » est hoc, quod homo colit quod non cognoscit? » In eadem autem nebula diversa genera vitiorum imaginibus suis vidi. Ex quibus septem in hunc modum considerabam.

I.

Verba amoris saeculi.

10. Prima imago formam hominis et nigredinem aethiopis habebat, et nuda stans, brachiis ac cruribus suis arborem sub ramis ejus circumdederat, in qua omnia genera omnium florum excreverant. Et manibus suis flores illos ad se collegit, et dixit: « Omnia regna mundi cum floribus et ornamentis suis teneo. Et quare are» scam, cum omnem viriditatem habeam? Cur quasi in senili aetate viverem, cum » in juventute floream? Quare pulchrum visum[2]) oculorum in coecitate ducerem? » Quod si hoc facerem, erubescerem. Quandiu pulchritudinem hujus saeculi habe» re potero, eam libenter tenebo. Alia vita mihi ignota est, de qua tamen nescio » quas fabulationes audio. » Quae cum dixisset, praedicta arbor radicitus aruit, et in praedictas tenebras corruit, ac eadem imago cum illa cecidit.

II.

Responsum amoris coelestis.

11. Et de praefata turbida nube audivi vocem huic imagini respondentem: « Tu » in magna stultitia es, quod in favilla cineris vitam habere cupis, nec vitam il-

[1]) *secutae* A. W. | [2]) *vitium* A.

» lam quaeris, quae in pulchritudine juventutis nunquam arescet, et quae in senectute nunquam deficiet. Tu etiam omni luce cares, ac in nigra caligine es, et in voluntatem hominis sicut vermis involveris. Tu quoque quasi per momentum unum vives, et postea sicut fenum aresces, ac sic in lacum perditionis cades, et ibi in omnibus amplexionibus tuis finieris, quas in constitutione tua flores nominas. Ego autem columna coelestis harmoniae sum, et omnia gaudia vitae attendo. Vitam non repudio, sed omnia noxia conculco, sicut etiam te ipsam contemno. Speculum enim omnium virtutum sum, in quo omnis fidelis perspicue [1]) se considerabit. Tu autem in nocturna via curris, ac manus tuae defectum operantur. »

III.

Verba petulantiae.

12. Secunda autem imago ut canis erat, qui venari solet, et super posteriores pedes suos stabat, anteriores autem super baculum sursum erectum posuerat, et cauda sua, eam commovendo, ludebat, et dicebat: « Quid oberit homini laetitia, per quam modice in risum moveatur? Nam ipse pulchrum spiraculum in anima est, unde etiam symphonialis esse debet. Quis est homo qui semper mortalis esse possit? Nemo. Quapropter laetetur, dum laetari potest. »

IIII.

Responsum disciplinae.

13. Et iterum de praedicta turbida nube audivi vocem huic imagini responsum dantem: « Tu scelestissima, in squalidis moribus joculantium hominum circumflanti vento similis es, ac in varietate tua vermibus terram effodientibus assimilaris. Nam cum homines te viderint, tibi consentiunt, quibus tu gaudens occurris, sicut mos canis est; ac eis hoc modo persuades, ut exoptent quidquid voluerint. Sed et otiosa et criminalia verba profers, quibus corda hominum vulneras, ac mores tuos in consuetudine legis tibi constituis, quibus homines comprehendis. Ego autem cingulum sanctitatis et pallium honestatis sum; ac in regalibus nuptiis honorifice adjuncta sum, in quibus cum gaudio soboles [2]) disciplinae appareo, et in quibus cum omnibus ornamentis justitiae corusco. »

V.

Verba joculatricis.

14. Tertia vero imago homini assimilabatur, excepto quod tortuosum nasum habebat, et quod manus ejus ut pedes ursi erant, et quod pedes ipsius ut pedes grifonis apparuerunt. Nigros autem capillos habebat, et pallida veste induebatur.

[1]) *perspicax* A. | [2]) *sobolis* A, W.

Et dixit: « Melius est ludere quam tristitiam habere; nam ludus nefas non est. Coelum cum omni creatura laetatur, unde et ego cum ipsis gaudebo. Si enim me tristem hominibus exhiberem, me abhorrerent, et a me fugerent. Sed hoc non faciam. Nam in multas partes ludendi me movebo, quatenus omnes mecum gaudeant. Deus aerem creavit, qui dulcem sonum mihi confert, et qui flores viriditatis mihi protulit, in quibus visum oculorum meorum pasco. Et quare non gauderem cum illis? Homines quoque cum animalibus, et animalia cum hominibus ludunt, et hoc conveniens est. »

VI.

Responsum verecundiae.

15. Et iterum de praefata turbida nube audivi vocem eidem imagini respondentem: « Tu idolatrium [1]) es, quae omnia secundum voluntatem tuam facis, et mortuus sonus eris, qui [2]) de manu hominum factus est. Voluntas quoque tua humana et bestialis est, quia modo humanos, modo bestiales mores habes. Nam omnes mores tui secundum creaturas sunt, non viventes, sed mortui, quoniam quidquid concupiscis, hoc tenes, et in itineribus vicissitudinum vanitatis incedis. Ego autem de omnibus his erubesco, et alis Cherubin me tego, ac mysteria Dei in voluminibus et in decretis Dei disco, ac in omnibus coelestibus vitalis sum. Nam per oculos innocentiae video, et undique honestis moribus in voluntate Dei aspicio, quod tu in ignorantia coecitatis fugis. »

VII.

Verba obdurationis.

16. Quarta autem imago quasi densus fumus ad staturam hominis erat, nec ulla membra humanae formae habebat, excepto quod grandes et nigri oculi in eo apparuerunt, et nec ascendendo, nec descendendo, nec hac ac illac divertendo movebatur, sed tantum infixus [3]) in praefatis tenebris manebat. Et dicebat:

« Ego nullum creavi, nec constitui. Quare ergo causa ullius laborarem, et me dilacerarem? Sed hoc non faciam. Ego enim pro nullo plus sollicitabor, nisi quantum ipse pro me laborat. Deus qui cuncta creavit, ea dijudicet et procuret. Nam si sonum darem, blande sciscitando de rebus aliorum, quid hoc mihi prodesset? Sed nec bonum, nec malum ulli inferam. Si enim tantam compassionem in me

[1]) *Idolatrium* novum est vocabulum quod Cangio meo deest, qui tamen ex uno dat exemplo *idolatrum* pro *idolum*, simili sensu ac supra, idemque fortasse hic legendum. Caeterum insolentia vocabula, uti *pleniter, vectibilis, transmordebo, cherubizando, aeternitaliter, irretitat,* alia, quae mox et subinde occurrent, peculiari lexico ad calcem reservantur, ne importuna lectori mora creetur; verum satis rara sunt, neque ex hoc opere confirmatur fama ferreae et obscurae loquelae tantopere adversus hos libros circumlata, maxime apud illos qui Hildegardiana ne summis quidem labris attigere. — [2]) *et qui* A, *es qui* W. — [3]) *fixus* A, fort *infixa* mel.

» haberem, quod nullam quietem mihi attribuerem, quid tunc essem? Aut qualem » vitam haberem, si omnibus gaudentibus ac flentibus vocibus responderem? Ego » me scio, et unusquisque se sciat. »

VIII.

Responsum misericordiae.

17. Et iterum de praedicta nube audivi vocem huic imagini responsum dantem: « O lapidea, quid dicis? herbae cum floribus suis aliis herbis odorem praebent, ac » lapis lapidi fulgorem [1]) immittit, et omnis creatura nutu suo amplexus ostendit. » Omnes quoque creaturae homini ministrant, ac in illa ministratione homini bo» num libenter inferunt. Tu autem digna non es ut ullam formam hominis habeas, » sed tantum saevissimus visus absque misericordia in te apparet, et amarissi» mus fumus in nigredine malignitatis es. Sed ego in aere et rore ac in omni viri» ditate suavissimum gramen sum, ac viscera mea plena sunt, unicuique adjuto» rium exhibendo. Nam in illo *Fiat* affui, quo omnes creaturae processerunt, quae » homini serviunt; sed tu ibi exclusa es. Oculis enim meis omnia necessaria inspi» cio, et me illis conjungo, ac omnes fractos ad sanitatem colligo, quoniam un» guentum dolorum sum, et quoniam loquelae meae rectae sunt, ubi tu amarus » fumus es. »

IX.

Verba ignaviae.

18. Quinta vero imago velut humanum caput habebat, excepto quod sinistra auricula ejus ut auricula leporis erat, sed tamen tantae quantitatis, quod ipsa idem caput totum operiebat. Reliquum autem corpus ejus corpori vermis assimilabatur, qui ossibus caret, et qui in cavernula sua intextus jacet, velut infans qui panniculis involvitur. Et tremendo dixit:

19. « Ad nullius injuriam vadam, ne exsul absque consolatione adjutorii fiam. » Nam si ad iniuriam aliorum procederem [2]), substantiam meam perderem, ac ami» cis meis carerem. Nobiles quoque ac divites honorabo; de sanctis autem et de pau» peribus nihil curabo, quoniam nulla beneficia mihi impendere possunt. Unicuique » placida esse volo, ne peream; nam si cum aliquo pugnarem, ille fortasse reper» cuteret; et si ulli injuriam inferrem, majorem mihi redderet. Quandiu cum ho» minibus fuero, quieta cum illis manebo, et sive bonum sive malum faciant, si» lebo. Melius enim mihi est, interdum mentiri et fallere, quam vera dicere; me» lius etiam mihi est aliqua acquirere, quam perdere; et fortes fugere, quam con» tra illos pugnare. Nam quid valeret, quod hoc inciperem, quod perficere non pos» sem? Victores autem et sapientes me derident; sed ipsi habeant quod habent, ego » autem domum meam quam elegi, habebo. Saepe enim bona sua amittunt, qui ve» ritatem loquuntur; et qui pugnant, interdum occiduntur. »

[1]) *sudorem* W. | [2]) *praeciderim* A, W.

X.

Responsum divinae victoriae.

20. Et iterum de praefata turbida nube audivi vocem huic imagini respondentem: « Tu in primo errore contra Deum loquendo, errare coepisti, et justitiam imi» tari noluisti; et sicut in vagatione tua, cum tremendo stupore in exilium ivisti, » et in vicissitudine favoris hominem decepisti. Nam nullam probitatem habes in » te. Ego autem gladium fortissimarum virtutum Dei habeo, cum quo omnem inju» stitiam abscindo, unde etiam cum eodem gladio evaginato, in maxilla te percu» tiam. Me quoque contra te indurabo, quia cinis in cinere es, et quaecumque de» sideras, et quae ad te colligis, parva et pauca sunt. Nam vitam in cinere jacen» tem et vacuas hujus saeculi vanitates nolo, sed ad salientem fontem venire desi» dero. Ego enim contra antiquum serpentem pugno, [1]) et omnia spolia ejus cum » mysterio Scripturarum Dei destruo, in quibus contra bella jaculorum Diaboli » semper certo, ac sic in vero Deo semper manebo. »

21. Sexta autem imago faciem hominis habuit, excepto quod os ejus ut os scorpionis erat, et quod albuginem oculorum magis quam pupillas extorserat. Brachia quoque ejus brachiis hominis assimilabantur, sed manus ejus incurvae erant longis unguibus; pectus autem et ventrem et dorsum ut cancer habebat; sed crura ut locusta, et pedes ut vipera. Et stanti rotae molendini implicata fuit, ita quod manibus suis superiores radios ejusdem rotae tenebat, et quod pedibus suis supra inferiores radios stabat; crines autem in capite non habebat, sed toto corpore nuda fuit, et multum ignem velut faculas ex ore suo emisit. Et dixit:

XI.

Verba irae.

22. « Ego conculco et prosterno omne quod mihi injuriam infert. Quare injuriam » sustinerem? Quod quilibet vult ne sibi inferam, hoc etiam mihi non faciat. Nam » gladio vulnero, et fustibus caedo, cum aliquis injuriam mihi fecerit. »

XII.

Responsum patientiae.

23. Et iterum de praefata turbida nube vocem huic imagini respondentem audivi: « Ego in altissimis sonui, et terram tetigi, ac de terra ut balsamum sudavi. » Tu vero fraudulenta es, et sanguinem bibis, ac semper aquila es. [2]) Ego autem » omnis viriditatis suavis aer sum, flores et poma omnium virtutum producens, et » ea in mentibus hominum firmiter aedificans: ita quod omne quod [3]) incipio, per-

[1]) *pugnabo, omnia* W. — [2]) cf. p. 16, not. 3, de *Aquilone*. — [3]) *omne quod* om. A.

» ficio, et quod in eo persevero, et quod neminem conculco, sed omnia in quiete » habeo, et nemo condemnat me [1]). Sed cum tu turrim erigis, in uno verbo illam » destruo, ac omnia spolia ejus dissipo. Et sic peribis, ego autem in aeternum » permanebo. »

XIII.

Verba ineptae laetitiae.

24. Septima vero imago a sursum usque ad lumbos formam hominis habebat, excepto quod manus ejus ut manus simiae fuerant; a lumbis autem et dorsum, capreae assimilabatur, sed pedes ejus praedictis tenebris ita infixi erant, quod ad perfectum eos videre non poteram. Ipsa quoque nulla indumenta habebat, sed tota nuda apparuit, et dicebat:

25. « Dulcem vitam et pulchram viam in me invenio, et quare ab illa abstinerem » me? Vitam enim istam, in qua creata sum, Deus mihi dedit; et quid ob hoc, si » aliqua laetitia in carne mea est? Cuprum enim primo [2]) durum, et velut nigrum » sit, apparet, sed postea velut aurum fulgebit: ita etiam si aliqua sordes in carne » mea est, culpabile non est. Multi enim in coecitate hujus vitae sunt, qui nesciunt » quid faciunt. Ego autem istam vitam scio, et eam habere desidero. »

XIIII.

Responsum gemitus ad deum.

26. Et iterum de praedicta turbida nube audivi vocem huic imagini responsum dantem: « Tu nuda, quare non erubescis, quod coecam et mutam vitam pro vita » illa habes, in qua nulla nocturna obscuritas est? In moribus enim tuis omnem » justitiam et veritatem transcendis, ac in rationali vita non vivis. Ego autem sae- » cularem vitam sicut fenum arescere scio, unde et ad illam suspiro, quae nun- » quam deficiet. Coelestem etiam harmoniam, et omnia angelica et spiritualia gau- » dia ad me traho, nec de ipsis saturari possum, quia societatem cum illis habeo, » nec unquam ab eis discedam. »

XV.

Verba gladii.

27. Et vidi quod praefatus vir evaginatum gladium, tres acies habentem, collo ipsius capulo impositum habuit, qui hac et illac ad feriendum movebatur. Et idem gladius dixit: « Zelum zeli contra Aquilonem, et contra omnes qui in eo habitant, » habeo. Quis poterit percutiendo me superare? Nemo. Nam ego materiam in con- » junctione non habeo. Vir enim cum muliere non vocavit me, sed omnia opera in

[1]) *contempnat me* A. | [2]) *primum* W.

» omni genere dijudico. Deus enim de limo terrae hominem formavit, in quo omnia opera sua perpetravit, et in illum sicut in speculum aspicio. [1]) »

XVI.

Quod infideles ignorantur, et quod opera Dei in vita manent.

28. Deinde audivi vocem de coelo dicentem: « Quis est in omni creatura, qui » opera Dei dinumerare possit? Et quot sunt hi qui in terra Dei [2]) habitant? Et qui » sunt, et quales sunt, et quot sunt, hi qui intra se loquuntur, et affirmant nigre» dinem schismatum [3])? ita quod deum suum in Aquilone quaerunt, et quod eum » ibi colunt, et quod una quaeque justa a Deo instituta, secundum voluntates suas » perverse discutiunt et exscribrant, et ea in cordibus suis discerpunt, dicentes: » Ista vita bona est, illa vero mala est. Et sic scientiam suam pro Deo habent, nec » sciunt quid faciunt; opera enim Dei, quae in homine operatur, in infinita vita » manent, velut etiam verba Ezechielis ostendunt, ubi de quatuor animalibus » dicit. »

XVII.

Verba Ezechielis.

29. « Facies hominis et facies leonis a dextris ipsorum quatuor. Facies autem bo» vis a sinistris ipsorum quatuor; et facies aquilae desuper ipsorum quatuor [4]). » Cujus sensus talis est. Nam opus operis Dei homo est, et hoc opus a Deo est. *Facies hominis* pietatem designat [5]), per quam homo sensibilitatem habet. Et *facies leonis* virtutem Dei, in qua Deus rationalitatem homini dedit; et hoc *a dextris*, quoniam pietas et virtus Dei, per comprehensionem magnitudinis bonorum operum, velut alas, divinam inspirationem ostendunt. Sed *facies bovis* sacrificium quod Deus est, denuntiat; in quo demonstravit homini Deo sacrificare, et hoc etiam *a sinistris* est, quoniam in sacrificio quidam defectus est, ubi unum datur, et aliud relinquitur; sicut etiam qui voluntatem suam Deo offert [6]), interdum coelestia, interdum terrestria meditatur. Nam in sacrificio Deus hominem ad se trahit; et etiam homi-

[1]) Nescio an aliquid in utroque codice exciderit. Ultima verba nec perspicua sunt, neque apte cohaerent; ac vix non exspectatur *Pacis* responsum ad verba *Gladii*, ut perpetua series suadet.

[2]) *sunt qui in regno Dei* A. — [3]) Schismata illa, quae *deum suum ab Aquilone quaerunt*, facile reperies in dissidiis quae adversus Ecclesiam Romanam ab Aquilone movit Fredericus imperator, *sub pressura apostolicae sedis* ab initio memorata. — [4]) Ezech. 1, 10. Incipiunt loca sacra, quae lato quidem sensu, accommodatitio quem dicunt, sumere Nostra solet, haud tamen sine multo acumine, et largo flatu magna sonantis; quae interdum sat importuno discrimine dividuntur: continuo lege num. 29, 30, et mox n. 32, 33 etc. Formulae passim in hoc opere et more vaticinantium repetitae et conservatae, in caeteris ejusdem vatis operibus exsulant. Vacat ne id notare, quasi tesseras esse nonnullas solemnes, post verba sacra? brevior est in libro *Scivias*: « quod dicitur. » Longior in libro *Divinorum operum:* « quod sic intellectui patet. » Mediam hic habemus: « cujus sensus talis est. » constantiam in varietate notare juvit. — [5]) *Facies enim hominis pietatem designat* A. — [6]) *offerunt* W.

ni inspirat ut seipsum sacrificium Deo faciat. *Facies* autem *aquilae* scientiam Dei praefigurat, quae homini scientiam dat et possibilitatem scientiae, secundum quod ipsi placet; quae super alias virtutes est, et quoniam in homine terribilis est, et homini vita est, et vita illa non deficit; sed undique spirat, et undique videt, ac in homine, ut stellae in firmamento, apparet.

XVIII.

Electorum et reproborum numerus nulli homini notus.

30. Sed quamvis multa scientia in homine sit, nullus tamen hominum opera Dei dinumerare poterit, nec eos qui coelestia possessuri sunt; quia quemadmodum mirabilia ejus innumerabilia sunt, ita etiam et illi sunt innumerabiles, qui per eadem mirabilia, supernas mansiones adipiscuntur. Sed et nec illi dinumerari poterunt, qui in suggestione Diaboli seducti, cum Diabolo habitabunt.

XVIIII.

Deus solus omnia novit.

31. Deus autem numerum omnium scit. Nam plurima et plurima secreta in Deo sunt, quae nulli revelat ut sunt, sed ex parte et secundum quod sibi placuerit, et secundum quod voluerit. Ipse enim solus omnia novit, qui etiam ea continet; et conservat quae fecit, quoniam in omnibus secundum dispositionem gratiae suae est: quod et visio praesens quam vides, testatur.

XX.

Cur Deus vir nominatur.

32. Vir enim iste tantae proceritatis, quod a summitate nubium coeli usque in abyssum pertingit, Deum designat, qui juste vir nominatur, quoniam omnis vis et omnia quae vivunt, ab ipso procedunt.

XXI.

Verba Isaiae.

33. Ipse etiam vir ille est, de quo propheta dicit: « Dominus sicut fortis egredietur; » sicut vir praeliator, suscitabit zelum, vociferabitur, et clamabit, super inimicos » suos confortabitur [1]) ». Cujus sensus talis est. Ante antiquitatem dierum, Dominus in fortissima vi egressus erat [2]), ita quod vis ipsius vita vivendi in omni genere creaturarum fuit, et quod vita quam ipse fecit, prosperitatem egrediendi in multi-

[1]) Is. XLII, 13. | [2]) *egressurus est* W.

plicatione [1]) creaturarum habuit. Et idem vir in antiquo concilio omnia bona pleniter constituit, et omne aedificium virtutum sic ordinavit, quod vacuitas in eo [2]) nulla invenitur; unde in magna plenitudine contra inimicos suos pugnavit, quorum viscera superbia est, quae prius ascendere tentat, quam scalam videat; et quae prius sedet, quam sedes ponatur; et cujus opus opinio est, quae cum defecerit, illa in interitum vadit. Nam idem *vir*, in plenitudine virilis operis sui, *suscitavit zelum*, scilicet ardentem ignem in angelico ordine, qui totum hostem dejecit, cum ille tenebris malitiae suae coelum obnubilare voluit. Et sic in fortissima vi voluntatis Dei, ac in gaudio victoriae vociferatio exorta est, cum angelica turba vociferabatur, dicens: « Quis est similis Deo? » In qua etiam vociferatione, velut validus ventus ventorum, omnis coelestis militia clamavit illum cecidisse, et gaudebat quod amodo nullam ruinam in coelo visura esset. Sic hostis antiquus in tenebris cecidit, inanis luce et gaudio vitae, ac pharetram et jacula sua contra voluntatem hujus praeliatoris collegit.

XXII.

Deus hostem antiquum omnino destruet.

34. Sed idem vir, per aliud opus quod operatus est, videlicet per hominem quem fecit, super inimicos suos confortatus est, in qua fortitudine contra jacula et malitiam [3]) dolosi hostis denuo pugnare coepit. Cuius praelii « Verbum, quod caro factum est, » vexillum deinde portabit, et haec pugna sic durabit, donec numerus fratrum, scilicet beatorum, impleatur. Nam fortissima pugna idem vir cum hoste isto iterum praeliabitur, sicut prius in coelo cum eo pugnavit; ac eum omnino destruet, quoniam in otio peccatorum stetit, et quoniam in potestate totius doli et malitiae sedit. Sed qui hoc facere noluit, beatus est, ita quod beatitudo ejus non deficiet.

XXIII.

Homo quid ante eum et futura ignorat.

35. Et ejusdem viri proceritas tanta est, quod a principio creaturarum usque in finem saeculi extenditur, quoniam homo [4]), ex quo factus est usque ad defectum suum, loqui poterit. Quid autem ante eum, vel quid post eum futurum sit, ignorat. Nam Deus nec initium nec finem habet.

XXIIII.

Quid ante principium mundi fuerit, Deus novit.

36. Unde idem vir ab humeris suis sursum supra nubes in serenissimo aethere est, quoniam quid ante principium mundi fuerit, ipse solus in secreto divinae cla-

[1]) *multiplicationem* A.
[2]) *vacuitas in ea* sic W.
[3]) *contra jacula et militiam* A.
[4]) *quantum homo* A.

ritatis novit. Nam Deus super omnia et in omnibus excellentissimus est, ita quod nec angeli, nec animae justorum eum ad finem perducere possunt. Ex ipso enim omnia viventia procedunt, nec ipse inceptionem principii habet, sed solus in se permanet; nam in se vivit, in se potest, in se et scit. Qui vivit, et qui potest, et qui scit, Deus est; ac in his tribus viribus [1]) omnia opera Dei distincta et perfecta sunt, et in ipso opera ejus possibilitatem operandi habent.

XXV.

Deus ignis operans est.

37. Et Deus aeternus est, et aeternitas ignis est, et hic Deus est. Et Deus non est ignis absconsus, nec ignis tacens, sed ignis operans est, quia potestas Dei supra omnem intellectum et cogitationem creaturarum, in claritate mysteriorum et secretorum suorum, omnia disponens et omnia regens est, ut caput totum corpus regit: quoniam rationabilem vitam facit, scilicet, cum oculi vident, aures audiunt, nares odorant, et ejus os verba in rationabilitate profert. Deus ergo caput omnium fidelium est, sed tamen omnia non ostendit, quae in secreto Divinitatis sunt, quoniam in eo arcana vita absconditae vitae est, sicut etiam « ministros suos flammam ignis [2]) cum judicio facit. » Nam judicium prius auditur quam flat, sic in Deo est. Ipse etiam ante Legem, velut ante humeros suos, homines qui ante Legem erant, aqua et igne examinavit, quoniam alia lege examinati non sunt. Deinde autem in Lege, variis et duris castigationibus eos purgavit, quod postmodum etiam totum complevit, cum ipse homo factus, Diabolum in fortitudine sua destruxit, et hominem a sordibus peccatorum suorum clementer per veram justitiam emundavit, ut propheta dicit: « Cujus potestas super humerum ejus. » [3])

XXVI.

Verba Isaiae.

38. Cujus sensus talis est. Justitia in potestate Dei per hominem apparuit, quando Deus homo processit, ubi, velut in humero fortitudinis suae, opera Diaboli destruxit, ac infernum despoliavit; et ubi per apostolos suos baptizando in omnem terram sonuit. Deus enim justitiam propter hominem in semetipso perfecit, qui de limo formatus in mortalitatem cecidit. Ipse namque homo in primo flore germinis per Diabolum seductus est; qui vulvam suam aperiens, omnes spurcitias in materia sua eructavit; unde etiam omnes filios hominum denotat, quoniam luxurioso igne venenose seminantur. Deus autem in integra virginali carne per calorem Spiritus

[1]) fort. *juribus* A. — [2]) Ps. CIII, ut ep. ad Hebr. 1, 7. — [3]) Is. IX, 6. — Tragica post spectacula, in quibus vates nostra nulli poetae impar facile ostenderetur, si quis locus esset academicis quae dicuntur *parallelis*, nunc majora canens, theologiam aggreditur, gravesque pronunciat dogmaticas sententias, quibus caeteros inter Scripturae interpretes haud ultimam sedem nancisci-tur. Sed neque etiam nostri est instituti arcana haec rimari dogmatica. Caute nonnulla lege.

sancti, absque venenoso semine viri, carnem collegit; et sic homo factus, omnes venenosas spurcitias Diaboli ab hominibus tergebat, quia ipse absque peccato mundus, peccatores a peccatis emundatos salvos fecit.

XXVII.

Miracula antiqua tam manifesta quam obnubilata.

39. Quod autem ab humeris deorsum ad femora sua, sub eisdem nubibus, in alia quadam candida nube est, hoc est quod ab ortu creaturarum ad verum ortum, cum « veritas de terra orta est, » [1]) in secreto Divinitatis suae multa miracula in candore honorificentiae [2]) habuit; ex quibus quaedam manifestavit, quaedam autem obnubilavit: quia etiam voluntas Dei, in ordinatione et conservatione sanctarum animarum, clara et candida in occulta et spirituali vita est, quae tamen impossibilia sunt humanae scientiae manifestari.

XXVIII.

Vetus Lex sonus Verbi.

40. Sed tamen ipse velut sub humeris suis in homine quamdam militiam instituit, cum ei vetera legalia injunxit, quae ut sonus Verbi, et non Verbum erant. Sonus enim verbi primum auditur, et postea verbum cognoscitur. Sic namque vetus Lex sonus et umbraculum Verbi fuit; post quem deinde Verbum, scilicet Christus, apparuit.

XXVIIII.

A Deo cuncta portantur.

41. Et a femoribus ad genua sua in terreno aere est, quoniam ut omnia carnalia de femore procedunt, et ut a genibus sustentantur et vehuntur, sic etiam a Deo cuncta creata portantur, ac in igneo calore et humore aeris, in quo aperta vita corporalium est, nutriuntur; quemadmodum et novus populus, de vera castitate surgens, et ad vectibilem confortationem, uti omnibus patet, perveniens, quamvis in terrenis appareat, multa tamen miraculorum et virtutum suavitate temperatur. Cum enim Divinitas Virgini se adjunxit, per inspirationem Spiritus Sancti, Verbum in humanitate sua cognoscebatur, quod novam Legem per semetipsum ostendit. Et ibi sonus et Verbum in unum convenerunt, ubi vetus et nova Lex sibi consenserunt.

1) Ps. LXXXIV, 12. | 2) *honorifice* W.

XXX.

Animae sanctorum plenum gaudium nondum habent.

42. Sed et sicut vetus Lex obumbrata fuit, nova autem aperte videt, sic etiam animae sanctorum, habitaculis suis exutae, plenum gaudium, velut in veteri Lege, non habent [1]), quoniam faciem Patris ad perfectum nondum vident; quia impossibile esset, quod pars dimidiata illud quod integrum est ad plenum videret. Cum autem habitacula sua receperint, et integrae fuerint, id quod integrum et ad perfectum inspicient, et amodo non mutabuntur, velut nova Lex ea perfecte videt, quae vetus obumbrata dignoscere non potuit, nec unquam in aliud mutabitur.

XXXI.

Vocatio novi populi in tribulatione non corruet.

43. A genibus quoque ad suras suas in terra est, quoniam ut genua hominem portant, et ut surae pedibus fortitudinem praebent, ita etiam Deus omnia vehit, et omnia confortat, ac terrae fortitudinem dat, quatenus caeteras creaturas sustinere possit, quia ipsa fortitudo aliarum constitutionum est. Nam terra velut genu et velut surae aliarum creaturarum est, et ut rotae et axis currus, reliquas creaturas fert, et aquam hac et illac ducit, ut fluat; quoniam si terra aeri et aquae interposita non esset, aer aquam emanare non permitteret. Sed ut genu interdum flectitur, et tamen a suris retinetur, sic etiam et terra [2]) aliquando in alium modum a creaturis ducitur, cum officium suum non recte subministrat; sed tamen non labitur, quia fortitudo Dei eam ad rectum modum suum restaurat. Sic et vocatio novi populi, per totum orbem terrae in evectione evangelii manifestata, et in eadem manifestatione roborata, sudorem in multis tribulationibus sentiet, cum genua ejus in Antichristo commovebuntur; sed tamen in suris fortitudinem habens, non corruet, quoniam in capite suo fiducia ejus est. Nam etiam ut caput ipsius, in terrenis elementis absque peccato conversatum, et in passione sua in aliud mutatum quam prius ab hominibus videretur, ab hominibus declinavit, sicut et genua inclinantur; et ut deinde in fortitudine sua indeficiens permanet, ita et Ecclesia in nova Lege conversata, in pessimo perditore aliquantum inclinabitur, sed vires suas recipiet, et sic invincibilis permanebit.

[1]) Felicitatis defectum in beatis ante resurrectionem corporum non semel Hildegardis notavit, eo dumtaxat sensu, quod redivivo ex corpore incrementum erit splendoris et beatitudinis. Caeterum haec scripta sunt ante concilium Lugdunense a. 1274, ac multo priusquam sub Benedicto XII a. 1336 quaestio tandem solveretur, huc usque ventilata, etiam in aevo Aquinatis. Cf. *Summ.* p. 1 q. 64 a 1 ad 3. et cf. infra n. 59, parte II n. 43-46, et p. VI cap. IV. — [2]) Candide eadem et fusius, nec magis perspicue asseruit Hildegardis in *Divin. opp.* p. II capp. 80 sqq. Non est quod quis rem facesserit de vetere illà Physica, prout tunc temporis vel apud doctissimos frequentabatur. Christianis enim scriptoribus nisi licuisset more aevi sui loqui, tum maxime in libero hujusmodi argumento, quis legentium potuisset eos intelligere?

XXXII.

Multa homini ignota.

44. Quod autem idem vir a suris deorsum ad plantas suas in aquis abyssi est, ita quod etiam supra abyssum stat, hoc est quod fortitudo Dei et mirabilis vita in absconditis, quasi in plantis non cernendis, scilicet in secretis illis quae homini scienda non sunt, velut in aquis abyssi est; quoniam ut in superioribus multa sunt quae nesciuntur, sic etiam et in inferioribus abyssi plurima sunt a quibus aquae confortantur, quae ab homine sciri non poterunt. Nam omnia quae sub terra sunt, in potestate sua habet, et ea regit et judicat, ac infernale judicium discernit, nec quidquam est quod in potentia ejus non sit. Unde etiam in eisdem secretis suis fortiter stat; quoniam Deus secreta sua nulli ad perfectum revelat, sed in eis requiescit, ut homo in plantis suis, quemadmodum septimo die ab omni opere suo requievit [1]).

XXXIII.

Finem filii perditionis nullus hominum scire potest.

45. Sic et vocatio novi populi in Antichristo fortitudinem suam non amittens, sed ea usque ad bonum finem mirabilium Dei, quae ab homine sciri non poterunt, conservans, et in eisdem mirabilibus usque ad novissimum diem sicut ad plantas stans, requiescit, nec ulterius vacillabit, quoniam omnis teneritudo ejus ibi finem accipiet. Nam ut nullus abyssum perscrutari potest, sic nec quod post finem perditi hominis futurum sit, nullus hominum scire [2]) poterit, quemadmodum etiam de omnibus his per Sapientiam dictum est.

XXXIIII.

Verba Sapientiae.

46. « Altitudinem coeli et latitudinem terrae et profundum abyssi quis mensus » est [3])? » Cujus sensus talis est. Globus mundi igne et vento ac aere [4]) agitatur, et omnis creatura in eo latet. Coelum enim cum omnibus ornamentis suis in superiori parte hujus globi constitutum est. Et quis est homo, qui ullo visu hoc transcendere possit? Latitudo quoque terrae cum circumfluentibus aquis, et cum illis quae supra abyssum fluunt, quasi in medio globi istius est; sed nec ullus homo eam comprehendere potest [5]). Abyssus autem cum omnibus mirabilibus suis velut in fine hujus globi est. Et quis est homo qui ad finem ejus pertingat? Nemo praeter Deum,

[1]) Capituli XXXIII numerus hic aut paulo infra desideratur in codd. — [2]) *sciri* W. — [3]) Eccl. 1, 2. — [4]) *ac vento et aere* A. — [5]) Recole, si lubet, quae apud nos eadem de re disserit Origenes *in Iob*, cap. XXXVIII, 5, t. II *Analector. sacror.* p. 383.

qui eum constituit. Sed homo infra globum istum vivit, et ejus ambitu circumdatur. Unde homo in comprehensione sua progredi ultra non poterit. Nam creaturae in virtute Dei sicut cor in homine sunt; quod parva pars ad comparationem reliqui corporis est. Ita et creaturae parvae sunt; sed virtus Dei magna et incomprehensibilis est. Omnes enim creaturae, quae in coelo et in terra et in abysso sunt, Deum nec comprehendere, nec discernere, nec finire possunt. Sed et omnis sapientia a dominante Deo est; quia Deus cum sapientia omnia praedestinavit, et in globum ea composuit, quae iterum cum eadem sapientia discernebat. Ipsa enim coelestia sciendo sapuit, ac in regali ministerio gyrum coeli circuivit [1]), et terram cum servitio et aedificatione necessitatis omnis creaturae transivit, ac abyssum penetravit: quemadmodum procurator facit, qui de his nihil perire permittit, quae sibi adsunt. Sed et sapientia oculus Dei est, cum quo omnia praevidet et intuetur; et ante eum amantissima amica in amabili amplexione ipsius est, cum qua Deus omnia tractando computavit. In hac etiam sapientia, homo quasi altitudo coeli nominatur, quoniam ipse supra omnes creaturas per scientiam dominando abundat, quae oculus sapientiae est. Sed et velut latitudo terrae est, quia possibilitatem desiderandi et optandi habet. Quomodo? Quod homo desiderat, hoc ipsum delectat; et sic desiderando exoptat, et tum secundum voluntatem suam, sibi in illis auxilium aderit; si enim Deum invocaverit, ab ipso adjuvabitur. Quod si ad Diabolum se tetenderit, ille cum suggestione mali ipsi occurrit. Homo etiam de rationabilitate desiderium, et de gustu optionem habet; sed tamen quodcumque desiderat vel exoptat, non potestate sua, sed permissione Dei perficitur, quoniam ipse hominem creavit; et sicut homo multa facere potest, sic etiam desiderium et optionem habet, per quae plurima postulat. Et quia Diabolus primum hominem decepit, ideo etiam suggestione Eva ipsum multoties seducit. Homo etiam quasi profundum abyssi est, cum a bono desiderio declinaverit, et Diabolum invocaverit, quia tum etiam Diabolus desideria illius suscipit, secundum quod homo tunc voluerit [2]), et hoc Deus sic fieri permittit. Cum autem homo bonis desideriis se implicaverit, ita quod bona operatur, quae tamen aliquando transcendit, non autem sic quod omnino bona dimittat, sed quod ea per quemdam neglectum transeat, tunc Deus hunc perire non sinit, quoniam bonum desiderium in se habuit. Sed huic homini Diabolus non confidit, ut desideria carnis suae perficiat, quia in ipso cognoscit quod Deum relinquere non vult. Iste autem homo profundum abyssi non est; sed tempestas, quae aliquando in sole fulminat, et quae aliquando in nigram nubem se involvit. Et quis mensus est ulla inquisitione contemptum hunc, quod homo qui supra omnia opera Dei constitutus est, Deum dereliquit, et Diabolum imitatur, qui gloriam suam perdidit, cum superbiendo se Deo opposuit, et periit? Quis etiam perditionem hanc metiri [3]) poterit, quod homo Deum dereliquit, et pessimum tyrannum, scilicet Diabolum, pro Deo elegit [4])? Haec Deus praevidet et judicat.

[1]) Eccli XXII, 8. — [2]) *secundum tunc homo voluerit* A. — [3]) *metire. . derelinquit* A, W. — [4]) *eligit* A.

XXXV.

Mirabilis hominis reformatio.

47. Et idem vir se ad Orientem vertit, ita quod et Orientem et Austrum inspicit, quoniam Deus in principio mundi creaturas quasi fulgentem solem procedere jussit; et eas non solum produxit, sed etiam in perfectione quasi in Austro multiplicavit, cum et hominem qui bonum principium accepit, et qui ab illo in malum corruerat, non tantum ad principium suum reformavit, sed etiam majores virtutes sanctitatis in eo dedicavit.

XXXVI.

Nemo in operibus Deo assimilatur.

48. Sed quod vultus ejus tanta claritate fulget, quod eum ad perfectum intueri non potes, hoc est quod sancta Divinitas tam ardens et tam clara in omni bonitate et justitia est, quod eam nullus scrutari valet. Nam praeter Deum, Deus non est; cui in operibus suis nemo assimilatur, quoniam in omnibus mirabilibus suis solus Deus est, quae etiam, sicut et ipse, incomprehensibilia sunt. Ipse etiam ignis iste est, de quo angeli ardent et vivunt; et claritas illa, de qua plurima arcana procedunt, quae infra se vitam miraculorum habent, quae in Deo est. Miracula enim ista supra omnem numerum, qui in coelo et in terra ac in abysso est, dicta sunt.

XXXVII.

Dispositioni Dei omnia obediunt.

49. Ad os quoque ejus candida nubes est, quae similitudinem tubae habet, quoniam divinae voluntati divina et suavis dispositio, in comprehensione divinarum emissionum adjuncta, ut a tuba sonus, procedit; etiam omnium sonorum velociter sonantium plena est, quia dispositioni Dei omnia, sive rationabilia, sive irrationabilia, strenue obediunt in plenitudine subjectionis, et hoc ad honorem et laudem ipsius, quoniam Deus ea creavit. Deus namque bonus est, et omnia quae ab ipso procedunt, bona sunt.

XXXVIII.

De tribus viis justitiae in tribus ordinibus beatorum.

50. Unde in eamdem tubam dum idem vir flatum dat, tres ventos emittit, quoniam profundam dispositionem voluntatis suae Deus secreta inquisitione pertransiens, tres vias justitiae in tribus ordinibus beatorum procedere fecit, quorum

unus nubem igneam, unus turbidam, unus lucidam super se habet, ita quod iidem venti easdem nubes sustinent: quia via una justitiae gloriam angelorum, in amore Dei ardentium, et nihil aliud quam quod Deus vult volentium, velut igneam nubem portat; ac via [1]) una, opera hominum, quae turbida et varia in multis angustiis et tribulationibus quasi turbida nubes est; ac una, in incarnatione Domini, candidam et illibatam virginitatem, velut lucidam nubem, super se continet, quoniam justitia fundamentum istorum est, et eos in beatitudine sustinet. Nam Deus in secreto voluntatis suae omnia disponens, omniaque procedere faciens, spiritus supernorum civium in rectitudine continuit; hominem etiam in turbida opera cadentem, ne omnino periret, sustinuit; atque per illibatam incarnationem et virginitatis lucem opera tenebrarum fugavit, et ea quae recta sunt, demonstravit. Angeli enim in amore Dei permanserunt; et homo a Deo recedens, per sancta opera in priorem gloriam restitutus est, quia opera in sanctitate perfecta, hominem sanctum fecerunt. Sed sancti modo in labore carnis operantur; post novissimum autem diem, in symphonia et in omnibus laudibus laetabuntur. Nam caro spiritum nunc in carne constringit, spiritus autem carnem postea sibi subjiciet, et sic homo totus sanctus erit.

XXXVIIII.

Angeli ad voluntatem Dei semper prompti.

51. Sed ventus, nubem igneam super se habens, ante faciem ejusdem viri permanet, quoniam justitia gloriam angelorum, in amore Dei ardentium, in supernis tenens, in voluntate et in gloria Dei perdurat, quia angeli faciem ejus inspicientes, ad voluntatem ipsius semper prompti sunt, nec a Deo recedunt.

XL.

Deus opera sanctorum novit.

52. Alii autem duo venti cum nubibus suis ad pectus ejus descendunt, et ibi flatus suos expandunt, quoniam justitia duabus viis cum homine incedens, scilicet una in veteri Lege, una in incarnatione Filii Dei, cum bonis operibus hominum ad profundam scientiam Dei descendit; ubi in multis mirabilibus dilatatur, quia Deus opera sanctorum novit, nec ea oblivioni tradit; sed eis in secreto consilii sui aeternam remunerationem componit, ac ea [2]) in infinitis laudibus ad gloriam suam expandit.

53. Quod autem ventus, qui ante faciem ipsius est, cum nube sua se ab Oriente ad Austrum expandit, hoc est quod justitia coram Deo fulgens cum gloria supernorum spirituum, ab ortu illo quo in veritate perstiterunt, ad recta opera hominum tendunt, quatenus homo per eadem opera ad gaudia ipsorum velut ad bonum ortum pertingat; quoniam Deus angelum et hominem in una rationalitate conjun-

[1]) *via* om. W. | [2]) *ac eam* W.

xit, et quia angelica praesidia homini adesse destinavit, et hoc tam in veteri quam in novo Testamento fecit, sed tamen majore dilectione in novo quam in veteri Testamento, eos consociavit. Nam angelus in veteri Testamento velut vox ad hominem erat, in novo autem homini ita conjunctus est, ut vox Verbo conjungitur.

XLI.

Beati spiritus unanimes.

54. Quod autem in hac ignea nube vivens ignea multitudo est, qui omnes in una voluntate et in una conjunctione vita una sunt, hoc est, quod in ardente gloria et honore vivens et ardens exercitus beatorum spirituum est; quorum gloria ineffabilis est, quorum etiam numerus innumerabilis est, ita quod numerum eorum nemo scit, nisi quod scientia Dei eos novit. Et omnia quae Deus vult et ipsi volunt, et sic in unum sibi conjuncti sunt, velut corpus quod non dividitur; nam quamvis singulas facies habeant, tamen in una conjunctione unanimitatis sunt, ut corpus, quod singula membra habens, unum tamen corpus est; et sic vita una in unanimitate sunt.

XLII.

Deus per angelos suos homines punit.

55. Et coram ipsis tabula, pennis undique plena, est expansa, quae in praeceptis Dei volat; cum ipsa praecepta Dei elevant, quoniam ante eos secretum divinis judiciis plenum est. Quod et secundum voluntatem Dei manifestatur, cum voluntas Dei illud manifestare voluerit; in qua scientia Dei quaedam arcana scribit, quae multitudo haec studio uno inspicit, quia Deus in secreto consilio suo alia secretiora consilia habet, quae beati spiritus studiosissime attendunt. Nam etiam cum Deus homines idola colentes et alios legem suam praevaricantes viderit, per ignea judicia supernorum civium, in amore ejus ardentium, pennas ventorum saepissime excitat, ac fulgura et tonitrua in terram mittit, ac fame et pestilentia et incursibus bellorum populos terret, et sic totam terram in terrorem commotionis ducit.

XLIII.

Laudes angelorum in judiciis Dei.

56. Sed cum angeli eadem scripta inspiciunt, virtus Dei ipsis dat, quod velut fortissima tuba, in omni genere musicorum, uno sono resonant; quoniam cum ipsi voluntatem Dei considerant, a virtute etiam Dei accipiunt, quod in fortitudine et in plenitudine omnium gaudiorum unanimiter laudes Deo referunt. Nam in omnibus judiciis Dei nihil aliud quam laudes Deo dicunt. Quia omnia judicia eius vera et justa sunt, velut etiam Joannes in Apocalypsi sua audivit, ut scriptum est [1]).

[1]) Apoc. XVI, 7.

XLIIII.

Joannes in Apocalypsi de eodem.

57. « Domine Deus omnipotens, vera et justa judicia tua sunt. » Cujus sensus talis est. O domine, tu per timorem « Dominus, » per amorem « Deus, » per comprehensionem omnium « Omnipotens » diceris. Unde « vera et justa judicia tua sunt, » quoniam verus timor tuus omnes timores destruit, et verus amor tuus omnes amores alligat, ac vera omnipotentia tua omnes potestates deprimit. Nam cum homo in propositione sua sibimet legem ita ponit, velut ipse sibimet Deus sit, tum ei te per justa judicia tua ostendis, ut sciat quia contra te nihil possit. Cum etiam amorem carnis suae justo amori tuo praeponit, tunc amorem illum in ipso cum amaritudine dolorum sic conculcat, quod numquam nisi per te consolabitur. Sed et cum homo in praevaricationem [1]) praeceptorum tuorum pervenerit, item quod simulacra pro nomine tuo colit, tunc justo judicio contra inimicum tuum praeliavit [2]), qui a prima inceptione sua homini persuasit, quod te pro nihilo computet. Et tunc in terram [3]) fulgura et tonitrua mittis, et ex aquis diluvium fundis, ac in terra sterilitatem esse jubes, et etiam morbos et praelia hominibus inducis, ut sciant quia ista per nullum nisi per te fieri possunt, ut et judicia tua vera et justa esse cognoscant.

XLV.

Deus ab angelis et hominibus laudandus.

58. Multitudo quoque angelorum bona opera hominum laudat, et propter eadem opera nec horis nec momentis a laudibus cessat, sed in eis frequenter sonat; nec in his finem facit. Deus namque ab angelis laudari vult, quatenus eorum gloria multiplicetur, et hoc sibi placet. Unde etiam vult ut opera sanctorum ab angelis in laudibus sibi deferantur et manifestentur, quia homo opus ad imaginem et ad similitudinem Dei est; et ob hoc etiam vult ut bona opera hominis coram eo ab angelis laudentur. Sed quia homo per adjutorium Dei sustentatur, ideo etiam Deus ab hominibus, sicut ab angelis, laudari vult, ut et eorum gloria magnificetur.

XLVI.

Arcana Dei homini inscrutabilia.

59. Sic Deus omnia recte constituit. Istud autem de arcarnis Dei, quae in conspectu ejus resplendent, dictum est, quae scientiae hominis innumerabilia sunt; scilicet in angelis, in spiritibus, in ministris [4]), in vociferantibus, et in gaudio gaudentibus; et quae scientiae eius incognita sunt, qui et quales sint, et quomodo

[1]) *praevaricatione* A. — [2]) Aliquid desiderari videtur hic et in proxime sequentibus, — *a proxima conceptione sua* A. — [3]) *in terra* W. — [4]) *et in ministris* W.

sint. Nam quamvis homo velut mons in scientia sua sit, quoniam in scientia sua in excellentiam post Deum ascendit, supernum tamen montem, nec superiorem partem ejusdem montis quae scientiae Dei est, nullus homo vidit, nec illuc ascendit, nec ejus arcana scire poterit, nec etiam illorum qui in conspectu ejus semper assistunt. Sed quidam illorum qui in conspectu Dei semper sunt, per prophetas ac per alios quosdam sanctos qui in Spiritu Sancto viderunt, nominati sunt; quidam autem nominati non sunt, qui etiam modicum de ipsis loquebantur, dum divina inspiratio eos tetigit, quemadmodum per Paulum Apostolum scriptum est [1]).

XLVII.

Verba Pauli arcana.

60. « Audivi arcana verba, quae non licet homini loqui. » Cujus sensus talis est. Ut cor ejus multis et magnis miraculis infusum, confortaretur, et ut aliis ex hoc aedificationem virtutum largiretur, praecepit arcana verba et praescientiam habentia, quae hominibus abscondita sunt: per quem, vel a quo, vel quare processerint, vel qualia fuerint, vel quem modum habuerint. Sicut enim Divinitas ab hominibus intueri non potest, sic nec ista verba quomodo in vociferatione vocis, et quomodo in sonis laudum mysteriorum Dei prolata sint, non licet [2]) homini proferre, quia omnino in secretis secretorum spirituum sunt, et quoniam homo in carne alienus ab illis est.

XLVIII.

De bono perseverantiae et sanctitatis.

61. Quod autem vides, quod ventus qui praedictam turbidam nubem [3]) super se habet, eam secum ab Austro ad Occidentem extendit, hoc est quod justitia, multis tribulationibus turbida opera hominum sufferens, illa secum ab Austro, cum ibi in perfectione fidei ardent, ad finem perseverationis ducit, ut homines Diabolo repugnantes, in bono perseverent, et in sanctitate Deo vivant. Et longitudo ac latitudo ejusdem nubis velut platea est, quae prae amplitudine sua humano intellectu capi non potest, quoniam extensio et diffusio bonorum operum et amplexione et dilectione virtutum tanta est, quod propagatio earum [4]) cor humanum excedit.

XLVIIII.

De beatorum mansionibus.

62. In eadem autem nube, maxima multitudo beatorum, et qui omnes spiritum vitae habent, et quos nemo dinumerare potest: quia in beatis mansionibus anima-

[1]) 1. Cor. XII, 4. — *audivit arcana* W.
[2]) *non licent* W.
[3]) *nubem turbidam...* mox *turbida hominum opera* A. — [4]) *eorum* A.

rum, quas bona et sancta opera sibi paraverunt, ipsae animae sanctorum sunt, qui in beata vita vivunt, et qui innumerabiles in numero hominum sunt, quoniam numerum eorum nemo nisi Deus novit.

L.

Animae Sanctorum corpora sua desiderant.

63. Et voces eorum sunt ut sonus aquarum multarum, quoniam in laudibus suis in unanimitate unius soni, et unius voluntatis spiritali spiramine, ut aquae salutis sonant, et dicunt quod corpora secundum voluntatem Dei dudum habuissent, quae quamvis in cinerem versa sint, ea tamen recipere desiderant, ut tanto plus cum illis gaudeant.

LI.

Animae corpora sua in fine mundi recipient.

64. Sed ab illis qui in conspectu Dei in amore ejus ardent, responsum accipiunt, quod eadem habitacula non recipiant ante divinam jussionem, et ante concussionem elementorum, cum fortissimus ignis elementa purgabit, ubi Deus magnam potentiam suam manifestabit. Nam vox Dei omnes mortuos tam reprobos quam electos suscitabit, et tunc cum corporibus suis ad aeternitatem surgent, quia ad incommutabilem vitam corpora eorum mutabuntur, cum resurgunt, quamvis mors istos et quamvis beata vita illos recipiat.

LII.

Justitia in Christo contra Diabolum pugnat.

65. Quod autem ventus super quem praefata lucida nubes est, cum eadem lucida nube ab Oriente ad Septentrionem se dilatat, hoc est quod justitia, ferens candida opera virginitatis in Christo, cum eisdem operibus in ortu veritatis surgentibus, contra nequitias Diaboli pugnat; quod ante Christum pleniter facere non potuit. Nam ut homo, primum carnalis factus, ad spiritalem vitam deinde se transtulit, sic etiam vetus Lex, in sanctitate carnaliter ostensa, postmodum in Christo et in Ecclesia vita facta est, ac sanctitas in vita surrexit, ac antiquum hostem penitus contrivit, cui vetus Lex rebellare non potuit.

LIII.

Adversus Christum et Ecclesiam Diabolus non praevalebit.

66. Sed maximae tenebrae multa densitate et horrore ab Occidente veniunt, et se magna dilatatione ad eamdem lucidam nubem expandunt, quia omnes diabolicae

iniquitates et malitiae in unum conglobatae, et ab infernalibus potestatibus missae, magna et lata infidelitate operibus Christi et Ecclesiae se opponunt. Sed tamen prae lucida nube illa ultra procedere non possunt, quoniam, quamvis fideles multis adversitatibus impugnent, tamen opera eorum in Christo lucentia offuscare nec evertere praevalebunt.

LIIII.

Incarnatio ut sol illuminat mundum.

67. Et in eadem lucida nube, sol et luna apparent, quod designat in candore Virginitatis occultum mysterium castissimae incarnationis, quod, sicut sol, mundum illuminat, et quod etiam Ecclesiam designat, quae in regeneratione baptismi Christum imitatur, quemadmodum luna solem subsequitur. Unde etiam in sole leo est, scilicet in occulto mysterio, quod in Deo latuit, sed quod tamen per omnia resplenduit, videlicet miraculum hoc quod Deus homo fieri voluit, quoniam Filius Dei de virginali materia carnem assumens, ac sic in fortissima vi Divinitatis, homo velut leo apparens, in aliena via progrediebatur, in qua nullus homo nisi ipse solus inventus est. [1])

LV.

Signum victoriae in Ecclesia.

68. Et in luna capricornus est, id est in Ecclesia, ex omni parte [2]) convocata contra antiquum serpentem, signum victoriae, ubi Diabolus per omnia superatus est. Quapropter etiam idem sol supra coelum et in coelo, ac in terra et subtus terram lucet, quia occultum mysterium, quod [3]) Filius Dei incarnatus est, super omnia coelestia secreta est; ita quod etiam in coelestibus mysteriis, quae solum coelestibus cognita sunt, apparet, et quod in creaturis terrae multa miracula operatur, et quod etiam abyssum splendore [4]) potentiae suae penetrat. Et sic procedit oriendo, quoniam idem mysterium apparuit in ortu virtutum, cum virtutes prius non visas protulit; et redit declinando, cum judiciali sententia pravitates vitiorum ad nihilum incurvat.

LVI.

Incarnatum Dei Verbum unum cum Patre existens baptismum docuit.

69. Quod autem cum idem sol procedit, leo cum illo et in illo procedit, ac multa spolia diripit, hoc est quod cum Deus occultum mysterium suum manifestavit,

[1]) Ludit cum *Physiologi* fabula de Leone, atque ut fit de re trita et tunc omnibus obvia, ambigue tangit plura, in quibus nunc vel eruditi viri vix non coecutiunt. Caeterum Physiologo Nostra caute et raro utitur, ut eum pene expulerit ex suis *Subtilitatibus naturarum creaturarum*, sed *Leonis* tamen fabulam fuse et lepide admisit in eodem libro, *Patrol.* CXCVII 1314. — [2]) *plebe* A. — [3]) *sic* A, W, fort. *quo*. — [4]) *splendorem* W.

incarnatus Dei Filius, cum eodem [1]) in carne, et in eodem in Deitate mirabiliter apparuit, quoniam unum sunt; ac plurima diabolica facta contrivit, cum ipsum a fidelibus suis fugavit. Et cum redit, leo cum illo et in illo redit, quia cum idem occultum Dei mysterium judiciale mysterium promeret, incarnatum Dei Verbum, cum illo exiens, et in illo manens, et unum cum illo existens, mala opera hominum dijudicabat, cum veterem Legem in novam transtulit; ac prae gaudio multos rugitus emittit, ubi triumphator per rugitum veritatis baptismum in regeneratione spiritus et aquae docuit.

LVII.

Fideles Christum coelestia docentem sequuntur.

70. Quod autem luna, in qua capricornus est, solem in praecedendo et in recedendo cum eodem capricorno paulatim sequitur, hoc est quod Ecclesia, morte devicta, mysterium Dei, procedens ad spiritalia et rediens ad saecularia, cum magna victoria subsequitur, quoniam Filium Dei coelestia docentem et cum hominibus conversantem fideles omnibus modis subsecuti sunt, cum etiam corpus pro Christo ad multa supplicia tradiderunt.

LVIII.

Fidelis Christum sequens opera tenebrarum conterit.

71. Unde idem ventus flatum [2]) dat, et dicit: « Mulier feta pariet, » et capricornus contra Septentrionem pugnabit, quia justitia per divinam inspirationem ostendit, quod Ecclesia bona et sancta opera profert, cum quibus magna victoria Diabolo repugnat [3]); quoniam quisque fidelis seipsum contemnens, et vestigia Christi subsequens, opera tenebrarum conterit, et se Deo conjungit.

LVIIII.

Animae a serpente seductae culpam suam Adae imponunt.

72. In praefatis autem tenebris, innumerabilis turba perditarum animarum est, quae a sono illorum in Austro canentium declinaverant, quoniam consortia [4]) eorum nolebant, quorum dux seductor appellatus est, quia opera ejus [serpentis] sunt, qui a Christo percussus, ultra quicquam non valet; quoniam in infidelitate infernalium poenarum plurimae animae sunt, quae verba supernorum civium, dum in carne essent, contemnebant, nec societatem illorum in bonis et justis operibus desiderabant, sed semper et semper ad malum anhelabant; unde antiquum serpentem imitatae, qui a Filio Dei contritus interiit, cum ipso in infelicitate mor-

[1]) *cum eodem, idest mysterio, in carne* A, Transivit in textum quaedam marginis glossa *id est mysterio*. Pergit A: *et in eodem in Deitate*. — [2]) *flatus* W. — [3]) *impugnat* A. — [4]) *consortium* A.

tis permanent, quia vitam non desiderabant. Et hae omnes lamentabili voce permanent dicentes: « Vae, vae noxiali et horrendo operi, quod vitam fugit, et in nobis » ad mortem tetendit; » quia in poenis, multis stridoribus vociferantur, et culpam suam et horrores tenebrarum suarum Adae imponunt, quia praecepta Dei transgressus, in mortem corruit; cum ipsi lucem fidei et opera justitiae videntes et audientes, ac etiam scientes, pro nihilo habebant et subsannabant, et Diabolum magis quam Deum diligebant.

LX.

Nulla spes in inferno.

73. Quod autem deinde vides nubem ab Aquilone venientem, quae se ad easdem tenebras dilatat, et quae ab omni gaudio et ab omni felicitate arida est, quia etiam nec sol illam tangit, nec illam illustrat: hoc aliud genus infelicitatis et infernalium tormentorum est, quod a Diabolo procedens, praefatis tenebris cum poenalibus tormentis se conjungit; in quo genere crudelitatis nulla spes gaudii, nec ulla spes salutis est, quoniam nec verus sol illam ulla laetitia exhilarat, nec ullo splendore claritatis suae infundit, nec etiam terrenus sol ad eam ullo fulgore pertingit.

LXI.

Maligni spiritus Deum fugiunt.

74. Ipsa autem nubes malignorum spirituum plena est, qui in ea hac et illac vagantur, et hominibus insidias machinantur, ac qui praedictum virum erubescunt, quoniam in eadem infidelitate innumerabilium malorum diabolici spiritus sunt et discurrunt, et plurimas nequitias producunt, et Deum erubescentes fugiunt, quia nullam beatitudinem habent, nec habere desiderant, sed in damnatione perpetuae perditionis sunt.

LXII.

Insidiae Diaboli in electos.

75. Sed quod audis antiquum Serpentem intra se dicentem, quod vires fortitudinis suae ad propugnacula praeparet, et contra inimicos suos quantum possit pugnet, hoc est, quod idem antiquus hostis, in exaltatione superbiae suae, diversa vitia insidiarum harum producit, cum quibus electos Dei fatigando decipiat, nec eos ullam quietem habere permittat. Unde etiam spumam [1]) multarum immunditiarum cum omnibus vitiis ab ore suo inter homines emittit, ac plurimam irrisionem eis inflat, quoniam sordes plurimorum vitiorum ab hiatu perversitatis suae evomens,

[1]) *spumas* A.

multas seductiones ac multas haereses hominibus inducit, cum istos idolis, illos plurimis pravitatibus servire docet. Et dicit quod illos, qui per lucida opera se soles nominant, noxiales et nocturnos ac horribiles in tenebris faciat, quia electos Dei qui in sanctis operibus fulgent, nocivos ac in obscuris actibus sordentes esse contendit, et notitiam eorum coram hominibus foetere.

LXIII.

Diabolus ad idololatriam inducit.

76. Quapropter etiam teterrimam nebulam efflat, quae totam terram velut nigerrimus fumus [1]) tangit, quoniam plurimam infidelitatem emittit, quae totum mundum tenebrositate perversitatis suae obnubilat, ex qua etiam maximos [2]) rugitus intonat, dicens: « Quod nullus homo alium Deum adoret, nisi quem videt, et cognoscit. Et quid sit hoc, quod homo colit quod nescit? » quia per eamdem infidelitatem iniquae persuasiones hominibus inculcant, quod nullum Deum colant praeter idola quae videntur et sciuntur, et sic [3]) a vero Deo, qui in claritate Divinitatis humanae infirmitati invisibilis est, rationalitatem [4]) hominis avertunt.

LXIIII.

Qui beati esse volunt, Deum adorent.

77. Sed qui in summa beatitudine esse volunt, vivum Deum, qui omni creaturae vitam dispensat, et qui in coelis est, adorent, nec alium quam ipsum qui in superna gloria manens, omnia recte disposuit, ut psalmista David dicit. [5])

LXV.

Psalmista de eodem.

78. *Deus autem noster in coelo; omnia quaecumque voluit fecit. Simulacra gentium argentum et aurum, opera manuum hominum.* Cujus sensus talis est. *Deus* vita illa est quae nulla inceptione obscuratur, et quae etiam nulla defectione terminatur. Et ipse *Deus noster est*, qui vita existens, indeficientem vitam suis tribuit. Ipse etiam *in coelo est,* scilicet in claritate illa, quam mortalis homo comprehendere non potest, sed quae est vita illa quae vitae habitaculum facitur. Deus enim vivit, et suis vitam dat, ac eis mansionem in vita concedit. Et quis hoc facere potest, nisi Deus? Quaecumque enim Deus in ordinatione sua disposuit, ea etiam perfecit, quae vana non sunt, sicut cogitationes hominum vanae sunt; quoniam homines in cogitationibus suis multa incipiunt, quae perficere non possunt.

1) *nigerrimum fumum* A. — 2) *maximus* A, W.
3) *sicut* W. — 4) *rationabilitatem* A.
5) Ps. CXIII, 3. En nova Hildegardis Θεολεγούμενα, nec sane vel priscos apologistas, viros apostolicos, dedecent ea quae hic et supra de simulacris recitantur.

Ipse quoque Deus omnes creaturas rationalitati [1]) hominis ad perfectum supposuit, quae per aliam vitam non suscitantur, nisi per illam quae sibi a Deo data est. Sed infidelitatis imaginibus infideles vitam despondent, quam eis Deus non dedit. Nam in simulacris opus hominis vitale non est, sed tantum facta et depicta forma in argento et in auro est, quia homines rationalitatem suam velut argentum, et scientiam suam velut aurum, in opere manuum suarum contaminaverunt. In ista enim aeramenta Diabolus flatum suum mittit, quoniam Deum ab initio negavit; ac in eis Deum se esse dicit, et sic absque visu visionis, et absque sapientia auditionis, et absque intellectu odoratus, et absque vitali aere, et absque spiramine spiraculi vitae in eis sonat [2]). Sed in omnibus his Diabolus nullam possibilitatem habet, unde et se in magnam confusionem ducit, quoniam in eis ludibria sua parat, cum in eis [3]) nullam possibilitatem habeat, quemadmodum etiam nec homo, sed tantum in seductione hominis gaudet. Nam si Diabolus possibilitatem in operibus hominum secundum voluntatem suam haberet, illa sicut Deus in aliam naturam converteret, quomodo etiam Deus limum terrae in aliam naturam convertit, cum hominem de limo formavit. Et cum homo opera sua pro Deo computat, quasi Deum esse nesciat, tunc simulacris assimilatur; quoniam in eis confidit, et quoniam haec existimatio hominis mors est sine omni gratia operis Dei, ita quod etiam illi qui in eis spem suam ponunt, cum Diabolo in exterioribus tenebris permanebunt.

LXVI.

In infidelitate omne vitium est.

79. Quod autem in eadem nebula diversa [4]) genera vitiorum in imaginibus suis vides, hoc est quod in infidelitate omne genus vitiorum cum omni comitatu suo est, quoniam qui fidem non habet, omni bono caret. Ex quibus septem in hunc modum consideras, quia plenitudo eorum in commutationibus suis tibi ostenditur, non autem quod ita in formis suis sint, sed quod significationes eorum hoc modo manifestantur, quoniam Diabolus multa jacula perversitatis habens, hominem in lacum perditionis mittere nititur.

LXVII.

De amore saeculi.

80. Unde prima imago amorem saeculi designat, [5]) quia antiquus seductor primitus amorem saecularium hominibus infundens, eos etiam ad caetera vitia perducit. Et haec formam [6]) hominis et nigredinem Æthiopis habet, quoniam carnalibus desideriis pleniter se implicans, nullum splendorem, nec ullam claritatem habere desiderat. Nuda quoque stans brachiis ac cruribus suis, arborem sub ramis

[1]) *rationalitate* W. — [2]) *sonant* A. — [3]) *cum eis* A. — [4]) *diffusa* A, paulum ambigua scriptura in W. — [5]) A re dogmatica vates ad ethica transit, constanterque porro ita disserit per VII libros, semperque magistra tam in morali quam in theologico ordine praestat. — [6]) *forma* A.

ejus circumdat; quia nulla indumenta beatitudinis habens, in operibus et in vestigiis suis fortitudinem vanae gloriae comprehendit, aliis quibusdam vitiis, velut quibusdam ramis ab illa procedentibus obtecta, in qua omnia genera omnium florum excreverant: quoniam in vana gloria [1]) et in vitiis ex ea nascentibus, cunctae vanitates cunctarum vanitatum ad saeculum pertinentium sunt. Unde et manibus flores illos ad se colligit, [2]) quia in operibus suis omnes vanitates praesentis saeculi cum incertis desideriis ad se trahit; quoniam cum homo in amore saeculi post vanitates cogitat, illas desiderando quaerit, et cum eas invenerit, in magnis deliciis, quasi omne genus florum, eas secundum voluntatem suam sibi componit, quemadmodum etiam idem vitium in verbis suis superius demonstrat. Quod autem praedicta arbor radicitus aret, et quod in praedictas tenebras corruit, ita quod eadem imago cum illa cadit: hoc est quod vana gloria omnino deficiens, in infidelitatis tenebrositates, in quibus et Diabolus est, vadit; ita quod et omnes, qui saeculum diligunt, et vitam aeternam contemnunt, cum illa cadunt, quum eam [3]) cadentem retinere non possunt. Sed quamvis cadat, se tamen cadere non putat, quia saecularibus rebus ita infixa est, quod de coelestibus nihil cogitat, ut voce amoris coelestis, quemadmodum audis, etiam ei respondetur.

LXVIII.

De petulantia.

81. Secunda vero petulantiam significat, quae homines extra modum honestatis ducens, hic amorem saeculi comitatur; quia cum homines saeculum diligunt, et cum ei adhaerent, gestus suos secundum eamdem voluntatem saepissime ostendunt. Et haec ut canis est, qui venari solet, quoniam homo qui petulans est, uniuscuiusque voluntatem et placitum sequitur, per quod multos reprehendendo decipit, quemadmodum canis qui multa capit, et ita super posteriores pedes suos stat, anteriores autem super baculum sursum erectum ponit, quia vestigia sua retro ad Diabolum posita, ad gustum terrae figit, nihil de coelestibus cogitans; anteriora autem, quasi in bonis itineribus coelestia meditetur, ad legalia praecepta quae spiritali culmine suffulta sunt, dirigit, cum in inconstanti animo de spiritalibus inaniter interdum loquitur; sed illa non servat, quoniam in mente sua nullam stabilitatem, sed quaeque vana computat, et secundum aerem ad quem se erigit, modo pulchra, modo turbida sibimetipsi proponit. Unde etiam cauda sua eam commovendo ludit, quia mobilem finem scrutationum suarum ad voluntatem hominum hac et illac tendit, cum omnia sua petulanter exprimit, ut etiam in praedictis verbis suis ostendit. Quapropter et verae disciplinae voce corripitur, ut ibidem etiam superius demonstratur.

1) *in vanam gloriam* A. — 2) *collegit* W. — 3) *cum illam* A.

LXVIIII.

De joculatrice.

82. Sed tertia imago joculatrix in significatione sua est; quae homines a coelestibus ad diversa spectacula inconvenientium motuum trahens petulantiam, hic subsequitur, quoniam velut fistula et velut musica illius est; quia cum hujus modi homines fatigatio et taedium petulantis animi sui tetigerit, alios jocos velut ad respirandum aggrediuntur; et homini assimilatur, excepto quod tortuosum nasum habet, quia idem vitium in scientia boni et mali, secundum desideria oculorum et carnis, homines ad se colligit; et in stulta insipientia ac in stulto intellectu, velut in informi naso, Deum non esse dicit. Sed quod manus ejus ut pedes ursi sunt, et quod pedes ipsius ut pedes grifonis apparent, hoc est quod sordidos mores et immunda opera homines habere facit, et quod etiam in vestigiis rapinae nulli paruit, ubi quicquam per dolositatem artis suae diripere poterit. Nam per hoc vitium homines magis spoliantur quam aliquid utilitatis consequantur. Nigros autem capillos habet, et pallida veste induitur, quoniam in nigredine vanitatum omnia principia operum suorum offuscat, lenem laetitiam sibi etiam circumponens, quia moribus cujusque hominis se coaptat, ut per hoc eos sibi attrahens, eos secum ludere faciat, quemadmodum etiam in locutione sua superius declarat. Sed vox sibi repugnantis verecundiae e contra clamat, et ut homines honestatem morum habeant, persuadet [1]).

LXX.

De obduratione.

83. Quarta autem imago obdurationem ostendit, quae hic joculatricem comitatur: quoniam cum homo in hujusmodi joculationibus fatigatus, taedium acceperit, obduratam mentem habere incipit, quia coelesti rore tactus non est, ita quod etiam mentem suam nec lege praeceptorum, nec aratro Scripturarum sulcavit; unde etiam quid sit bonum refraenationis, non sentit. Et quasi densus fumus ad staturam hominis est, quoniam nulla tenuitas, sed quaedam firmitas malitiosae malignitatis in obduratione est, et hoc secundum mensuram hominis, quia nullum malum sub homine, nec supra hominem est [2]), quod ipse in operibus suis non comprehendat; quoniam nec parvum, nec magnum malum est, in quo malitiosus homo non delectetur. Quod autem nulla membra humanae formae habet, excepto quod grandes et nigri oculi in eo apparent, hoc est quod idem vitium homines ita indurat, quod imaginem Dei nec scire, nec cognoscere in aliis hominibus volunt, quia ipsi nullam benignitatem habentes, absque omni misericordia et benevolentia sunt; sed in magnitudine maledictionis ac in nigredine [3]) oblivionis Dei circumspiciunt, quaerentes quem cum veneno invidiae velut veneno aspidum laedant. Et

[1]) *persuadent* W. — [2]) *est* om. A. dein id. *comprehendat.* — [3]) *ac nigredine* A.

nec ascendendo, nec descendendo, nec hac et illac divertendo movetur; quia obduratio ad superiora non tendit, ut propter Deum a malitia sua liquescat; nec ad inferiora declinat, ut propter hominem duritia sua mollescat; nec ad alias creaturas divertit, ut propter illas a nequitia sua cesset: sed tantum fixa in praefatis tenebris manet; quoniam in uno statu absque omni motione in maledictionibus maledictionum perseverat, quia nihil aliud quam afflictiones hominum desiderat. Ipsa enim sicut plumbum, quod in vehementes aquas mittitur, in profunditate jacet, nec se ad ullius commodum movet; sed dexteram Domini fugit, quae omnia in creaturis ad utilitatem hominis comprehendit, et quae hominem exaltavit, ac eum in pace constituit. Nam Deus hominem ut elegantissimum lapidem in terram posuit, in cujus fulgore omnis creatura se ipsam considerat, quia ipse [1]) supra omnes creaturas est: et ideo illicitum est, quod obduratio eum pro nihilo computat, et quod se adversus illum indurat. Haec enim pessimum malum malorum est, nulli parcens, nulli misericordiam exhibens; sed hominem despicit, et a commodo illius se subtrahit, nec ei congaudet, nec ei bona persuadet, sed in omnibus dura existens, omnia contemnit, velut etiam in verbis suis, ut praedictum est, ostendit. Cui vera misericordia respondet, et ut bona omnibus benigne impendantur, admonet.

LXXI.

De ignavia.

84. Sed quinta imago ignaviam declarat, quae obdurationem hic velut sordidus livor sequitur, sicut etiam parvi vermes ex terra pullulant; quia postquam homo induratus nihil boni quaesierit, in ignaviam vertitur; ita quod nihil amplius honoris, nihil amplius sanctitatis desiderat, sed taediosus ac obliviosus omnis probitatis manet, nec vitiis se opponere vult, sed ea per ignaviam sibi attrahit. Quae humanum caput habet, excepto quod sinistra auricula ejus ut auricula leporis est, sed tamen tantae quantitatis, quod ipsa [2]) idem caput totum operit, quoniam stulti homines in insipientia sua se probos esse putant, in qua etiam otiositatem amant, nec ulla bona sibi provident, sed ad malum auditum se convertentes, susurrationibus et detractionibus ignaviter insistunt; quas ita dilatant, quod etiam omnem intentionem cordis sui in pravitate obnubilant. Quod autem reliquum corpus ejus corpori vermis assimilatur, qui ossibus caret, et qui in cavernula sua intextus jacet, velut infans qui panniculis involvitur, hoc est, quod per idem vitium taediosi et ignavi homines fiduciam, quam in auxilio Dei et in sublevatione hominum habere deberent, ad sordes voluptatis suae, velut vermis immundus, convertunt, et quod mollitiei carnis suae magis quam divinae fortitudini confidunt, occulta cogitationum suarum intrantes, ac illis per stultitiam se involventes, ita quod se ad nullam probitatem virtutum erigere possunt, sed quod in torpore negligentiae et insipientiae vanitatum ignaviter permanent, velut etiam idem vitium in locutione sua superius demonstrat. Sed responso divinae victoriae corripitur, et ut homines Diabolo repugnent, per idem responsum admonentur.

[1]) *quia ipsa* W. *super omnes* A. — [2]) *ipse* A, W.

LXXII.

De ira.

85. Sexta vero imago iram pronuntiat, quae hic ignaviae affinis est; quia ignavia meretur opprobrium, per quod ignis irae accenditur, ut opprobria illa succendat et consumat. Quae faciem hominis habet, quoniam ira ex hoc in homine surgit, quod homo malum scit, excepto quod os ejus ut os scorpionis est, quia frendens homicidium, ut percussio veneni mortis est, et quod albuginem oculorum magis quam pupillas extorquet, quoniam ira pestilentiam furoris in intentione sua magis quam rectitudinem tranquillitatis profert, ubi homo nec seipsum, nec alios considerat; sed justitiam evertens, quasi caecus sit, procellas furiarum emittit. Brachia quoque ejus brachiis hominis assimilantur, quia dominatio irae absque timore Dei potestati hominis in scientia mali associatur, quoniam Diabolus in malitia sua opinionem habuit, cum hoc facere voluit quod perficere non potuit, homo autem nequitiam suam cogitando, considerando et operando perfecit, ita quod manifeste apparet. Sed et irrationabilia animalia aliis interdum laesionem inferunt, quia notitiam eorum non habent; interdum autem alia in laesione praeveniunt, quoniam ab eis laedi timent; interdum vero alia propter esuriem suam invadunt, et ea collidunt; homo autem tam se diligentem quam se odio habentem in malitia irae suae dilaniat, ac sibi bonum facienti multotiens malum pro bono reddit. Sed manus ejus incurvae sunt longis unguibus, quia omnia opera ejus prona et extensa ad rapacitatem sunt, per quae etiam opera aliorum in magna insania dilacerat. Pectus autem et ventrem et dorsum ut cancer habet, quoniam homo per iracundiam in habitaculo scientiae suae nec tempus pacis, nec legis, nec recte constitutarum institutionum computat, sed omnia haec ei stabilitatem dissipant; nec etiam propter rabiem, nec propter impetum irritationum, quas in se habet, spiritali cibo se pascit, nec etiam praeceptis Dei se onerat; sed omnia justa et recta et moderationem ac lenitatem convenientium causarum a se projicit; et hoc per rugas malarum vicissitudinum et ad Diabolum retro incedentium facit, velut cancer, retrorsum vadit. Sed et crura ut locusta, et pedes ut vipera habet, quia in cruribus suis vanam gloriam, et in incessu suo invidiam ostendit, quoniam in vana gloria superbiae omnem justitiam transilit, ac in invidia dilaniat quaecumque diripere poterit. Quod autem stanti rotae molendini implicata est, hoc est, quod in recto itinere non incedit, sed quod in propria voluntate sua quiescit, quia non alium quam cor suum sequitur; ita quod manibus suis superiores radios ejusdem rotae tenet, et quod pedibus suis supra inferiores radios stat, quoniam opera sua in exaltatione libertatis propriae voluntatis suae audacter perficit, ubi etiam vestigia sua in id quod deterius in eadem libertate est, ponit; quia non ad justitiam, sed ad iniquitatem semper tendit. Crines autem in capite non habet, quoniam omni honore bonae famae et salutis mentem hominis ira denudat, ita quod etiam homo quid bonum et quid justum sit, in ira sua non considerat. Unde et toto corpore nuda est, quia sibi vestem correctionis non circumponit, sed quod etiam in furore suo, quod con-

tumeliosum est de semetipsa, interdum manifestat. Quapropter multum ignem velut faculas ex ore suo emittit, quoniam homo ardentia et scintillantia verba in voce sua per vindictam malignitatis profert; cum in iram accenditur, ita quod etiam Dei obliviscitur, velut idem vitium in supradictis verbis suis declarat. Divina autem patientia ipsum pro furore contumaciae suae redarguit; quemadmodum etiam Iacob duobus filiis suis, qui in furore suo stragem hominum fecerant, locutus est, dicens:

LXXIII.

Verba Iacob.

86. ***Simeon et Levi, vasa iniquitatis bellantia, in consilio eorum ne veniat*** [1] ***anima mea, et in coetu illorum non sit gloria mea; quia in furore suo occiderunt virum, et in voluntate sua suffoderunt murum. Maledictus furor eorum, quia pertinax; et indignatio eorum, quia dura. Dividam eos in Iacob, et dispergam eos in Israel*** [2]. Cujus sensus talis est. Ira et odium qui [3] in malignitate conjunguntur, *vasa nequitiae* sunt, et Deo semper repugnant, ac per magniloquia omnia quae justa sunt, comburunt; et contra illa maledictiones suas producunt. Sed in profundis cogitationibus eorum non sit mens justorum, quia legem Domini transgrediuntur, et quia supra petram, supra quam pedes beatorum stant, ut enarrent universa mirabilia Dei, non aedificant. Nam omnia itinera et aedificia beatorum desideriorum et beatorum operum in praeceptis Dei sunt. In studiis quoque illorum, in quibus omnem voluntatem suam se perficere putant, et in quibus dolosas insidias complere quaerunt, non appareat honor justorum, ne in illis [4] offuscetur; nec in medio eorum sit, ne comminuatur; sed gloria justorum in angelis et cum angelis Dei sit, et cum his qui faciem Divinitatis in speculo considerant [5]. Et non cum illis eant qui in sanguineo dolo conterunt virtutes in beatis hominibus, et qui in dolosa arte sua perforant munitiones, quas beati doctores ad munimen electorum posuerunt. Nam cum Diabolo maledicti in insania sua sunt, quoniam pertinaci praelio contra Deum pugnant, cum se Deo opponunt; ac etiam in indignatione nequitiae inflexibiles sunt, quia nequaquam a malo declinare volunt, sed in damnatione perditionis per mala opera perseverare cupiunt. Unde etiam dividentur in incursum populi illius, qui eos ita opprimet, quod velut serpens in cavernam quaerat se abscondere, quoniam per illum valde fatigati, vix suspirare [6] possunt; ac dispergentur in illos qui Deum confitentur, non ut felicitati eorum consocientur, sed ut palea ab eis projecta, separentur. Nam quia Deum [7] non sequuntur, idcirco et ipse eos in oblivionem tradit, ita quod nec prosperitatem saeculi nec felicitatem animae habebunt; sed quod velut a vento, in multas passiones pravorum desideriorum dispersi, nullam quietem nec cum his qui Deo serviunt, nec cum his qui saeculo insudant, habebunt.

[1] *non veniat* A. — [2] Gen. XLIX, 1. — [3] *qui* sic duo codd. — [4] *nec illis* A.
[5] *considerat* W. — [6] *spirare* A.
[7] *qui Deum... oblivioni tradit* A.

LXXIIII.

De inepta laetitia.

87. Septima vero imago ineptam laetitiam significat, quae iram hic subsequitur, quoniam ipsa quasi ultio et refrigerium irae est; quia cum homo, peracta ira, laetitiam ostendit, inimicos suos inhonestat, ubi eum illi laetari videntes, de contumelia sibi illata gravius dolent. Quae a sursum usque ad lumbos [1]) formam hominis habet, excepto quod manus ejus ut manus simiae sunt; quia homines scientiam boni, quam ad superna suspiria convertere deberent, ad carnalia desideria in multiplicatione diversarum vanitatum deducunt; et sic modum sanctae conversationis et constrictionis excedunt; unde etiam omnia opera sua per insipientiam depravant, quoniam quae homini non conveniunt, in turpitudine saepius bestialiter perficiunt. A lumbis autem et deorsum capreae assimilatur, quia hujusmodi homines, quod homines sunt obliti, intellectum rationalitatis ad bestiales mores deprimunt, et ea quae rationabilia sunt, in instabilitatem transiliunt, nec discretum intellectum, nec pudicam disciplinam in rationalitate habere quaerunt. Unde et pedes ejus praedictis tenebris ita infixi sunt, quod ad perfectum eos videre non potes, quoniam omnia itinera ejus, diversae vanitati implicati, [2]) ad justitiam non spectant; quia, dum pravis operibus obtenebrantur, honestati fidelium non patent, sed omnino abolita in nulla memoria sanctitatis invenientur. Quod autem ipsa nulla indumenta habet, sed quod tota nuda apparet, hoc est, quod nullo spiritali gaudio circumdata, coram Deo nuda est, quoniam ad instabilitatem tendit, nec ulla suspiria in coelestibus quaerit, sed tota terrenis et caducis inhians, de aeternis nihil curat, sicut etiam superius in verbis suis demonstrat. Sed gemitus ad Deum, ut praedictum est, ipsi respondet; et ut homines de temporalibus ad aeterna tendant, admonet.

LXXV.

De zelo Dei.

88. Quod autem vides quod praefatus vir evaginatum gladium, tres acies habentem, collo ipsius capulo impositum habet, hoc est, quod Deus manifeste zelum suum tribus viis incedentem, ac in fortitudine sua radicem fidei ponentem ostendit, quoniam apertis percussionibus divina ultio ante Legem et sub Lege peccata hominum compressit; quod etiam et nunc post Legem in novitate baptismi facere non omittit; cum salutiferis virtutibus fidem imponens, peccata hominum in eodem zelo suo abluit. Qui hac et illac ad feriendum movetur, quia zelus Domini tam electos quam reprobos justa purgatione ubique examinat. Nam ut idem zelus Domini dicit, ipse contra Diabolum et contra omnes subditos ejus pugnat; nec ei praevalebit aliquis, quoniam ex conjunctione masculi et feminae non est, sed in

[1]) *usque lumbos* A. — [2]) *implicata* A.

Deo existens, omnia in Deo juste dijudicat. Ipse enim hominem in omnibus judiciis suis considerat, et diligentissime eum examinat. Sodomam namque et Gomorram in sufflatu venti sulfurei ignis suffocavit, qui in ignotis peccatis peccaverunt, quae de gutture Diaboli et vipereo more didicerunt; unde etiam tunc natura hominis deridebatur. Sed et inflatum muliebrem sensum propter inobedientiam suam in aliud genus convertit, quatenus in hoc facto omnes peccatorum casus acriter salsi sint[1]). Israeliticum quoque populum percussit, cum Deum dereliquerunt, et Baal adoraverunt, ubi in dispersionem dati, in servitio gentilis populi, exsules facti sunt, quoniam rectam haereditatem suam contempserunt. Nam ipse discernit quidquid discernendum est, et dividit quidquid dividendum est. Superbia quoque in duas partes dividit, et eam interdum ascendere permittit. Quae cum a Deo nihil quaesierit, sed cum omnia quae vult ad se collegerit, zelus Domini initium illius prosternit, et finem ejus recusat; sed et luxuriam cum gehennali igne comburit, ac impietatem cum poena ei congruente incarcerat. Inanem quoque gloriam, quae cor superbiae est, et incendium peccati, quod cor luxuriae est, ac infidelitatem, quae cor impietatis est, duriter prosternit, quoniam a Deo longe remoti sunt: qui enim Deum scire nolunt, illos etiam ipse[2]) in praemiis bonorum ignorat, quia eum non quaerunt. Sed quidam homines quaedam vitia conspiciendo osculantur, quae tamen in stratum suum non collocant; quaedam etiam amplectuntur, cum quibus tamen in peccatis gravioribus non joculantur; quaedam autem cogitationibus et verbis capiunt, quae tamen in operibus non sequuntur. Hos omnes zelus Domini omnino non perdit, sed per varias poenas cuprum ab eis elimat[3]). Qui autem vitae desiderium habet, in illo verba haec percipiat, ac ea in interius cubiculum cordis sui recondat.

89. Et vidi quamdam multitudinem malignorum spirituum ex his quos zelus Domini recto judicio de coelo projecerat[4]); et quos Lucifer secum ad poenalia loca traxerat, per totum orbem terrarum inter homines diffusam, et in eis nequitiam suam exagerantem. Et multitudo istorum innumerabilis erat, et innumerabilis est, nec ulli nisi soli Deo cognita. Sed et isti ad plurimas adversitates hominum dispersi erant, ita quod unusquisque eorum, secundum modum nequitiae suae, hominibus insidias ponit et insidiatur. Et quosdam istorum vidi, qui omnes quod Lucifer nulli subjectus esse debeat domino[5]), vociferabantur. Isti enim hominibus amorem saeculi ostendunt, et eos ad amorem ejus anhelare persuadent.

LXXVI.

Supplicium amatorum saeculi.

90. Et ecce duos ignes vidi, quorum alter flammam pallidam, alter flammam rubicundam habebat. Et ille qui flammam pallidam habuit, vermibus carebat; ille

[1]) Cf. respectu ad Marc. IX, 48. — [2]) *ipse* om. A. [3]) *Eliminat* A. — [4]) Tertius gradus est vaticinii, in quo prophetissa solet mores tremefaciendo castigare, horrenda exciens spectacula, quae per totum medii aevi curriculum mearunt in varia theatra, usque ad Aligherianam *Comoediam*, cujus fortasse ignota hic habemus incunabula. — [5]) *Dominus* A, W.

vero qui flammam rubeam habebat, plenus vermium erat, quorum alii ut minuti serpentes fuerunt, alii autem faciem acutam et caudas acutas habebant, omnes pedibus carentes. Sed animae, quae in amore saeculi peccaverant, dum in corporibus suis fuissent, inter hos duos ignes poenaliter erant, et ab utroque igne affligebantur; sed tamen de ardore rubicundi ignis et de morsibus vermium ejus praecipue torquebantur. Nam animae, quae incessabile studium ad amorem saeculi habuerant, ab hoc pallido igne affligebantur; et quae toto desiderio ei inhaeserant, ab hoc rubeo igne puniebantur. Et quae in eodem desiderio duas simulationes in perfida consuetudine sua habuerant, ita quod laudaverant quod eis displicuerat, et quod vituperaverant quod ipsis placuerat, quasi in molestia graviter ferrent quod tamen libenter faciebant, cruciatus vermium formam serpentium habentium patiebantur. Quae autem in delectatione amoris saeculi delectatae erant, a vermibus qui faciem acutam habent, cruciabantur. Animae enim, quae in amore saeculi levius deliquerunt, hunc pallidum ignem habebant; quae vero gravius in eo peccaverunt, hunc rubeum ignem cum vermibus sustinebant. Et per viventem Spiritum vidi, et intellexi haec.

LXXVII.

De poenis purgatorii.

91. Et audivi vocem de viva luce mihi dicentem: Haec quae vides vera sunt, et ut ea vides, ita sunt, et plura sunt. Nam tormenta poenarum istarum purgationem in animabus istis faciunt, quae in transitorio saeculo viventes, in eo per poenitentiam purgationem peccatorum suorum in non transitorio meruerunt, a quibus morte praeveniente plenius in carne se non purgaverunt, a quibus etiam per divina flagella miserantis Dei in saeculo examinatae non sunt; unde et his poenis purgabuntur, nisi et laboribus virorum et virtutibus sanctorum, quas Deus in illis operatus est, per invocatam pietatem divinae gratiae, ab eis eripiantur.

LXXVIII.

Quales animae purgentur?

92. Quae enim in numero et in recordatione beatitudinis sunt, purgationibus istis maculas peccatorum suorum amittunt, et ad refrigerium transeunt; cum illae quae in oblivione sunt, in oblivione aliorum suppliciorum permaneant.

LXXVIIII.

Quomodo homines amorem saeculi in semetipsis puniant.

93. Homines autem qui amore saeculi insudant, si hos malignos spiritus, amorem saeculi eis praeponentes, superare voluerint, et si poenas ejus quas vides, ef-

fugere studuerint, cilicio et flagellis se castigent, ac simplici pane et simplici aqua se macerent, secundum quod delectatione, voluntate, et tempore, et conversatione peccaverunt, et secundum quod verus praeceptor, in humanitate sua, poenitentibus poenitentiam cum ostensione sacerdotum indixit; quoniam qui juste poenitere vult, judici suo praesentari debet, per quem juxta modum peccati poenitentia ei imponatur. Iudex autem iste sacerdos in vice ejusdem filii mei est. Cum enim mens hominis se ipsam accusat, sacerdoti per ostensionem peccatorum suorum se praesentet, quemadmodum in lege de leprosis per famulum meum Moysen demonstratum est. Idcirco autem peccata sacerdoti manifestanda sunt, quia verecundus timor confessionis sudori filii mei adest, et poenitentia guttis sanguinis ipsius.

LXXX.

Poenitentia a sacerdote procedens.

94. Poenitentia enim probatur, quae a sacerdote procedit, quoniam et a tortoribus poena animabus non infertur, nisi secundum quod illa a praecepto judicis extenditur.

LXXXI.

De amore saeculi.

95. Amor autem saeculi Deum non timet, nec diligit, sed omnia quae sibimet placent, ad se colligit, et unamquamque rem quam in creaturis affectat, audacter coram Deo excusat, dicens ea ad usum suum esse creata [1]. Unde et Deum quem timere debuit, non timet, sed propriam voluntatem pro Deo habuit [2]; nec etiam Deum diligit, quia carnalia desideria non relinquit, nec propter caritatem Dei se incarcerat, sed toto desiderio saeculum amplectitur. Contra hunc autem amorem Salomon, spiritu sapientiae imbutus, loquitur dicens:

LXXXII.

Verba Salomonis.

96. *Initium sapientiae timor Domini; et cum fidelibus in vulva concretus est, cum electis feminis creditur, et cum justis ct fidelibus agnoscitur* [3]. Quod etiam sic intelligendum est. Primus aspectus sapientiae timor Domini est, quemadmodum aurora solem praecedit. Cum enim homo a Deo se creatum esse intelligit, Deum timere incipit. Quod vero timetur, honoratur; et quod honoratur, amatur; et si juste amatur, etiam juste honoratur. Unde homo qui se a Deo esse scit, in operibus suis fidelis sit (quoniam velut vulva fides sanctorum est), et fidem in Deum

[1]) *eam ad u. s. e. creatam* A. — [2]) *habet* A. — [3]) Eccl. 1, 16.

habeat, quatenus eum salvet, et etiam studeat promereri ut salvetur, et hoc in fide faciat, in qua sapientia completur. Homo enim in peccatis tortuosus est, et ideo cum sapientia tractet, quomodo peccata de se projiciat, et quomodo tortuositatem vitiorum, quam in visu, auditu, gustu, odoratu et tactu habet, de se auferat; velut faber formas suas limat, ut eas in recta statua pulchras faciat. O quam magna sapientia est, quod homo per timorem sapientiae incipit contra carnis jura facere; ita quod ea peccata dimittit quae facere posset! Et sic cum operibus istis per sapientiam timor Domini in fide sanctorum concretus est; sicut etiam in ortu creaturarum sapientia omnia opera sua bene complevit. Sed et ipse cum electis in sanctitate feminis habitat, quoniam Deus feminam ita constituit, ut timorem ad ipsum, timorem etiam ad virum suum habeat. Unde justum est quod mulier semper timida sit. Ipsa enim quasi domus sapientiae est, quoniam terrestria et coelestia in ipsa perficiuntur. Nam in altera parte homo per eam procedit, in altera autem bona opera cum verecundia castitatis in ipsa apparent. Quod si timorem non habuerit, verecundiam castitatis colere non poterit, quia, sicut [1]) vipereum genus, omnia quae potest, transmordet. Timorata autem mulier omnes divitias bonorum operum sanctarumque virtutum in sinum suum colligit, nec unquam cessat, donec plurima bona compleat. Sic timor Domini cum electis feminis, quae in sanctitate et justitia electae sunt, esse creditur, ubi virtutes in ipsis operantur, et cum justis, qui legem et praecepta Dei in omnibus complent, et cum fidelibus qui corpus suum et saeculum propter Deum relinquunt, in magnis miraculis agnoscitur, cum bona et sancta opera eorum in toto mundo, velut sol, fulminant. Haec autem bona sine timore Domini fieri non possunt, sed per eum fideliter complentur. His vero operibus timoris Domini amor saeculi caret. Haec autem de poenitentium animabus purgandis et salvandis dicta sunt, et fidelia sunt; et fidelis his attendat, et ea in memoriam bonae scientiae componat.

LXXXIII.

Poena petulantium.

97. Deinde alios praefatae multitudinis spiritus vidi, qui magno clamore saltantis animi clamabant, quod Lucifer dignus honore illo esset quem sibi usurpasset. Hi autem ad petulantiam mentis homines specialiter ducunt, et ut petulantiam apprehendant, exhortantur. Et magnum ac rubicundum ignem vidi, qui tanta densitate [2]) circumdabatur, quod flammae ejus pro densitate ejusdem aeris erumpere non valebant. Et in igne isto plurimi et ignei vermiculi erant, qui in eo maximum strepitum et sono et motu suo faciebant. Animae autem quae in corporibus suis in petulantia peccaverant, in hoc acerrimo igne torquebantur, ita quod etiam in eo spiraculum vix habere poterunt [3]), quoniam idem ignis tanta densitate aeris concludebatur, quod nullum aditum spiraculi habebat; et etiam ab eisdem vermiculis latera et pedes eorum plurimum fatigabantur. Nam quia, dum in saeculo vixe-

[1]) *secundum* A. — [2]) *tam denso aere* A. — [3]) *potuerant* A.

rant, magno studio petulantiae insudaverant, in rubicundo igne ardebant; et quia per idem vitium volantes, mores diversarum regionum imitatae erant, in eo suffocationem passae sunt; et quoniam latera et pedes corporum suorum hac et illac multoties petulanter intorserant, a praefatis vermiculis acriter in eis infestabantur.

LXXXIIII.

Peccata petulantium per poenitentiam delentur.

98. Et vidi et intellexi haec. Audivique de praefata [1]) viva luce vocem dicentem ad me: Haec vera sunt. Qui enim in saeculo per petulantiam peccaverant, [2]) his poenis purgandis examinabantur [3]). Sed homines qui hoc vitio dediti sunt, si malignos spiritus eos ad illud exhortantes devitare studuerint, et si cruciatus eius effugere desideraverint, abstinentiam ciborum et potuum arripiant, et castigationem flagellorum in se diligant, et hoc juxta qualitatem eorumdem peccatorum, et juxta jussionem praesidentis sibi judicis faciant.

LXXXV.

Petulantia vanitas vanitatum est.

99. Nam petulantia stabilitatem non habet, sed quodcumque vult, in hoc mentem suam figit, nec Deum in honore gaudiorum tenet; sed quidquid sibi eligit, in hoc delectatur. Unde ipsa vanitas vanitatum dicitur, nec aliud de universo labore suo habebit, quoniam cum vanitas alia ei praeterit, alia ei succedit; illa vero quae secuta sunt, in aeternum stabunt. Cum enim homo carnale desiderium perficit, hoc quod in hoc libenter operatur, vanitas dicitur; quoniam in prima puerili aetate sua ludos amat, et postea in juventute sua lasciviam amplectitur, deinde autem perfectius scit et cognoscit quae bona et quae mala sint; et tunc operum pueritiae ac juventutis eum taedebit, quasi nunquam in eis vixisset. Cumque ad senectutem pervenerit, in illa arescet et tunc suspirando et plangendo, priorum aetatum suarum recordabitur, quas tamen habere non poterit. Omnia enim haec cum homine et in homine vanitas sunt. Nam silvae virent et arescunt, flores florent et cadunt, gramen crescit et absciditur. Quid igitur amplius est? Quod homo nunc videt, statim non videbit; quod nunc habet, statim non habebit; cum nunc ridet, statim flebit; et ob hoc omnia vana sunt, quoniam caduca sunt, moriendo videlicet et deficiendo. Moriuntur enim ut in hoc saeculo non vivant. Deficiunt quoque de nobilitate in ignobilitatem, et de divitiis in paupertatem.

[1]) *praedicta* A. — [2]) *peccaverint* A. — [3]) *examinabuntur* A.

LXXXVI.

Fortitudo sanctitatis indeficiens.

100. Nam reges et principes, qui in tali honore erant, quod coelum nominabantur, praeterierunt; et qui minimi ordinis in genere suo fuerunt, et qui divitiis caruerunt, de parvitate et de egestate illa velut in Olympum ascendunt, et iterum deficiunt. Fortitudo autem sanctitatis, de qua omnia bona procedunt, et quae omnia bona portat, non deficiet, sed in aeternitate vitae permanebit. Haec autem de poenitentium animabus purgandis et salvandis dicta sunt, et fidelia sunt; et fidelis his attendat, et ea in memoriam bonae scientiae componat.

101. Et vidi praedictae multitudinis alios spiritus, quos etiam quod Lucifer salute et honore virtutum dignus esset, vociferantes audivi. Et hi inenarrabile canticum beatorum spirituum, quod est ante tronum Dei, se scire simulabant; et hominibus ut dictis et factis joculatorie vanitati insistant, persuadent.

LXXXVII.

De poenis joculatorum.

102. Et vidi nebulam nigram, in qua maximus ignis erat, qui fumum emisit; velut fumus ille est ubi aera examinantur. In igne isto et in fumo ac in nebula hac animae illae puniebantur, quae dum in saeculo fuissent, vitio joculatoriae vanitatis [1]) insudaverant. Nam ignem propter delectationem ejusdem vitii patiebantur, fumum autem, propter studium quod ad illud habebant; nebulam vero, propter varietatem morum, quos in eodem vitio saepius variabant. Et per viventem spiritum vidi, et intellexi haec.

LXXXVIII.

Poenitentia joculatorum.

103. Et vocem de praefata vivente luce iterum mihi dicentem audivi: Haec quae vides, vera sunt, et ut ea vides, ita sunt. Sed qui in saeculo huic vitio insistunt, si suasionem hujus diabolicae artis neglexerint, et si poenas ejusdem vitii abhorruerint, carnem suam, secundum qualitatem et tenorem eorumdem peccatorum suorum, jeiuniis affligant, in quibus etiam pretiosum potius devitent, secundum rectum judicium judicum suorum.

[1]) *vanitati* W.

LXXXVIIII.

De squalidis joculatorum moribus.

104. Joculatrix enim in vicissitudine squalidorum morum quosdam homines ludere facit, velut cupiunt, et velut sibi eligunt. Nam maligni spiritus isti coelestem symphoniam deludere volunt, et non praevalebunt; et ideo per joculatricem quosdam homines invadunt, et eos diversis lusibus in mendacio deludunt, quum eos in veritate ludere facere non possunt. Symphonialis namque laus, quae Deum decet, finiri non potest, quia indeficiens est, quoniam ipsa plenitudo veritatis est. Joculator [1]) enim animum suum interrogat, quo volare et quid facere possit, ut cum hoc in speculo scientiae cognoverit, in vanitatem et in mendacium illud convertet [2]); atque cum elementis sonum dat, quocumque vadit, sicut sibi placuerit.

LXXXX.

Quidquid sine Deo quaeritur, peribit.

105. Filii etenim hominum, propter multas sciscitationes magnalium rerum, quas inquirendo et faciendo secundum possibilitatem suam incipiunt, vani sunt, et veritatem quam Deus ipsis ostendit et dat, relinquunt, ac in falsis diis falsam prophetiam sicut montes aedificant, et ubique gesta [3]) illa inquirunt, quae creatura per signa ostendit. Cumque hoc fecerint, falsam scientiam veritatem computant, ac se ipsos et alios decipiunt; quia quidquid sine Deo quaeritur, et sine Deo invenitur, in interitum ibit. Sed et cum illi jocum et saltationem in venis et in medullis suis quaesierint et invenerint, in irrisionem ducentur, quasi nihilum sint; in qua etiam sicut favilla cineris deficient. Haec autem de poenitentium animabus purgandis et salvandis dicta sunt, et fidelia sunt, et fidelis his attendat, et ea in memoriam bonae scientiae componat.

106. Post haec alios praefatae multitudinis malignos spiritus vidi, qui magnis vocibus clamabant: « Numquid non licet quod ullus primo Deo assimiletur? » Et isti obdurationem secum habentes, hominibus persuadent, ut eam sibi dominam praeferant, et ut nulli misericordiam impendant, quia quod ipsi in coelo facere non potuerunt, hoc in hominibus perficere contendunt.

[1]) *joculatorum* A. — [2]) *et mendacium illud convertit* A. — [3]) *Gesta* heroum et equitum aperte significantur, nec mirum ibidem de joculatoribus aliquid intercessisse, sive de fabulis quae Majoribus nostris tantopere, neque jure nunquam merito, placuerunt. Exstat epistola Honorii III, luce digna, qua graviter dolet sanctus pontifex, etiam monialium manibus aliquando has noenias promptius et facilius, per Gallias versari.

LXXXXI.

Poena obduratorum.

107. Et ecce vidi puteum siccum, altum et amplum, qui fundum pice ferventem habebat, in quo amplum foramen apparuit, per quod a subteriori ejus parte igneus fumus et ignei vermes in ipsum puteum ascendebant. Sed et plurimi acuti et ignei clavi in eodem puteo quasi a vento hac et illac projiciebantur. Animae autem quae in saeculo obdurationem absque misericordia ad homines habuerant super eumdem fundum sedebant, et per foramen ejus in praefatum subteriorem ignem cadere metuebant, atque multas afflictiones a praedicto fumo et a praedictis vermibus et clavis sustinebant. Nam quia impii ad homines fuerant, super eumdem fundum piceum et ferventem sedebant; pro qua etiam impietate subteriorem ignem timebant; et quia in malignitate sua Deum fugerant, fumus iste igneus eos fatigabat; et quoniam inhumanos dolores hominibus intulerant, praedicti vermes eos affligebant, ac propter obduratam mentem in qua misericordiam non habuerant, laesiones et fixuras eorumdem igneorum clavorum sustinebant. Et vidi, et intellexi haec.

LXXXXII.

Poenitentia obduratorum.

108. Et de praedicta vivente luce iterum audivi vocem mihi dicentem: Haec quae vides vera sunt. Unde homines qui in saeculo ita obdurati sunt, quod aliis indigentibus nullam misericordiam impendunt, si praedictis malignis spiritibus, eamdem obdurationem eis ostendentibus volunt resistere, et poenas istas quas vides effugere, amaris jejuniis et diris flagellis se castigent, et hoc, juxta modum eorumdem peccatorum, et juxta mòdum praelatae sibi jussionis faciant.

LXXXXIII.

Pessimum vitium, obduratio.

109. Obduratio enim pessima est, quia misericordiam non habet, nec caritatem requirit, neque bona opera operatur. Magna enim obduratio in quibusdam tyrannis fuit, quia quamvis mirabilia Dei viderent, proprietatem tamen voluntatis suae non dimiserunt, sed corda sua et mentes suas voluntati Dei praeposuerunt, et hoc modo contra Deum pugnaverunt. Sed sicut Deus in malo primi angeli et in stultitia primi hominis proprietatem voluntatis eorum destruxit, et sicut Pharaonem exterruit, cum primogenita Aegypti percussit, sic et nunc obdurationem confundit, quae se in tantam obduritiam convertit, quod nec per praecepta legis, nec per jussionem rationalitatis hominis emolliri vult. Quapropter et Deus ab ea salutem

adjutorii abstrahit, et eam in confusionem velut Pharaonem mergit. [1]) Haec autem de poenitentium animabus purgandis et salvandis dicta sunt, et fidelia sunt; et fidelis his attendat, et ea in memoriam bonae scientiae componat.

110. Et ecce praedictae multitudinis alios spiritus vidi, qui quod Lucifer eorum Dominus esset, vociferabantur; et illi homines ad ignaviam perducunt, et ut nec timorem Deo, nec curam hominibus exhibeant, exhortantur [2]).

LXXXXIIII.

Poena ignavorum.

111. Et nebulam nigram et maximos ventos et tumultus tonantium tempestatum ac pluviales tempestates vidi, in quas etiam praedicti maligni spiritus ignem velut pluviales guttas projecerunt. Animae autem quae in saeculo ignaviam dilexerant, ita quod Deo strenue non servierant, ab his tempestatibus quatiebantur, et ab igne illo quem iidem maligni spiritus in easdem tempestates projecerunt, urebantur. Quia enim in timore Domini in saeculo exterritae non fuerunt, tempestates istas sustinebant; et quoniam admonitionem justitiae ignaviter neglexerant, eosdem ignes sentiebant. Et vidi, et intellexi haec.

LXXXXV.

Poenitentia ignavorum.

112. Et vocem de praefata vivente luce iterum mihi dicentem audivi: Haec quae vides, vera sunt; et ut ea vides, ita sunt. Homines autem qui ignaviam diligunt, nec Deo strenue, nec fideliter serviunt, si ab his spiritibus derideri noluerint, et si his passionibus absolvi voluerint, secundum qualitatem neglectus sui cilicio se castigent, et flagellis se puniant, jejuniis etiam se affligant, et pauperes pascant, et hoc praecepto ductoris sui compleant.

LXXXXVI.

Ignavia in timore Dei non lucet.

113. Ignavia enim in timore Dei non lucet, nec in igne sollicitudinis honoris ipsius ardet. Nam vitiis viventis scientiae, qui spiraculum vitae in anima est, in remuneratione gratiae, obscuratur, cum ipsam in bonis operibus quaerere non vult. Et cum fidem, quam sicut dorsum forte [3]) habere deberet, in qua spes aeternae vitae est, in magna infelicitate negligit; quoniam tonantem tubam bonorum operum non implet, cum erecta devotione ad Deum non anhelat. Haec autem de poenitentium animabus purgandis et salvandis dicta sunt, et fidelia sunt; et fidelis his attendat, et ea in memoriam bonae scientiae componat.

[1]) *demergit* A. — [2]) *hortantur* A. — [3]) *fortem* A, W.

114. Deinde vidi alios praefatae multitudinis spiritus, qui contra exercitum Dei sic clamabant: « Quam potestatem habetis adversum nos? Nullam. » Et multo furore feminas inspiciebant, dicentes: « Istae ad propagationem saeculi velut terra » ad germina aptae sunt [1]). Unde festinemus eas seducere, ne producant praelian- » tes contra nos. » Nam iidem maligni spiritus iram et furorem ac alia hujusmodi mala hominibus proponunt, et eos ad homicidia exhortantur.

LXXXXVII.

Poena iracundorum.

115. Et vidi turbidum aerem sicut ignem ferventem, et sub eo lacum amplum et nigrum, et sordida putredine plenum, in quo vermes erant, oculum unum in facie habentes, ac totam putredinem illam caudis suis commoventes. Sed animae quae in saeculo iram cum odio habuerant, nec ab illa cessaverant, in eadem putrida sorde et vermibus ejus affligebantur, ac ab igne ejusdem aeris urebantur. Nam quia iram cum tenaci odio incessanter in se habuerant, sorde et vermibus ejusdem lacus torquebantur, sorde scilicet propter iram, vermibus propter odium. Et quoniam eamdem iram in furore compleverant, ignem praefati aeris patiebantur.

LXXXXVIII.

De eodem.

116. Animae autem quae sine odio et sine consuetudine irae, dum in corporibus suis fuissent, in iram aliquando motae sunt, exutae corporibus circa eumdem locum ibant, et magnas poenas istas in eo videbant, ac eas timebant. Sed quoniam ira in ipsis inveterata non fuerat, iisdem poenis tactae non sunt, sed eos quidem pro repentina ira viderunt, et sic eos cito evaserunt.

LXXXXVIIII.

Poena homicidarum ex ira.

117. Sed et magnum ignem vidi, qui diversas et acerrimas poenas ardoris et frigoris ac diversorum vermium in se habebat [2]). Et animae illorum qui in saeculo per furorem irae homicidium perpetraverant, in poenis istis puniebantur. Nam propter iram homicidii ignem, et propter excoecationem suam, qua non consideraverant quid facerent, frigus, ac propter temeritatem suam, qua imaginem Dei non timuerant, vermes passae sunt.

[1]) *apertae sunt* W. — [2]) *habebant* W.

C.

Poena homicidarum ex avaritia.

118. Et etiam alium ignem vidi, in quo duo maximi et horribilis formae vermes erant, qui eumdem ignem et animas quae in eo cruciabantur, flatibus suis afflabant. Animae autem quae in corporibus suis propter avaritiam homicidium fecerant, in igne isto ardebant, et ab iisdem vermibus affligebantur. Propter homicidium quippe ignem, et propter avaritiam vermes illos sustinebant.

CI.

Poena eorum qui occiderunt, ne occiderentur.

119. Vidi quoque foveam latam et profundam, quae fervente pice et sulphure plena erat, et circa quam ranae et scorpiones jacebant; qui animabus, quae in eadem fovea torquebantur, terrorem incutiebant, nec tamen eas laedebant. Nam animae illorum, qui se invadentes conatu magno occiderant, ne occiderentur, in hac fovea fuerunt, et ob homicidium quod hoc modo perpetraverant, fervorem ejus sustinebant; et ob impetum in quo in illo incontinentes erant, pice inficiebantur; et ob indignationem quam illis in occisione intulerunt, sulphure torquebantur. Sed et quia se incursantes praevenire insidiis festinaverant, in cordibus suis dicentes: « Ego te occidam, antequam a te occidi patiar », timorem a scorpionibus habebant; et quia hoc in amaritudine cordium suorum fecerant, horrorem a ranis sustinebant.

CII.

Poena homicidarum ex ignorantia.

120. Sed et vidi quemdam igneum aerem, qui a quodam vento hac et illac commovebatur, et in isto animae illorum erant, qui per ignorantiam homicidium fecerant, et illud pro nihilo habuerant. Quia enim homicidio aerem contaminaverant, in igneo aere fuerunt; et quia hoc parvipenderant, commotionem ejusdem venti patiebantur.

CIII.

Poena veneficorum.

121. Deinde magnum et rutilantem ignem vidi, in quo quidam horrendi vermes, ora ut porci habentes, fuerunt, qui eumdem ignem totum commovebant; et in igne isto animae illorum erant, qui dum in corporibus suis fuissent, alios homines ve-

neficio aut alio aliquo modo sine effusione sanguinis occiderant. Nam propter latentem mortem, quam aliis intulerant, in eodem rutilante igne ardebant; ac propter veneficium, quo eos mortificaverant, eisdem vermibus, ora ut porci habentibus, affligebantur.

CIV.

Poena eorum qui infantes suos morti tradiderunt.

122. Et vidi ignem fortissimum, juxta puteum perlucidae aquae ardentem, in quo quaedam animae urebantur, quarum aliae quibusdam vermibus, velut cingulis, circa umbilicum suum cingebantur; aliae autem de eodem igne in se trahebant, et iterum idem emittebant, velut homo halitum suum in se inducit, et iterum educit; super quos etiam maligni spiritus ignitos lapides projiciebant. Et haec omnes in aqua praefati putei poenas suas quasi in speculo considerabant, et ex hoc magis ac magis affligebantur. Istae autem animae illorum hominum erant, qui dum in corporibus suis in saeculo viverent, materiam figurae hominis in semetipsis extinxerant, ac infantes de se natos necaverant. Nam animae illorum qui conceptus suos in semetipsis contriverant, ob transgressionem suam in igne illo ardebant, et ob hanc inhumanitatem [1]) vermium cincturam sustinebant. Animae autem eorum qui infantes suos morti tradiderunt, ob malitiam suam in eodem igne puniebantur; et ob inhumanum homicidium, ignem istum in se tollebant, et eum iterum evomebant; et ob duritiam quam in hoc facto habuerant, ictus lapidum a malignis spiritibus patiebantur. Sed et quoniam quid facerent considerare neglexerunt, easdem poenas tolerabant; in praefata aqua, non propter consolationem, sed ut magis inde dolerent, inspiciebant.

CV.

Poena eorum qui seipsos occiderunt.

123. Animas autem illorum qui seipsos in mortem praecipitaverunt, et poenas earum non videbam, sed eas in puteo gehennae esse sciebam. Quia namque seipsos occiderant, cruciatus latronum habebant, et quoniam de hoc facto poenitentiam non habuerunt, in puteo gehennae submersae fuerunt.

CVI.

De poenitentia pro his excessibus.

124. Et per viventem spiritum vidi, et intellexi haec. Et de praedicta vivente luce iterum audivi vocem dicentem ad me: Haec quae vides, vera sunt, et ut ea vides, ita sunt. Quapropter homines qui vitiis praedictarum poenarum se obliga-

[1]) *immanitatem* A.

verunt, si cruciatus eorum abhorruerint, studeant ut seipsos pro eisdem excessibus suis, dum adhuc in saeculo vivunt, puniant, ne deteriores poenas in futuro sustineant. Qui enim iram in odio et in consuetudine sibi praeferunt, si praefatos malignos spiritus, iram sibi suggerentes, de se repellere, et poenas ejus evadere studuerint, cilicio et verberibus se affligant, ac plena jejunia arripiant.

CVII.

De poenitentia irae.

125. Si vero iram absque malo odio in se accenderunt, et hoc corrigere volunt, cilicium et flagella sive jejunia secundum modum ponderis eorumdem peccatorum sibi imponant, et secundum modum quem ab animarum suarum rectore perceperint.

CVIII.

Ira pessimum vitium.

126. Ira enim pessimum vitium est, et quasi cor Diaboli est, et aliquando in cavernam colubri se abscondit, et in consuetudine minarum suarum hominem invadit, ubi sensum suum perdit, et benedictionem Abrahae fugit, qui in benevolentiae omnibus praeceptis Dei obedivit, quapropter plurima gens in benedictione ab eo processit. Iracundus enim homo omne virtuosum granum [1]) corrodit, et omnia germinantia mordet, ac contumaci furi similis est, et propter omnia dona digiti Dei in hominem frendet. Iste enim iras et lites, ubi [2]) poterit, imitatur, et non solum in incestu, sed in omni praevaricatione legis Dei portionem suam ponit. Nam ira draco ille est, qui omnia comburit, quocumque vadit; et fur ille est, qui omnia furatur, et rapit quaecumque furari et rapere poterit. In ira enim sapiens in insipientia insanit, et patiens in impatientia contendit, ac moderatus in immoderatione vadit. Ira quoque amaritudo illa est, quae bonitatem et suavitatem in lege et in praeceptis Dei evomit; et homicida ille est, [3]) qui corpus et animam dividit, nec eos simul esse patitur. Ipsa etiam illud durum et importabile saxum est, quod omne bonum et omnem justitiam conterere contendit; unde et in inferno portio ejus est, quoniam coelestia commovere desiderat. Unde quum [4]) hominem superaverit, eum extra se ducit, ac in tantam amentiam evertit, quod nec de terrenis, nec de coelestibus cogitat, cum illum qui ad imaginem Dei factus est, omnino conterit et dissipat, quod nefas cruciatus maximos sibi accumulat. Quapropter homines in qualicumque homicidio praevaricatores justitiae existentes, corpora sua, quibus haec acerrima piacula commiserunt, diris cruciatibus puniant, quatenus animos suos a praedictis poenis eripiant.

[1]) *gramen* A. — [2]) *ubicumque* A. — [3]) *homicida illa ille est* W. — [4]) *cum enim hominem* A, om. *unde*.

CVIIII.

Poenitentia de homicidio ex furore.

127. Qui enim per furorem irae animam hominis de corpore suo ejecit, si hoc in se punire voluerit, ne praefatos cruciatus sentiat, per longa tempora constrictis jejuniis se maceret, et flagellis se castiget, atque claritatem luminis per aliquod tempus devitet, quoniam aerem effuso sanguine foedavit; et hoc cum judicio sibi praesidentis doctoris compleat.

CX.

Poenitentia de homicidio ex avaritia.

128. Sed qui igne avaritiae accensus, animam et corpus hominis separaverit, si supradicta tormenta ejus declinare desiderat, etiam et ipse constricta jejunia cum acerrimis flagellis per protracta tempora aggrediatur, ac consortia hominum devitans, solitariam vitam [1]) in silva per aliquod tempus arripiat, et hoc cum aequitate justitiae faciat.

CXI.

Poenitentia de homicidio ex necessitate.

129. Qui vero hominem praecipitanter occidit, voluntatem illius praeveniendo, quia putat se ab illo in mortem deposci, [2]) si poenas ejusdem delicti de se studuerit excutere, etiam jejuniis se castiget, secundum quod rectum judicium et qualitas ejusdem excessus sibi proposuerit, prioribus aliquantum [3]) his plus alleviatis.

CXII.

Poenitentia de homicidio ex ignorantia.

130. Quod si et ille qui hominem ignoranter in mortem misit praefatos cruciatus abhorruerit, et eis abesse optaverit, jejunia, sed tamen breviata et alleviata, secundum justitiam sibi componat, quoniam voluntas ejus eidem peccato non astitit.

CXIII.

Poenitentia de homicidio ex veneficio.

131. Ille [4]) autem qui hominem veneficio sive alio aliquo modo sine emissione sanguinis in mortem misit, si tormentis ejusdem commissi se eripere voluerit,

[1]) *viam* W. — [2]) *deponi* A, W. An probe emendatum? — [3]) *aliquantulum* A. — [4]) *Iste* A.

constricta jejunia cum diris verberibus per longa tempora habeat; et etiam interim cilicio se affligens, ac stratum suum cinere commiscens, consortia hominum fugiat, ac solitariam vitam in silva interim perficiat.

CXIIII.

Poenitentia abortum procurantis.

132. Feminae autem quae conceptus suos, videlicet materiam figurae hominis, in semetipsis oppresserint [1]) et dissipaverint, aspera jejunia et aspera verbera per veram poenitentiam recipiant, quatenus seipsas praedictis poenis eripiant.

CXV.

Poenitentia matris de se natum infantum occidentis.

133. Illae quoque, quae infantes de se natos morti subjecerint, et ita plus quam bestialitater peccaverint, ut damnationem mortis evadant, acerrimis jejuniis et diris verberibus ac asperitate vestium, in solitudinis angustia, se puniant, quatenus in futura vita remedium salvationis inveniant.

CXVI.

Sui occisor totum se sine consolatione extinguit.

134. Sed qui seipsum in mortem praecipitaverit, memoriam bonorum sibi abstraxit, quoniam consolatio poenitentiae exitum animae ipsius non praecessit. Cum enim hoc occidit, cum quo seipsum per poenitentiam purgare debuit, se totum sine consolatione extinxit.

CXVII.

In poenitentia possibilitas consideranda est.

135. In omni autem judiciali poenitentia possibilitas et imbecillitas naturalis conditionis hominis consideranda est. Beatus ergo ille est, qui poenitentiam peccatorum suorum secum portat, et eam judici utriusque vitae repraesentat. Nam poenitentia quae in eadem vita per contritionem inchoatur, ad aeternam vitam cum gloria reservatur.

CXVIII.

Deus creator gloriam suam solus habere noluit.

136. Deus enim omnia creavit, et creata vivificavit, et sicut ante saecula dispo-

1) *oppresserunt et dissipaverunt* A.

suerat, opera sua ad perfectum perduxit. Gloriam enim suam solus habere noluit, sed eam in creaturas suas distribuit, ut cum eo gauderent; quemadmodum gallina pullos suos sub alas suas colligit. Sed primus angelus cecidit, et seipsum occidit, ac primum hominem cadere fecit. In casu autem hominis, elementa in conturbationem versa sunt; et in occisione Abel, sanguinem ejus susceperunt, ubi et terra sanguinem ejus bibit. Et Diabolus in semetipso dixit: « Omnem voluntatem » meam in opere Dei complebo, et plus in illo faciam quam per me fecerim. » Sed Deus in magno consilio suo in seipsum aspexit, discernens quomodo hominem justificaret, qui perierat. Magnum quippe consilium Dei tale est, quod nulla creatura ipsum penetravit. In eodem consilio, Deus Filium suum de Virgine nasci constituit, ut hominem redimeret; cui consilio nullus repugnare potuit.

CXVIIII.

Passionibus suis Christus peccata etiam poenitentium ad se traxit.

137. Nam contra hoc quod homo peccare potuit, idem Filius Dei mollitiem in pueritia habuit, et contra gustum carnis hominis, fatigationem in juventute sustinuit; ac contra ingluviem avaritiae in homine, esuriem accepit; et contra perpetrata peccata injustorum, tristitia circumdatus est; et contra tyrannidem impiorum, plurimis opprobriis inclamatus est; ac contra mala homicidiorum, in cruce passus est; et contra gravia peccata mortis, in quibus homines sepulti erant, ut eos de morte eriperet, in cruce exspiravit. In omnibus enim his doloribus omnia peccata poenitentium, et eorum qui ipsum non negant, ad se traxit. Quapropter et ipse angelus magni consilii vocatur, quoniam [1]) in omnibus his justus et clemens est.

CXX.

Homicida per vulnera Christi in poenitentia requiritur.

138. Sed cum omnia peccata periculosa et mala sint, homicidium tamen pessimum malum malorum est, ubi homo ad cor suum non reducit, quod Deus timendus sit, cum opus illud quod ad imaginem ejus factum est, extinguit. Unde ille qui ita excoecatur, quod Deum in hoc periculoso facto postponit, per transfixa et perforata vulnera Christi in poenitentia requiritur, qui solus torcular beatae passionis sustinuit, ut perditum et cadentem hominem redimeret, ubi auxilii alterius hominis non indiguit. Haec autem de poenitentium animabus purgandis et salvandis dicta sunt, et fidelia sunt, et fidelis his attendat, et ea in memoria bonae scientiae componat.

139. Alios quoque ejusdem multitudinis malignos spiritus vidi, qui dolosis nutibus sibi invicem applaudebant vociferantes: « Lucifer Dominus noster est. Et » quid nobis oberit, si alius eo fortior est? Istum Dominum habebimus; per eum

[1]) *quod in omnibus* A.

» quod volumus faciemus ». Et isti homines ad ineptam laetitiam hortantur, et eis ut constitutam justitiam [1]) contemnant, persuadent.

CXXI.

De poena ineptae laetitiae.

140. Et vidi paludem magnae latitudinis, de qua teterrimus fumus egrediebatur, qui se deinde supra eamdem paludem velut nebula expandebat. In eadem quoque palude multitudo minutorum vermium scaturiebat. Animae autem corporibus exutae, illorum scilicet qui in saeculo ad ineptam laetitiam se dilataverant, in hac palude erant; ita etiam quod a fumo ejus affligebantur, et quod a nebula ejus opprimebantur, et quod a vermibus illius torquebantur. Quia enim ineptam laetitiam in corporibus suis, dum in saeculo fuissent, habuerant, in palude ista mergebantur; et quia legem Dei propter illam neglexerant, fumum illius patiebantur; et quoniam impietatem in ea dilexerant, a nebula ipsius obtenebrantur; et quoniam in eadem laetitia inutilia verba protulerant, a vermibus ejus laedebantur. Et vidi, et intellexi haec.

CXXII.

De poenitentia ineptae laetitiae.

141. Et de praefata vivente luce vocem iterum mihi dicentem audivi: Haec quae vides, vera sunt, et ut ea vides, ita sunt, et plura sunt.

Sed homines, qui in inepta laetitia delinquunt, si malignos spiritus, eos ad eamdem laetitiam exhortantes, superare, et supplicia ejus effugere contendunt, flagellis ac jejuniis carnem suam constringant, secundum quod modum peccati et modum sibi praesidentis judicis in se senserint. Inepta enim laetitia veritatem non amat, et omne quod eam delectat, perficit. Nam pravam voluntatem suam nocivam non esse dicit, et in operibus suis Deum nescit, ac linguam suam contra Deum acuit.

CXXIII.

Verba psalmi de inepta laetitia.

142. Sicut scriptum est: *Filii hominem, dentes eorum arma et sagittae, et lingua eorum gladius acutus.* [2]) Quod etiam sic intelligendum est. Filii carnis, qui secundum carnem in peccatis exorti sunt, quoddam firmamentum in carne sua velut dentes habent, quod duritia contra desiderium animae est. Nam sicut quidam homines contra alios armantur, ne vulnerentur, ita caro cum squalida laetitia tenaciter et injuste armata, voluntati ac laetitiae animae resistit, et maledica verba contra Deum ac contra salutem animae suae velut venenosas sagittas emittit, quae

[1]) *laetitiam* A. — [2]) Ps. LVI, 5.

cum infixis jaculis peccatorum animas vulnerant, cum quibus etiam vulneribus eas multoties acriter pertranseunt. Nam et rationalitatem, quae in ipsis est, ad mala evertunt, ac eam sicut gladium cum infidelibus verbis acuunt, et ludendo ac jocando, quamdam elegantiam elevant, in qua elegantes se ostendunt, et sic plurimos ad se trahentes, animas illorum vulnerant, cum eos hoc modo seducunt.

CXXIIII.

Qui in saeculo pleniter non purgantur, corporibus exuti, plenius examinantur.

143. Sed qui animas suas ad Deum erigere volunt, ab his vanitatibus se contineant, nec eas his vulneribus perniciose vulnerari permittant, et de peccatis suis dum possunt, poenitentiam agant, quoniam animae illorum, qui in saeculo poenitentiam facientes, pleniter tamen non purgantur, quia corporali morte praeoccupantur, corporibus suis exutae, in poenis quas meruerunt, examinabuntur, ut praedictum est. Haec autem de poenitentium animabus purgandis et salvandis dicta sunt, et fidelia sunt; et fidelis his attendat, et ea in memoriam bonae scientiae componat.

CAPITULA SECUNDAE PARTIS

DE VIRO AD OCCIDENTEM ET AD SEPTENTRIONEM ASPICIENTE

[1]) *proponuntur* A.

[2]) *insudabat*. De capitulo obscuro cf. infra n. 31.

XXXII. *Quod mysteria veteris Testamenti prudentes homines contra Diabolum parant, nec ab hoc desistent, donec corda sua repleant.*

XXXIII. *David ad eamdem rem.*

XXXIIII. *Quod plurimi ante Legem, plurimique in Lege, plurimique in baptismo perstiterunt, qui per fidelia opera, in habitaculo beatitudinis, sibi requiem paraverunt.*

XXXV. *Quod in secretioribus gaudiis animae perfectorum sanctorum sunt, qui ita ab aliis hominibus separati erant, sicut angeli ab hominibus.*

XXXVI. *Quod animae sanctorum desiderant corpora sua sibi restitui, velut esuriens puer a patre panem petit.*

XXXVII. *Quod antequam mortui corpora sua recipiant, mundus commovebitur.*

XXXVIII. *Quamvis opera sanctorum diversa fuerint, tamen et tactu Spiritus Sancti velut sodales se cognoscunt.*

XXXVIIII. *Quod in tenebrosa infidelitate, illis qui Deo in quiete servire deberent, Diabolus incongruentes res proponit.*

XL. *Quod antiquus Serpens contra coelestia se movens, in locum perditiotionis omnes attrahere vult.*

XLI. *Specialiter de ventris ingluvie, et habitu ejus, et quid significet.*

XLII. *Specialiter de acerbitate, et habitu ejus, et quid significet.*

XLIII. *Isaias propheta ad eamdem rem.*

XLIIII. *Specialiter de impietate, et habitu ejus, et quid significet.*

XLV. *Specialiter de fallacia, et habitu ejus, et quid significet.*

XLVI. *David ad eamdem rem.*

XLVII. *Specialiter de contentione, et habitu ejus, et quid significet.*

XLVIII. *Specialiter de infelicitate et habitu ejus, et quid significet.*

XLVIIII. *Specialiter de immoderatione, et habitu ejus, et quid significet.*

L. *Specialiter de perditione animarum, et habitu ejus, et quid significet.*

LI. *Jeremias propheta ad eamdem rem.*

LII. *Specialiter de forma zeli Dei, et quid significet.*

LIII. *Quod multoties homines zelus Domini plurimis calamitatibus corporaliter affligit, qui voluntatem Dei negligunt.*

LIIII. *Jeremias propheta ad eamdem rem.*

LV. *Quod homines, qui proximos suos in angustiam ponunt,* [1]) *saepe vindicta Dei ab omni felicitate saeculi deponit, quia omnia absconsa novit.*

LVI. *Quod Deus nullum hominem creavit, in quo scientia boni et mali non fuerit.*

LVII. *De quibusdam purgatoriis poenis animarum quorumdam hominum, qui in saeculo per ventris ingluviem peccaverant, et cur easdem ita patiantur.*

LVIII. *Quomodo homines poenitendo idem peccatum in semetipsis deleant.*

LVIIII. *Quod de his qui ventris ingluviem diligunt, dicendum est, quod venter eorum Deus eorum est.*

LX. *Verba Moysi.*

LXI. *Item de quibusdam purgatoriis poenis animarum quorumdam hominum, qui in acerbitate peccaverant, et quare easdem ita patiantur.* [2])

LXII. *Qualiter homines poenitendo idem peccatum in corporibus suis puniant.*

LXIII. *Quod acerbitas, Deum renuens, in acerbo homine veritatem ad menda-*

[1]) *in angustia pon.* A.

[2]) *ita habeant* W.

cium ponit, et hominem interdum occidit, cui et defensorem se esse repromittit.

LXIIII. *Item de quibusdam purgatoriis poenis animarum quorumdam hominum, qui in saeculo in impietate peccaverant, et cur eas hoc modo sustineant.*

LXV. *Quomodo homines per poenitentiam ipsum peccatum in se deleant.*

LXVI. *Quod impietas, timorem Dei nolens, maledictiones in malignitate profert.*

LXVII. *David ad eamdem rem.*

LXVIII. *Item de quibusdam purgatoriis poenis animarum quorumdam hominum, qui in fallacia sine juramento et cum juramento peccaverant, et quare easdem ita patiantur.*

LXVIIII. *Qualiter homines idem peccatum, tam sine juramento quam cum juramento perpetratum, in corporibus suis poenitendo deleant.*

LXX. *Fallacia veritati non congaudens, mendaces ita mendaciis involvit quod ad nihilum deputabuntur.*

LXXI. *Item de quibusdam purgatoriis poenis animarum hominum illorum, qui in contentione et cum operibus et absque operibus in verbis deliquerunt, et cur easdem sic sustineant.*

LXXII. *Quomodo homines poenitendo idem peccatum tam operibus quam verbis peractum in semetipsis abluant.*

LXXIII. *Quod contentio inquietum malum existens, homines lites diligentes Diabolum imitari facit.*

LXXIIII. *David ad eamdem rem.*

LXXV. *Item in Genesi ad eamdem rem.*

LXXVI. *Item de quibusdam purgatoriis poenis animarum hominum illorum, qui se in infelicitate natos esse existimaverant, et in hoc peccaverant, et quare eas sic patiantur.*

LXXVII. *Qualiter homines idem peccatum poenitendo in corporibus suis deleant.*

LXXVIII. *Quod illi qui se in malo creatos esse existimant, peccant, quoniam natura hominis bona est.*

LXXVIIII. *Item de quibusdam purgatoriis poenis animarum hominum illorum, qui in immoderatione peccaverant, et quare eas hoc modo sustineant.*

LXXX. *Quomodo idem peccatum in corporibus suis homines poenitendo puniant.*

LXXXI. *Quod immoderatio in nimietate esse volens, sicut pulvis dissipabitur.*

LXXXII. *Item de perditione animarum hominum illorum qui Deum, quasi Deus non esset, pro contemptu habuerant, et ita in perditionem se miserant, et cur hoc sit.*

LXXXIII. *Quomodo homines Diabolo et perditioni se eripiant.*

LXXXIIII. *Quod cum famuli omnia occulta dominorum scire permittuntur, super eos dominare volunt.*

LXXXV. *Quod homo in puritate fidei Deum intelligat, et diabolicas illusiones de se projiciat.*

EXPLICIUNT CAPITULA SECUNDAE PARTIS

INCIPIT SECUNDA PARS

DE VIRO AD OCCIDENTEM ET AD SEPTENTRIONEM ASPICIENTE

1. ET vidi quod praedictus vir ad Occidentem se convertit, ita quod et ad Occidentem et ad Septentrionem aspiciebat. Et ecce in utroque humero suo habebat alam unam, quae et brachia ejus tegebat [1]), et etiam in dorso suo habebat alam unam, ac in pectore suo alam unam, quae omnes quasi ad volandum erectae erant. Ala autem quae in dorso ipsius fuit, in summitate extremitatis suae ex integro ad alam sinistram, et non ad alam dexteram se declinabat. Sed ala quae ad pectus ipsius erat, in summitate extremitatis suae in duas partes aliquantum divisa fuit, ita quod pars altera ad alam sinistram, et pars altera ad alam dexteram se recurvabat. Et in medio uniuscujusque alae liber unus apparuit. Et liber qui in sinistra ala erat, duas paginas habebat, quarum altera viridis, altera argentei coloris fuit. Et in viridi pagina scriptum erat: « Noe » arcam intravit, sicut Dominus ipsi praecepit. Quis est qui hunc Dominum ad » finem [2]) producere possit? In aqua coepit hominem reaedificare, sed postea » fecit eum in aqua renasci ». In argentea vero pagina scriptum fuit: « Deus in » lapidea tabula Legem scripsit, quoniam ad divinam rationem in homine molli- » ties non erat. Postea in mollitie quasi in carneo corde scripsit. » In libro quoque dexterae alae etiam duae paginae fuerunt, ita quod una saphirini, et una aurei coloris fuit. Et in pagina saphirini coloris scriptum erat: *Verbum misit Dominus in Jacob, et cecidit in Israel* [3]). In pagina autem aurei coloris scriptum fuit: « *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum.* In principio Verbum » Dei omnia creavit, et postea in facturam suam se reclinavit ». Sed liber, qui in ala dorsi ejusdem viri fuit, marmoreo et integro lapidi candidi coloris assimilatur, et digitus Dei in illo ita scripserat: « Prophetia per visionem ac sapientiam ac » scientiam hominibus prophetabat. Radicem quoque illam, qua et limo Deus ho- » minem surgere fecit, Spiritus ejusdem Dei vivificando inspiravit. Haec sunt mi- » racula Divinitatis, quae praevidendo, scribendo, citharam percutiendo, et cum

1) *tegebant* A, W. — 2) *ad finem* om A. — 3) Is. IX, 8. Tum Io. 1, 1.

» alis prophetiae cherubizando, Deus in hominibus facit. » Liber autem pectoralis alae integer, et totus niger, ac plenus stellarum existens, candidis litteris, de profunditate dictorum librorum contractis, plurimas scripturas compilatas in se habebat, quas philosophi et sapientes, ex eisdem libris abstrahentes, comportaverant, et cum eis plateas justitiae contra Occidentem et Aquilonem Deo paraverant, velut aliquis homo facit, qui de puteo aquas haurit, nec ab hoc cessat, donec vas [1]) suum impleat, quemadmodum Deus in principio omnes creaturas fecit, nec desiit, donec omnino opera sua complevit.

2. Praedicta autem candida nubes, in qua idem vir ab humeris usque ad femora sua erat, plena animarum justorum fuit. Et in ipsa nube audivi quasi vocem tonitrui leniter tonantem: « Date laudem regi omnia regenti, et gloriam Deo vi» venti ». Tunc omnes animae istae elevabant se in processu vitae, procedentes et non revertentes, [2]) quemadmodum rotae vitae in eunte spiritu ibant et non revertebantur. Sed in eadem nube in secretiori loco, aliae animae occultorum sanctorum quasi in speculo valde perspicuo occultatae fuerunt, omni genere pretiosissimorum lapidum ac omni genere decoris decoratae. Qui etiam tubis canebant et citharas in omni genere musicorum percutiebant, et secundum sonum maris et aquarum multarum resonabant. Et etiam ipsae dixerunt: « Quamdiu sustinebimus, » et quando veniet tempus, quod [3]) opera nostra, quae in platea, quae ante faciem » Dei est, apparent, nobis tabernacula nostra coram Deo reddant, ut absque vela» mine Moysi faciem ejus videamus? » Et divinum responsum illis datum est: » Hoc non erit antequam quatuor venti se invicem implicaverint, et invicem con» flaverint, et antequam caput antiqui Serpentis totum conteratur, et nihil plus » possit, et antequam sol cum leone omnia volatilia sua collegerit. » Et praefatae animae justorum istos occultos Dei sanctos sciebant et audiebant et velut perlucidum speculum eos videbant, et ad responsa eis data anhelabant, cum eis exspectantes, dum leo omnem rugitum suum emittat, et donec omne schisma in mundo finiatur.

3. Et ecce in praedicta nebula, in qua diversa genera vitiorum, ut praefatum est prius, videram, ecce nunc [4]) octo vitia in imaginibus suis in hunc modum videbam. Quamdam enim imaginem vidi, ut serpentem, in praefatis tenebris supinam jacentem, cujus oculi ut ignis ardebant, et cujus lingua ex ore ipsius extensa fuit, et cujus cauda in fine abscisa erat. Corpus autem ipsius nigri coloris erat, et lineae pallidi et venenosi coloris a capite ejus deorsum in longitudine descendebant. Sed venter ipsius apertus fuit, in quo imago hominis, velut in cunis, supina jacens apparuit, quae super caput suum habebat pileum, ut galeam, aliquantum altius erectam, et albos capillos sub eodem pileo ad humeros descendentes. Veste etiam ex tenui et albo serico induta erat, amicta quoque pallio quod colori ejusdem serpentis assimilabatur.

[1]) *donec os* A. — [2]) *et revertentes* A. — [3]) *tempus quod* codd. et iterum n. 36. — [4]) *etiam nunc* W.

I.

Verba gulae.

4. Et eadem imago dicebat. « Deus omnia creavit, et quare in his tabescerem? » Si Deus ea necessaria nesciret, ipsa non fecisset. Unde stulta essem, si propriam » voluntatem in his non haberem, cum Deus velit quod caro hominis non defi» ciat. »

II.

Responsum abstinentiae.

5. Et iterum de praedicta turbida nube, quae se ab Austro ad Occidentem extenderat, audivi vocem his verbis respondentem: « Nemo citharam sic percutiat, » ut cordae ejus laedantur. Quod si cordae illius laesae fuerint, quis est sonus » ejus? Nullus. Tu, gula, ventrem tuum ita imples, quod omnes venae tuae insa» nae sunt, et quod in furorem vertuntur. Et ubi tunc est dulcis sonus sapientiae, » quam Deus homini dedit? Nam muta et coeca es, et nescis quid loquaris. Sed et » sicut praeceps pluvia terram subvertit, ita nimietas carnium et vini hominem » in blasphemias irrisionis inducit. Ego autem pulchram formam in limo vidi, » quam Deus hominem condidit. Unde et conveniens pluvia sum, ita quod caro in » vitiis non pullulat. Et moderationem in hominibus haurio, ne caro eorum defi» ciat, et ne crescat, vitalibus cibis ingurgitata plus quam necesse sit. Nam citha» ra sum, in sonis omnium laudum sonans, ac duritiam cordis bona voluntate per» forans. Cum enim homo corpus suum moderate pascit, in orationibus illius in » coelum in cithara resono; et cum corpus ejus moderatis cibis castum est, in or» ganis canto. Quod tu, gula, nescis, nec intelligis, nec scire, nec intelligere quae» ris. Nam tu in nimietate jejunii aliquando te subvertis, ita quod vix vivere po» tes; et aliquando ventrem tuum in voracitate imples, ita quod in ea aestuas, et » spumas evomis. Sed ego in cibis modum pono, ne succus hominis in eo exsicce» tur, et ne succus in eo modum suum excedat, et tum ibi in citharis laudo, et in » organis canto. O cuncti fideles, a gula abstrahite vos, quia venter antiqui Ser» pentis Evam deglutivit, et quia per Evam multas sordes evomit. »

III.

Verba acerbitatis.

6. Secunda autem imago ut leopardus erat, et dixit: « Omnem audaciam atque » victoriam pro nihilo computo, et nolo ut ullus mihi resistat. His etiam quae in » Scripturis et in fide mihi molesta et nociva sunt, nihil respondebo, sed ea trans» mordebo. »

IIII.

Responsum largitatis.

7. Et iterum de praedicta turbida nube audivi vocem huic imagini responsum dantem: « Tu periculosa et damnosa ac nimis acra exacerbatio es, quae nec Deo, » nec praeceptis ejus respondere vis; sed quae in acerbitate tua permanes; sed » ego in pluvia et rore, in unguento ac in medicina larga sum, ita quod per gra- » tiam in pluvia, per gaudium in rore, per misericordiam in unguento, per conso- » lationem omnium dolorum in medicina operor, et quod hoc modo in his perma- » nebo, et quod sic in aeternum regnabo. Materia autem tua gehenna est, de qua » etiam exorta es. »

8. Sed tertia imago formam hominis habebat, excepto quod caput ipsius inter scapulas suas a corpore proeminens, tam ferino quam humano capiti assimilabatur. Nam grandes et igneos oculos, et os ut leopardus habebat, et ab utraque maxilla, linea picei coloris ad mentum ejus descendebat. Sed et ab utroque fine oris ejus caput serpentis descendebat, et multas flammas ex ore suo emittebat. Super genua autem sua stabat reliquo corpore erecto. Et caput suum nigro ac piceo velamine muliebri more circumdederat, ac reliquo corpore nigerrimo indumento induebatur, cui manicae viduae descendebant, quia brachia sua in idem indumentum introrsum collegerat, et dicebat:

V.

Verba impietatis.

9. » Nec Deo, nec homini obedire volo. Si enim alio obedirem, quod ad utilita- » tem suam respiceret, me facere juberet, nec utilitatem [1]) meam inspiceret, sed » mihi diceret: Cede. Hoc autem non erit. Nam si quis injuriam mihi intulerit, il- » lam ei centuplum reddam, et causas meas sic disponam, quod nullus mihi resi- » stere audeat. Sub nullius enim pedibus jacere volo. Nam unamquamque causam » quae ad utilitatem meam pertinet, faciam, sicut unusquisque facit, qui fatuus » non est. Si Deus vult ut faciam quod tibi placeat, non nisi bonum mihi inferat. »

VI.

Responsum pietatis.

10. Et iterum de praefata turbida nube audivi vocem huic voci respondentem: » Tu diabolica et crudelis es, et magnam malignitatem in te habes. Si enim Deus » permitteret te facere omnia quae velles, quis tunc ipse esset? Et si Deus bona

[1]) *ad utilitatem* A.

» tibi daret pro malis quae operaris, ubi esset sceptrum potentiae suae? Cum malum incepisti, Deus ut plumbum in infernum projecit te, unde etiam omnes creaturae in persecutionem ducunt te. Ubi ergo nunc est potentia tua? Tenebrae et blasphemiae atque conculcatio in te sunt. Ubi cubas? in maledictionibus. Ubi pasceris? in confusionibus. Ubi est habitatio tua? illic ubi unusquisque contra alium est, et ubi unusquisque infelicitatem semper ruminat, et ubi homicidium in malitia effusionis sanguinis est. »

11. Quarta autem imago tanta densitate tenebrarum circumdabatur, quod nullam distinctionem membrorum in ea considerare valebam, excepto quod eam velut deformem et monstruosam formam hominis in eisdem tenebris vix dignoscere poteram. Et hoc supra quamdam spumam siccam et duram ac nigram et multas flammas ignis emittentem stabat. Et dixit:

VII.

Verba fallaciae.

12. « Quis est qui omnia veraciter dicere possit? Si enim aliis prosperitatem eorum veraciter dicerem, me ipsam laederem. Nam alterius sublevatio, casus meus est. Unde ventosa verba, quae mihi honorem dabunt, in os meum ponam, et sic quae in altera parte habere non possum, in altera requiram. Si enim verax essem, circulum requirendi omnia non haberem. Cum autem negotium meum colo, quae mihi aliena sunt reperio, et sic dicere potero quae voluero. Multi enim veraces tam immobiles in veritate sunt, quod se movere non possunt, quasi ad lignum ligati sunt; sed hoc tantummodo proferunt quod vident et audiunt; unde etiam multi ex eis pauperes et egeni et exsules fiunt. Ego autem quod fallaciter requiro, hoc invenio. Cum enim nobilior et ditior aliis esse volo, tunc me illis nobiliorem et ditiorem verbis ostendo; et hoc mihi melius est quam ad arborem ligata sim. Sed et saepe dico quae nec video nec audio, et sic a multis malis declino, ac etiam plurima mala pertranseo. Si enim loquela mea in uno modo esset, ab omnibus damnarer, et ideo sermones meos multiplico, ne ab ullo superer; et hoc mihi utilius est quam fustibus et gladiis percutiar. Nam nobiles et divites sine meo negotio nunquam inveni. »

VIII.

Responsum veritatis.

13. Et iterum de praedicta turbida nube audivi vocem huic imagini respondentem: « O serpentina et gehennalis lingua, absque omni viriditate gratiae Dei es, quae flammas injuriae et deceptionis semper educis. Nam nulla mala tibi sufficiunt, quoniam de illis orta es, et etiam filia Diaboli es, unde etiam omnia itinera tua injusta sunt, et nescis quo vadis. Murmuratio quoque et deceptio diabolicarum suggestionum ubera vitiorum tuorum sunt, quia ubera scorti sugis, unde

» et mercedem ejus recipies, iis quibus omnibus omnem honorem et beatitudinem » ac honestatem a te expellis. Ego autem in omnibus viis Domini columna sum, » et bene sonans tuba justitiae Dei sum, ac omnia opera ejus quae sint, et quanta » sint, dinumero, et ea in veritate ostendo, quapropter in palatio regis ac in omni » honore ipsius advocata sum. Inaures quoque et armillas porto, et coruscatio » omnis ornatus Dei sum, quia per justitiam Dei veritatem loquor. Sed et coelum » et terra ac reliquae creaturae, quae viscera eorum sunt, veraces sunt; et aquae » quae coelo et terrae subduntur, quoniam humor eorum sunt, in veritate perse- » verant. Tu autem, o pars iniqua, pessimus vermis es, unde sicut foetens lutum » conculcaberis. »

14. Sed et quinta imago in forma hominis apparuit, et crispos ac nigros capillos habebat, ac faciem igneam. Cappa autem varii coloris induta erat, quae ad humeros foramina habebat, per quae brachia sua extenderat, ita quod etiam sinistro brachio securim tenebat, quam ad se constrinxerat, in cujus acie manus suas saepius hoc modo vulneraverat [1]), cum eas illi prae furore injecit, ita quod etiam sanguine earum ipsam vestem perfudit.

VIIII.

Verba contentionis.

15. Et dicebat: « Nimietatem illam nec sustinere, nec sufferre possum, quod » unusquisque pallium suum excutiat, et cum illo me oneret, sicut asella cum » sacco oneratur, quam pullus suus subsequitur. Quamdiu spirabo, et quamdiu » vivam, non permittam ut ullus per insaniam voluntatis suae me percutiat. Omni- » bus enim prohibebo, ne sicut terram conculcent me. Nam multo majorem injuriam » eis faciam quam mihi inferant, quia me non taedet tantas molestias, tantasque » contumelias illis inferre, quod etiam in cordibus suis per has dilacerentur. »

X.

Responsio pacis.

16. Et iterum de praefata turbida nube audivi vocem eidem imagini respondentem: « O stridens et igneus calor contumeliae, tu sanguineum crimen et stridor » dentium es, et in varietate injuriarum aestuas, ut sanguinem effundas, et sic se- » cundum voluntatem tuam incedere vis, quocumque tibi placuerit. Sed et in ore » tuo magnam saevitiam portas, per quam plurimos comminuis, ac eos inhonestas, » qui mansuetudinem sectantur. Nam bona consilia et quietas mentes destruis, ac » deceptione tua eis finem imponis. In nulla enim re habitaculum pacis vides, nec » desideras, nec vis, sed in cavernam sicut serpens te involvis, et per jacula uni- » cuique vulnera facis, quia saltui [2]) mordentium vermium assimilaris, qui praeci- » pue hominibus mortem inferunt; et ideo umbra mortis ac pessimum venenum et

[1]) *vulneravit* A. — [2]) *qui saltui* W.

» velox perditio hominum es. Ego autem omnibus medicina existens, quos tu per-
» sequeris, ungo; quos vulneras, sano; ac omnia inquieta bella et garrulitates vo-
» ciferantium pro nihilo computo, quia mons myrrhae et thuris ac omnium aro-
» matum sum, atque in superno monte columna nubis sum, quoniam omnia bona
» ad me traho, et super omnes coelos pergo. Unde etiam super te cadam, ac in
» laesione tua incessanter durabo, nec ullam quietem tibi dabo. »

17. Sexta vero imago leproso homini similis erat, et nigros capillos habebat, ac indumentis carebat, sed latis foliis quarumdam herbarum se tegebat, ac manibus suis pectus suum percutiebat.

XI.

Verba infelicitatis.

18. Et dixit: « Quam salutem habeo, nisi lacrymas? Et quam vitam habeo, nisi dolorem? Et quod auxilium mihi aderit, nisi mors? Et quod responsum mihi dabitur, nisi perditio? Nam meliora non habeo. »

XII.

Responsum beatitudinis.

19. Et de praedicta turbida nube audivi vocem huic imagini responsum dantem:
» Tu poenarum ingluvies es, et aliud non desideras. Deus invocandus est, et boni-
» tas ejus quaerenda est. Te ipsam invidis, quoniam in Deum non confidis. A Deo
» nihil quaeris, unde etiam nihil invenis. Ego autem ad Deum clamo, et respon-
» sum ejus accipio, et ab eo peto, et in bonitate sua dat mihi quod volo; et ab eo
» quaero, et invenio. Nam venerabile gaudium sum, ac citharam coram Deo per-
» cutio [1]), cum omnia opera mea in ipsum pono, unde etiam propter fidelem spem,
» quam ad eum habeo, [2]) in sinu suo sedeo. Tu autem in Deum non confidis, nec
» gratiam ejus desideras, unde omnia mala tibi occurrent. »

20. Sed septima imago velut lupus erat, quae flexis cruribus super pedes suos jacebat, et ubique circumspiciebat, ut omnia quae rapere posset, deglutiret.

XIII.

Verba immoderationis.

21. Et dicebat: « Quidquid desiderare et quaerere potuero, illud frequentabo, et
» a nullo me abstinebo. Et quare me ab ullo me [3]) abstinerem, cum nullam retri-
» butionem inde haberem? Quomodo dimitterem quod sum, cum unumquodque
» genus secundum genus suum incedat? Si sic viverem, quod vix suspirare pos-
» sem, quae tunc vita mea esset? Quidquid ludi et quidquid risus mihi aderit, hoc

[1]) *cithara c. D. percutior* A. — [2]) *spem quod a* (l. quam ad) *Deum habeo* W. — [3]) f. *ab ulla re abst.*

» faciam. Cum cor meum laetatur, cur illum ligem? Et cum venae meae jucunditate plenae sunt, cur eas incidam? Et cum loqui sciam [1]), cur taceam? Nam omnis » motus corporis mei salus mea est, et quomodo creata sum, sic facio. Et cur me » in aliud mutarem quam in illud quod sum? Unaquaeque creatura secundum naturam suam crescit, et secundum hoc quod sibi congruit, sic facit; ita et ego » faciam. »

XIIII.

Responsum discretionis.

22. Et iterum de praefata turbida nube audivi vocem huic imagini responsum dantem: « O speculatrix insidiarum, per insidias tuas omnia quae in rationalitate [2]) » honesta sunt, mordes, quia catulis bestiarum qui nullam moderationem habent, » assimilaris, et ut immundum animal facis. Omnia enim quae in institutione Dei » sunt, sibi invicem responsum dant. Stellae enim de luce lunae coruscant, et luna » de igne solis lucet, et omnia majoribus suis subdita sunt, nec modum suum transgrediuntur. Tu autem nec Deum, nec creaturam ejus inspicis, sed sicut vacua vagina, quae a vento movetur, sic incedis. Ego autem in itinere lunae ac in itinere » solis ambulo, ac omnem institutionem Dei inspicio, et cum his in honestis moribus cresco, et ea in charitate pleniter dinumero. Nam in palatio Regis princeps » sum, et omnia secreta ejus perscrutor, nec ulla in his vacua dimitto, sed ea » comprehendo, et ea diligo, ac cum eis ut radius solis luceo. Tu autem laceratus » morbus [3]) et cadaver vermium es. »

23. Octava autem imago turri assimilabatur, quae in supremitate sua testitudinem habebat, in qua tres fenestrae erant, sub quibus duo brachia hominis apparuerunt, quorum manus super eamdem testitudinem extendebantur. Et eadem brachia tenebris quasi manicis velabantur, et manus eorum nudae, sed tamen igneae fuerunt.

XV.

Verba perditionis animarum.

24. Et dixit: « Quae merita et quam mercedem habebo? Ignem. Nam ego et materia de qua exivi, aliud nolumus. Ego enim omnia lucida fugio, ac omnia lucida » opera sequi recuso, et omnia ornamenta lucidorum nolo, quia spoliatrix animarum sum. Nam hoc opus meum est, quoniam ille sic vult de quo orta sum, ac » maledictio illa sum, quam idem fecit. »

XVI.

Responsum salvationis animarum.

25. Et iterum de praedicta nube turbida audivi vocem huic imagini responsum

[1]) *scio* A. — [2]) *quae rationalitate* W. — [3]) *laceratus moribus* A.

dantem: « Tu sagitta Diaboli es, quae per nocturnas insidias volans, beatos per » martyrium vulneras, quando hoc volunt quod tu non vis. Et quando hoc operan» tur quod tu repudias, ubi eos tunc perdere vis, sed non potes. Nam beati in » vexillo fidei cum angelica multitudine surgunt, et contra te festinanter currunt, » ac velut in magna siti, te desiderant opprimere, sicut cervus aquas fontis bibere » desiderat. Ipsi enim in baptismo ac in septem donis Spiritus Sancti, quae in hu» manitate Salvatoris apparuerunt, quasi in diluvio aquarum, te absorbebunt. Haec » enim est abolitio tua, quia adversus Deum es. Ego autem aedificium omnium bo» norum, et turris Jerusalem in operibus sanctorum sum. Et per arietem in spinis » pendentem, [1]) qui Christum ostendebat, poenitentes suscipio, ac simplices per fi» dem baptismi, et innocentes per unctionem Spiritus Sancti firmiter teneo, quia » per candidam virginitatem, quae in carne Christi sicut lilium floruit, in via sa» lutis reparata sum, unde et cohors Dei sum. »

XVII.

Rugitus leonis.

26. Et ecce coram praedicto viro leo stabat, qui se contra vitia ista verterat, et qui magnum rugitum cum vento emittens, clamabat: « O diabolica vitia, in aestuan« te incendio vos exspoliabo, ac in eodem spolio, vos ad finem perducam, quia ju» stitiae Dei et mihi repugnare semper contenditis. »

XVIII.

Deus contra Diabolum instrumenta veteris et novi Testamenti producit.

27. Et iterum audivi vocem de coelo dicentem: Deus, multis signis et diversis castigationibus, tenebris diabolicarum insidiarum se opponens, insanias insurgentium vitiorum ita obnubilavit, quod beatitudini supernorum civium resistere non poterunt, ubi ipse de coelo prospiciens, fideles suos omni sanctitate munivit. Unde vides quod praedictus vir ad Occidentem se convertit, ita quod et ad Occidentem et ad Septentrionem aspicit, quoniam ipse fortis praeliator contra Diabolum fortiter stans, hoc in antiquo consilio suo semper habuit, quod adversus tenebras cadentis ruinae, ac contra stultum frigus ignorantiae omnia instrumenta veteris et novi Testamenti, ac cunctas facultates bonorum operum producit.

XVIIII.

In fortitudine Filii Dei protectio indeficiens.

28. Quod autem in utroque humero suo habet alam unam, quae et brachia ejus

[1]) *et parietem in spinis pendentem* A. pessumdata arietis et Christi imagine, quae uti supra organum et cithara, classicos theologiae symbolicae canones splendide refert. cf. Genes. XXII, 13.

tegit, hoc est quod in fortitudine Divinitatis ac humanitatis Filii Dei est protectio illa, quae nunquam deficiet, nec terminum habebit, quoniam Deus in illa et per illam omnia servat, ac per eam opera etiam illa occultat, quae in antiquo secreto consilio suo occultata, nondum ulli [1]) manifestare disposuit. Nam quamvis Deus quotidie nova miracula operetur, multa tamen in secreto consilii sui sunt, quae nondum in apertione manifestationis produxit, sicut nec cogitationes hominis sciuntur, antequam in manifesta opera procedunt.

XX.

Occulta prophetiarum per doctores revelantur.

29. Et etiam in dorso suo alam unam, ac in pectore suo alam unam habet, quae sunt mysteria illa, quae ante nativitatem Filii Dei, quasi in dorso ejus, per manum protectionis suae in veteri prophetia multis obscuritatibus velata erant, quae nunc veri doctores, secundum quod ea Deus denudare voluerit, aperire contendunt, sicut etiam et nunc, in profunditate sapientiae, ad defensionem spiritualium, mysteria novi Testamenti velut de puteo hauriunt, nec ab hoc cessabunt; quemadmodum nec Deus cessavit antequam in sex diebus omne opus suum perfecit, quanquam ipsi eumdem puteum exhaurire nunquam valent [2]).

XXI.

Secreta veteris et novi Testamenti promulganda exercenda proponuntur.

30. Unde et hae omnes [alae] quasi ad volandum erectae sunt, quoniam omnia secreta tam veteris quam novi Testimonii, ut in bonis operibus manifestentur et exerceantur, fidelibus populis proponuntur.

XXII.

Protectio prophetiae in veteri Testamento invalescebat.

31. Ala autem quae in dorso ipsius est, in summitate extremitatis suae ex integro ad alam sinistram, et non ad alam dextram se declinat, quia protectio propheticae admonitionis magnam fortitudinem habens, in protelatione secretorum suorum et in integritate verborum suorum, totam defensionem [3]) veteris Testamenti insudabat, quoniam prophetia et Lex unum sunt, et carnaliter viventibus carnalia providebant, nec dextram spiritualium intendebant, quia ille nondum venerat qui praemia coelestium promittebat.

[1]) *nondum illi* W. — [2]) *valeant* A. — [3]) *tota defensione* W.

XXIII.

Sanctificatio in veteri et in novo Testamento.

32. Sed ala, quae ad pectus ipsius est, in summitate extremitatis suae in duas partes aliquantum divisa est, quoniam protectio secretae profunditatis [1]) in ortu principii sui ad vetus et ad novum Testamentum inclinatur, cum veri doctores, in prophetis et in Evangelio, in mysticis verbis mystica mysteria multiplicant; ita quod etiam in veteri Lege diversis purificationibus terra exterius carnaliter sanctificabatur, in nova autem per Filium Dei, coelum multis et variis prodigiis rectarum et spiritualium justificationum clarificatur.

XXIIII.

De circumcisione et baptismo.

33. Et pars altera ad alam sinistram, et pars altera ad alam dextram se recurvat, quia vetus Testamentum ad defensionem terrenorum declinabat, novum autem ad protectionem coelestium anhelat; cum antiqui in circumcisione carnalibus adhaerebant, fideles vero per Filium Dei in baptismo spiritui deserviunt. Sed illi propter observationem illorum justificati non sunt, isti vero in emundationem istorum per fidem Christi supernam remunerationem adepti sunt, quemadmodum etiam Paulus apostolus dicit:

XXV.

Quod homo non justificatur ex operibus Legis.

34. *Scientes autem quod non justificatur homo ex operibus Legis, nisi per fidem Iesu Christi, et nos in Christo Iesu credimus, ut justificemur ex fide Christi, et non ex operibus Legis.* [2]) Cujus sensus talis est. Gratia Dei subjectionem populi per Spiritum Sanctum invenit, quia lapsus Adae animas justorum mortificavit, et ideo etiam digitus Dei Legem per Moysen scripsit. Nam caro violata violatam carnem liberare non potuit, quoniam violata fuit. Unde Dominus Moysi per Legem praecepit, ut homines hircos et tauros in subjectione obedientiae ipsi sacrificarent, quem-

[1]) Expendatur diligenti lectori et conferatur haec *protectio secretae profunditatis*, tum supra n. 26 *per manum protectionis suae*, et n. 31 *protectio propheticae admonitionis*, tum infra n. 33 *novum* (Testamentum quod) *ad protectionem coelestium anhelat*, et n. 35 *divinae protectionis rationalitas*, atque n. 36 *rationalitas in veteri Lege per divinam defensionem vigens:* ex quibus inter plura exprimitur mutuus veteris et novi Testamenti respectus ac prophetica oracula, quae priscum foedus *insudabat* (active), et veluti roris instar messianici effundebat, et *anhelabat*, quum patriarchae diem Christi videre optabant et gaudebant. *Protectio* igitur et *defensio* videtur provida Sancti Spiritus oeconomia, qua veteris Testamenti arcana ad novi mysteria diriguntur et servantur intelligenda. — [2]) Gal. II, 16.

admodum mysterio[1]) isto discerent, quod se ipsos per mortificationem sanguineae naturae Deo postea sacrificarent, quemadmodum et ipsi pecora sacrificabant. Cum autem immaculatus et mundus homo, per sanguinem et mortem suam, se ipsum Deo sacrificium obtulit, omnes populi in ipso mundati sunt. Unde in scientia sua homines intelligant, quod non justificatur homo per opera carnalis Legis, cum illam carnaliter observant. Sanguis enim et cinis pecorum eos nec justificare, nec liberare potuit, sed in Filio Dei justitia veritatis, quae eis viam salutis ostendit. Nam per fidem Filii Dei iidem qui fideliter in eum credunt, servierunt. Quapropter fideles in ipsum fideliter credant, qui via et veritas est[2]), videlicet in fide via, in credulitate veritas; ut sic justificentur per fidelia opera, quae propter amorem ejusdem Filii Dei operentur, et non propter opera, quae eis in amaritudine nolentibus proponuntur. Nam bona opera in declinatione mortuorum operum coelestem patriam ostendunt, cum etiam Christus per poenitentiam populos ungit, et cum eos per semetipsum salvat. Ipse enim mundum et saginatum sacrificium est, quod pro hominibus in se credentibus dabatur; quia vetus Lex hominem nec ad integrum justificavit, nec liberavit, sed viam ostendit, quoniam ipsa quasi vox ante Verbum fuit, sed Verbum Filius Dei est, qui novam Legem in veritate dedit.

XXVI.

Rationalitas discernit omnia.

35. Quod autem in medio uniuscuiusque alae liber unus apparet, hoc est quod intra potestatem divinae protectionis rationalitas est, quae secundum Deum producit, disponit et discernit omnia quae a Deo data sunt, quia nihil est quod ipsa subtiliter non penetret et discutiat.

XXVII.

Sanctitas in Christo futura declaratur.

36. Et liber qui in sinistra ala est, duas paginas habet, quoniam eadem rationalitas, in veteri Lege per divinam defensionem vigens, duas ostensiones rectitudinis protulit, quarum altera viridis, altera argentei coloris est, quia viridis viriditas justitia in materia operis Dei est, quam ipse Deus produxit; quoniam ut terra omnem viriditatem profert, sic vetus Testamentum omne germen et omnem florem futurae aequitatis demonstravit. Et hoc etiam in argenteo fundamento purae scientiae, quod puram sanctitatem in Christo futuram declaravit, manifestatur. Unde hoc idem in hac viridi pagina scriptum vides, quia florens ostensio divinae eruditionis demonstrat, quod Noe per arcam illi obedivit, qui nec initium nec finem habens, etiam in aqua pereuntem hominem restauravit, quem postmodum quoque[3]) constituit per baptismum ad vitam reformari. Sed et hoc idem in argentea pagina scriptum est, quoniam in puritate scientiae verae demonstrationis ma-

[1]) *ministerio* W. — [2]) Joan. X, 1. — [3]) *quemadmodum quoque* W.

nifestatur, quod Deus in veteri Lege duritiam hominibus proposuit, quia ad eum duritiam et non mollitiem habebant, cum postea in nova Lege emollita corda eorum divina verba perciperent.

XXVIII.

In Incarnatione nullum detrimentum Filius Dei sensit, qui in mundis cordibus habitat.

37. In libro quoque dextrae alae etiam duae paginae sunt, quoniam rationalitas in novo Testamento, protectionem supernae beatitudinis habens, in duas demonstrationes se convertit, ubi unum Dominum Deum et hominem [1]) in Filio Dei manifestat. Et una saphirini et una aurei coloris est, quia virginitas, ut saphirus, in Christo resplenduit, cum ipse ex virginali natura natus, castitatem docuit, ita quod omnes qui eum imitari volunt, castitatem diligant. Unde etiam aureus fulgor in eo sic effulget, cum fideles ipsum verum Deum ex Deo Patre genitum credunt, qui omnia cum Patre condidit. In principio enim creaturarum Filius Dei in plenitudine sua erat, ut ante aevum fuit, nec ullum defectum sustinuit, cum creaturas prodire fecit, quoniam qui factus non est, omnia fecit. Nec incarnatus ullum detrimentum Divinitatis sensit. Quod etiam in pagina saphirini coloris scriptum vides, quia certa manifestatione Virgo purum hominem in pura virginitate genuit, cum Verbum suum suavi missione Dominator cunctorum credentibus destinavit. Quod tamen permansit in illis, qui Deum puro corde inspicere contendunt: et hoc quoque in pagina aurei coloris scriptum est, quoniam aperta ostensione ac plurimorum miraculorum prodigiis Filius mundi in mundo apparens, se principium esse, et Filium Dei venisse declaravit, scilicet principium illud quod omnes creaturas produxit, et quod deinde ex eisdem creaturis Virginem in matrem sibi elegit.

XXVIIII.

Prophetiae de Incarnatione Christi clarae et candidae.

38. Sed quod liber, qui in ala dorsi ejusdem viri, et marmoreo et integro lapidi candidi coloris assimilatur, hoc est quod rationalitas in protectione fortitudinis prophetiae, quae Christum futurum prophetabat, manens, incarnationem ejus velut in umbra praevidit; quoniam qui dorsum alicujus videt, faciem ejus nondum novit, sed quae facies illius sit, miratur; sic et prophetae Filium Dei prophetabant, sed eum in carne nondum sciebant. Unde etiam quaedam duritia, velut marmorea soliditas, in eis fuit, quia Spiritu Sancto perfusi, nulli adulabantur, sed in integritate veritatis perstiterunt, nec se hac, nec illac in verbis suis scindebant; quoniam de nullo alio acceperunt quod dixerunt, quam de illo qui totus integer Deus est. Et hoc modo lapidei erant, quia in rigore suo perstiterunt, nec ulli cedebant: quod tamen in candore simplicitatis faciebant, quoniam nihil aliud loquebantur quam

[1]) *homines* W errore stupendo, pro solita plerumque scriptoris diligentia.

quod videbant et sciebant, sicut nec infans in simplicitate sua aliquid loquitur quam quod videt et scit.

XXX.

Prophetae miracula Dei protulerunt per sapientiam et scientiam.

39. Sed et digitus Dei in illo scripserat secreta sua, quae revelare volebat, quia Spiritus Sanctus rationalitatem hominis ita perfudit quod prophetabat, et etiam hoc per visionem faciebat; cum Prophetae per Spiritum Sanctum illuminati, in Spiritu Sancto a longe futura [1]) praevidebant. Et etiam per sapientiam, quidam multa dicebant, quoniam omnipotentia Dei mentes illorum tangebat, quod plurima et plurima in significatione proferebant, ut etiam sapientia omnia aedificavit. Quidam vero per scientiam, cum Verbum Dei scientiam eorum ita inspiciebat [2]) ac insufflabat, quod occulta et absconsa dicebant. Nam radicem illam qua ex limo Deus hominem surgere fecit, Spiritus ejusdem Dei vivificando inspiravit, et vitam non finiendam, scilicet, animam quae non finietur, Spiritus Sanctus infusione sua in prophetis ita illuminavit, quod ipsi quasi in aliena vita alienaliter miracula Dei protulerunt, ut etiam limus in alienam vitam carnis et sanguinis mutatus est. Haec autem sunt miracula Divinitatis, quae Deus in mirabilibus suis per prophetas profert, scilicet cum illi loquuntur, praevidendo quae ipsi in Spiritu praevident, et scribendo, cum illa per jussionem Dei bonae memoriae tradunt; ac citharam percutiendo, quia rationalitas per Spiritum Sanctum inspirata, modulos in voce et in verbis Deum laudantium invenit, quoniam ipsa sonum emittit, et ideo etiam in his Deum laudat. Et haec etiam cum alis prophetiae cherubizando, Deus in hominibus facit, quoniam in his omnibus, ut praedictum est, prophetae in spiritu prophetiae sublevati [3]), plurima miracula ad similitudinem cherubim ostendunt, qui occulta Dei cognoscunt et proferunt, quod Deus occulto judicio suo, ubi vult, et quomodo vult, et in quibus vult, operatur.

XXXI.

Rationalitas in sapientia Dei consistit.

40. Quod autem liber pectoralis alae integer, et totus niger, ac plenus stellarum est, hoc est quod rationalitas [4]) in profunda sapientia protectionis Dei integra con-

[1]) *futurum* W. — [2]) *inspiciebant* W. — [3]) *sublevari* W. — [4]) Vox *rationalitas* in hoc libro, quasi more germanico, frequentissima est, nec sine aliqua ambiguitate regeritur. In hoc loco, respectu ad *Rationale* Leviticum, *Rationalitas* est inspiratio divina, sicut in n. 1 jam memoratur *divina ratio* (Λόγος) *quae Legem scripsit*, tum n. 8 *rationalitas in spiritu prophetiae*, et n. 15 *divinae protectionis rationalitas*. — num. 22, *rationalitas honesta* est quaecumque creatura rationalis. — n. 37, *rationalitas in novo Testamento* et n. 41 *rationalitas* quae *mysteria veteris et novi Testamenti in exarationem et confirmationem proponit*, est fides christiana. — n. 59 *Rationalitas hominis* est mens humana, eademque ibi dicitur *rationalitas per Spiritum Sanctum inspirata*. Sic singulis fere locis, attenta serie, rationalitas declaratur.

sistit, neo se in ullam diversitatem contrarietatis dividit, quamvis homines multas diversitates in moribus suis habeant, et quod etiam omnes sapientes tam veteris quam novi Testamenti de Christo dixerunt, [1]) unum in ipso facientes. Et in nigredine est, quia rationalitas in humano sensu ad carnem saepius inclinatur, et quia saepius etiam miratur quae et qualia haec sint de quibus loquitur, sed tamen in luce stellarum lucet, quoniam fides et intelligentia in hominibus sunt, quia per fidem in Deum credunt, quem videre non possunt, et quia etiam in miraculis Dei intelligunt, quae intelligentiae eorum saepius laboriosa ad intelligendum sunt, cum se a Deo creatos esse cognoscunt.

XXXII.

Mysteria veteris et novi Testamenti contra infideles parantur.

41. Sed candidis litteris de profunditate praedictorum librorum contractis, plurimas scripturas compilatas in se habet, quoniam rationalitas in splendore bonitatis Dei mysteria veteris et novi Testimonii congregata in exarationem et confirmationem proponit, cum fideles et prudentes homines ex catholicis doctrinis illa congerentes, cum eis vias rectitudinis contra tenebras infidelitatis et contra ipsum Diabolum parant, et hoc in siti Scripturarum faciunt, ubi eas magno desiderio exhauriunt, nec ab hoc desistunt, donec omnem conscientiam cordis sui per illas repleant, sicut nec Deus ab opere suo cessavit, donec illud ad perfectum perduxit. Nam cum Scripturas subtiliter inspiciunt, subtiliterque excribrant, Deum venerantur, ac nomen ejus magnificant, quoniam in quo homines aedificant, honorem etiam Dei inquirunt, ut Psalmista David dicit. [2])

XXXIII.

David ad eamdem rem.

42. *Omnes gentes, quascumque fecisti, venient, et adorabunt coram te, Domine, et glorificabunt nomen tuum, quoniam magnus es tu, et faciens mirabilia, tu es Deus solus.* Cujus sensus talis est. Omnes creaturas Deus fecit, et ut etiam homo opera operaretur, permisit; homines enim operantur, formant et jubent. Nam in creaturis operantur, et secundum ipsas alia quaeque formant quae volunt, quibus tamen spiritum dare non possunt; ac quibus praesunt, praecepta imponunt. Et quia Deus hominem creavit, et eum spiramine spiritus sui ad vitam suscitavit, omnes gentes quae ex Adam natae sunt, factura Dei existentes, in voluntate sua venient ad Deum, quaerent adorantes coram eodem Domino, ubi nomen ipsius invocant, cum eum sentiunt, quoniam ab eo discedere non possunt, quemadmodum filius ignorare non poterit quem patrem habeat. Et sic glorificant nomen Dei, cum ad Deum clamant, et cum Deum invocant. Sed quidam homines opus manuum suarum pro Deo habent, et idem opus Deus nominant, et hoc consilium Diaboli est, cum quo

[1]) *unum de Christo dixerunt* W. — — [2]) Ps. LXXXV, 9. *Inquirunt. . dixit* A.

etiam eosdem homines inflatos reddit. Isti autem nomen Dei se glorificare putant, sed Deum nesciunt; et Deum habere volunt, cum Deum non habeant. Et ideo vetus et nova Lex homini datae sunt, quatenus homo credendo et videndo ac colendo, Deum cognoscat. In his enim duabus partibus prudentes philosophi sapientiam hauserunt, nec vasa sua cum illa implere cessabant, quod Deo valde placuit, sicut etiam omnia quae fecerat, sibi placuerunt. Unde etiam magnus est Dominus in miraculis suis, magnus quoque in supernis virtutibus, et faciens mirabilia, ubi magnalia operis sui in magna pulchritudine fulgent. Nam Deus Noe arcam intrare fecit, Abrahae plurima bona ostendit, Moysi quoque Legem dedit, in Filio etiam suo credentes ad vitam reduxit: quae omnia magna mirabilia sunt, ita quod fideles ea cum devotione semper ruminant, et quod magnas profunditates in eis quaerere non cessant; quoniam a Deo processerunt, et qui haec fecit, est Deus solus, quia omnia bona ab ipso oriuntur, et ad ipsum revertuntur; quoniam cum Deus hominem creavit, ut rotam in spiritu vitae eum circuire fecit, unde etiam ad eum saepissime recurrit.

XXXIIII.

Quod plurimi ante Legem in Lege et in baptismo beati sunt.

43. Quod autem vides quod praedicta candida nubes, in qua idem vir ab humeris usque ad femora sua est, plena animarum justorum est, hoc designat quod candor miraculorum Dei, quia fortitudine principii exsurgentium creaturarum ad incarnationem Salvatoris hominum extenditur, qui etiam nunc in eadem incarnationis gloria apparet, multitudinem animarum Deo servientium in se habet, quia plurimi ante Legem, plurimique in Lege fuerunt, plurimique in baptismo praestiterunt, qui per redemptionem ejusdem Filii Dei supernam beatitudinem adepti sunt; ita quod nunc in mansione illa gaudent, quam Deus ab initio saeculi ipsis providerat. Nam fideles homines per fidelia opera in habitaculo beatitudinis animabus suis requiem parant, in qua post consummatam vitam carnis feliciter requiescunt. Unde etiam in eadem beatitudine [1]), audis vocem ab angelica celsitudine procedentem, ut laudent cuncta regentem, et ut glorificent in saecula saeculorum viventem. Et sic animae eorumdem justorum in gaudio elevantur, ac in vita ad vitam procedunt, [2]) nec ab illa recedunt, quoniam in ea aeternitaliter permanebunt; sicut et rotae vitae, Divinitatem significantes, in eunte Spiritu, qui sine mora baptismum sanctificat, ad eruditionem et ad emundationem hominum vadunt, nec ab illa cessabunt, quia alia doctrina quae homines ad vitam perducat, non producetur. Istae enim animae, dum in corporibus suis essent, idola fugerant, et regionem suam cum Abraham exierant, ac officia illa quae in terrenis curis habebant reliquerant, et sic in ignoratis terris velut exsules per suspiria erant, ubi in praeceptis Dei euntes, merita sua dilatabant, per quae plurima praemia nunc recipiunt.

[1]) *Beatitudinis* W. — [2]) *ad vitam perducant* W.

XXXV.

Gaudiis fruuntur animae perfectorum, qui fuerunt, sicut angeli, ab hominibus separati. [1])

44. Sed in candore ejusdem beatitudinis, in secretioribus gaudiis aliae animae perfectorum sanctorum sunt, qui divinae contemplationi, dum in corporibus suis fuerunt, inhaeserant; et hae omni genere coelestium virtutum ac omni genere totius sanctitatis ornatae sunt. Unde etiam excelsis vocibus tubarum Deum laudant; quae est exspiratio, quae ex ore prophetarum et sapientium ac caeterorum Dei electorum sonat, quoniam opera Sancti Spiritus innumerabilia in hominibus sunt, ac in citharis totius gaudii exsultant, ita quod etiam in sono tam mirabili, ac in sono tam inenarrabili resonant, quod eum humanum cor nec capere nec intelligere poterit. Nam quia cum igne et aqua in sanctitate baptismatis bona opera operati sunt, et quoniam sic in eisdem operibus caetera elementa movebant, ideo ut sonus maris et ut sonus aquarum sonant, quae prae multitudine sonituum mirabiles sonos emittunt, hi autem illi sunt qui, dum in terra viverent, a carnalibus desideriis cum intentione cordium suorum se elevabant, ac terrenas cupiditates abjecerunt, velut homines non essent, et ita ab aliis populis separati sunt, sicut angeli ab hominibus. Ipsi enim per speculata opera in coelestia volabant, ac per fenestras fidei, velut in bonitate simplicitatis infantis, Deum inspiciebant, et in his stabiliter perseverabant.

XXXVI.

Animae sanctorum desiderant corpora sua sibi restitui.

45. Quapropter etiam in voce desideriorum suorum dicunt, quamdiu exspectare debeant tempus illud, quo opera ipsorum, quae in aperta manifestatione coram vivente Deo fulgent, eis corpora sua in quibus laboraverant [2]) restituant, ita ut ablata omni difficultate, qua Moyses faciem suam obtexit, Deum videant. Nam opera sanctorum, quae ipsi per inspirationem Spiritus Sancti operantur, coram Deo ut coelum fulgent, quia cum Deo et in Deo facta sunt, et sic Deus eisdem animabus, propter eadem opera refrigerium requietionis dat; sed nondum plenum gaudium, usque dum plenitudo populi in novissimo die intraverit. Et tunc Deus cum sanctis operibus sanctorum corpora et animas eorum conjunget, et sic coelum operum eorum ipsos ad faciem Dei perducet, ubi eum tunc pleniter videbunt. Sed quia corpus cum anima bona opera fecit, cum anima corpore caret, plenitudinem illam habere non potest, ut absque corpore faciem Dei pleniter videat, [3]) et ideo cum corpus et anima conjunguntur, faciem suam Deus denudat, ut eum beati hoc modo videant, quoniam illa conjuncta sunt quae simul operabantur. Iste clamor fortis et magnus clamor sanctorum est, quoniam vix exspectant, dum corpora sua

[1]) Recole quae supra notantur lib. I, p. 21. — [2]) *laboraverunt* A. — [3]) *videant* W. idem mox *ut eam.*

recipiant, ac tanto desiderio sigilla corporum suorum requirunt, quanto etiam esuriens puer a patre panem petit, cui tamen pater [1]) benigne respondet, cito panem se illi daturum.

XXXVII.

Antequam sancti corpora sua recipiant, mundus commovebitur.

46. Unde et responsum accipiunt, quod antequam corpora sua recipiant, mundus commovebitur, et in aliud mutabitur, et antiquus hostis in omnibus viribus suis comminuetur, et Deus verus, Deus et homo existens, omnia membra sua in electis suis congregabit, et sic integritatem corporum suorum recipient.

XXXVIII.

Sancti ex operibus in Spiritu Sancto sodales se cognoscunt.

47. Et praefatae animae beatorum hos electos Dei sciunt, quia quamvis diversa bona opera per inspirationem Spiritus Sancti operati sunt, et quamvis opera eorum diversa fuerint, tamen ex tactu ferventis Spiritus Sancti, velut sodales se cognoscunt, et voces canticorum et gaudiorum eorum audiunt, ac eos in purissima puritate conscientiae et contemplationis [2]) suae vident, atque divinum responsum eis desuper datum cum ipsis percipiunt, quemadmodum et illi sustinentes sunt, dum fortissimus Deus fortissimam jussionem suam educat, ac omnes diabolicas temeritates in fine mundi compescat, ut sic corpora sua ad aeternam beatitudinem et gloriam recipiant.

XXXVIIII.

In infidelitate Diabolus incongrua proponit.

48. Quod autem in praedicta nebula, in qua diversa genera vitiorum, ut praefatum est, prius vidisti, etiam nunc octo vitia in imaginibus suis consideras, hoc est quod in tenebrosa infidelitate, in qua varietates diabolicarum insidiarum prius videras, et modo quater binas in perversis significationibus aspicis, quae per quatuor partes mundi, et per quatuor elementa bacchantes, orbem terrarum conturbare solent, quia illos qui Deo in quiete servire deberent, infestationibus suis assidue fatigant. [3]) Nam Diabolus, cum viribus et vitiis suis, quasi Deus sit, se ostendens, incongruentes res hominibus innumerabiliter proponit, et hoc tamdiu faciet, quousque nihil amplius praevalebit.

[1]) *pater* om. W. — [2]) *contemplatione suae* W sic. — [3]) *fatigat* A.

XL.

Antiquus serpens omnes ad se trahere vult.

49. Sed quod quamdam imaginem vides, ut serpentem, in praefatis tenebris supinam jacentem, hoc est quod Diabolus, ille antiquus Serpens, in tenebrositate nequitiae suae, appetitum cupiditatis suae contra coelestia movet, cum hominem a supernis desideriis ad terrena descendere persuadet. Cujus oculi ut ignis ardent, quoniam intentio Diaboli in igne odii flammas deceptionis emittit. Et cujus lingua ex ore ipsius extensa est, quia mendacium a mordacitate ejus ferociter procedit. Ac cujus cauda in fine abcissa est, quoniam opus suum secundum voluntatem suam ad finem perducere non potest. Nam ipse in lacum perditionis omnes adtrahere vellet, si eum divina majestas non praeveniret. Corpus autem ipsius nigri coloris est, quia toto annisu oblivionem Dei hominibus suadet, ita quod etiam lineae pallidae et venenosi coloris a capite ejus deorsum in longitudine descendunt, quoniam viae Sathanae, pallorem mortis tenentes, et venenosam commotionem humanitatis per ingluviem excutientes, ut in ipso in perditione inceperunt, sic etiam in perversitatem ejusdem perditionis in ipso prolongatae, ad pessimum finem perveniunt, quia ut initium Diaboli malum est, ita et finis ejus est.

XLI.

De ventris Ingluvie.

50. Quod autem venter ipsius apertus est, hoc est quod hiatus Diaboli ad devorationem animarum patet, in quo imago hominis, velut in cunis, supina jacens apparet, quae ventris ingluviem designat; quoniam Diabolus voracitatem hominibus primum persuadens, caeteris vitiis eos facilius et plenius irretitat, quia haec quasi in ignorantia per appetitum voracitatis supina quiescens, ut hominem a desideriis paradisi abstrahat decumbit; quia homo serpentinis moribus cum cibo primum seductus est. Quae super caput suum habet pileum, ut galeam aliquantum altius erectam, quia ingluvies in mentibus hominum propriam voluntatem cum vana potestate sursum inaniter erigit, quoniam cum illi ventrem suum impleverint, quasi omnibus bonis abundent, superbire incipiunt. Et albos capillos sub eodem pileo ad humeros descendentes habet, quia candorem superfluitatis in potestate fortitudinis ostentans, omnes sine verecundia despicit, nec ulli [1]) subesse vult. Quapropter veste etiam ex tenui et albo serico induta est, quoniam voluptati pretiosorum ac deliciosorum conviviorum implicatur. Amicta quoque pallio quod colori ejusdem serpentis assimilatur, quia sibi circumponit latitudinem cupidinis in diversitate vitiorum, quae diabolica iniquitas producit, ut homines saltem per superfluitatem ciborum et potuum seducat; sicut etiam idem vitium est

[1]) *nec illi* A.

supra dictum est, in dictis suis declarat. Sed examinatione abstinentiae illi resistitur, et ne homo se ipsum in hujus modi irrisionem inducat, commonetur.

XLII.

De Acerbitate.

51. Secunda autem imago acerbitatem demonstrat, quae sui ventris ingluviem subsequitur; quia postquam homo nimia voracitate se oneraverit, acerbitatem ac amaritudinem in superfluitate ciborum incurrit, velut hiems post aestatem accidit. Et ut leopardus est, quoniam omnia opera ejus in amaritudine sunt, feram in duabus naturis [1]) existentem imitans, sicut et ipsa tam voce quam opere acerrima est, quemadmodum etiam in locutione sua superius ostendit. Unde verbis verae largitatis inclamatur, et ut homines benigni in largitate sint, admonentur, quia ibi magna amaritudo est, ubi homo a Deo declinat, et ubi se contra Deum indurat, quasi adjutor ejus Deus non sit, et ubi Deo nihil de his reddit, quae Deus ipsi concessit. Unde, o illustri et sapientes, animas vestras Deo praeparate.

XLIII.

Isaias ad rem eamdem.

52. Sic Isaias, per me inspiratus, vobis demonstrat, [2]) cum dicit: *Quum effuderis esurienti animam tuam, et animam afflictam repleveris, orietur in tenebris lux tua, et tenebrae tuae erunt sicut meridies. Et requiem tibi dabit Dominus Deus tuus semper, et implebit splendoribus animam tuam, et ossa tua liberabit.* Cujus sensus talis est. Anima suspirium et desiderium ac voluntatem habet, et carni adjacet, quae de terra orta est. Et cum anima carnem moverit, scilicet postquam eam vivificaverit, caro peccata sentit, de quibus orta est. Quae cum caro perfecerit, anima ad officium suum, videlicet ut bonum faciat, esurit. Sed homo ad suspirium animae, quo ad Deum tendat, velociter surgat, et ad desiderium quo Deum amplectatur, citius ascendat, ac voluntatem qua Deum amet, strenue habeat. Anima enim multa bona et multa mala [3]) comprehendit, sicut homo in actibus suis saepius ostendit. Ipsa etiam sicut ventus est qui super gramina flat, et velut ros est qui super gramina cadit, et quasi pluvialis aer est, qui ea crescere facit. Quapropter homo effundat desiderantibus bonam voluntatem suam. Quomodo? Ventus sit in adjutorio miserorum, et ros sit in consolatione desolatorum, ac pluvialis aer sit deficientes reficiendo, [4]) ac eos doctrina velut esurientes replendo, ubi eis animam suam tribuit, cum ipsis totis viribus ejusdem animae suae perspicaciter inspicit: [5]) Cum ista, o homo, feceris, et cum animam a daemonibus et ab hominibus afflictam, et peccatis catenatam et incarceratam, bonis persuasionibus redemeris, ac sanctis exhortationibus impleveris, orietur ortu justitiae in tenebris pecca-

[1]) Ad *Physiologum*, uti jam supra n. 105, iterum hic manifeste respicitur. — [2]) *inspiratus ostendit, cum dicit* W. — Is. LVIII, 10. — [3]) *et mala* A. — [4]) *deficientis deficiendo* W. — [5]) *insistit* A.

torum lux tua, cum per bonam et sanctam viam incedis, ita quod cessas peccare, et quod bona opera incipis operari, ubi tenebrae peccatorum lucem sanctitatis non offuscant, sed ubi etiam illi nolentes serviunt. Tunc etiam tenebrae commissorum tuorum, sicut similes meridiei, cum ad defectum descendunt, quia ut post meridiem dies inclinatur, ita etiam peccata tua deficient, et ad nihilum pervenient. [1]) Et sic requiem de inimicis tuis tibi dabit gratia sua Dominator cunctorum, et Deus omnium creaturarum, et hoc faciet in sempiternum; ita ut ultra [2]) tibi non dominentur, sed ut eos ut scabellum pedum tuorum semper conculces; et sic implebit coelesti jucunditate et splendoribus supernae claritatis animam tuam, velut sereno die benefactorum illustratam; et ossa tua, scilicet ossa membrorum tuorum, quae bona ac sancta opera operata sunt, a corruptione liberabit, scilicet in futuro resurrectionis, ita quod ultra mortalia non erunt, sed quod sancta et incorruptibilia deinceps vocabuntur.

XLIIII.

De Impietate.

53. Tertia vero imago impietatem denuntiat, quae post acerbitatem sui incedit, quia ubi acerbitas in mentibus hominum est, ibi impietas se adjungit, quae nullum gaudium in bonis Domini [3]) inconcussum dimittit, sed quae omnia bona, quantum praevalet, dilaniat. Quae formam hominis habet, excepto quod caput ipsius inter scapulas suas a pectore proeminens, tam ferino quam humano capiti assimilatur, quoniam ipsa in hominibus regnans, et initium [4]) suum in proprietate conscientiae suae proferens, bestiales ac mordaces mores in aperto habet, et etiam dolosos, sub humana specie latentes. Veram enim doctrinam et bonitatem ac obedientiam et subjectionem, quae in Deo sunt, renuit, ac pulchritudine justitiae in omnibus caret. Nam grandes et igneos oculos, et os ut leopardus habet, quia magnam asperitatem cum ardente furore in intentione sua ostendens, omnia quaecumque poterit, dilaniat et discerpit; nec gratiam, nec misericordiam vult, nec sapientiam in discretione discernit; sed sanctos et justos ubique conculcare tentat. Quapropter etiam ab utraque maxilla linea picei coloris ad mentum ejus descendit, quoniam tam in frendente quam in operante mordacitate tenacitatem teterrimae et pessimae voluntatis habet, quae etiam ad insipientiam tendit; quia in illusione deceptionis sine honore Dei est. Sed et ab utroque fine oris ejus caput serpentis dependet, quoniam Deum et hominem contemnendo, finem mordacitati suae non imponit, sed semper ad nova initia in serpentinis moribus procedit. Et multas flammas ex ore suo emittit, quia ardentia jacula verborum hominibus imponit, dum omnibus modis eos furibundos facit. Quod autem super genua sua stat, reliquo corpore erecto, hoc est quod fortitudinem suam ad culturam idolorum inclinat, cum homines in impietate saevientes idolatris similes efficit; quos etiam ita decipit, quod se justos esse et justitiam colere existimant. Unde et caput suum nigro ac piceo velamine muliebri more circumdat, quoniam mentes hominum tenebroso ac tenaci

1) *perveniunt* W. — 2) *ita quod ultra* W. — 3) *in bonis Deum* A. — 4) *et inimicum* A.

umbraculo levitatis in duritia alligat. Ac reliquo corpore nigerrimo indumento induitur, quia errorem nequissimae crudelitatis, quo candore vitae caret, sibi induit. Cui manicae vacuae dependent, quia brachia sua in idem indumentum introrsum colligit; quod est, quod opera ejus nullam perfectam utilitatem habent, sed fortitudine sua subtracta, nulli hominum in bono apparent, sicut etiam idem vitium, ut supradictum est, in verbis suis declarat. Cui virtus pietatis respondet, et eam in perpetuis maledictionibus esse demonstrat.

XLV.

De Fallacia.

54. Sed quarta imago fallaciam significat, quae hic impietatem comitatur; quoniam cum homo impius est, ad fallaciam accedit, et unumquodque mendacium studiose aedificat, veritate abjecta. Quae tanta densitate tenebrarum circumdatur, quod nullam distinctionem membrorum in ea considerare vales, quia incrassata in infidelitate est, nec ullam rectitudinem bonorum operum in se habet, quoniam nulla probitas in ea invenitur, sed solummodo tenebrae mortis in ipsa abundant. Quod autem eam velut deformem et monstruosam formam hominis in eisdem tenebris vix dignoscere potes, hoc est quod pulchritudine veritatis et decore justitiae in omnibus verbis et in omnibus actibus suis carens, in nulla probitate, sed tantum in tenebris mortis incedit; ita quod nunc certa, nunc incerta in viis suis habet, quia diligentia caritatis, in qua Deus aspicitur, in ea non invenitur, sed infructuosa et fallax deceptio, quam per homines in hominibus assidue perficit. Et haec super quamdam spumam siccam et duram ac nigram, et multas flammas ignis emittentem stat, quoniam fallacia, super illusionem verborum, nullam fortitudinem habentium posita, sine viriditate justitiae apparet arida, et sine suavitate benignitatis dura, ac sine candore virtutum nigra, quia in ea nulla serenitas est, sed flamma iracundiae, quae plurimas injurias profert, velut etiam ipsa superius in locutione sua ostendit. Sed responso verae veritatis compescitur; et ut homines veraces sint, admonentur. Nam qui mendacia diligunt, non solum hoc vitio insistunt, sed etiam aliis insudant, quibus cum se implicaverint, ad plurima mendacia prorumpunt; ut propheta David spiritu meo veraciter imbutus, ostendit dicens:

XLVI.

David ad eamdem rem.

55. *Alienati sunt peccatores a vulva, erraverunt ab utero, locuti sunt falsa.* [1]) Cujus sensus talis est. Originale peccatum per cibum surrexit, qui beatam ac felicem naturam hominis in mortalitatem convertit. Per cibum enim istum bona scientia obdormivit, et mala scientia per alienam viam surrexit. Nam alienati sunt transgressores justitiae a vera veritate, ita quod natura hominis alienata est in

[1]) Ps. LVII, 4.

venenosa vulva per os Serpentis, qui in deceptione sua interrogavit, cur homo pomum non manducaret. Sed quando primi parentes per consilium Serpentis praeceptum Dei transgressi sunt, in morte mortui sunt; unde etiam alienantur ex eis nati filii in prima conceptione sua, per mortem oblivionis Dei, a protectione sanctitatis; et ob hoc magnam et congruentem abstinentiam homines in cibis suis habeant, quoniam antiquus hostis in deglutiente gutture suo hominem cibo primum decepit. Cum enim gustus hominis cibum postulaverit, illico avaritia occurrit, per quam ex omnibus cibis ventrem suum impleat, et omnes vias bonae scientiae in errorem ducat. Et sic homines erraverunt ab utero, scilicet cum primi parentes in primo originali peccato peccatum incipiebant, et cum postea eadem vertigine mobiles ad peccatum fiebant; nam post gustum cibi gustus peccati affuit, et cum ista perfecerunt, locuti sunt falsa, quia Diabolus magnum mendacium per cibum instruxit, quo Deum et justitiam ejus abnegavit. Sic etiam et omnes illi faciunt, qui crapula cibi et ebrietate vini ventrem suum in voracitate implent. Per crapulam enim filii hominum mendaces sunt, postponentes et abnegantes veritatem. Et quoniam origini hominum suggestio Diaboli adest, homines mendacia loquuntur, sicut et Diabolus facit, et ita se ipsos et alios occidunt. Cum enim Deo, qui coelum et terram creavit, se opponunt, ubi erunt nisi in inferno? Sed et interdum perditionem vitam nominant, ac coelum cum verbis sibimetipsis se facere similant, quod nunquam viderunt, et quod nunquam facere poterunt; et etiam quod perditio est, magnum honorem dicunt; ac mendaciis suis hominem in omnibus modis destituunt; hominem quoque per illusionem laudant, ac eum per deceptionem occidunt, et sic illis assimilantur, qui vitulum in Oreb fecerunt; et qui illum Deum Israël esse dixerunt. Et sic homines isti faciunt, qui in mendacio habitant, et qui sibimetipsis vana loquuntur, et qui in omnibus creaturis unamquamque rem sibimetipsis promittunt, secundum quod volunt. Et omnes qui hoc agunt, mortui sunt, ut etiam idola mortua sunt, ac cum Aquilone sunt, et Aquilo sunt, et sic cadent.

XLVII.

De Contentione.

56. Quinta autem imago contentionem demonstrat, quae fallaciam hic subsequitur, quia cum homo mendax est, contentionem incurrit, ita quod unusquisque per fraudem et iniuriam cum fratre suo fraudulenter contendit. Et haec in forma hominis apparet, et crispos ac nigros capillos habet, et faciem igneam, quoniam homo qui rationalis est, contentionem magis amat quam caetera animalia quae irrationabilia sunt; et etiam caeteras creaturas contendendo saepius deridet, et hoc per impudicitiam contortam, et per molestiam denigratam, in multiplici via scientiae facit, ac intentione igneae voluntatis suae, cum furibundus in ira fuit. Quod autem cappa varii coloris induta est, quae ad humeros foramina habet, per quae brachia sua extendit, hoc est quod desideria sua per varietatem aliorum vitiorum tegit, in quibus etiam per robur insaniae suae nullam integritatem, nec ullam constrictionem probitatis, sed foramina bacchantium schismatum habens, prolonga-

tiones et opera brachiorum suorum secundum voluntatem suam emittit. Nam qui contentiosus est, nec voluntatem, nec utilitatem aliorum intendit, sed secundum propriam voluntatem desideriorum suorum incedit. Unde etiam sinistro [1]) brachio securim tenet, quam ad se constringit, quia in contrario robore incisiones verborum ruminat, quas in perversis moribus ad se colligit. Ac in ejus acie manus suas saepius hoc modo vulnerat, cum eas illi prae furore injicit, ita quod etiam sanguine earum ipsam vestem perfundit, quoniam in acutione contrariorum verborum opera sua frequenter exulcerat, cum sibimetipsi opprobria per insaniam infert; sic quod et crimine eorumdem operum conscientiam suam aliis denudat, ac se ita exasperat, quod et conviciis se ipsam et alios confundit, sic etiam in supradictis verbis suis manifestat. Sed judicio summae pacis ei repugnatur, et ut homines idem vitium devitent, exhortantur. [2])

XLVIII.

De Infelicitate.

57. Sed sexta imago infelicitatem praetendit, quoniam post contentionem, infelicitas hic venit, quae ab omnibus bonis Dei declinat; quia homines qui se existimant salutem habere, cum Deum non colunt, mortem incurrent. Quae leproso homini similis est, et nigros capillos habet; quoniam ut leprae a sanis et mundis separata est, ne ab illa tangantur, ita infelicitas ab omnibus virtutibus Dei segregata est, nec in ulla claritate lucet. Sed tamen homini assimilatur, quia cum omnes reliquae creaturae Deo obedientes, se felices ostendant, homo per diabolicam suggestionem sibimet infelicitatem incutit. Et hoc etiam in nigredine superfluarum et multiplicium iniquitatum velut capillorum complet; nec erubescit, quod per admonitionem sapientium corrigi non vult. Et indumentis caret, sed latis foliis quarumdam herbarum se tegit, quoniam omni bono sanctitatis denudata, sine gaudio salvationis est, latitudinem [3]) instabilitatis diversarum vanitatum sibi circumponit, et per multas varietates morum suorum felicitatem habere tentat, quod esse non potest. Ac manibus suis pectus suum percutit, quia operibus suis conscientiam suam accusat, ubi per pessimas operationes interiora cordis sui manifestat, quoniam fidelem spem ad Deum non habet, sed mala suspiria ad plurimas aerumnas, quemadmodum etiam in locutione sua, ut praedictum est, declarat. Unde responso beatitudinis redarguitur; et ne homines in illa permaneant, edocentur.

XLVIIII.

De Immoderatione.

58. Septima vero imago immoderationem designat, quae hic infelicitatem congrue comitatur; quia cum homo in bonis Dei rebellis est, statim immoderatio in unaquaque re, ubi se existimat stare, pullulat; sed tamen ibi non praevalebit, quo-

[1]) *in sinistro* A. — [2]) f. *exhortatur.* — [3]) *sed latitudinem* W.

niam quod contra Deum est, non stabit, sed in interitum ibit. Haec autem velut lupus est, quia in rabie doli et in aspera vicissitudine omnium malorum sine discretione est. Quae flexis cruribus super pedes suos jacet, et ubique circumspicit, ut omnia quae rapere potest, deglutiat, quoniam inclinata fortitudine sua ad quaeque deteriora pessimis itineribus propriae voluntatis suae incumbit, et omnes vanitates considerat, ut eas ad se colligat, quatenus per illas cunctam honestatem recti moderaminis disturbet, et ad nihilum deducat, et ut in voluptate libitus sui permaneat; quemadmodum etiam superius in verbis suis demonstrat. Cui per veram discretionem respondetur; et ut homines in omnibus moderationem convenientem inspiciant, admonentur.

L.

De Perditione animarum.

59. Sed octava imago perditionem animarum notat, quae post immoderationem hic incedit, quia cum per immoderationem Deo repugnet aperte, perditionem animae incurrit, quae cum Deo esse recusat, et quae contra eum frendit, [1]) ubi montem salutis se fore ostendit, cum plena ruina sit, in qua primus angelus ruinam sibimetipsi et omnibus se sequentibus aedificavit. Et turri assimilatur, quae in supremitate sua testitudinem habet, in qua tres fenestrae sunt, quoniam magna et inconcussa firmitas velut turris in perditione est, in qua superbia quasi in supremitate sua quamdam securitatem velut testitudinem parat, quae non ad Deum, sed in tristitiam mortis tendit; ubi etiam sensu et intellectu ac scientia, quasi in tribus fenestris prospicit, quatenus animas ad perditionem perducat; in quibus etiam veram fidem sanctae Trinitatis abnegat, cum unum Deum in tribus personis et tres personas in uno Deo esse non credit. Quod autem sub eis duo brachia hominis apparent, quorum manus super eamdem testitudinem extenduntur, hoc est quod sub prospectione perditionis nullus respectus fortitudinis [2]) ad Deum, sed ad Diabolum est, ubi homo per infidelitatem se ad malum semper erigit, ita quod maledicta opera sua super mortiferam securitatem extendit, cum spem suam non ad Deum, sed ad vacuam vanitatem dirigit. Et eadem brachia tenebris quasi manicis velantur, et manus eorum nudae, sed tamen igneae sunt; quia fortitudo et perversitas perditionis in obscuritate ac in absconso latrocinantium morum est, cum animas sequentium se latenter occidit, ubi etiam opera perversorum hominum nuda absque omni sanctitate sunt; sed tamen ardentia in igne amaritudinis, sine omni spe salutis; nam haec perditio nihil aliud quaerit, nihil aliud desiderat, quam animas illuc perducere, ubi et ipsa est, ut etiam in loquela sua ostendit, ut praemonstratum est. Sed salvatio animarum ipsam redarguit, et ne homines illam imitentur, admonet [3]), quoniam perditio salvationem, quasi nihilum sit, habet. Ipsa autem perditio in perditione est, nec ullum remedium salvationis in salvatione habet, quia contra Deum est, quoniam illi adhaerere voluit, qui nullam lucem habet, sed qui in tenebris manet; ut Jeremias propheta Spiritu Sancto admonitus dicit.

[1]) *frendat* W. — [2]) *formidinis* A. — [3]) *monent* W.

LI.

Jeremias ad eamdem rem.

60. *Quid est, Israel, quod in terra inimicorum es? Inveterasti in terra aliena, coinquinatus es cum mortuis, deputatus es cum his qui in inferno sunt; dereliquisti fontem sapientiae. Nam si in via Dei ambulasses, habitasses utique in pace super terram* [1]). Cujus sensus talis est. Unde hoc malum, quod tu qui ostensio miraculorum Dei es, et qui coelum cum omnibus luminaribus suis diceris, ubi Deum videre debueras; quod in parte illa qua mens tua terra est, habitatio omnium inimicorum tuorum esse conspiceris? Nam mala desideria in carne tua pullulant, quae animae inimica sunt. Terra enim tua in prima viriditate ludere incipit, et postea lasciviam init, ac deinde in profundum maris vadit; quae squalida ac tepida et turpissima opera sunt, cum quibus inveterata est mens tua in terra aliena, ita quod in peccatis es, quae sanctitati contraria sunt. Deum quoque non cognoscis, in qua dormitione foedatus es cum mortuis operibus, quae per incredulitatem Deo et omnibus sanctis ejus foetent. Quapropter etiam deputatus es in interitum cum illis qui in infernalibus tormentis habitant, qui diem fidei non videbant, nec solem misericordiae inspiciebant, et qui lunam sanctitatis cum omnibus sideribus virtutum reliquerunt; quoniam lucem omnis gratiae Dei repudiabant. Et sic dereliquisti fontem sapientiae, scilicet infinitam vitam quae in Deo est, quam nullus hominum sciendo vel cognoscendo vel videndo exhaurire poterit. Nam si in via praeceptorum Dei ambulasses, ita quod vestigia Christi imitatus fuisses, beatitudo tibi luceret, et honor Domini Sabaoth ad vitam te duceret, et sic habitares in comprehensione pacificae caritatis; ita quod Deus in terra coram hominibus et in coelo coram angelis ejus te manifestaret, et te lucem claritatis in rumore sanctissimorum operum ostenderet, et te velut dulcem sonum citharae produceret. Sed quia haec omnia neglexisti, in casu magnarum ruinarum es. Tu autem, o Israel, qui in sanctis operibus Deum videre desideras, perditos filios Iacob, qui Diabolum negligere debuerunt, quod non fecerunt, ne imiteris; sed opera illa perfice quae Deus Adae in paradiso proposuit, quae etiam postea in Abel decoravit, et quae in circumcisione Abrahae in ostensione verae Trinitatis manifestavit, et quae in Moyse in rubicunda flamma ostendit, et quae deinde in filiis Israel scelerata opera conterens aperuit. Et scalam virtutum quae Iacob ostensa est, ascende, Christum Filium Dei praeclaras virtutes afferentem imitans, qui omnibus se quaerentibus misericordiam impendit; quemadmodum etiam in semetipso declaravit, cum in mundo fuit, ut sibi placuit. Nam ipse ut unicornis in sinu Virginis [2]) requievit, et postea velut capricornus montem virtutum et miraculorum ascendit, per quae Diabolum omnino superavit, et potestatem ejus comminuit.

[1]) Baruch III, 11. — [2]) Cf. supra lib. I n. 7 p. 9 not. 3 *de capricornio.*

LII.

De Leone, forma zeli Dei.

61. Quod autem vides, quod coram praedicto viro leo stat, qui se contra vitia ista vertit, hoc est quod in majestate Divinitatis, humanitas Salvatoris est; qui Deus et homo existens, fortissima vi zeli sui diabolicis vitiis repugnat; ita quod magnum rugitum cum vento emittens, clamat, quod ea in igne Spiritus Sancti exspoliet, ac sic ad finem perducat, quia contra eum pugnare contendunt. Nam ipse altam vociferationem cum sufflatu Spiritus Sancti emisit, ubi eodem Spiritu Sancto discipulos suos imbuit, cum eos praedicare et testificari novam sanctificationem jussit, quatenus hoc modo antiquo Serpenti perditas [1]) animas auferrent, ac pessimas suggestiones contererent, cum quibus veritati ac saluti hominum semper rebellare nititur. Quamvis enim Diabolus perversis machinationibus suis, Christo Filio Dei in electis ejus resistere tentet, Christus tamen ut leo fortissimus, omnes artus [2]) et conatus ipsius ac vitia ipsi adhaerentia ad nihilum ducit, et omnino conterit.

LIII.

Zelus Dei homines affligit, qui voluntatem ejus negligunt.

62. Et sicut Diabolum ac vitia quae cum illo sunt, divina potestate domat et prosternit, ac prostrata conterit: ita etiam multoties homines qui se ipsi opponunt, et qui beatas et justas admonitiones non suscipiunt, corporali flagello per zelum suum castigat et dispergit, ac plurimis calamitatibus corporaliter affligit. Quemadmodum enim fortitudo leonis caetera animalia devorat, sic etiam fortitudo et zelus Dei viscera Diaboli conterit; ac primum mendacium, cum quo idem Diabolus in semetipso casum sibimetipsi aedificavit, idem zelus omnino comminuit, atque inimicos suos occidit, qui intra se dicunt, quod aliud quam natura eorum expostulet, facere non possint, [3]) et qui ad unaquaeque, quae ipsis placita sunt, assidue aspiciunt, et qui vitiis Diaboli se involvunt, voluntatem Dei negligentes, et opera Dei, quasi Deus non sit, repudiantes. Unde zelo Dei disperguntur et conteruntur, quemadmodum et illi dissipati sunt, de quibus Jeremias propheta loquitur dicens:

LIIII.

Jeremias ad eamdem rem.

63. *Manus mulierum misericordium coxerunt filios suos, facti sunt cibus earum in contritione filiae populi mei. Complevit Dominus furorem suum, effudit iram indignationis suae. Et succendit ignem in Sion, et devoravit fundamenta ejus* [4]) Cujus

[1]) *praeditas* A. — [2]) f. *actus* — [3]) *possunt* A. — [4]) Thren. IV, 10.

sensus talis est. Fragilia opera mulierum, quae fortem medullam virorum non habent, sed quae in miseria cordium suorum ad opera illa declinant, quae in igne Spiritus Sancti cocta non sunt, coxerunt filios propriae voluntatis suae; ubi ardent in carnali delectatione, unde etiam in animabus suis pereunt, cum peccata aestuantis carnis ad unumquodque peccatum trahunt. Et sic voluntates earum, scilicet eorumdem hominum, fiunt cibus ipsorum, cum omnia quae desiderant, perficiunt. Et hoc in contritione et in interitu animarum illorum faciunt, qui populo Dei in sanctis operibus annumerari debuerant. [1]) Unde in omni perfectione bonarum virtutum, et in omni sanctitate honestatis deficientes, dicunt: « Quid est hoc quod nunquam vidimus? Plurima audimus quae non intelligimus, et quae nec vera esse scimus. » Quae cum pertinaciter dixerint, gaudium vitae cum omni sanctitate in eis deficit, ac omnes virtutes cum quibus ornati esse debebant, in eis extinguuntur. Tunc complet Dominator cunctorum in eis vindictam suam, ubi omnem zelum suum super eos excitat, ita quod non parcendo, sed quasi per inundationem effundendo flagellum suum, iniquitates eorum exulcerat, cum eas dedignando ad nihilum deducit. Et sic etiam accendit zelum suum in ascensu illo, in quo Deum aspicere [2]) debebant, quod non faciebant, sed in quo ad superbiam anhelabant; ubi in hujusmodi montem se ascendisse putant, in quo nullus eos superare valeat. Tunc et eruit fundamenta ejusdem superbiae, quia illam omnino destruit, et radices ejus eradicat, ne denuo exsurgant, ita quod nec in initio, nec in fine illius ulla salus invenietur, quoniam iter illorum qui eam sequuntur, peribit; quia Deum qui ipsos creavit, et a Diabolo liberavit, in fide non habent. [3])

LV.

Homines qui proximos in angustia ponunt, Deus misere deponit.

64. Sed etiam Deus quibusdam hominibus, occulto judicio suo, ultionem suam corporaliter immittit, ut qui corporaliter peccaverunt, corporaliter puniantur; quod tamen cur fiat, ipse solus novit, qui secreta sua non omnibus manifestat. Nam cum quidam homines proximos suos in angustiam ponunt, et cum substantiam eorum auferunt, ac cum eos per tyrannidem in servitute sibi subjiciunt: saepe evenit, quod vindicta Dei illos ita percutit, quod et ipsi et filii eorum ab omni felicitate saeculi deficiunt, et quod deinde cibum contritionis et non exultationis comedunt. Et quoniam malitia in omni perversitate in eis completa est, complet etiam Deus, recto judicio et recta examinatione, judicia sua in ipsis, ac etiam consumit igne fiduciam eorum, et evertit fortitudinem ipsorum: ubi munimenta illa concutit et destruit, in quibus magis quam in Deum confidunt. Et Deus haec omnia faciens juste cuncta dijudicat, et unicuique judicia sua secundum opera ipsius imponit. Deus enim omnia scit, et scientia illius nulli perditionem facit, alioquin justus judex non esset. Sed Diabolus quod videt, et quod scit, quantum in se potest, perdere tentat. Deus autem semper et semper fuit, et ideo omnia absconsa novit; Diabolus vero qui initium habet, omnia quae facta erant vidit, sed corda interius

[1]) *debuerunt* A. — [2]) *inspicere* A. — [3]) *habeant* A.

non aspexit. Et Deus omnia comprehendit, quoniam omnia operatus est, et quod ei placitum erat, fecit.

LVI

Deus nullum hominem creavit, in quo scientia boni et mali non fuerit.

65. Num ullus homo in mundo fuit, in quo scientia boni et mali non fuerit? Non. De scientia enim boni et mali homo amorem et timorem ad Deum habet, quatenus in illis aratrum apprehendat, et agrum suum fructus gignere faciat, et ut inutiles herbas devitet, ac ut eas eradicet, nec in hoc labore taedium habeat; quod magnum testimonium et magna res est, quia coelum et terra hoc evertere non possunt, quoniam coelum et terra ad aliud non tendunt,[1]) quam ad id ad quod posita sunt. Qui autem vitae desiderium habet, in illo haec verba percipiat, ac ea in interius cubiculum cordis sui recondat.

66. Et ecce praefatae multitudinis alios malignos vidi spiritus, qui multo clamore vociferabantur dicentes: « Quare Lucifer servus subjectionis esset, cum eum » Dominum esse deceat? » Isti enim hominibus voracitatem proponunt, ac eos ad ventris ingluviem suasionibus suis ducunt.

LVII.

De ingluviei poena.

67. Et magnum ignem fortiter ardentem vidi, qui etiam quamdam nigredinem in se habebat, in qua valde ardebat. In igne autem isto et in nigredine ejus, animae quae ventris ingluviem in corporibus suis dilexerant, puniebantur. Sed et quidam de praedictis spiritibus quasdam scintillas ab eodem igne excusserunt, per quas easdem animas affligebant, dicentes: « Wach! istae corpora plusquam ani» mas suas dilexerunt. » Nam propter magnum appetitum ciborum et potuum, cui corpora sua insudaverant, dum in eisdem corporibus suis fuissent, ardorem ignis hujus sentiebant; et propter plurima mala quae per eamdem voracitatem perpetraverant, nigredinem hujus[2]) sustinebant; ac quoniam haec omnia per vanam superfluitatem fecerant, scintillas ejusdem ignis et visum eorumdem spirituum passae sunt. Et per viventem Spiritum vidi et intellexi haec.

LVIII.

De gulae poenitentia.

68. Et iterum de praedicta vivente luce audivi vocem mihi dicentem: Haec quae vides, vera sunt, homines autem ventris ingluviem amantes, si has infestationes daemonum et has miserias poenarum evadere voluerint, abstinentiam ciborum et

[1]) *tendit* A. — [2]) *ipsius* A.

potuum juxta qualitatem et superfluitatem inconsiderationis suae, ac juxta permissionem praeceptoris sui aggrediantur.

LVIIII.

Quorum Deus venter.

69. Qui enim ventris ingluviem diligunt, multoties contra Deum clamant, et eum ad injuriam provocare contendunt, dicentes: « Cur Deus ad gloriam nos constituit, » cum eam nobis abstrahat, quasi eam habere non debeamus? Num illud non fa» ciemus quod nos delectat? » De his dicendum est, quod venter eorum Deus eorum sit, quia omnem intentionem et sollicitudinem ac desideria sua ad impletionem ventris sui convertunt, et quoniam secundum voluntatem eorum consilia ipsorum sunt, quia omnia opera sua ingluviei ventris sui opponunt.

LX.

Verba Moysis.

70. Unde etiam de isto scriptum est: *Ubi sunt Dii eorum in quibus habebant fiduciam, de quorum victimis comedebant adipes, et bibebant vinum libaminum?* [1]) Quod etiam sic intelligendum est. Ubi est gloria eorum, in quibus voratores spem suam posuerant, cum diversis epulis se superflue ingurgitabant, quod et illis placere sciebant? Nam gloria illorum alia non est quam tormenta et conditio infelicitatis in perditis hominibus, cum eos seductionibus suis capiunt, et in confusionem ducunt. Et haec fiducia eorum est, cibus scilicet immoderate sumptus, per quem fiduciam deceptionis habent. Unde ut ineptis epulis insistant, [2]) hominibus consilientur, quoniam sicut ignis de folle accenditur, sic omnia mala de ventris ingluvie oriuntur. Et quae fiducia aut quae [3]) victoria in illis habenda est qui occidunt, et qui quod occidunt, totum perdunt? Diabolus enim scit quod homo cibis [4]) non potest carere, et quod praecepta Dei debet conservare; et ideo primum ei suadet, ut praecepta Dei in cibis et potibus praevaricetur, quatenus postea tanto facilius decipiatur; quoniam quod ipse quasi in opinione habet, hoc hominem in operibus perficere persuadet. Maligni namque spiritus secundum nequitias suas ad infernalia tormenta deputati sunt, nec aliam laetitiam quam in deceptione hominum habent, quamdiu homo bonum et malum operari potest, quoniam ipsi postea nullam laetitiam, sed plenum supplicium poenarum habebunt. Nam isti per idola quaerebant ut homines victimas et adipes ac vinum propter ineptas epulas convivantium offerrent, quia quod Deus in veteri Testamente comburi jussit, hoc isti ad convivia dant, quoniam Deus tam in escis quam in peccatis abstinentiam hominibus indicit, quod Diabolus omnino contradicit. Abstinentia enim ciborum luxuriam non facit, sed ventris ingluvies eam perficit. Quapropter homo qui Deo servire vult, voracitatem fugiat, et ventrem suum ab illa refraenet. Haec autem de poenitentia

[1]) Deuter. XXXII, 37. mox *gloria illorum.* W. — [2]) *insistent* A, W. — [3]) *et quae* A. — [4]) *cibi* W.

animabus purgandis et salvandis dicta sunt, et fidelia sunt; et fidelis his attendat, et ea in memoria bonae scientiae componat.

71. Deinde ejusdem multitudinis alios spiritus vidi, quos etiam sic vociferantes audivi: « Quid est hoc quod ille qui dicitur Deus, facit? Et quid ad rem quod Lucifer honorem desideravit? » Et his hominibus acerbitatem incutiunt, et ut se amaros ad praecepta Dei et ad homines ostendant, persuadent.

LXI.

De poenis eorum qui in acerbitate peccaverunt.

72. Et maximum ignem nigri et rubicundi ac albi coloris vidi, in quo multi horroris igneae viperae fuerunt, quae plurimum ignem ex ore suo emiserunt. Et animae quae, dum in corporibus suis fuissent, vitio acerbitatis servierant, in igne isto urebantur, et ab eisdem viperis torquebantur. Propter infidelitatem enim quam in se absconderant, flammam nigram sustinebant; et propter acerbitatem quae in cordibus suis erat, flammam rubicundam passae sunt; et propter dolum et risum, quod in his habuerant, flamma alba puniebantur. Sed et quia in verbis et in operibus suis contrarietatem amaritudinis contra divinam jussionem et contra humanam affectionem erexerant, a viperis illis affligebantur. Et vidi et intellexi haec. Et de praefata vivente luce vocem iterum mihi dicentem audivi: Haec quae vides, vera sunt. [1])

LXII.

De poenitentia eorumdem.

73. Quapropter homines qui per acerbitatem Deo et hominibus repugnant, si adversantibus et praedictorum spirituum et praedictarum poenarum subesse noluerant, jejuniis ac orationibus secundum qualitatem excessus sui, et secundum praeceptum judicis se dijudicantis, [2]) inserviant, quoniam in magna acerbitate Deum contempserunt.

LXIII.

De acerbitatis peccato.

74. Acerbitas enim Deum renuit, pietatem ejus non diligit, misericordiam ejus non quaerit, judicia ejus non amat; sed malis verbis contra illa frendet, et securitatem in omnibus sibi eligit; nec per timorem, nec per amorem Dei praevidet quid factura sit. Nam quod vult facit, quod autem non vult, in malitia sua corrodit, quoniam acerbus et amarus homo sapientiam fugit, beatitudinem relinquit,

[1]) Addiderat A: *et ut ea vides, ita sunt,* sed quae postea expuncta sunt, nec leguntur in W.

[2]) *dimicantis* A.

charitatem affligit, cum opera ejus odit, et cum veritatem ad mendacium ponit. Idem etiam homo in amaritudinem illam se involvit, quod vitam operibus mortis vendit, et quod poculum mortis bibit, et quod in dolo sciscitationis inquirit, quomodo unamquamque rem apprehendat, et quomodo eam secundum voluntatem suam et dividat et reprobet. Hunc quoque hominem interdum occidit, cujus defensorem se esse repromittit. Unde non seminat, quod in fide et utilitate metat; nec in horrea congregat, quod Deus filiis suis dispensat; sed operibus in quibus nequiter laborat, sibi dirum gemitum accumulat; nec gaudium vitae desiderat, sed in amplexione sua laborem doloris habet, in quo Deum non invocat. Haec autem de poenitentium animabus purgandis et salvandis dicta sunt, et fidelia sunt, et fidelis his attendat, et ea in memoriam bonae scientiae componat.

75. Et vidi alios praefatae multitudinis spiritus, qui vociferabantur dicentes: « Lucifer majora et plura miracula in se habet quam in Deo sint. Quis Lucifer sit, » scimus, alium autem Deum nolumus. » Isti homines ad impietatem exhortantur, quam magno sui detrimento, qui eam diligunt, imitantur.

LXIIII.

De poena impiorum.

76. Et magnum ignem vidi, igneo et fervente plumbo, sulphure quoque intermixto totum inundantem, ac omne genus vermium igneorum in se habentem. Animae autem quae in corporibus suis impietatem imitatae sunt, poenis istis affligebantur, ita quod ob nequitiam ejusdem impietatis, ardorem ignis hujus habebant, et quod ob importabilem ponderositatem ipsius fervens plumbum patiebantur; et quod ob indignationem qua caeteros contempserant, sulphure puniebantur; et quod ob furorem quem [1]) in eadem impietate ostenderant, cum homines cognoscere noluerant, horrore eorumdem vermium torquebantur. Et per viventem Spiritum vidi, et intellexi haec. Et iterum de praedicta vivente luce audivi vocem mihi dicentem: Haec vera sunt.

LXV.

De poenitentia impiorum.

77. Sed homines qui opera impietatis in se sumunt, si suggestiones spirituum horum et pericula poenarum illarum [2]) evadere studuerint, jejuniis et afflictionibus corporum suorum, juxta id quod juste a rectoribus suis ipsis demonstratur, insistant, quoniam plurima opera impie gesserunt.

[1]) *furorem quae* A, *quam* W. — [2]) *poenarum istorum* sic W.

LXVI.

De malo impietatis.

78. Impietas enim timorem Dei non vult et charitatem Dei nescit, nec aliquid in divina virtute operatur, sed in omnibus operibus suis ad Aquilonem respicit, ac omnia opera sua in malam scientiam dispergit, et maledictiones cum nutibus oculorum in malignitate profert. Unde de imitatoribus ejus per prophetam, Spiritu meo inspiratum, dicitur:

LXVII.

David ad eamdem rem.

79. *Fiat habitatio eorum deserta, et in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet* [1]). Quod etiam sic intelligendum est. Impiorum, qui bona non colligunt, sed dispergunt, fiat voluntas, quam pro secura habitatione habent, in destructionem, ita quod omnino dissipetur, quia magistrum et sibi superiorem nolunt, et quia etiam sibi consimilem non patiuntur; sed quae capiunt, sibi adtrahunt, et quae nolunt, conculcant, ita quod etiam in spiritali gaudio non psallunt; et quod charitatem derident, et quod bonitatem abnegant, et quod [2]) benedictionem fugiunt, et maledictioni se conjungunt. Unde in tabernaculis malarum consuetudinum istarum non sit qui habitet, quoniam ab eis declinabit, qui superna tabernacula habere desiderat; ab impiis enim beatitudo aliena est, quia ipsi oculo scientiae bona gerere non quaerunt, sed per opera sua ad Diabolum respiciunt, et Deum contemnunt. Et ideo opera quae operantur, et fundamenta quae ponunt, Deus nescit, sed ea ut stercora abjicit. [3]) Nam in cogitationibus suis illud constituunt, quod Legem Dei destituant, et quod propriam voluntatem suam in omnibus perficiant. Quapropter lux veritatis in necessitatibus eorum ipsis abstrahatur, [4]) quoniam eam non quaesierunt, nec voluerunt, sed in umbra mortis per opera sua ambulabant; [5]) ac idcirco recipient quod quaerebant, et habebunt quod desiderabant, quia in casum quae sequebantur, [6]) ibant, ubi Deum dereliquerunt. Qui autem Deum diligunt, pietatem sibi attrahunt, in qua Deo pleniter adhaerebunt. Haec autem de poenitentium animabus purgandis et salvandis dicta sunt, et fidelia sunt, et fidelis his attendat, et ea in memoriam bonae scientiae componat.

80. Alios quoque ejusdem multitudinis spiritus vidi, qui omnes magno clamore vociferabantur dicentes: « Sedem Domini nostri, qui Lucifer est, supra sidera vi» debimus, et altiorem omnibus, quia quidquid voluerit, fiet. Et quis ei similis » erit? » Isti namque contra thronum Dei et contra honorem ejus blasphemias emittunt, et oculus superbiae sunt; et ut homines mendaciis et blasphemiis insistant, exhortantur.

[1]) Ps. LXVIII, 26. — [2]) *quod* om. W in 2. et 3. loco. — [3]) *stercore* W, *adjicit* A. — [4]) *subtrahetur* A. — [5]) *ambulant* A. — [6]) aliquid deest aut latet.

LXVIII.

De poena hominum mendacium.

81. Et vidi ignem totum in nigredine ardentem, in quo dracones jacebant, qui flatibus suis eumdem ignem afflabant. Et juxta ignem istum fluvius frigidissimae aquae fluebat; quem iidem dracones interdum intrantes totum commovebant. Sed et idem ignis et idem fluvius supra se igneum aerem habebant, qui eumdem ignem et fluvium ardore suo tangebant. [1]) Animae autem illorum qui in saeculo vitium fallaciae absque juramento et perjurio in se collegerant, in igne et in aqua ista torquebantur; ita quod de ardore ignis in frigus ejusdem aquae, et de eadem aqua in eumdem ignem transibant, in quibus etiam praedicti dracones eas affligebant; sed igneus aer iste eas non laedebat, sed tantum illas cum praefatis tormentis, quae juramento et perjurio in corporibus suis fallaciae institerant. Nam quoniam multa mendacia in corporibus suis protulerant, ignem istum patiebantur; et quoniam studium ad profunditatem eorum habuerant, frigore aquae hujus torquebantur; et quia hac et illac ea accumulaverant, a draconibus istis puniebantur; et quia juramento et perjurio plurima mendacia protulerant, eodem igneo aere superius urebantur. Et vidi et intellexi haec. Et iterum de praedicta vivente luce vocem audivi dicentem ad me: Haec quae vides vera sunt, et ut ea vides ita sunt, et plura sunt.

LXVIIII.

De poenitentia hominum mendacium.

82. Unde homines qui fallaciae insudant, si praefatos malignos spiritus et cruciatus vitii hujus abhorruerint, jejuniis et flagellis ac cilicio per longa tempora secundum judicium judicis sui se affligant. Qui autem mendacia juramentorum et perjuriorum abolere voluerint, acriores castigationes, jejuniorum et verberum et asperitatem indumentorum per longa tempora sibi imponant.

LXX.

De mendacio.

83. Nam fallacia veritati non congaudet, sed quod non est, nec esse potest, exagerat, et hoc cum exaltatione et cum injusta laetitia facit. Nulli enim veritatem confitetur, sed in mendacio aliena loquitur, quae nullus videre potest, et hoc etiam contra Deum et contra sanctos ejus, in quibus Deus multa miracula operatur, facere studet. Istud namque vitium inhumanum est; quod enim homo in carnalibus desideriis peccat, humanum est; quod vero mendacium sequitur, extra hominem

[1]) *tangebat* W.

est. Nam mendaces ita mendaciis se involvunt, quemadmodum coluber in cavernaculam suam se abscondit. Quapropter a beatitudine et a laeta vita, quae in portis filiae Sion est, incurvantur, quia etiam opera Diaboli sequentes, doctrinam Spiritus Sancti recusant. Mendaces enim, per exaltationem mendacii, velut colles mundi se faciunt, et ita cum sapientibus et divitibus saeculi regnant, sed tamen ad nihilum deputabuntur. Deus namque in omnibus et super omnia est, et omnia justa et injusta aequo judicio ponderat, et unicuique secundum mensuram et qualitatem facti sui meritum suum recompensat. Haec autem de poenitentium animabus purgandis et salvandis dicta sunt, et fidelia sunt; et fidelis his attendat, et ea in memoriam bonae scientiae componat.

84. Et vidi praefatae multitudinis alios spiritus, qui magna voce contra exercitum Dei vociferabantur dicentes: « Qui estis, et unde venitis, quoniam non vultis » quod ullus vobis assimiletur? Omni tempore fatigabimus vos, et claritatem ve» stram vobis abstrahemus, et ita claritas nostra multo major claritate vestra » erit. » Et his hominibus contentionem demonstrant, et ut contentiosi sint, exhortantur.

LXXI.

De poena contentionis.

85. Et puteum magnae profunditatis vidi, in quo nigerrima et ignea nebula erat, et circa quem validus et igneus ventus flabat. In nebula quoque hac et in vento isto vermes horribilis formae fuerunt. Sed animae quae in corporibus suis contentionem operibus perfecerant, eisdem corporibus exutae in ignibus istis cruciabantur, ita quod de vento hoc in puteum illum cadebant, et quod de eodem puteo in ventum hunc ascendebant, et quod afflictiones eorumdem vermium sustinebant. Illae autem quae sive operibus contentioni institerant, poenas istas absque poenis putei hujus habebant, quoniam in eum non cadebant. Nam animae quae dum in corporibus suis fuissent, contentiose vixerant, et aliis plurimas gravedines per hoc intulerant, in hac nigra et ignea nebula torquebantur. Et quia eamdem contentionem diris operibus compleverant, in puteo isto pessimum ignem patiebantur. Sed et propter impietatem suam qua cum aliis contenderant, in hoc igneo vento urebantur. Et propter confusionem, qua alios malis operibus litigando confuderant, in eumdem puteum cadebant. Et quoniam cum illos contumeliis affecissent, iterum ad impietatem redierant, idcirco et nunc de cruciatibus putei ad cruciatus ejusdem venti revertebantur. Et quia etiam audaces in contentione fuerant, vermes praedictorum ignium passae sunt. Sed qui verbis et non operibus contenderant, quoniam contentionem operibus non perfecerant, poenas putei istius non habebant, quamvis caeteras afflictiones contentionis sentirent. Et per viventem spiritum vidi et intellexi haec. Et iterum de praefata vivente luce audivi vocem mihi dicentem: Haec quae vides, vera sunt.

LXXII.

De poenitentia contendentium.

86. Quapropter homines qui malignos spiritus, contentionem sibi persuadentes, de se expellere studuerint, et tormenta ejusdem contentionis, quam operibus perpetraverunt, effugere optaverint, carnes suas jejuniis macerent, et a pinguibus escis se abstineant, atque verberibus se castigent. Qui autem sine operibus, verbis tantum contendere solebant, abstinentiam ciborum et potuum solummodo sibi imponant.

LXXIII.

De malo contentionis.

87. Contentio enim inquietum malum est, nec concordiam amat, sed patientiam fugit, et injuriam non suffert, sed litigiosos homines quaerit, et eos ad lites exhortatur, nec ipsos pacifice loqui permittit, quia ad loquendum procax et prompta est, ac unumquemque contentiosis verbis invadit. Nam homines qui lites diligunt, Diabolum imitantur, qui pulchritudinem bonorum angelorum obfuscare voluit, et se illis pulchriorem ostendere. Unde Deus illum et sequentes eum in infinitam confusionem projecit, ubi sempiterna opprobria habebunt, quemadmodum per me inspiratus David ostendit, dicens:

LXXIIII.

David ad eamdem rem.

88. *Induantur, qui detrahunt mihi, pudore, et operiantur sicut diploide confusione sua.* [1]) Quod etiam sic intelligendum est. Contritione perpetua maligni spiritus induantur, qui mordaci detractione coelestia dona corrodunt, indumenta pudoris accipientes, quoniam opinio eorum evanuit; quia quod facere volebant, perficere non potuerunt. Nam claritas eorum in nigredine versa est, ubi quod posse fieri existimabant, annihilatum est. Sic etiam operimentum duplicis confusionis habeant, quoniam beatitudinem perdiderunt, et infelicitatem induerunt, ac de gloria expulsi sunt, et poenas acceperunt. Isti etiam spiritus hominibus proponunt, ut quaeque bene et honeste constituta dilanient, et ut sibi similes ad lites provocent, et ut praelatis suis injurias inferant, et ut eis cum verbis per contumacem proterviam praelatis dicant, velut scriptum est: *Quis te constituit principem et judicem super nos?* [2]) Quod etiam sic intelligendum est.

[1]) Ps. CVIII, 29. — [2]) Exod. II, 14.

LXXV.

Item in Genesi [1]) *ad eamdem rem.*

89. Quis auctor, aut quae potestas te, qui similis nostri es, ad hoc constituit quod nostri domineris, velut homines non simus? et quod dijudices opera nostra, quasi Deus sis? aut quae virtus tibi hoc dominium dedit, quod nos sicut rotam circuire facis? Vos namque qui nobis praeesse vultis, et qui vos magistros nostros esse dicitis, nos curvos et tardos nominatis; et ne contendamus jubetis, ac alia multa nobis imponitis, quae vos portare recusatis; ac etiam a plurimis nos declinare praecipitis, quae vos tam latenter quam aperte facitis. Hujusmodi enim contentio legem et magistros de se expellit, ac judicia legis non recte, sed secundum voluntatem et potestatem ponentium esse constituta dicit. Sed qui animas suas salvare volunt, contentionibus istis non insistant, sed verbis et factis pacifice incedant, ac bonam voluntatem ad opera justitiae habeant. Haec autem de poenitentium animabus purgandis et salvandis dicta sunt, et fidelia sunt; et fidelis his attendat, et ea in memoriam bonae scientiae componat.

90. Sed alios praedictae multitudinis spiritus vidi, qui omnes clamant dicencentes: « Nos alium Deum nolumus, praeter illum, qui Lucifer est. Ipse enim con- » tra illum qui se Deum esse dicit, quandoque pugnabit. » Isti plurimas infelicitates hominibus proponunt, et quod se in infelicitate natos existiment, eis persuadent.

LXXVI.

De poenis desperantium.

91. Et vidi fossam multae latitudinis et profunditatis, in qua sulphureus ignis et diversi vermes erant. In hac animae illorum puniebantur, qui dum in saeculo fuissent, in Deum pleniter non confidebant, sed omnem adversitatem quae eis occurerat, infelicitati naturae suae imponebant. Quia enim in Deum non confidebant, in eadem fossa erant. Et quia in diffidentia ista nequiter peccaverant, idem sulphureus ignis eos urebat. Et quia adversitates sibi occurrentes propter infelicitatem naturae suae sibi adesse affirmabant, afflictiones vermium istorum sustinebant.

LXXVII.

Qualiter idem peccatum poenitendo homines deleant.

92. Et vidi et intellexi haec. Et de praedicta vivente luce vocem haec mihi dicentem iterum audivi: [2]) Haec quae vides, vera sunt, et ut ea vides, ita sunt. Homines autem si spiritus, infelicitatem sibi proponentes, desiderant superare, et

[1]) Immo in Exodo, ut supra. — [2]) *iterum* om. A.

poenas praefatae diffidentiae infelicitatis de se abigere, aut solitariam vitam arripiant, aut obedientiae monasterialis conversationis se subjiciant.

LXXVIII.

De peccato eorum qui se in malo creatos existimant.

93. Nam quum quibusdam hominibus quaedam contrarietates adveniunt, Deo diffidunt, et se male et in malo creatos esse aestimant. et dicunt: « Deus nec vult, » nec potest nobis succurrere, quoniam in tam magna infelicitate [1]) nati sumus, » quod adjuvari non possumus. » Sed qui haec intra se dicunt, ad se redeant, et in misericordiam Dei spem suam ponant, ac per alta suspiria clament se peccasse, quatenus gratiam Dei adipisci mereantur. Natura enim hominis bona est, sed homo eam in contrarietatem evertit, cum carnem suam infrenem ire permittit, quocumque sibi placuerit. Haec autem de poenitentium animabus purgandis et salvandis dicta sunt, et fidelia sunt; et fidelis his attendat, et ea in memoriam bonae scientiae componat.

94. Deinde alios ejusdem multitudinis vidi spiritus, qui contra bonos et justos angelos Dei vociferabantur, dicentes: [2]) « Si vos Domino vestro gloriam et honorem impenditis, et nos pari modo domino nostro! » Et hi hominibus immoderationem demonstrant, et ut omnibus modis immoderati sint, eos exhortantur.

LXXVIIII.

De poena immoderatorum.

95. Et mirae longitudinis et latitudinis quoddam mare vidi, quod totum sulphure permixtum, fortissimo igne fervebat. In isto animae illorum torquebantur, qui dum in corporibus suis essent, in verbis et factis suis ac in omnibus motibus corporis sui ac cogitationum suarum immoderationem habuerant; et qui ea quae inconvenienter faciebant, moderari noluerant. Nam propter peccata, in quibus sorduerant, aquis ejusdem maris immersae erant, et propter oblivionem, qua Deum scire noluerant, sulphure illo afficiebantur, et propter neglectum legis Dei eodem igne puniebantur. Et vidi et intellexi haec.

LXXX.

De poenitentia immoderatorum.

96. Et iterum de praefata vivente luce audivi vocem mihi dicentem: Haec quae vides, vera sunt. Sed homines in omnibus quae faciunt, immoderationem habentes, si malignos spiritus per idem vitium eis insistentes et poenas ejus effugere desideraverint, jugum obedientiae sibi imponant, et a pinguibus cibis se abstineant.

[1]) *in tam magnam infelicitatem* A. [2]) *clamantes: si Domino vestro* W.

LXXXI.

De immoderatione.

97. Immoderatio enim nec in coelo, nec in terra, plenam habitationem habet, quoniam quaelibet via sibi incerta est. [1]) Nam in nimietate ubique esse vult, et dicit: « Capta essem, si unaquaeque non perscrutarer. » Sed et quietem neque desiderat, neque vult, et ob hoc etiam ut rota quae percutitur, circumvolvitur; et sicut pulvis qui per terrorem venti spargitur, sic et ipsa dissipatur, quia nimietatem sibi accumulat. Quapropter et vae est habitantibus in terra, quam Deus super aquas firmavit; et vae est pergentibus in mari, quo Deus terram circumcinxit, quia Diabolus in his multas immoderationes hominibus immittit, [2]) quatenus eos in confusionem ejusdem casus ducat, per quem ipse cecidit. Ipse namque homini inimicatur, quoniam ut ei resistat, et ut coelestia possideat, a Deo homo factus est. Haec autem de poenitentium animabus purgandis dicta sunt; et fidelia sunt, et fidelis his attendat, et ea in memoriam bonae scientiae componat.

98. Alios quoque praedictae multitudinis vidi, qui magnis clamoribus clamabant vociferantes: « Quis est Deus? Et qui sumus nos? » Isti Deum, quasi Deus non sit, pro contemptu habent, et hominibus ne in Deum confidant, sed ut eum omnibus modis spernant, persuadent, quatenus eos secum in perditionem ducant.

LXXXII.

De poenis eorum qui in Deum non confidunt.

99. Huic autem perditioni puteum inferni cum Diabolo praeparatum vidi. Qui enim in Deum non confidunt, ut poenas infernales habeant, digni sunt. Et per viventem Spiritum vidi et intellexi haec, et de praedicta vivente luce vocem iterum mihi dicentem audivi: Haec quae vides, vera sunt, et ut ea vides, ita sunt.

LXXXIII.

De eorumdem poenitentia.

100. Quapropter homines, si malignos spiritus, qui eos ad opera illa exhortantur, quae ad perditionem respiciunt, de se fugare voluerint, et si perditioni abesse desideraverint, in Deum confidant, et praecepta ipsius juste et sancte, prout potuerint, bona voluntate compleant, ac vigiliis et jejuniis atque eleemosinis insistant, quatenus Diabolo, qui in perditione est, se eripiant. Quicumque enim in Deum non confidit, quid anima sit, nescit, nec Deum per miracula, quae in creaturis operatur, intelligere aut videre quaerit. Deus enim qui in tam magno culmine est, quod homo

[1]) *sibi obdurata est* A. — [2]) *hominibus* om. A.

eum carnaliter videre non potest, in magna claritate operum suorum hominibus fulget, et omnia nccessaria eis tribuit.

LXXXIIII.

Secreta Dei esse oportet.

101. Et quis hoc faceret, nisi Deus? Quid Domino prodesset, quod famulum suum omnia occulta sua scire permitteret? [1]) Aut quid dominae conferret, si ancilla sua omnia secreta ejus sciret? Ubi hoc esset, famuli super dominos suos dominari vellent.

LXXXV.

Homo in puritate fidei Deum intelligat, et Diaboli illusiones rejiciat.

102. Cum enim homo se ipsum et creaturas quas videt, nesciat, quomodo Deum quem non videt, ad finem perducere posset? Sed in puritate fidei Deum intelligat, et videat, et non desperando dicat, quia quis Deus sit, qui ei succurrere possit, nesciat; et quod in tam profunda mala submersus sit, quod in eis vitam et laetum gaudium habere non possit. Nam diabolica turba Deum, non sicut Deum, sed sicut sculptile esse hominibus innuit, et propter nequitiam suam gloriam beatitudinis magis abnegare contendit, quam eam habere desideret. Quod qui salvari vult homo, non faciat, sed in Deum confidat, et diabolicas illusiones de se projiciat; et de peccatis suis, quatenus potuerit, per veram poenitentiam se emundet, quatenus quum anima sua corpus suum exuerit, in illa vita mitius purgari, et citius debitis poenis eripi mereatur. Haec autem de poenitentium animabus purgandis et salvandis dicta sunt, et fidelia sunt; et fidelis his attendat, et ea in memoriam bonae scientiae componat.

FINIT SECUNDA PARS

[1]) *permitterent* W. mox idem *cuncta secreta*.

CAPITULA TERTIAE PARTIS

DE VIRO AD SEPTENTRIONEM ET AD ORIENTEM ASPICIENTE [1]

[1] *incipiunt capitula* etc. A. — [2] *et sicut* W.

[3] *visu* W.

non videbit, quam post finem mundi cum summa beatitudine beatus habebit.

XXXII. *Liber Sapientiae ad eamdem rem.*

XXXIII. *Quod vitia, septem donis Spiritus Sancti resistere tentantia, virtus Dei omnino exsuperat.*

XXXIIII. *Specialiter de superbia et habitu ejus et quid significet.*

XXXV. *Specialiter de invidia et habitu ejus et quid significet.*

XXXVI. *Liber Sapientiae ad eamdem rem.*

XXXVII. *Specialiter de inani gloria et habitu ejus et quid significet.*

XXXVIII. *Specialiter de inobedientia et habitu ejus et quid significet.*

XXXVIIII. *Specialiter de infidelitate et de habitu ejus et quid significet.*

XL. *Paulus ad eamdem rem.*

XLI. *Specialiter de desperatione et habitu ejus et quid significet.*

XLII. *Specialiter de luxuria et habitu ejus et quid significet.*

XLIII. *Paulus ad eamdem rem.*

XLIIII. *Item specialiter de forma zeli Dei et quid significet.*

XLV. *Verba Job de eodem.*

XLVI. *De quibusdam purgatoriis poenis animarum quorumdam hominum qui in superbia peccaverant, et quare eas hoc modo sustineant.*

XLVII. *Quomodo homines poenitendo peccatum superbiae in carne sua puniant.*

XLVIII. *Quod cilicium, flexio genuum, verbera, suspiria et lacrimae superbiam demergunt.* [1])

XLVIIII. *Quod superbia, mater vitiorum existens, in rore benedictionis virtutum non germinat.*

L. *Item de quibusdam purgatoriis poenis animarum hominum illorum qui in invidia deliquerant, et cur easdem sic patiantur.*

LI. *Qualiter homines poenitendo delictum invidiae in semetipsis purgent.*

LII. *Quod invidi bonum in aliis non amantes, Christum opprimere conabantur, propter quod destructi sunt.*

LIII. *Quod invidia, cum odio omnes vires animae hominis commovens, Diabolo assimilatur, qui Deo resistere tentat.*

LIIII. *Item de quibusdam purgatoriis poenis animarum quorumdam hominum, qui inani gloria in saeculo peccaverant, et quare illas sic habeant.*

LV. *Quomodo homines poenitendo peccatum inanis gloriae in corporibus suis puniant.*

LVI. *Quod inanis gloria, voluntatem suam habere volens, omnia quae sancta sunt, in irrisionem ducit.*

LVII. *Item de quibusdam purgatoriis poenis animarum quorumdam hominum, qui per inobedientiam deliquerant, et quare eas tali modo patiantur.*

LVIII. *Qualiter homines poenitendo delictum inobedientiae in semetipsis examinent.*

LVIIII. *Quod inobedientia pessimum malum existens, nec Deum timere, nec hominem honorare vult.*

LX. *Item de quibusdam purgatoriis poenis animarum hominum illorum qui in saeculo per infidelitatem peccaverant, et cur eas sic sustineant.*

LXI. *Quomodo homines poenitendo peccatum quod per infidelitatem sibi contrahunt, in semetipsis deleant.*

LXII. *Quod infidelitas, nec Deo nec hominibus confidens, creaturam Dei contemnit.*

LXIII. *Verba David ad eamdem rem.*

LXIIII. *De quibusdam poenis animarum hominum illorum qui in saeculo vi-*

[1]) *submergunt* W.

ventes de misericordia Dei desperaverant, et cur eas in purgatione sic sustineant.

LXV. *Quomodo tam in laboribus quam in lenitatibus desperationem de se homines abigant.*

LXVI. *Quod desperatio, animam hominis occidens, ab omni bono destruit.*

LXVII. *Item de aliis quibusdam purgatoriis poenis animarum quorumdam hominum qui in luxuria et fornicatione deliquerant, et cur eas sic patiantur.*

LXVIII. *Item de quibusdam aliis purgatoriis poenis, in quibus animae quorumdam hominum puniuntur, qui adulteria perpetraverant, et quare eas hoc modo sustineant.* [1])

LXVIIII. *Item de quibusdam aliis poenis, in quibus animae quorumdam hominum purgantur, qui castitatem suam Deo voverant, et idem votum violaverant, et cur easdem poenas hoc modo habeant.*

LXX. *Item de quibusdam aliis purgatoriis poenis, in quibus animae illorum mundantur, qui humanam naturam in contraria fornicatione everterant, et quare eas sic patiantur.*

LXXI. *Item de quibusdam aliis purgatoriis poenis, in quibus animae quorumdam hominum examinantur, qui se pecoribus in fornicatione commiscuerant, et cur illas ita habeant.*

LXXII. *Quomodo homines, in luxuria et fornicatione peccantes, idem peccatum in corporibus suis poenitendo puniant.*

LXXIII. *Quod fornicatio aspidibus et bestiis similis est, quae caetera animalia occidunt.*

LXXIIII. *Quod masculus et foemina, qui per magicas artes commiscentur, digni non sunt ut postea legaliter conjungantur.*

LXXV. *Qualiter poenitendo se puniant qui in adulterio peccaverint.*

LXXVI. *Quod adulterium, iniquitas magna existens, adulteros in viribus suis debilitat.*

LXXVII. *Quod virgines quae votum castitatis non persolverint, velamina virginitatis deponant, et viduitatis recipiant, et quomodo se ipsas poenitendo affligant.*

LXXVIII. *Quod qui Deo se obtulerit, et post tergum respexerit, pagano assimilatur.*

LXXVIIII. *Quomodo per poenitentiam se affligant, qui in fornicatione humanam naturam destituerint.*

LXXX. *Quod peccatum contrariae fornicationis, humanae naturae facinorosum existens, vis cordis Diaboli est.*

LXXXI. *Qualiter poeniteant qui se pecoribus commiscent.*

LXXXII. *Quod homo qui cum pecoribus per fornicationem peccat, in hoc peccato nequior vermibus est, qui de natura sua non procedunt.*

LXXXIII. *Quod cum homo in luxuria praevaricatur, daemonibus oblationem offert, et sibimetipsi ruinam aedificat, a Deo vindicandus.* [2])

LXXXIV. *David ad eamdem rem.*

[1]) Capitulum LXVIII om. W.

[2]) *a Deo judicandus* W.

FINIUNT CAPITULA TERTIAE PARTIS

INCIPIT TERTIA PARS

DE VIRO AD SEPTENTRIONEM ET AD ORIENTEM ASPICIENTE [1])

1. ET vidi quod praedictus vir ad Septentrionem se vertebat, ita quod et Septentrionem et Orientem aspexit. Et venti et aer ac viriditas mundi, quae sub firmamento coeli sunt, in quibus et idem vir a femoribus usque ad genua sua erat, eidem viro a femoribus suis usque ad genua sua quasi pro vestimento fuerunt, et ignis et lux aeris eisdem vestimentis pro ornatu erant. Sed et de medulla coxarum ejus vires elementorum exsudabant, et iterum in easdem medullas redibant, velut homo halitum suum emittit, et iterum ad se retrahit.

I.

Querela Elementorum.

2. Et audivi vocem magnam ex elementis mundi ad ipsum virum dicentem: « Currere, et iter nostrum perficere non possumus, sicut de praeceptore nostro » posita sumus. Nam homines pravis operibus suis velut molendinum subvertunt » nos. Unde pestilentia et fame omnis justitiae foetemus. »

II.

Responsum Dei.

3. Sed idem vir respondit: « Scopis meis vos purgabo, et homines interdum » cruciabo, usque dum ad me revertantur. In illo etiam tempore multa corda se» cundum cor meum praeparabo. Et quoties polluemini, toties cum cruciatu pol» luentium vos purgabo. Quis poterit me minorem facere? Venti de foetore rami » sunt, et aer sordiditatem evomit, quoniam homines ad rectitudinem os suum

[1]) titulum om. A.

» non aperiunt. Viriditas quoque aruit de iniqua superstitione perversarum turbarum, quae unamquamque causam secundum desideria sua instituunt, et dicunt: » Quis est Dominus ille quem nunquam vidimus? Quibus respondeo: Numquid non » videtis me per diem et per noctem? numquid non videtis me cum seminatis, et » cum semen illud pluvia [1]) perfunditur, ita quod crescit? Omnis creatura ad Creatorem suum tendit, et quod unus eam fecit, perspicue intelligit; homo autem rebellis est, et Creatorem suum in plurimas creaturas dividit. Sed quis fecit volumina in sapientia? In illis quaerite quis creaverit [2]) vos. Quamdiu creatura in » necessariis vestris officia sua exercet, plena gaudia non habebitis [3]). Postquam » autem creatura in ariditate defecerit, electi summum gaudium in vita omnium » gaudiorum videbunt. » Sed et in praefata nebula in qua multimoda genera vitiorum erant, ut praedictum est, etiam septem vitia cum hujusmodi imaginibus vidi.

4. Prima enim imago quasi faciem muliebrem habebat, cujus oculi ignei, et nasus luto aspersus, et os clausum fuit. Brachiis autem et manibus carebat, sed in utroque humero ejus ala similis alae vespertilionis erat, ita quod et dextra ala contra Orientem, sinistra vero ad Occidentem tendebatur. Et pectus virile habebat, cui crura et pedes ut crura et ut pedes locustae inerant, ita quod ventre et dorso carebat. Caput autem et reliquum corpus ejus nec crinibus, nec ullo indumento obtectum vidi, nisi quod tota praefatis tenebris infixa fuit, excepto quod velut tenuissimum filum, quasi aureus circulus, a vertice sub mentum ejus [4]) in superficie utriusque maxillae tendebatur.

III.

Verba Superbiae.

5. Et eadem imago dixit: « Super montes clamo. Et quis est qui mihi assimiletur? Pallium meum super colles et regiones dilato, et nolo ut ullus expugnet me; » nullum mihi similem scio. »

IIII.

Responsum Humilitatis.

6. Et audivi vocem de praefata turbida nube, quae ab Austro ad Occidentem extendebatur, huic imagini respondentem: « Ego columna nubis sum. Et curnam sufferam, si quis horridas injurias mihi incutit [5]), cum Creator de coelo descendit, ut » hominem ad se traheret? In summis cum Creatore habitavi, et cum ipso in terram descendi, et sic in omnibus finibus terrae habito. Unde transitoria verba » mendaciter dicere non possum, scilicet ut dicam hoc, et hoc sum, cum illud non » sim. Quod si hoc dicerem, sol ad tenebras illuminandas non essem. Nam cum » Deo omnes tenebras pertranseo. Unde nulla tempestas me movere poterit, quia

[1]) *pluvia* om. A. — [2]) *creavit* W. — [3]) *habebis* W. — [4]) *ejus* om. W. — [5]) *incurrit* A.

» etiam in plena bonitate cum Deo sum. » Secundam autem imaginem monstruosam formam habentem vidi, cujus caput et scapulae ac brachia homini aliquantum assimilabantur, exceptis manibus, quae ut manus ursi erant; sed pectus et venter ac dorsum ipsius humanum modum in grossitudine excedebant [1]); a lumbis autem et deorsum homini iterum similis erat, praeter quod ligneos pedes habebat. Et caput ejus igneum fuit, ac flammas ex ore suo emisit. Alia autem indumenta non habuit, sed tota praefatis tenebris infixa erat. Et dextra scapula super easdem tenebras se inclinabat.

V.

Verba Invidiae.

7. Et dicebat: « Totius nimietatis pastor et custos sum, ac omnem virilem viriditatem, quocumque voluero, expello; linguas quoque idoneas deprimo; quasi fuerint in multitudine ut arena maris, et prudentes sicut serpentes, eas commordebo, nec mihi resistere poterunt, quia gehenna nominor. Et sic plurimos ad me traho, ac omnia quae Deus operatur, inquino. Et si ea quae lucida sunt, non habuero, hoc pro nihilo computo. Quod si etiam illi qui me noctem nominant, aquis suis me asperserint, cito me exsiccabo. Loquelam quoque meam sicut sagittas in obscuro intendo, et eos qui se rectos corde nominant, vulnero. Nam vires meae ut Aquilo sunt. Omnia autem quae mea sunt, odio dabo, quia hoc de me nascitur, et minus est me. »

VI.

Responsum Charitatis.

8. Et iterum de praedicta turbida nube ad hanc imaginem hoc responsum audivi: « O sordes acerrima, sicut vipera es, quae se ipsam occidit. Nam ea quae in stabilitate et honore sunt, sustinere non potes. Tu autem [2]) simulacrum illud es, quod contra Deum est, et quod populos per infidelitatem occidit. Unde gehennam te recte nominas, quoniam ipsa contra omnes justas moderationes nimietatem habet, et quoniam omnia quae de sapientia oriuntur, dilaniare vult, nec sic in lucidis rebus quicquam valet. Ego autem aer ille sum, qui omnem viriditatem nutrio, et qui flores cum maturis pomis educo. Nam in omni inspiratione Spiritus Dei docta sum, ita quod limpidissimos rivulos educo. Scilicet de bono suspirio lacrimas, et quod de lacrimis bonum odorem, per sanctissima opera, profero; sed et pluvia haec sum, quae de rore illo flat, per quem omnia gramina in laeta vita ad me rident. Tu autem, malitiosa et pessimum venenum, haec in poenis tuis mordes, sed ea conculcare non poteris. Nam quanto plus furis, tanto plus crescunt. Et ubi tu mortalis appares, vires istae vivunt, et in potestate Dei flores vinearum apparent. Tu autem nefandissimum et nocturnum nefas,

[1]) *excedebat* A. — [2]) *tu etiam* W.

» et sibilum Diaboli es, nec aliud desideras, et in elatione mentis tuae dicis: Popu- » los super numerum arenae maris ad me traham. Sed deficies. Ego enim per » diem et per noctem virtutem aequitatis et boni operis facio. Nam pallium meum » super diem et super noctem dilato, et omnia bona opera in die perficio, ac omnes » nocturnos dolores ungo, et sic in neutra parte quisquam me accusat. Diligentis- » sima enim amica, in throno Dei sum, et Deus nullum consilium me celat. Et re- » galem thalamum habeo, ac omnia quae Dei sunt, et mea sunt. Sed et ubi Filius » Dei peccata hominum in tunica sua tergit, ibi suavissimo linteo vulnera ligo. Tu » autem erubesce, quia melior pars tibi non est. »

9. Sed tertia imago formam hominis habebat, excepto quod manus ejus hirsutae erant, et quod crura et pedes ipsius cruribus et pedibus gruis assimilabantur. In capite autem suo pileum de gramine cespitis factum gestabat, ac nigro indumento induebatur. In dextra quoque sua viridem ramusculum, in sinistra vero quosdam flores tenebat, quos magna diligentia inspiciebat, et dixit:

VII.

Verba Inanis Gloriae.

10. « Omnes causas diligenter inquiro, et testis mihi sum, quod probitate mea » illas bene comprehendere possum. Unde quod video, et quod scio, quomodo de- » ceret ut honestatem in illo desererem? Ego etiam confido, quod mea possibilitate » volare possim per vicos et plateas [1]), quemadmodum volucres quae in silvis habi- » tant, et quae canunt quodcumque volunt. Nam cantum illorum discere, et secun- » dum eas sonare volo, et hoc humano sensu miscebo, ac mores curialium bestia- » rum cum pulchritudine puellarum exercebo. Omnia etiam quae mea sunt, sic dispo- » no, ut cuncti qui me vident, in eis gaudeant, et quod omnes qui me audiunt, in eis » honorem mihi exhibeant; ita quod etiam omnes de probitate mea mirentur. Ego » enim cithara cum volucribus, et curialis cum bestiis, ac sapiens cum homini- » bus sum. Omnia quoque laeta cum laudabili jucunditate ad me colligo. Et cum » haec fecero, quis mihi assimilatur? Si non quaererem, nihil invenirem; et si non » peterem, nihil mihi daretur, quia prosperitas mihi non est, nisi eam per sapien- » tiam et per probitatem meam acquiram. Pro nihilo computo, si alicui molestum » et grave est, quod sapiens et proba sum, sed gloriam meam habere volo. Et cur » haec Deo molesta essent, quum sic creata sim [2]) »?

VIII.

Responsum Timoris Domini.

11. Et iterum de praefata turbida nube audivi vocem eidem imagini responsum dantem: « Quamvis nihil timeas, et quamvis unamquamque rem rapaciter rapias, » pessima evacuatio pessimi idoli es. Et quid est quod homo sine gratia Dei facere

[1]) *per plateas* W. — [2]) *simus* W.

» possit? Nihil. Cum enim homo rotam scientiae suae ad vanitatem declinat, Deus » illum occidit; cum autem ad bonum se erigit, Deus illum adjuvabit. Tu autem » omnia quaecumque excogitas, facere vis; sed cum aliqua facere inceperis, ca- » put tuum deorsum defigitur, et pedes tui per judicium Dei sursum eriguntur. » Lavacrum quoque baptismi erubescis, et medicinam Dei non quaeris; sed in om- » nibus malis veloci vanitate balnearis, nec aliquid quod vita est, habere deside- » ras. Ego autem honorem Dei habeo, quod unumquodque peccatum sicuti est » inspicio, et cum illud munus non perpendo quam sit, ac non ab eo fugio; sed et » in amore Dei suspiro, et judicium ejus timeo, ac in mercede ipsius gaudeo. Et » quomodo merebor particeps fieri supernorum gaudiorum? scilicet foeditatem » peccati fugiendo, et pompam mundi relinquendo, et ne pullulatio carnis in me » ardeat praecavendo, ac ne in peccatis libenter sim observando. Nam ego in crea- » turis unamquamque causam secundum gustum peccati non quaeram, sed ut in » eis pascar, studebo. Quapropter Deus mihi dabit quod de ligno vitae comedam, » per quod significatur, quod Deus in homine bono opere nunquam carebit, quam- » vis plurimae objectiones Diaboli hominem infestent. Ipse enim Deus bonum ho- » minem bonum fundamentum constituit, quod sanctissima opera sunt, et ut » etiam [1]) homo domus tabernaculi Dei sit. Sic homo ille loquatur, et ruminet, qui » etiam in domo Dei habitare vult. Tu autem, o nequissima pestis, nullus honor » honoris nominaberis. »

12 Quartam vero imaginem vidi, caput ut caput serpentis habentem, et pectus pennatum ut pectus lari est, ac crura et pedes quemadmodum crura et pedes viperae sunt. Dorsum autem ejus et cauda ac totum reliquum corpus ipsius cancro assimilabatur, et se hac et illac praecipitanter movebat, quasi a vento moveretur, et commovebatur, omnes praedictas tenebras concussit; sed et ad Aquilonem se convertit, ac multum ignem ex ore suo emisit.

VIIII.

Verba Inobedientiae.

13. Et dicebat: « Quare praecepta aliorum recolimus, cum hoc facimus, nec vi- » demus, nec cognoscimus quod sumus. Nos legitimi philosophi existimus, et sa- » pientiores aliis sumus. Ergo non faciemus quod scimus? Imo faciemus. Nam » multi magistri secundum propriam voluntatem suam et secundum maleficia sua » nobis praecepta constituunt: et faciemus sicut illis placuerit? Quid est hoc? Si » enim arbores plenas foliis viderem, et si omnes voces volucrum intelligerem, » et si haec omnia mihi praecepta darent, tandem nescirem quid facere possem. » Quod autem in me constituo, quam probitatem et quam utilitatem habeat scio, » et cujus salutis sit intelligo. Melius enim mihi est, ut hoc faciam quod scio, » quam hoc quod non recognosco: quia quod nescio, interdum magis nocivum quam » utile est. Igitur quod video, et quod tango, et quod in sensu meo intelligo, hoc » mihi faciendum est; sed et per creaturas creaturarum reposcam, [2]) quae salus et

[1]) *etiam domus* A. — [2]) *reposcas* W.

» quae adversitas mea sit, quia Deus eas per subiectionem praeceptorum meorum » mihi obedire fecit. Et cur Deus eas mihi subjecisset, si nullam ostensionem in » eis habere deberem? Itaque in eis considerabo quae mihi placuerint. »

X.

Responsum Obedientiae.

14. Sed de praedicta turbida nube audivi vocem huic imagini respondentem: « Ego, quae Deo obedio, quamdam ligaturam habeo. Sed quae et qualis illa est? » Quando Deus in Verbo suo omnia fecit, ita quod dixit: Fiat, et facta sunt, oculus » fui, et in jussione Dei vigilavi, et sic omnia creata sunt. Cum autem primus an- » gelus vivere incepit, mox se Deo opposuit, et opera illius non vivere dixi, quo- » niam alio modo esse voluit, et etiam sic me opprimere et mordere tentavit; sed » non praevaluit. Nam ego sol et luna et sidus, et fons aquarum existo, ac radix in » omnibus operibus Dei sum, quemadmodum anima in corpore est. Et sicut etiam » voluntas in homine perficit quae desiderat, sic ego voluntas in Deo sum, omnia » perficiendo quae Deus praecipit. In antiquo enim consilio cum Deo fui, et Deus » omnia per me ordinavit, quae facere voluit. Nam in jussione verbi sui, ut cithа- » ra sonui, quia praeceptum ejus sum. Nihil enim tango, nihil volo, nihil deside- » ro, nisi quod in Deo est, quoniam ex ipso exivi, et per ipsum crevi, nec alium » Deum volo. Tu autem, o praevaricatio praeceptorum Creatoris, in praesumptio- » ne tua dicis quod Deus sis, et ita in nullum respicis: sed quaecumque vis, facis. » Ubi ergo est coelum et terra quae creasti? Et ubi est pulchritudo montium et » agrorum, quos constituisti? Nihil enim ex his fecisti, sed quae Deus constituit, » repudias. Quomodo? Nam cum de te ipsa loqueris, et cum omnia dijudicas se- » cundum quod tibi placuerit, Deum non vis, qui ante antiquitatem dierum fuit, » et qui post commutationem novissimi diei erit. Unde, o pessima, aridis foliis » arborum et squamis piscium assimilaris, quia tu sicut ipsa abjicieris, quoniam » nomen tuum in nulla utilitate, sed in morte est. »

15. Sed quinta imago velut formam hominis, excepto capite, habebat, et a genibus usque ad plantas, praedictis tenebris infixa erat. Nam in capite ejus nulla alia forma apparuit, praeter quod oculis nigredinem habentibus undique plenum fuit, inter quos oculus unus quasi in fronte ipsius erat, qui interdum velut ardens ignis flagrabat. Dextram autem manum ad pectus suum composuerat, in sinistra vero baculum tenebat, ac pallium nigri coloris sibi circumposuerat.

XI.

Verba Infidelitatis.

16. Et dixit: « Aliam vitam nescio, quam hanc quam video et tango, et quam » palpare possum. Quam mercedem dubia vita mihi dabit? Sed de hac dico: Ipsa » est, vel non est. Et sic quaerendo ac requirendo, videndo ac audiendo et scien-

» do, nihil invenio. Quod si per ostensionem creaturae aliquid quod mihi prodest, » interdum videro, quid mihi oberit? Ego autem in nullas vias ambulo, nec in ulla » scientia [1]) volito, nisi in his quas bene cognosco. Nam cum super pennas vento» rum volare volo, in terram prosternor. Vel cum solem et lunam interrogo, quid » facere debeam, parum mihi respondent. Vel cum aliquem sonum audio, utrum » ille mihi prosit, vel utrum me laedat, nescio. Ego enim nescio quid prognosti» con sit, nisi hoc quod video, hoc scio. Multos quoque rumores et multos sermo» nes ac multas doctrinas audio, quas nescio. Unde faciam quidquid ad utilitatem » meam optimum fuerit. »

XII.

Responsum Fidei.

17. Et iterum de praefata turbida nube audivi vocem huic imagini responsum dantem: « O pars nequissima, tu fallacia Diaboli es, qui in pectore suo omnia quae » justa sunt, negat. Unde et pectus illius significas. Nam propositio cogitationum » tuarum ad Diabolum tendit, qui a dextris tuis stat; unde etiam oculi tui ita ob» scurati sunt, quod videre non potes viam salvationis hujus, quae in coelum » ascendit, et quae te, quae nox es, comprimit, sicut dextra [2]) super sinistram cadit. » Dextra etiam te opprimit, et per hoc ascensio ejus gloriosa est, quia mala scien» tia bonae scientiae ancilla vocatur. Ipsa enim cum ancilla ministrare non vult, » quemadmodum domina servilia opera ancillae non operatur [3]); et ideo gloriosum » nomen habet, scilicet quod domina vocatur. Tu namque damnata exis, cum sen» tentiam judiciorum super te expandis, quoniam omnia quae in fide lucida sunt, » fugis. Ratiocinatio etiam tua hominibus quos decipis, peccatum semper objicit; » quia in via praeceptorum Dei ambulare non vis. Ego autem fideliter cum ange» lis Deum laudo, cum omnia quae Dei sunt volo, et cum Cherubim omnia judicia » ejus scribo, quae ipse profert, sicut in Deo videt. Sed et ego per prophetas et » sapientes et scribas omnia dijudico. Cuncta quoque regna mundi per justitiam » Dei resplendent in me, et speculum in Deo sum, quia in omnibus praeceptis Dei » fulgeo. »

18. Sextam vero imaginem in forma mulieris videbam, cujus caput muliebri more tenebroso velamine tectum erat, ac reliquum corpus tenebroso indumento indutum. Et ante faciem ejus quasi mons ardentis sulphuris apparuit, et ad dextrum et ad sinistrum latus ejus similiter, quasi mons ejusdem sulphuris, qui in praefatas tenebras corruerunt, et multum fragorem in eis fecerunt. Sed et retro eam, scilicet juxta dorsum ejus, sonus maximi tonitrui factus est. De quibus omnibus illa exterrita, multo gemitu et tremore brachia sua et manus ad pectus suum comprimebat, et se praefatis tenebris totam immergebat, dicens:

[1]) *nec ulla scientia* A. — [2]) *comprimis sicut dextra quae* W. — [3]) *operantur* W.

XIII.

Verba Desperationis.

19. « Valde exterrita sum! Et quis posset me consolari? [1]) Et quis posset me adiu» vare, et a calamitatibus quibus oppressa sum eripere? Ignis gehennae circa me » est, et zelus Domini in infernum projecit me. Et quid mihi restat, nisi mors? » Nullum gaudium in bonis, nullam consolationem in peccatis habeo, nec in ulla » creatura quicquam boni est. »

XIIII.

Responsum Spei.

20. Et iterum de praedicta nube turbida audivi vocem huic imagini respondentem: « O fomes Diaboli, fomes peccati es, nec scis, nec cogitas quanta bona in » Deo sint. Si bona quaeris in illis absque Deo, nemo tibi prodesse poterit; et si » mala quaeris in ipsis absque Deo, nullus dijudicabit te. Deus enim coelum et » terram ac omnia utilia creavit, et infernum in praecepto suo ligavit; sed et » omnia praemia bona ex ipso dantur, et omnia judicia malorum de ipso proce» dunt. Et quare perditionem tibi proponis, cum non sis dijudicata? Maligni enim » spiritus Deum nolunt, nec tu in eum confidis. Omnes enim creaturae praeceptis » Dei occurrunt, sed Diabolus ea renuit, unde in infernum projectus est, nec aliud » quidquam potest, nisi in gehennali potestate. Et ideo nullus qui aliquid boni per» ficere desiderat, perditionem sibi proponat, quia Deus summum bonum est, et » nullius bona opera sine praemio vacua dimittit. Ego enim in bono desiderio in » throno Dei sedeo, et in fide omnia opera ejus amplector, ac bona opera perficien» do, omnem terram ad me traho. Haec tu, mortalis [2]) et infernalis nequitia, non » facis, quoniam nullis bonis Dei confidis. Et quid tibi hoc proderit? Multas poe» nas interdum tibi proponis, quas non videbis, ac si in puerili stultitia vitam » perdis. »

21. Sed septima imago quasi formam mulieris habebat, et supra dextrum latus suum jacebat, ac crura sua incurvando ad se contraxerat, velut homo qui in lecto suo otiose discumbit. Crines autem ejus ut flammae ignis fuerunt, et oculi ejus albi, quemadmodum creta est; et alba calceamenta in pedibus habebat, quae tam lubrica erant, quod nec incedere, nec stare per illa poterat. Et ex ore suo quemdam anhelitum et quamdam venenosam spumam emisit, ac dextro ubere quasi catulum canis lactabat, sinistro [3]) autem velut viperam; et manibus flores arborum et herbarum decerpsit, ac odorem illorum naribus cepit. Ipsa quoque alia indumenta non habuit, sed tota ignea fuit, et ardore suo omnia sibi adjacentia sicut fenum arefecit.

[1]) *consolare* W. — [2]) *immortalis* W. — [3]) *sinistra* sic W.

XV.

Verba Luxuriae.

22. Et dixit: « Ego formam imaginis Dei in spurcitia implicabo, quod Deo valde » molestum est; et sic omnes perdam. Ego enim gloriosa et alta sum, ac omnia » quae licita sunt, per infusam naturam quae mihi innata est, ad me traho. Qua- » re abstinerem me, et quare absciderem a me officia latae vitae [1]) ac saltantis men- » tis? Si particulam causae meae perfecero, num hoc culpabile est? Si autem quod » voluntas carnis meae expostulat, non facio, iracunda, dolosa, fraudulenta ac » tortuosa, inquietudini [2]) implicata ero. Coelum ergo justitiam suam habet, et ter- » ra officia sua faciat. Si natura carnis Deo molesta esset, ipse fecisset quod caro » eam perficere non posset.

XVI.

Responsum Castitatis.

23. Et iterum audivi vocem de praefata turbida nube, quasi de diademate regis, eidem imagini responsum dantem: « Ego otiosa non sum, quemadmodum tu spur- » citia es, quae cum lascivia semper ludis. Nam et in lecto illo, in quo tu jaces, » ego non jaceo, quae stuprum ad te vocas. Ex ore quoque meo venenosa verba » non profero, quae lubricam turpitudinem docent. Sed in puteo benedictionis de » suavissimo rore potum haurio, quoniam omnia opera mea in refrigerio cum Deo » sunt, in sole enim sedeo, et regem regum inspicio, cum omnia bona opera liben- » ter operor. Sed caudam scorpionis, quae te per immunditiam vulnerat, nolo; sed » in simphonia laetae vitae, gaudium honestatis et pudicitiae habeo. Laeta enim » vita quam habeo, per blasphemiam turpitudinis me non constringit, nec per » immundicitiam impudicitiae me vulnerat. Tu autem, o sordidissima, ingluvies » ventris serpentis es, quae per auditum auris in Adam et in Eva crevisti, quando » obedientia in ipsis evanuit. Sed ego in summo paterno Verbo exorta sum. Coelum » ergo et terra te confundent, cum te nudam in confusione viderint. »

24 Ad dextram quoque partem praedicti viri imaginem, velut in humana forma, stantem vidi, quae faciem igneam habebat, et quae calibineo indumento induebatur.

XVII.

Verba Zeli Dei.

25. Et haec adversum praefata vitia clamabat dicens: « O viscera Diaboli, et in- » fusio malitiarum ejus, quae in mortiferis artibus suis humano generi infert, in

[1]) fort. *latae viae*. Sed *lata vita* videtur infra opponi *laetae vitae*. — [2]) *et inquietudini* W.

» sanguine Christi confundemini, et in Alpha et Omega [1]) peribitis, quoniam mors » pessima estis. »

XVIII.

Diabolus gloriam Dei evacuare non potest.

26. Et iterum audivi vocem de coelo mihi dicentem: « Creator, qui mundum con» stituit, elementis eum solidavit, ac magno ornatu eum decoravit, cum ipsum di» versis creaturis in servitutem hominis replevit; quod invidens Diabolus, homi» nem eumdem nequissimis vitiis irretire non cessat, quatenus illi datum honorem » omnino auferat, sed tamen gloriam Dei evacuare non poterit, quemadmodum » etiam in praesenti visione tibi demonstratur. »

XVIIII.

Deus demonstrat homini ne in confusione peccati cadat.

27. Nam quod vides, quod praedictus vir ad Septentrionem se vertit, ita quod et Septentrionem et Orientem inspicit, hoc est quod Deus homini demonstrat, ne in confusionem coecitatis et peccatorum cadat, et quod illam strenue devitat, et quod ad honorem verae lucis se praeparet, quoniam bona et mala scientia in ipso est: homo enim in rota scientiae considerare poterit ad quam partem declinet.

XX.

Elementa ostendunt quod homo gloriam Deo det.

28. Et venti et aer ac viriditas mundi, quae sub firmamento coeli sunt, in quibus et idem vir a femoribus usque ad genua sua est, eidem viro a femoribus suis usque ad genua sua quasi pro vestimento sunt, quia volatus et latitudo ventorum, ac suavis humiditas aeris, et acuta viriditas arborum ac herbarum, quae in fortitudine superiorum continentur, in quibus etiam Deus per productionem et sustentationem eorumdem operatur, ipsi in eodem processu et in eadem evectione sua, gloriam exhibent, cum in omnibus et pleniter obediunt. Nam Deus per mysterium creaturarum glorificatur, velut homo cum vestimento operitur, honoratur. Ignis quoque et lux aeris eisdem vestimentis pro ornatu sunt, quoniam ignis diversas creaturas calore suo fomentans, et lux suavitatis eas illuminans, Deum honorant, quasi eum in officio suo exornent, cum ipse per illa cognoscitur, et cum per illa omnipotens nominatur, quemadmodum per fulgorem vestimenti sui et per diadema capitis sui, homo dominus et rex appellatur; sic etiam per justa opera animae Deus glorificatur, quia ut vires creaturarum sunt, ita etiam et vires animae sunt. Nam inceptio justorum desideriorum in anima quasi ventus volat, et gustus bonae

[1]) *alfa et* O W.

voluntatis in ea quasi aer ludit,[1]) ac perfectio perfectorum operum in illa quasi viriditas mundi ad profectum viret; et hoc in sapientia supernorum secretorum quasi sub firmamento coeli est, quoniam sapientia in anima justi bona operari incipit, et eadem in illa perficit, et in his Deus velut a femoribus usque ad genua sua est, qui cum haec omnia ab ipso procedunt, ab ipso etiam ad completionem perfectionis sustentantur. Unde et ei a femoribus procreationis, cum bona opera in homine a Deo procreantur, usque ad genua confortationis, cum a Deo roborantur, pro vestimento glorificationis sunt; quoniam justum est ut homo de bonis actibus suis non sibi, sed Deo gloriam det. Sed et ignis sanctae ascensionis, quo fidelis anima accenditur, ne in sanctis operibus arescat aut deficiat, et lux veritatis ubi bona fama in hominibus videtur et auditur, vestimentis scilicet gloria Dei pro ornatu sunt; quia haec omnia ad gloriam et ad honorem Dei fiunt[2]). Nam sancta anima de justis operibus quae in carne operatur, gloriam et honorem Deo dabit, quia per adjutorium ejus illa perficit, quemadmodum propheta testatur, dicens:

XXI.

David ad eamdem rem.

29. *Deus meus adjutor meus, et sperabo in eum. Protector meus, et cornu salutis meae, et susceptor meus.*[3]) Cujus sensus talis est. Deus meus, per quem creatus sum, et per quem vivo, et ad quem tendo, cum suspiro, et a quo quaeque bona postulo, quia ipsum Deum meum esse scio, et quia me illi servire debere sentio, quoniam per eum intellectum habeo, in omnibus bonis adjutor meus est, quia bona opera per ipsum perficio. Unde etiam spem meam in eum ponam, quoniam gratia ipsius velut vestimento induor. Et sic defensor meus est, quia a malo protegit me, quoniam mala conscientia mea me mordet, ac consilium mihi dat, quatenus non mala opera[4]) faciam. Sed ipse Deus cornu salvationis animae meae est, quoniam per Spiritum Sanctum legem me docet, in qua vias ejus ambulem, et in qua cibum vitae capiam, qui vere credentibus ad vitam datur; quem dum percepero, Deus per omnia haec me sanctificatum et electum factum, in summa beatitudine suscipiet, ac in sinum suum collocabit.

XXII.

De elementorum vi, et de animae vita spirituali.

30. Sed et de medulla coxarum ejus, scilicet praedicti viri, vires elementorum exsudant, et iterum in easdem medullas redeunt, velut homo halitum suum emittit et iterum ad se trahit: quoniam ut medulla hominum confortat, et ut coxae ejus ipsum ferunt, ita ex fortissima vi Creatoris virtutes elementorum, quae mundum tenent et portant, procedunt, cum calorem, humiditatem, viriditatem ac tenacitatem diversis creaturis inferunt, cum eas germinare et crescere faciunt, et cum

[1]) *ludat* A, W. — [2]) *sunt* W. — [3]) Ps. XVII, 2, 3. — [4]) *quatenus mala op.* W.

etiam deinde ad eamdem fortissimam vim ejusdem Creatoris sui se recolligunt, ubi easdem creaturas declinare permittunt. Nam creaturae quae sub elementis sunt, nunc oriuntur, nunc occidunt. Cum enim elementa ad officia sua prodeunt, fructificationem faciunt; cum vero per praeceptum Dei recolliguntur, fructificationem subtrahunt: quemadmodum homo halitum suum ne in infructuositate deficiat educit, et ut eum ad requietionem vegetationis ad se iterum recolligit, haec etiam opera ad vitam animae respiciunt; nam fortitudo spiritalis vitae in anima velut medulla coxarum in carne est, de qua per bonam famam vires virtutum velut elementorum excuset[1]), et iterum in eamdem fortitudinem per contemplationem orationum revertuntur; sicut et compunctio cordis in homine mota, ad Deum lacrimas fundit, et sicut ab eadem compunctione cessans, lacrimas iterum in se continet.

XXIII.

Quod elementa humanis iniquitatibus subvertuntur.

31. Sed quod audis magnam vocem ex elementis mundi ad ipsum virum dicentem, hoc est quod querelas, velut maximas vociferationes, elementa ad Creatorem suum proferunt, non ita quod ipsa humano more loquantur, sed quod quasdam significationes pressurarum suarum ostendunt; cum rectum modum, quem a Creatore suo acceperunt, quibusdam alienis motibus et quibusdam alienis cursibus, peccatis hominum irretita[2]) excedunt: ubi demonstrant quod vias et officia sua perficere non valeant, quemadmodum eis a Deo[3]) injunctum est, quia hominum iniquitatibus subvertuntur. Unde etiam pestilentia pravorum rumorum et fame defectionis justitiae, quoniam homines illam recte non colunt, foetent, cum etiam aliquando fumum poenalium foetorum, turpitudinum hominum, sibi contrahunt, ubi foeditati eorum communicant, quia homines in illis et illa cum hominibus sunt.

XXIIII.

Quod Deus homines cruciat, ut eos reducat ad poenitentiam.

32. Sed idem vir, scilicet Deus, respondet quod scopis, id est judiciis et castigationibus suis, ea sit purgaturus, et quod homines, in peccatis sordentes, plurimis flagellis et calamitatibus sit interdum cruciaturus, quousque ad ipsum in poenitentiam redeant, quoniam tunc multas voluntates hominum sibi hoc modo praeparabit.

XXV.

Quod Deus vult omnia munda esse in conspectu ejus.

33. Et quoties eadem elementa pravis actibus hominum polluta fuerint, toties

[1]) Sic A, W. fort. *excitet.* — [2]) *irritata* W, f. bene. — [3]) *a Deo eis* W.

per tormenta et aerumnas hominum Deus illa emundabit, quia vult ut omnia in conspectu ejus munda sint, quia etiam a nullo poterit ad finem perduci, nec minorari.

XXVI.

De fructibus terrae a peccato corruptis.

34. Venti quoque de pessimo foetore turpitudinum impediti sunt, ita quod recte puro aere non flant, sed quod cum tempestate tonitruum graviter incedunt, et aer sordiditatem propter plurimas immunditias hominum evomit, ubi injustam ac indignam humiditatem emittit, qua viriditatem et fructus, quibus homines nutrire deberent, arefacit; quae etiam interdum nebulosa, interdum nivea est, de qua saepissime nocivi ac inutiles vermiculi nascuntur, qui fructus terrae laedunt ac comedunt, ne ad utilitatem hominum proveniant, quoniam ipsi ad justitiam et ad caeteras virtutes corda et ora sua claudunt, nec ea ad veritatem aperiunt.

XXVII.

Quod homines perversi dicunt Deum non conspici.

35. Unde etiam in illis in quibus viriditas esse deberet, nulla est, sed arida ariditas propter nequissimas superstitiones diabolicarum artium, quae in perversis hominibus inveniuntur, qui omnia quae faciunt, ad voluptates et ad cupidines suas convertunt, in cordibus et in linguis suis dicentes, quis Deus ille sit, vel quis Deus ille esse possit, vel quam potestatem habeat, quem nunquam viderint, sed qui semper in abscondito sit.

XXVIII.

Quod homines Deum per creaturas vident.

36. Quibus responsum a Domino datur, per quod etiam interrogantur, si non viderint eum per illuminationem bonae scientiae, et per illuminationem temporalis solis, cum bona facere deberent; et si non viderint eum per opaca cordis et per tenebras noctis, cum mala devitare debuissent; vel si non cognoverint eum in seminibus justitiae, quae Spiritu Sancto in plurimum profectum rigantur; vel si non viderint eum, cum temporalia semina in terram projiciunt, et cum illa rore ac imbre perfunduntur, et hoc modo crescunt; quod per nullum fieri posset, nisi per Creatorem omnium?

XXVIIII.

Quod homo Creatorem tentare audet.

37. Nam omnis creatura ad illum, qui eam formavit, in officiis suis tendit; et quod solus Deus eam creaverit, cognoscit, quia unus est qui omnia fecit. Homo autem per multas vanitates constrictus et divisus, Creatorem etiam suum constringere tentat, cum eum ultra procedere posse interdum recusat, ac eum in plurimas creaturas dividit, quoniam per gustum propriae voluntatis suae Deum ad unamquamque causam ponit, quam sibimetipsi in voluntate sua constituit, ita quod dicit, quia Deus eum sic creaverit, quod peccatum illud quod facere vult, devitare non possit.

XXX.

Quod sapientia Scripturas dictavit.

38. Sed quid [1]) fecerit Scripturas, in multiplici sapientia scitur, quoniam Deus eas fecit, quia nullus hominum eas invenire posset, si sapientia Dei illas non dictasset. Et in illis subtili ac perspicaci inquisitione inquirendum est, quis creaverit hominem, quoniam Deus est qui eum creavit [2]).

XXXI.

De creaturis et summa beatitudine.

39. Quamdiu etiam [3]) creatura temporali necessitate hominibus in mundo subveniens, ea quae usui hominum apta sunt, producit magnitudinem et perfectionem aeternorum gaudiorum homo non videbit; quia elementa cum hominibus, et homines cum illis in mundo conversantur. Postquam autem finis mundi advenerit, ita quod creatura in ariditatem temporalis defectionis ceciderit, et jam transmutationem suam senserit, electi Creatorem suum et remuneratorem bonorum factorum, in vita aeternitatis et totius gaudii, cum summa beatitudine videbunt, quoniam tum nullam curam et nullam necessitatem elementorum et temporalium rerum amodo habebunt, quia in aeternitate sunt, et in beata vita Deo adhaerebunt, velut scriptum est:

XXXII.

Liber Sapientiae ad eamdem rem.

40. *Fulgebunt justi tanquam scintillae in arundineto discurrent. Judicabunt nationes, et dominabuntur populis et regnabit Deus illorum in perpetuum* [4]). Cujus sen-

[1]) f. *quis.* — [2]) *Deus eum creavit.* W. — [3]) *quamdiu enim* W. — [4]) Sap. III, 7. *Fulgebunt et justi* W.

sus talis est. Fulgorem aeternitatis et perpetuae felicitatis illi qui per sancta opera justi sunt, accipient, quae per fidem sanctae Trinitatis, in rota quam Ezechiel vidit, operati sunt, in quibus etiam Deus ipsos, et ipsi Deum videbunt. Et sic in altitudinem et in latitudinem fulgurantis beatitudinis cum gaudio et laetitia, absque omni mole fragilis carnis, sublevabuntur; et ibi in sanctis operibus suis scintillantes, nec ullam gravedinem corporis sentientes, in sanctitate dilatabuntur, nec ultra ullo impedimento irretientur. Unde etiam judiciali judicio Domini judicabunt illos quibus peccata adhaeserunt, peccata illorum conculcantes, quae in consuetudine non coluerunt; et sic recto ac justo judicio dominabuntur populis, qui se in terrenis curis et desideriis populum saeculi fuisse sentiunt. Et tunc regio honore ac immortali dominatione regnabit videns dominator illorum; qui vitam adepti sunt in sanctis operibus ac in sanctis meritis ipsorum, et hoc faciet in perpetuitate illa, quae finem non habebit.

XXXIII.

Septem vitia septem donis Spiritus Sancti opposita.

41. Quod autem in praefata nebula, in qua multimoda genera vitiorum sunt, ut praedictum est, etiam septem vitia nunc in hujusmodi imaginibus vides, hoc est quod in densitate nequitiae infidelitatis, in qua multae formae et diversum genus pessimorum et immundorum vitiorum est, ut superius praefatum est, etiam tot vitia in nequissimis artibus suis apparent, quot dona Sancti Spiritus nominantur, quae eisdem donis omnibus modis resistere attentant; sed tamen non praevalebunt, quia virtus Dei perversitatem Diaboli omnino exsuperat.

XXXIIII.

De Superbia.

42. Prima enim imago superbiam declarat, quae initium omnium vitiorum, et materia et matrix omnium malorum est, quoniam angelum de coelo projecit, ac hominem de Paradiso expulit, et quae etiam animabus, ad vitam per bona opera redire cupientibus, in fine eorumdem operum, insidias ponit, quatenus eis supernam remunerationem auferat. Nam homo multoties de bonis actibus suis extollitur, et ita beata mercede per superbiam evacuatur. Quae quasi faciem muliebrem habet, quia omnem voluntatem suam in primo angelo, qui de coelo corruit, ad stultitiam verterat; cum qua etiam primam mulierem de Paradiso ejiciebat, sicut et nunc in torta mollicie homines [1]) extra se ducere solet. Sed ejus oculi ignei sunt, quoniam intentio ipsius in malitia ardet. Et nasus luto aspersus, quia sine discretione in insipientia sordet. Et os clausum, quoniam nullam rectitudinem in verbis amat, sed quia Deum et omne quod bonum est, in corde suo negat. Brachiis autem et manibus caret, quia fortitudo ac opera ipsius non vitam, sed mortem habent.

[1]) *mollitie hominis* W.

In utroque humero ejus ala similis alae vespertilionis est, quoniam et in coelestibus et in terrenis, velut imperialem defensionem sibi fallaciter parat: ubi non rectum volatum justitiae, sed deceptibilem ac nocturnam fiduciam sibi conjungit; ita quod dextra [1]) ala contra Orientem, sinistra vero ad Occidentem tenditur, quia in coelestibus Deo se opponit, in terrenis vero ad Diabolum currit. Et pectus virile habet, quoniam tumorem vanae magnitudinis in corde suo semper gerit. In quo crura et pedes ut crura et pedes locustae sunt, quia in eodem tumore sustentationem itinerum suorum, cum vana gloria inanis ac instabilis exempli, demonstrat et movet; ita quod ventre et dorso caret, quoniam nullis pascua utilitatis praebet, nec ulli fortitudinem ullius sustentaculi tribuit, cum qua in bono perseverare possit. Quod autem caput et reliquum corpus ejus nec crinibus, nec ullo indumento obtectum vides, hoc est quod superbia in mente et in operibus suis, absque crine prudentiae et absque vestimento salutis stulta et nuda, ut tibi ostenditur, incedit; nisi quod tota praefatis tenebris infixa est, quia omnibus modis in perversitate infidelitatis jacet, excepto quod velut tenuissimum filum, quasi aureus circulus, a vertice sub mentum ejus in superficie utriusque maxillae tenditur, quoniam ipsa nullum honorem nec ullam dilectionem, sed contemptum illi exhibet, quem Deum omnia comprehendentem novit, et hoc ab initio extollentiae suae usque ad stultitiam illam exterius, quasi superficie tenus, produxit; ubi frendendo et mordendo, se Deo opposuit, cui praevalere non potuit. Sed sicut tunc prostrata turpiter cecidit, ita etiam et nunc, quanto altius in mentibus et in actibus stultorum hominum [2]) surgit, tanto profundius eos in ima secum detrahit, et tamen nullum similem sibi esse vult, ut etiam superius demonstrat. Cui humilitas resistit, et ut homines illam abhorreant, exhortatur.

XXXV.

De Invidia.

43. Secunda autem imago invidiam significat, quae superbiam hic comitatur quia opus illius et incendium omnium malorum est, quoniam quum homines superbiunt, profectui aliorum invident, per quod etiam omne malum excitant. Et hanc monstruosam formam habentem vides, quia per invidiam Diabolus omnia opera sua quae operatur, perficit; ubi invidet homini supernam beatitudinem, ut tibi demontratur, adipisci. Cujus caput et scapulae ac brachia homini aliquantum assimilantur, exceptis manibus, quae ut manus ursi sunt, quoniam, quamvis homo in mente sua, velut in capite suo, Deum sciat, multoties tamen non secundum praecepta Dei, sed secundum quod invidia sibi indicat, hominem in judiciis suis dijudicat. Ubi etiam in scapulis fiduciae et potestatis suae, iniquitatem pro justitia scienter ponit, et ubi etiam se durum [3]) in brachiis fortitudinis suae ostendit; sed hoc tamen ad hominis similitudinem facit, cum per humanam scientiam, quam in se habet, hominibus mala silenter infert; praeter quod crudelia opera sua immitem direptionem et bestialem rapacitatem imitantur [4]), cum omnia quae potest, potentiali-

[1]) *et dextra* W. — [2]) *stultorum homini* A. — [3]) an f. *duram?* — [4]) *imitatur* A.

ter et acerbiter dilaniat, conculcat et destruit. Sed pectus et venter ac dorsum ipsius humanum modum in grossitudine excedunt, quia scientia et retinaculum ac robur morum invidentis supra homines in tanta magnitudine et in tanta tortuositate nequitiae sunt, quod nec recta doctrina, nec bene ordinata dispositio, nec conveniens supportatio in illis invenitur, sed frendens et acer tumor incompetentis excessus absque discretione. A lumbis autem et deorsum homini iterum similis est, praeter quod ligneos pedes habet, quoniam invidens homo, per carnalia desideria inclinatus, plurima mala aliis infert, quamvis majorem et profundiorem scientiam aliis creaturis habeat; in quibus tamen operibus arida et mortua vestigia sine omni viriditate utilitatis demonstrat, cum nec in vestigiis suis, nec in vestigiis aliorum, recte incedit. Et caput ejus igneum est, ac flammas ex ore suo emittit, quia intentio invidiae in vipereis moribus ardet, et quia omne malum incendiorum hominum, de quibus homines arescunt, in verbis suis profert. Alia autem indumenta non habet, quoniam nullo bono tecta, nec justitiam, nec positam legem volens, sine constituta lege vivit, ita quod etiam nec in magnis, nec in parvis, ullam rectitudinem utilitatis quaerit. Sed tota praefatis tenebris infixa est, quia omnes vires suas in amaritudinem infidelitatis hujus ponit, quod profectui aliorum detrimentum inferat, ubi justitiam nec quaerit, nec inspicit, sed ubi mala desiderat, per quae etiam Diabolus mundum sibi subjecit, quemadmodum scriptum est:

XXXVI.

Liber Sapientiae ad eamdem rem.

44. *Invidia autem Diaboli, mors introivit in orbem terrarum. Imitantur autem illum, qui sunt ex parte illius* [1]). Cujus sensus talis est. Diabolus se Deo opposuit, et honorem ejus dividere voluit, ita tamen quod aequalem partem ejusdem honoris sibi usurparet; quapropter Deus illum in gehennam stravit, nec eum voluntatem suam perficere permisit. Qui cum hominem creatum videret, vim ipsius cognovit, et mox invidiam suam dilatavit, ubi ab illo quaesivit, cur Deus ipsi praeceptum quod ab eo acceperat, dedisset. Et sic per malum invidiae, a Deo opus ipsius quod homo erat, avertit; et sibi eum attraxit, quoniam ille Deum suum dereliquerat, ac Diabolo se conjunxerat. Hoc modo per flatum invidiae diabolicae suggestionis, mors quae omnia interemit, aperte venit in mundum, ac eum sibi subjugavit, et in eo potestatem suam ostendit, quum hominem, [2]) qui in mundo deus esse debuit, sibi servire coegit: quemadmodum aliquis tabernaculum intrat, in quo dominium suum exercet. Post vestigia autem hujus antiqui seductoris, omnes gradiuntur, qui exemplum iniquitatis ab eo sumunt, ita quod alios per invidiam opprimunt. Et ita sunt ex parte illius, quoniam quae bona et justa sciunt, de se abjiciunt, ac dona Dei quae ipse dedit et constituit, mordaciter corrodunt; unde etiam et societatem in gehenna cum illo habebunt. Sed fideles qui hoc malum fugiunt, et Deum per fidem amplectuntur, filii supernae mercedis sunt; quia a Deo exopta-

[1]) Sap. II, 24. *Quae sunt* A. — [2]) *cum homine* A.

bilem mercedem recipient, quoniam ipsi in miraculis suis honorem exhibuerant. Quapropter etiam et coelum in omnibus ornamentis suis nominabuntur.

45. Quod autem invidia dextra scapula super easdem tenebras se inclinat, hoc est quod homo rectam fiduciam et rectam potestatem, quam in bonis et in sanctis operibus[1]) habere debet, quum profectui aliorum invidet, super diabolicas nequitias se ponit, quum hoc homini auferre vult, quod a Deo habet. Nam invidia spoliatrix est, et similis latroni, qui in via speluncas facit, ut unumquemque transeuntem per illam decipiat, et ei pecuniam quam portat auferat; et similis etiam viperae, quae et concipiendo ac egrediendo, auctores suos occidit. Invidia enim in moribus suis foveas facit, cum homini bona sua abstrahit; ac etiam illos qui ei bona sua largiti sunt, dilaniat, cum eis omnibus modis insidias ponit, quemadmodum etiam in supradictis verbis suis demonstrat. Charitas autem ipsam redarguit, et ne homines invidi sint, monet.

XXXVII.

De inani gloria.

46. Sed tertia imago inanem gloriam declarat, quae hic invidiam subsequitur, quoniam per vicissitudinem inquietudinis alienarum rerum, comitatrix illius est; quia homines cum profectui aliorum invident, in semetipsis gloriari desiderant. Et haec formam hominis habet, quoniam in desideriis et in concupiscentiis carnalibus est; excepto quod manus ejus hirsutae sunt, quia opera quae secundum rationalitatem ad intellectum hominis dirigere deberet, ad bestialia facta convertit; et quod crura et pedes ipsius cruribus et pedibus gruis assimilantur, quoniam vanam optionem in objectionibus Diaboli, velut in cruribus suis extendens, vestigia sua ad inconstantiam ponit; ubi inanem altitudinem sine virtute bonorum itinerum magis ad stultam irrationalitatem, quam ad rectam et ad veram prudentiam, in hominibus qui eam imitantur, figit. Unde etiam in capite suo pileum de gramine cespitis factum gestat, quia homines qui inanem gloriam sequuntur in mentibus suis, terrenos et caducos honores amant, qui dum nunc virent utillime, in ariditate [2]) quemadmodum herba vestiuntur. Et eadem etiam nigro indumento induitur, quoniam idem vitium in vita non est, sed tenebris infidelitatis in internecione [3]) mortis circumdatur. Quod autem in dextra sua viridem ramusculum, in sinistra vero quosdam flores tenet, quos magna diligentia inspicit, hoc est quod homines inanem gloriam imitantes, spiritalia [4]) opera, velut ipsi viriditatem in coelestibus habeant, inaniter per jactantiam ostendunt: aliquando autem saecularia opera, quasi in terrenis ex probitate sua floreant, propter favorem mundi demonstrant; et in haec omnem intentionem suam ponunt, quia gloriari in omnibus per vanitatem jactantiae desiderant, sicut et idem vitium in locutione sua superius declarat. Sed timor Dei responsum illi dat, et eam detestabilem esse manifestat.

[1]) *et sanctis operibus* — [2]) *in ariditatem* A. — [3]) *internitione* A. — [4]) *spiritualia* A.

XXXVIII.

De Inobedientia.

47. Quarta vero imago inobedientiam ostendit, quae post inanem gloriam hic incedit, quoniam currus illius atque aliorum praefatorum vitiorum est, et omnia officia sua secundum voluntatem ejusdem inanis gloriae et caeterorum vitiorum praeparat et instruit, ac ea igne suo penetrat. Quam vides, caput ut caput serpentis habentem, quia sicut intentio ejus in intentione antiqui serpentis ab initio erat, sic et adhuc est homini persuadens ne Deo obediat; et etiam pectus pennatum, ut pectus alitis est, habentem, quoniam in scientia sua homines, per proprietatem voluntatis suae, in altum se attollere facit, et non prudentiam, sed stultitiam in eadem altitudine imitari, Deum nesciendo, et quod sibi metipsis placuerit pleniter perficiendo. Et crura ac pedes habet, quemadmodum crura et pedes viperae sunt, quia secundum optionem desideriorum eorumdem hominum, vestigia ipsorum ponit, a beata subjectione eos avertens, ac in procacitatem et in temeritatem nequitiae Deo resistentes ipsos infigens. Dorsum autem et cauda ac totum reliquum corpus ipsius cancro assimilatur, quia fiduciam, quam eadem inobedientia in robore rebellionis habet, ad finem etiam operis sui perducit, cum in malo perseverat. Unde et omnes reliquae copulationes perversitatis factorum ejus nunc in pertinaci audacia procedunt, nunc in deceptibili astutia retrocedunt; ita quod nec in illa, nec in ista stabilitatem servat; sed omnia quae in praeceptis Dei constituta sunt, per pessimas simulationes repudiat [1]), et ea per latitudinem irrisionum temere disturbat. Quapropter et se hac et illac praecipitanter movet, quasi a vento moveatur; et cum movetur, omnes praedictas tenebras concutit, quoniam homines inobedientiam diligentes, non in opere uno rebellionis stant, sed modo ab illo in istud, modo ab isto in illud se proterve dilatant, diabolicis artibus exagitati: ubi in commotione [2]) ejusdem exagitationis omnes perversitates vitiorum moventur, quia per malum inobedientiae omnia caetera vitia sibi attrahunt. Quod autem ad Aquilonem se convertit, ac multum ignem ex ore suo emittit, hoc est quod ad illum qui in Aquilone per temeritatem inobedientiae se Deo opponere volebat, pertinet, quoniam ipse eam primum produxit, et ideo etiam plurima incendia diversorum vitiorum in locutione sua evomit, cum nulli debitam reverentiam obedientiae exhibet; sed cum omnes quos poterit, in verbis suis exurit, velut etiam per semetipsam fatetur, ut praedictum est. Cui obedientia respondet, et ne homines illam fideliter imitentur, persuadet.

XXXVIIII.

De Infidelitate.

48. Sed et quinta imago infidelitatem manifestat, quae hic inobedientiam subse-

[1]) *repudiant* W. — [2]) *in commotionem* W. *mox omnis perversitatis* A.

quitur, quoniam cum homines vitium illud dilexerint, ad infidelitatem pervenient, ita quod Deum negabunt. Quae velut formam hominis, excepto capite, habet, quia Deum esse scit, quem tamen digne colere recusat, quoniam in transformata ad incredulitatem mente, recta inceptione caret, qua Deum per fidem cognoscat. Et a genibus usque ad plantas praedictis tenebris infixa est, quia nec se flexibilem ad veram fidem, nec se in vera fide gradientem ostendit, sed in tenebris infidelitatis immobilem manentem se manifestat, cum Deum in verbo et in opere penitus ignorat. Nam in capite ejus nulla alia forma apparet, praeter quod oculis nigredinem habentibus undique plenum est; inter quos oculus unus, quasi in fronte ipsius est, qui interdum velut ardens ignis flagrat, quoniam in mente ipsius nulla prudentia, sed stultitia humanae scientiae est; ubi aspectibus interioris intentionis ejus, per infidelitatem nigrescentibus, plenitudinem incredulitatis profert; cum undique circumspiciendo, omnia infidelitatis opera ad se trahit, et cum luminaria veraciter videntis veritatis negligenter respuit. Nam infideles homines rectitudinem fidei multoties se habere dicunt, cum actus ipsorum omni perversitate dolositatis abundent. Unde inter pravas intentiones suas, quas ipsi in mentibus suis celare non possunt, intentionem unam in apertiorem ostensionem aliquando quasi lucentis fidei ponunt, ubi infidelitatem suam per elementa et per stellarum dispositiones confirmant, cum in illas spem suam decepti figunt, in quibus tamen nullam fiduciam beatitudinis, nec ullam lucem vitae comprehendere poterunt. Quod autem dexteram manum ad pectus suum componit, et quod in sinistra baculum tenet, hoc est quod perversi homines, infidelitatem amantes, in bonis et in sanctis operibus secundum concupiscentias cordis sui otiosi sunt; et quod in malis actibus vanam fiduciam habent; in qua Deum in duas partes dividunt, cum eum per superiores et inferiores creaturas in elementis rimantur, nullam veritatem vitae tenentes. Ac eadem imago pallium nigri coloris sibi circumponit, quia cum deceptione tenebrositatis diabolicarum artium se magis defendit, quam beatam vitam se habere contendat, quemadmodum etiam in locutione sua superius demonstrat. Quae per fidem redarguitur, et homines ut per verum speculum puritatis ad Deum tendant, admonentur, sicut etiam et per Paulum Apostolum, exhortantur, quemadmodum scriptum est:

XL.

Apostolus in eamdem rem.

49. *Accedamus vero corde in plenitudine fidei, aspersi corda a conscientia mala, et abluti corpus aqua munda, teneamus spei nostrae confessionem indeclinabilem. Fidelis est enim qui repromisit.* Cujus sensus talis est. Per admonitionem Spiritus Sancti, accedamus ad summam beatitudinem veraci intentione, et cum pace bona incipiamus, et ea cum pietate perficiamus; quoniam in pace, fraterna charitas ardet, et pietas Deum imitando, ad omnia necessaria hominis aspicit. Et sic in pura et in simplici perfectione verae fidei cordis nostri, et non in maligna duplicitate, per quam homo secundum proprietatem voluntatis suae, aliud sibi eligit, et aliud

contemnit; rivulis Scripturarum aspersi in cordibus nostris, conscientiam quae nos ad mala semper impellit, a nobis [1]) abjiciamus; ac singulis verbis earumdem Scripturarum, quis Deus sit, et quae ejus opera sint, inquiramus. Sic praefatam conscientiam in nobis mundantes, quae per Adae casum squammis mortis obnubilata, veram fidem ac opera ejus multoties abnegat. Haec autem in nobis pura non sunt, nisi abluti simus a peccatis nostris, ita quod corpus nostrum visibiliter perfusum sit aqua baptismi, quam Spiritus Sanctus invisibiliter mundat et vivificat, ut sordes peccatorum animae per eam abluantur, et ut etiam miserrima natura carnis ab immunda spuma sua per eam refrigeretur. Quod cum factum fuerit, teneamus firma et sincera fide spei illius confessionem quam aperte in baptismo professi sumus, Deum confitentes, et Diabolum abnegantes; ita ne illa a nobis per ullam seductionem diabolicarum artium declinet, sed ut in nobis bene radicata et roborata, inviolabiliter perseveret, quoniam in lavacro regenerationis hoc modo signati sumus, quod filii Dei per sinceram justitiam vocamur. Nam ille fidelis in omni dono et in omni opere suo est, qui promissum praemium beatae haereditatis fidelibus suis et in eum vere credentibus dabit, quia ab ipso vero Dei Filio, in fine saeculorum vere incarnato, in hac plenitudine fidei securum et aeternum praemium recipient.

XLI.

De Desperatione.

50. Sexta autem imago in significatione desperatio est, et post vestigia infidelitatis suae incedit, quia fomes illius et aliorum vitiorum existit, quoniam nec in semetipsa, nec in istis ullam spem habet, sed est quasi non sit. Et hanc in forma mulieris vides, quod est defectus et debilitas ipsius in bonis et in rectis consolationibus, in quibus nullam victoriam, sed vilem trepidationem muliebris defectionis ostendit, ejus etiam caput muliebri more tenebroso velamine tectum est, ac reliquum corpus tenebroso indumento indutum, quia intentio ipsius fragilis et infirma, ac tenebris desolationis et dubietatis circumdata, omnia reliqua facta ejus veraciter corruptibilia, et lucis ac gaudii vestimento carentia declarat; ubi nullam gloriam beatae spei, sed dedecus dubietatis sibi circumponit: nam homines per Diabolum decepti, cum gratia Dei per desperationem diffidunt, omni bono superni decoris se denudant. Unde et ante faciem ejus quasi mons ardentis sulphuris apparet, quoniam ubi hujusmodi homines veram fidem in beata spe inspicere deberent, ibi desperationem, velut in altitudine montis, et arefacientis et foetentis insipientiae tenent, quae viriditatem ac bonum odorem virtutum animae abstrahit, quemadmodum sulphur corpus arefacere et foetere facit. Et ad dextrum et ad sinistrum latus ejus similiter quasi mons ejusdem sulphuris est, quia ubi corda sua in bono ad Deum quasi in dextra deberent [2]) erigere, et malum velut in sinistra respuere, ibi in mentibus suis sufflatum elationis, in ferventissimo ac in amarissimo dolore et contritione desperationis habent, de bonitate Dei nihil cogitantes, aut

[1]) *semper abjiciamus* A. — [2]) *deberet* A.

sperantes, sed tantum quaeque mala et adversa in cordibus suis sibi miserabiliter accumulantes. Qui in praefatas tenebras corruunt, et multum fragorem in eis faciunt, quoniam cum desperatio homines istos in perditionem trahit, plurimas illusiones et stridores poenarum et diabolicorum cachinnorum eis infert. Sed et retro eam, scilicet juxta dorsum ejus, sonus maximi tonitrui factus est, quia in contradictione illa, qua desperatio Deum postponit, ita quod in eum aspicere recusat, casus primi Angeli eam invadit, ac eam secum in ruinam multarum miseriarum et poenarum ducit, quoniam misericordiam Dei non quaesivit, dum illam invenire potuit. De quibus omnibus illa exterrita, multo gemitu et tremore brachia sua et manus ad pectus suum comprimit, et se praefatis tenebris totam immergit; quia cum homines per diabolicam seductionem in desperationem ceciderint, de omnibus transactis operibus suis terrentur: et sic in gemitu desolationis, et in tremore oblivionis qua seipsos nesciunt, fortitudinem et comprehensionem operum suorum, quae ad altitudinem beatae spei extendisse debuerant, in dolorem malae scientiae, absque omni consolatione bonae scientiae, ponunt; et se nequissimae infelicitati omnino tradunt, quoniam [1]) ad gloriam resurgere nolebant, velut idem vitium in verbis suis, ut supradictum est, ostendit. Sed spes illi respondet, et ne homines illi in cordibus suis consentiant, admonet.

XLII.

De Luxuria.

51. Sed septima imago luxuriam significat, quae sui desperationem subsequitur, quia postquam homines de misericordia Dei desperaverint, ita quod nullam spem boni ad ipsum habent, luxuriam arripiunt, in qua omnes voluptates suas perficiunt, facientes quidquid caro eorum in sordibus suis expostulat. Quae quasi formam mulieris habet, quoniam quemadmodum mulier ad pariendum focta est, ita etiam luxuria desiderium et fomes peccati existit. Et supra dextrum latus jacet, quia rectitudinem bonorum et castorum operum sibi substernit; ac per voluntatem carnis Deum aliquando nominat, et seipsam excusat, et aliquando poenitentiam se velle habere dicit, quam tamen non habet, ac sic pleniter cum fiducia peccat. Unde crura sua ad se incurvando contrahit, velut homo qui in lecto suo otiose discumbit, quoniam fortitudinem, in qua ad Deum erecta stare deberet, in fragilitatem carnis prostrata convertens, et illam ad se per fortitudinem turpium operum trahens, ac sic etiam in mente sua voluptuose requiescens [2]), in voluptuosis hominibus dicit, quod a concupiscentia carnis suae non valeat se abstinere. Crines autem ejus, ut flammae ignis sunt, quia homines luxuriose viventes, pudorem quem in mentibus suis ad castitatem dirigere deberent, in ardorem libidinis trahunt, ac flammas pessimi incendii in se nutriunt, per quas et se et alios in turpitudinem accendunt. Et oculi ejus albi sunt, quemadmodum creta est, quoniam idem vitium intentiones pravorum hominum in otiositatem non puram configit, ne aliquid quod sit laboriosum videatur [3]) inspiciant, quatenus tanto prom-

[1]) *quum.* A. — [2]) *requiescit* W. — [3]) *videatur* A, W, sed tollendum videtur, ut otiosum.

ptiores ad voluntates suas sint. Sed et alba calceamenta in pedibus habet, quae tam lubrica sunt, quod nec incedere, nec stare per illa potest, quia delicatam voluptatem et non justam mortificationem carnis in vestigiis hominum habens, tam lascivos etiam gestus in eis ostendit, quod nec per honorem rectitudinis ambulare, nec per mansuetudinem stabilitatis in eis durare ullo modo studet; sed per devia quaeque turpis libidinis incedere, cum interdum in sublime saltat, per quod saepissime in profunditatem cadit; et quoniam immundi homines ad illecebras carnis se inclinant, et sordes humanarum pollutionum amant, pravis animalibus se assimilantes, ac coelestem castimoniam fugientes, divino judicio multis passionibus carnis suae subduntur, quia ea in proprietate voluntatis suae nolebant, quae in bono desiderare debuerant, quemadmodum per Paulum Apostolum scriptum est:

XLIII.

Apostolus in eamdem rem.

52. *Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum in immunditiam, ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis, qui commutaverunt veritatem Dei in mendacium, et coluerunt et servierunt creaturae potius quam Creatori, qui est benedictus in saecula.* Cujus sensus talis est. Quia homines pravi ad incerta desideria voluntates suas ponunt, nec ab his cessare volunt, justo judicio permittit eos Creator omnium, in cujus potestate sunt, et sine cujus permissione nihil fit, in concupiscentias cogitationum et voluntatum suarum ire, ut in immunditiam cadant, ad quam vehementer anhelant, ita ut in ignominiam et in contrarietatem [1]) pervertant carnem suam, cum in semetipsis peccata illa, quae non conveniunt, turpiter faciunt. Quaecumque enim isti concupiscunt et volunt, ea per turpitudinem suam ineunt, ac Deum derelinquunt, quam tamen in intellectu suo sciunt, tantum attendentes, quid in carne sua implere possint.

53. Per hoc enim primum angelum imitantur, qui per pessimas voluntates suas, vitam in semetipso mutare voluit; quod perficere non potuit, quia Deus ipsum in mortem, qua vita abstracta est, tradidit. Nam et hoc modo homines istos Deus in desideria voluntatum suarum transire permittit, quoniam ad ea et non ad coelestia festinant; [2]) ita ut cum sanguine immundo et contumeliosae humiditatis polluant se, et contaminent, ubi tam in semetipsis, quam in aliis humanam naturam pessima inquinatione evertunt et discerpunt; ita quod convenientem genituram, quam Deus constituit, destruunt; et quod omni immunditia ac inhumana contagione verecundam disciplinam transmordent et destituunt, et quia corpora sua in perversitatem transformant. Commutant etiam veritatem illam, qua Deus verus Deus est, in mendacium [3]) hoc quo Deum blasphemant, cum idola colunt, quae nullam veritatem, sed falsum nomen in se habent; quoniam nec sibi, nec aliis prodesse possunt, ac servili conditione famulantur subjectae sibi creaturae, cum ei genua sua curvant, et cum ad eam preces fundunt, illum qui eos creavit derelinquentes, nec debitam reverentiam ei exhibentes; unde etiam Diabolus multas passiones et ardores immun-

[1]) *et contrarietatem* W. — [2]) *festinat* A. — [3]) *in* ante *mendacium* codd. om.

ditiarum carnis eis infert, de quibus se eripere nec volunt, nec possunt, quoniam ea colunt, a quibus nullum refrigerium, nec ullam salutem habere valent. Creaturam enim, quam Adam in rationalitate per officia velut per nomina sua cognovit, sibi in Deum eligunt, ac salutem ab ea postulant, quae ipsis in servitutem constituta est; et servum Deum vocant, quando Deum verum derelinquunt, qui in perpetuo honore super omnem creaturam suam in saecula benedictus est. Sic autem Deus veritas est, Diabolus vero mendacium, qui sibi servientes ad pessimas coinquinationes corporis et animae incurvare semper festinat.

54. Quapropter et luxuria ex ore suo quemdam anhelitum et quamdam venenosam spumam emittit, quoniam in verbis suis conatum et jactantiam superbiae ostendit ac elicit[1]) ac desideria sua quibusdam turpibus locutionibus producit. Ac dextro ubere quasi catulum canis lactat, sinistro vero velut viperam, quoniam ubi in rectitudine nutrimenta hominibus per sapientiam veluti per dextram exhibere deberet, ibi immunditiam per insipientiam educat; et ubi ab injustitia[2]) tanquam a sinistra se per prudentiam continere deberet, ibi amaritudinem per stultitiam nutrit, nulli parcens, quin ei scandala objiciat, qui voluntati suae resistit: illos etiam interdum dilanians, qui ipsi adhaerent. Unde manibus flores arborum et herbarum decerpit, ac odorem illorum naribus capit, quia omnibus persuadet, ut in operibus suis velut floriditatem[3]) majorum et innaturalium ac etiam minorum et naturalium incendiorum carnis appetant, quam sibi in odorem consuetudinarii saporis indiscrete apponant; quoniam cum gustus odoris immundarum sordium turpiter frequentatur, appetitus quoque ad pessima et illicita desideria in hominibus ipsum frequentantibus augmentatur. Ipsa quoque alia indumenta non habet, sed tota ignea est; et ardore suo omnia sibi adjacentia sicut fenum arefacit, quoniam ipsa decore pudoris et honestatis carens, omnibus se nudam in confusione demonstrat. Ac se diabolicum et tartareum ignem esse manifestat, ita quod deceptibili fervore spurcitiarum suarum venas et carnem hominum sibi occurrentium commovens, fructus sanctitatis velut aridum fenum eis abstrahit, et ad quaeque illicita incentiva carnalium concupiscentiarum illos perducit; sicut etiam in loquela sua superius fatetur, cui castitas resistit, et ut homines ab illa declinent, et se fideliter imitentur, admonet.

XLIIII.

De forma zeli.

55. Quod autem ad dexteram partem praedicti viri imaginem velut in humana forma stantem vides, hoc est quod in rectitudine et in fortitudine Dei zelus ipsius peccata hominum purgans et exterminans apparet, quia homo ad imaginem Dei factus et scientia boni et mali infusus, per justa judicia summi judicis, qui omnia vere dijudicat, judicandus est. Quae faciem igneam habet, quoniam idem zelus omnia quae injusta sunt, in fervore judiciorum suorum velut ignis consumit, non quod omnia per ignem purgat, sed quod omnia mala exterminando ad nihilum

[1]) *elicit ad desideria* A, W. — [2]) *ubi ab immunditia* W. — [3]) *floriditate* A.

deducit. Unde et calibineo indumento induitur, quia justitia, quae fortis et constans in judiciis suis est, velut vestimentum ipsius existit, quoniam ea quae dijudicat, non alio modo quam secundum hoc quod justum est, dijudicat. Et quod haec adversum praefata vitia clamat, hoc est quod zelus Domini diabolicas illusiones praefatorum vitiorum redarguit, et eas [1]) omnino conterit, quoniam eadem vitia, ejusdem antiqui Serpentis viscera, et omissio iniquitatis ipsius existentia, mortiferas [2]) sagittas hominibus infigunt. Quae tamen per martyrium Filii Dei confundentur, ac per aeternam Divinitatem conterentur, ita quod omnino peribunt; ubi mors in aeternum destruetur, cum Deus potestatem suam aperire dignabitur, cui nullus resistere poterit, velut etiam Job testatur dicens:

XLV.

Verba Job de eodem.

56. *Deus, cujus resistere irae nemo potest, et sub quo curvantur qui portant orbem.* [3]) Cujus sensus talis est. Deus qui omnia creavit, et in cujus potestate omnia sunt, talis et tantus in fortitudine judiciorum suorum est, quod nec in angelis, nec in hominibus ulla fortitudo invenitur, quae resistere examinationi ipsius valeat, cum vindictam suam contra delinquentes justo judicio denudat. Nam ira Dei hoc solum est, quod ipsa malo iniquitatis semper repugnat, et quod conjunctionem cum malo non habet, sed quod illud perfecte prosternit, quemadmodum illud in angelo et in homine prosternebat. Deus enim hoc modo judicia sua constituit, quod iniquitati justitiam ac delinquentibus [4]) correptionem proponit; quod ibi est, ubi peccator per poenitentiam justificatur, scilicet cum poenitendo se ipsum dijudicat, et cum in cruce [5]) poenitentiae se ponit, et cum lacrimis se vulnerat, peccata sua Deo per sacerdotem confitendo; quia summus sacerdos, videlicet Dei Filius, in crucem se obtulit, ubi multa peccata hominum per effusum sanguinem suum abstersit. Deo namque resistere in hac similitudine nullus poterit, quoniam ipse solus Deus et solus justus judex est, omnia juste dijudicans, et omnia bene disponens. Praeceptis enim ipsius subjugati sunt, qui hanc virtutem ab ipso habent, quod ferunt orbem, scilicet circulum illum in quo mundus subsistit, quod et secundum dispositionem et secundum constitutionem Dei faciunt. Hi autem sunt sol et luna, ac reliqui planetae, et stellae cum caeteris sideribus, qui in ardenti vi sua [6]) rotam orbis sustinent, et qui aquas sibi attrahunt, et illas bibunt, ne in ardore [7]) ipsorum idem orbis arescat; sed et eodem modo per aquam lucet. Isti quoque judiciis Dei frequenter famulantur, quia in famulatu suo cum hominibus sunt, et actus eorum sentiunt, nec aliter faciunt quam quod eis praecipitur. Haec vero omnia a summo Creatore sic ordinata sunt, qui omnia ordinat et disponit, secundum quod unicuique bene ordinata et bene discreta dispositio competit. Qui autem vitae desiderium habet, in illo verba haec percipiat, ac ea in [8]) interius cubiculum cordis sui recondat.

[1]) *eas* A, W. an *ea?* — [2]) *mortifera* iid. — [3]) Job. IX, 13. — [4]) *deliquentibus* A. — [5]) *in crucem* W. — [6]) *in ardente visu* A. — [7]) *ne ardore* W. [8]) *et ea interius* A.

57. Et ecce vidi praedictae multitudinis alios spiritus qui vociferabantur dicentes: Quis est Dominus? Lucifer Dominus est, et alius non est. Et isti superbiam hominibus demonstrant, et ut se aliis excellentiores esse existiment eis persuadent.

XLVI.

De superborum poenis purgatoriis.

58. Et vidi maximum ignem, qui totus fortissimo ardore ardebat, et in quo magnorum et horribilium vermium multitudo erat. In igne autem isto animae illorum puniebantur, qui exaltationem superbiae factis et dictis in se habuerant, dum in saeculo fuissent. Propter superbiam quippe in igne isto, et propter jactantiam a vermibus qui in eo erant, affligebantur.

XLVII.

De poenitentia superbiae.

59. Et vidi et intellexi haec. Et de praefata vivente luce iterum audivi vocem mihi dicentem: Haec quae vides vera sunt. Sed homines qui malignos spiritus superbiam sibi objicientes [1]), studuerint devincere, et poenas eisdem vitiis effugere, cilicio et flexura genuum ac verberibus, suspiriis et lacrimis corpus suum doment et castigent.

XLVIII.

De eodem.

60. Cum ista namque afflictione superbia in homine superatur; haec enim pugna contra superbiam est. Cilicium quippe elationem mentis insurgere prohibet; flexio quoque genuum ad suspiria animum instigat; verbera etiam superbiam constringunt, suspiria eam vulnerant [2]), et lacrimae eam submergunt: suspirium quippe Deum videt, lacrima autem ipsum confitetur.

XLVIIII.

Superbia mater vitiorum.

61. Sic superbia comprimenda est. Superbia namque prima deceptio est, quae Deum respuit, unde et mater omnium vitiorum existit. Et sicut homo totum corpus suum quinque sensibus regit, ita et superbia quibusdam vitiis scilicet odio et inobedientia et inani gloria ac fallacia [3]), omne genus vitiorum sibi attrahit, et in errorem mittit. Nam superbia supra Deum ascendere voluit, et quid possibilitas ejus facere posset, tentavit; odium autem Deum confiteri noluit, sed contra justi-

[1]) *abjicientibus* W. — [2]) *vulnerat.* A, *et lacrymae illam* W. — [3]) Quintum vitium expectatur.

tiam ejus pugnavit, ubi plurima vulnera accepit; inobedientia vero praeceptis ipsius se non subdidit, et Deum nullam potestatem habere clamavit. Inanis quoque gloria hoc desideravit, quod fieri non debuit, videlicet quod se Deum nominari voluit. Fallacia etiam Deo finem imponere concupivit, et viventem Deum respuit, ac mutum Deum sibi elegit. Et sicut de Eva omne genus processit, sic et de superbia omnia mala vitiorum exorta sunt; unde et Diabolus eamdem mulierem per superbiam superavit, cum ei ut pomum comederet persuasit. Quicumque autem superbiam sibi attraxerit, caritate Dei caret [1]), et in rore benedictionis virtutum non germinat. Quapropter homo, qui Deo humiliter servire vult, illam fugiat [2]), et eam de se omnino expellat. Haec autem de poenitentium animabus purgandis et salvandis dicta sunt, et fidelia sunt, et fidelis his attendat, et ea in memoriam bonae scientiae componat.

62. Vidi etiam ejusdem multitudinis alios spiritus qui clamabant dicentes: Quae gloria et quod regnum est quod nullus capere possit? Isti hominibus persuadent ut nullum donum Dei in homine ament, sed quod sibimetipsis placeant, et quod prosperitati et bonis ac felicibus operibus aliorum invideant.

L.

De invidiae poenis purgatoriis.

63. Et vidi montem magnum et cavum, qui interius igne et fervente pice toties ardebat, et in quo multitudo viperarum discurrebat, et qui angustum os habebat, per quod animae intrabant et exibant. Sed et juxta montem istum frigus maximi horroris erat, igneam nebulam ac in ea plurimos scorpiones super se habens. His autem cruciatibus animae illorum torquebantur, quae dum in saeculo essent, invidiae cum odio insudaverant; ita quod de poenis montis hujus ad poenas frigoris juxta sepositi, et de poenis ejusdem frigoris ad poenas ejusdem montis transibant. Quia enim in cordibus suis super alios per invidiam efferbuerant, in igne montis istius ardebant; et quia prosperitati et actibus aliorum invidiose detraxerant, pice ejus inficiebantur; et quia mordaciter et impie alios sic cruciaverant, a viperis ipsius torquebantur. Sed et propter odium quod in invidia habuerant, frigus juxta eumdem montem positum sustinebant; et propter crudelitatem ejusdem odii, igneam nebulam ejus sentiebant; et propter mordacem ferocitatem ipsius, scorpiones ejus passi sunt. Et quoniam invidiam cum odio et odium cum invidia in se habuerunt, de poenis illis ad istas et de istis ad illas ibant.

LI.

De poenitentia invidiae.

64. Et vidi et intellexi haec, audivique vocem de praefata vivente luce iterum mihi dicentem: Haec quae vides, vera sunt. Unde homines si hos pessimos spiritus

[1]) *carebit* W. — [2]) *fugiet* W.

invidiam et odium sibi suggerentes, et poenas istas devitare voluerint, cilicio et flagellis se castigent, ac genua sua ad Deum inclinent, quoniam multos invidiose irritaverunt, et quoniam multos per invidiam et odium prosperitatibus suis despoliaverunt.

LII.

De peccato invidiae.

65. Invidi namque bonum quod in aliis vident et sciunt, non amant, nec confitentur, sed facta sua in planis et rectis viis prospere incedere proclamant; unde Deus cadere eos permittit, quia in stabilitate stare nolunt, velut Judaei nolebant, qui quod sciebant spernebant, et quod videbant recusabant, et qui recta itinera deserebant, et per injusta incedebant, cum illum quem eis ad redemptionem miseram, ne surgeret, opprimere per contraria opera conabantur. Nam et solem doctrinae lucere videbant, et eum offuscare festinabant; et mirabilia ejus sentiebant, quae omnino per nequitiam invidiae delere contendebant. Quapropter illos destruxi, et velut pulverem eos dissipavi, quoniam his quae viderunt, non crediderunt, quia recto judicio coram Deo et hominibus cadet, qui bona et sancta quae videt et novit, imitari contemnit.

LIII.

Invidia Diabolo assimilatur.

66. Invidia enim nihil boni facit, sed et illum laedendo dejicit, qui in ipsa stare videtur. Itaque cum ipsa odium sibi conjunxerit, omnes vires animae hominis commovet. Homo enim qui in nigredine invidiae odium habet, calore Spiritus Sancti caret, in quo laeta et infinita dies gaudiorum est. Gaudium autem istud odiosus non habet, quoniam utilitati aliorum non congaudet; sed quia eam cum acerrimo odio transmordet [1]), quapropter, Diabolo assimilatur, qui in primo ortu suo odium habere coepit, unde etiam omnia ornamenta coeli perdidit, quia per invidiam et odium Deo resistere tentavit. Quod qui Deo famulari desiderant, facere erubescant, et haec mala de se projiciant [2]), nec speculum animarum suarum per illa obnubilent. Haec autem de poenitentium animabus purgandis et salvandis dicta sunt, et fidelia sunt, et fidelis his attendat, et ea in memoria [3]) bonae scientiae componat.

67. Sed et ejusdem multitudinis alios spiritus vidi, qui magno clamore vociferabantur: Alium Deum praeter illum qui Lucifer est, non invocabimus, quia magnificam gloriam cum ipso habebimus. Et hi hominibus inanem gloriam ostendunt, et ut illi studiose insistant, exhortantur.

[1]) Hic series non nihil ambigua est. — [2]) *projiciat* A. — [3]) alibi *in memoriam*.

LIV.

De inanis gloriae poenis purgatoriis.

68. Et ecce paludem longam et latam vidi, multam sordem, multaque genera vermium in se habentem, ac pessimum foetorem de se emittentem, in quo animae illorum affligebantur, qui dum in saeculo viverent, maximo studio ad inanem gloriam anhelaverant. Nam quia [1]) inaniter gloriari satagebant, sorde ejusdem paludis inficiebantur; et quia etiam in eodem vitio superbierant, a vermibus istis torquebantur; et quia sic ubique indiscrete fecerant, praedicto foetore laedebantur.

LV.

De poenitentia inanis gloriae.

69. Et vidi et intellexi haec. Et iterum de praefata vivente luce audivi vocem ad me dicentem: Haec quae vides, vera sunt, et ut ea vides, ita sunt. Sed homines, qui spiritus inanem gloriam sibi praeponentes, superare studuerint, et tormenta ejusdem vitii effugere optaverint, jejuniis ac verberibus se affligant, ac plurimas supplicationes Deo offerant, ac idem vitium omnino fugiant.

LVI.

De peccato inanis gloriae.

70. Inanis enim gloria ad sinistram respicit, et considerat quid per irrationalitatem facere possit, ac propriam voluntatem suam ubique habere vult, et prae caeteris se ornat, et prae caeteris honorari et laudari desiderat. Unde cum se ornaverit [2]), Deum non timet, et cum honorari quaesierit, ipsum non diligit, et cum laudari studuerit, justitiam Dei relinquit. Nam propter delectationem voluntatis suae, Deo obsequium non praebet, quoniam eum non timet, nec amat, nec praecepta ejus servat. Quapropter et illi qui eam sequuntur, quidquid per se discunt, et quidquid per se disponunt, hoc sibi optimum computant, quoniam culturam Dei non quaerunt, nec Filium Dei diligunt; sed omnia quae sancta et justa sunt, in irrisionem voluptatis suae ducunt. Sed qui Deo fideliter servire desiderant, hanc inanitatem abjiciant, et contritionem animi sui cum beatis operibus firmiter teneant. Haec autem de poenitentium animabus purgandis et salvandis dicta sunt, et fidelia sunt, et fidelis eis attendat, et ea in memoriam bonae scientiae componat.

71. Alios quoque ejusdem multitudinis vidi spiritus, quos etiam sic vociferantes audivi: Deus solus Deus esse non debet, sed et alius praeter eum, omnipotens erit. Hi homines ad inobedientiam exhortantur, et ut praelatis suis resistant, eis ostendunt.

[1]) *nam qui* W. — [2]) *ornaverint* W.

LVII.

De inobedientiae poenis purgatoriis.

72. Vidi quoque densissimas tenebras, in quibus animae illorum qui dum in corporibus suis fuissent, inobedientiam sibi associaverunt, super igneum pavimentum quasi errando incedebant; quos etiam [1]) acerrimi vermes super idem pavimentum jacentes, morsibus suis [2]) attrectabant. Quoniam enim coeci erant, ubi praecepta praelatorum suorum implere noluerant, in eisdem tenebris errabant; et quoniam per inobedientiam secundum voluntates suas proterve ambulaverant, in igne pavimenti hujus incedebant; et quoniam praelatis suis contumaciter repugnaverant, a vermibus istis puniebantur. Et vidi et intellexi haec, audivique iterum de praefata vivente luce vocem dicentem ad me: Haec quae vides, vera sunt, et ut ea vides, ita sunt.

LVIII.

De inobedientiae poenitentia.

73. Unde homines qui inobedientiae obtemperant, si hos spiritus eam sibi demonstrantes, de se excutere contenderint, et poenis ejusdem inobedientiae abesse desideraverint, flexis genibus coram praelatis suis, verbo humilitatis veniam petant, ac jussione eorum per aliquod tempus solitariam vitam aggrediantur, et jejuniis ac verberibus interim affligantur, et etiam aspera veste interius induantur, et sic cum aequitate justitiae inter filios Patris recipiantur.

LVIIII.

De peccato inobedientiae.

74. Inobedientia enim pessimum malum est, nec Deum timere vult, nec hominem honorat. Nam qui hoc vitium sequuntur intra se dicunt: Wah! quid videmus? et quid facere possumus, quod nobis per coecos imponitur? Nescimus quid sit. Justitia enim nostra major et utilior justitia illorum est. Et quid nobis proderit, si hoc opere perfecerimus, quod per invidiam et per odium nobis injungitur? Nihil enim utilitatis inde consequemur. Nam per hoc nos superare volunt. — Sed qui spem suam in Deo ponere vult, beatam subjectionem arripiat, et praecepto majorum suorum obediat; nec illum sequatur, qui dum Creatori suo subjectus esse noluit, de altitudine coeli ad ima inferni corruit. Haec autem de poenitentium animabus purgandis et salvandis dicta sunt, et fidelia sunt, et fidelis his attendat, et ea in memoriam bonae scientiae componat.

75. Deinde [3]) praedictae multitudinis alios spiritus vidi, qui multo clamore voci-

[1]) *quas etiam* W. — [2]) *suis* om. W. — [3]) *deinde alios p. m. s. vidi* W.

ferabantur dicentes: Deus finem accipiet, et alius ei succedet. Isti hominibus infidelitatem proponunt, et ne in Deum confidant, eis persuadent.

LX.

De infidelitatis poenis purgatoriis.

76. Et vidi maximum ignem, maximis tenebris circumdatum, sub quo etiam mirae longitudinis et latitudinis ac profunditatis foetens lutum erat; sed et in igne isto et in eodem luto, plurimi et horribilis formae vermes discurrebant. In his autem poenis animae illorum fuerunt, qui in saeculo viventes, in Deum non confidebant, sed eum quasi sculptile pro nihilo computaverant. Nam propter malignitatem quam in se habuerant, in igne isto ardebant; et propter infidelitatem qua in Deum respicere noluerant, eisdem tenebris circumdatae erant; et propter incredulitatem quae omne conveniens gaudium creaturarum Dei in calumniam et in dolorem verterant, luto hoc infectae sunt; ac propter diffidentiam qua in Deum non speraverant, cruciatus eorumdem vermium sustinebant.

LXI.

De poenitentia infidelitatis.

77. Et vidi et intellexi haec. Et iterum de praefata vivente luce audivi vocem mihi dicentem: Haec quae vides, vera sunt. Homines autem qui in infidelitate tabescunt, ut spiritus illam sibi suggerentes exsuperent, et ut de poenis istis se eripiant, jejuniis et flagellis, orationibus et genuum flexionibus se castigent, quatenus divina virtus facta et dicta infidelitatis ab eis avertat.

LXII.

De peccato infidelitatis.

78. Infidelitas enim Deo resistit, et contra homines pugnat, nec Deo, nec hominibus confidit; sed multoties intra se dicit: Quid sum? quid fui? et quid ero? Qui haec dicunt, coeci sunt; quoniam salutem in Deo esse desperant, et quoniam [1]) nulli confidunt, quoniam nec diem nec noctem scire volunt. Nam cum Deum scire nolunt, diem abnegant; et cum judicia ejus non verentur, noctem non timent; et cum infideles hominibus sunt, creaturam Dei contemnunt, ubi etiam in cogitationibus suis excoecantur, cum nullam dispensationem rectam in se habent. Quapropter et de eis dictum est:

[1]) *desperant, quo nulli* A.

LXIII.

Verba David ad eamdem rem.

79. *Decidant a cogitationibus suis, secundum multitudinem impietatum eorum; expelle eos, quoniam irritaverunt te, Domine.* [1]) Quod etiam sic intelligendum est. Perversi, in nequitia perversitatis suae inanes, cadent, cum absque consolatione et absque salute laudis et gloriae a cogitationibus suis [2]) vacui remanent. Unde tu qui omnia juste dispensas, juxta multiplicitatem ponderis impietatum eorum, quia plurimae sunt, expelle eos [3]) a te, qui te irritantes, projecerunt te a se. Magna namque impietas in hominibus illis est, qui hoc quod juste scire et prospere facere possent, scire et facere spernunt, sed ad alienam rem, quae ad eos non pertinet [4]) et quam neque vident, neque sciunt, se vertunt; et hoc esse computant, quod non est. Ipsa quoque impietas infidelitatis talis est, quod unamquamque rem constituit, et disponit, quasi creatrix ejusdem rei sit, et multa odio habet, quoniam semper ad aliena respicit. Unde qui illam sibi associant, nihil sunt, quoniam Deum irritantes, ad nihilum rediguntur; quia gloriam Dei et gaudium quod in Deo est, renuunt; et quia Deum non venerantur, quemadmodum nec homo inimico suo honorem exhibet. Sed beati, qui Deum diligunt! Infidelitatis opera fugiant, et fidelitatem ad cuncta bona tenentes, Deo se conjungant, quoniam magis cum ipso quam cum Diabolo esse malunt. Haec autem de poenitentium animabus purgandis et salvandis dicta sunt, et fidelia sunt, et fidelis his attendat, et ea in memoriam suam bonae scientiae componat.

80. Sed et alios ejusdem multitudinis vidi spiritus, qui etiam sic vociferantes clamabant: Festinemus, ut Lucifer voluntatem suam perficiat. Et hi homines ad desperationem instigant, et ne spem suam in illum qui eos creavit, ponant.

LXIIII.

Desperationis poenae purgatoriae.

81. Et ecce fossam multae latitudinis vidi, quae etiam tantae profunditatis erat, quod finem ejusdem profunditatis considerare non poteram, et in qua maximus ignis ardens maximum foetorem ex se reddebat. Animae autem illorum in fossa ista erant, qui de gratia et de misericordia Dei desperaverant, dum in corporibus suis fuissent. Quia enim spem salvationis deesse abjecerant, in fossa hac erant; et quia hoc modo plurima peccata commiserant, in igne ejus ardebant; et quia in eisdem peccatis moderationem non habuerant, foetorem ejusdem ignis sentiebant. Et vidi et intellexi haec.

[1]) Ps. V, 11. — [2]) *sui* A, W. — [3]) *illos* W. — [4]) *pertinent* W.

LXV.

De poenitentia desperationis.

82. Et de praedicta vivente luce vocem iterum mihi dicentem audivi: Haec quae vides, vera sunt. Sed istis qui desperationem sibi accumulant, et qui bonitati Dei non confidunt, Deum habentibus quasi Deus non sit, quid aliud aderit, quam mors? Sed ut malignis spiritibus, ad desperationem eos exhortantibus, resistant, et ut desperationem de se abigant, puris orationibus et genuum flexionibus bona voluntate insistant; sed ut ponderosa jejunia et alios graves labores arripiant, eis non expedit, ne in majorem desperationem incidant, quia plurimos dolores in cordibus suis per hoc vitium cum acerrima amaritudine ferunt.

LXVI.

De peccato desperationis.

83. Desperatio namque corpus hominis laedit, animam ejus occidit, Deum quoque contemnit, et judicia ejus postponit, et adjutoria ejus in nullo esse fatetur. Ac intra semetipsam dicit: Quae sunt quae Deus fecit? et ubi ego esse [1]) potero, nisi in perditione? Sic desperatio ab omni bono destruitur [2]), scilicet a fide projicitur, et a lege Scripturarum deletur, quoniam cum his omnia bona probantur et noscuntur, quemadmodum cum argento omnia commutantur et comparantur. Ipsa enim nec in Deum confidit, nec in eum credit, nec intelligit, nec scit quid ipsa sit. Et quoniam talis est, eam Deus in omnibus [3]) et prae omnibus destruit. Lignum namque si viriditatem in se non haberet, lignum non esset, et si pomifera non florerent, fructum non ferrent. Sic etiam et homo sine viriditate fidei nihil est, et sine intellectu doctrinae et Scripturarum fructum non dat. Unde et circuitus cordis hominis [4]), in quo mortifera per desperationem componuntur, per divinam potentiam destruitur, quia Deus desperationem dejicit, nec ulla creatura in illa laetatur. Haec autem de poenitentium animabus purgandis et salvandis dicta sunt, et fidelia sunt, et fidelis his attendat, et ea in memoriam bonae scientiae componat.

84. Alios quoque praedictae multitudinis spiritus vidi, quos etiam sic vociferantes audivi: Numquid magnum est quod Lucifer fecit? Et nos unum cum illo sentimus. Isti homines ad luxuriam pertrahunt, et ut delectationem carnis suae compleant, exhortantur.

LXVII.

De luxuriae poenis purgatoriis.

85. Et vidi maximum ignem, fortissimo ardore ardentem, et totum pessimo ve-

1) *esse* om. A — 2) f. *destituitur.* — 3) *in hominibus* A — 4) *omnis* W.

neno ac foetente sulphure perfusum, de quorum etiam nequissima fortitudine fortiter fervebat, ita quod etiam infectione istorum commotus, magnos crepitus dabat. Et animae illorum his poenis torquebantur, qui dum in corporibus suis fuissent, luxuriae et fornicationi servierant. Nam propter incendium luxuriae, ignem istum passae sunt; et propter delectationem immunditiae, quam in ea exercuerant, veneno hoc infectae sunt; et propter incessabile facinorosum opus ipsius, eodem sulphure puniebantur.

LXVIII.

De adulterii poenis purgatoriis.

86. Sed et in igne isto alius ignis erat, cui maligni spiritus animas eorum qui adulteria perpetraverant, ita imponebant, et iterum extrahebant, velut virga hac et illac inflectitur quae sepi imponitur. Quia enim dum istae in saeculo fuissent, adulterina corpora habuerant, in praefato igne alio igni imponebantur, et quia alienis hominibus se conjunxerant, in diversitatem diverso modo inflectebantur [1].

LXVIIII.

De eorum qui votum castitatis violaverunt poenis purgatoriis.

87. Vidi quoque in magnam altitudinem cujusdam aeris, ubi grando igne et frigore permixta descendebat. Et in altitudine ista illorum animae erant, qui dum in corporibus suis fuissent, castitatem suam Deo voverant, et idem votum violaverant, et de eadem altitudine cadebant, et iterum ad eam velut vento projectae redibant, quadam ligatura tenebrarum ita involutae, quod se movere non poterant, sed grando haec ignis et frigoris super eas cadebat [2]. Et maligni spiritus improperium eis faciebant, vociferantes: Quare votum quod vovistis, turpiter dereliquistis? Nam propter votum castitatis, quod non persolverant, de ista altitudine cadebant; et propter oblivionem, qua voti sui recordari noluerant, cum libere peccabant, ligatae in eisdem tenebris jacebant; et propter voluptatem carnis, qua amorem Dei postposuerant, grandinem ignis et frigoris hujus sustinebant.

LXX.

De poenis purgatoriis eorum qui humanam naturam in contraria fornicatione everterunt.

88. Sed et latam et profundam paludem vidi, pessimo luto plenam, in quo idem lutum sulcando animae illorum ibant, qui dum in saeculo fuissent, humanam naturam et in semetipsis, ac in masculis et in feminis, et contraria fornicatione everterant. Et maligni spiritus igneam aquam super eos fuderunt, ac etiam igneis furcis

[1]) *flectebantur* A. — [2]) *cadebant* W.

in idem lutum se abscondere coegerunt. Nam quia humanam naturam tam in semetipsis, quam in aliis fornicando destituerant, lutum istud sulcabant; et quia hoc cum ardore pessimae libidinis fecerant, maligni spiritus eas ignea aqua perfundebant; et quia etiam humanum pudorem in hoc vitio abjecerant, ab iisdem spiritibus igneis furcis in ipsum lutum retrudebantur.

LXXI.

De poenis eorum qui se pecoribus in fornicatione miscuerunt.

89. Et vidi quod maligni spiritus animas illorum qui se pecoribus in fornicatione commiscuerant, per quosdam ignes velut spinas et tribulos acutos, igneis flagellis [1]) caedentes, hac et illac transire cogebant; et quod etiam eadem pecora eis improperabant. Propter inhumanam quippe commixtionem, acuminibus ignium istorum torquebantur; et propter contrariam ejusdem commixtionis libidinem, igneis flagellis affligebantur; et quoniam non consideraverant quid facerent, improperia ejusdem peccati audiebant. Et vidi et intellexi haec.

LXXII.

De luxuriosi poenitentia.

90. Et de praefata vivente luce audivi vocem iterum dicentem ad me: Haec quae vides, vera sunt, et ut ea vides, ita sunt, et plura sunt. Unde homines qui spiritus luxuriam fornicationis eis persuadentes, superare voluerint, et poenis ipsius abesse optaverint, jejuniis et verberibus se castigent, ac purissimis orationibus carni suae fatigationem imponant, quatenus eam hoc modo bono desiderio spiritus subjiciant.

LXXIII.

De vitio fornicationis.

91. Fornicatio enim pessimis aspidibus, qui supplicando decipiunt, similis est, et etiam malignitatem Diaboli qui occidit, et justitiam relinquit, in se habet [2]). Quapropter homines qui luxuriam condiligunt in fornicatione [3]), et legalia instituta negligunt, animas et corpora sua ita occidunt, velut bestia quae aliam in putridum cadaver redigit.

[1]) Quae sequuntur a verbo *caedentes* usque ad *flagellis* om. A ex voce simili iterata. — [2]) *relinquunt, in se habent* W. — [3]) *luxuriam in fornicatione diligunt* W.

LXXIIII.

De fornicatione ex magicis artibus.

92. Sed qui per pessimas artes, ligatura immunda copulationis se invicem complicant, digni non sunt ut legali institutione conjungantur, quoniam artibus idolatriae [1]) seductionis se prius colligaverant.

LXXV.

De adulterii poenitentia.

93. Qui autem adulterina fornicatione se foedaverint, et justam copulationem quam Deus conjunxit, nefaria transgressione disruperint, si poenas ejusdem peccati evadere desideraverint, asperam vestem induant, ac asperrimis jejuniis ac verberum castigationibus secundum praeceptum rectoris sui se affligant.

LXXVI.

De peccato adulterii.

94. Nam transgressio haec iniquitas magna est, et omnibus inconveniens et intolerabilis est. Cum enim Deus primum hominem formavit, mulierem etiam de costa ejus eduxit, et ita caro una duo facti sunt; qui etiam deinde dono Dei perfusi, in amore uno vivebant. Unde homines qui per legale conjugium conjunguntur, et pacto antiquae auctoritatis sanctificantur, si postea idem pactum violaverint, et ad alienos se [2]) extenderint, robur virtutis suae amittunt, ac in viribus suis debilitantur: sicut et Samson [3]) debilitatus est, cum uxor ipsius eum fraudavit; ac se in magnum casum praecipitavit [4]), quemadmodum et ille semetipsum in mortem tradidit.

LXXVII.

De poenitentia virginum lapsarum.

95. Sed qui votum castitatis scindunt, et castitatem quam Deo voverunt, non persolvunt, ut tormenta ejusdem piaculi imminuant, si virgines Deo consecratae fuerunt, velamina virginitatis deponant, et per rectorem animarum suarum velamina viduitatis recipiant, et deinde tam ipsae quam illae quae votum viduitatis Deo obtulerunt, et hoc in ardore libidinis neglexerunt, asperitate vestium et jejuniorum ac verberum se puniant, et flexione genuum ac orationum gratiam Dei requirant.

[1]) quasi adject. ab *idololatria.* — [2]) *se* om. A. — [3]) *sicut et Sanson* A. — [4]) *praecipitat* A.

LXXVIII.

Quod voti violator pagano assimilatur.

96. Qui enim Deo se obtulerit, et post tergum respexerit, saeculum quod reliquerat amplectendo, pagano assimilatur, qui idola, et non Deum adorat, quia propriam voluntatem suam pro Deo habet. Nam sicut Pharao facit, qui populum Dei quem dimiserat persecutus, capere voluit, et in mari rubro submersus est, ita et iste qui proprietatem voluntatis suae, quam propter Deum reliquerat, et denuo retrahit, crudeli morte submergitur, quoniam sicut vita in veteri Lege esse non potuit, sic iste in transgressione hac vitam promereri non poterit.

LXXVIIII.

De poenitentia peccati contra naturam.

97. Qui vero contraria fornicatione, et in masculis et in feminis, rectitudinem humanae naturae destituerint, et poenis ejusdem peccati per poenitentiam abesse desideraverint, et ipsi cilicio et jejuniis et flagellis se castigent, ac genuum incurvationibus cum purissimis orationibus Deum sibi placabilem faciant.

LXXX.

De eodem.

98. Hoc peccatum enim turpe et facinorosum est, et in homine per diabolicam artem se erexit, quemadmodum mors hominem in casu Adae intravit, cum a Deo recessit. Deus namque hominem ad magnum honorem et ad gloriosum nomen creavit; sed serpens eum decepit, et homo consilium illius suscepit, ac ita cognitionem omnis vocis cunctorum animalium, quam spirante sono proferunt, amisit. [1]) Et peccatum hoc vis cordis Diaboli est; unde hominibus suadet [2]), ut naturalem usum in bestiales mores immutent, et ut turpitudinem in semetipsis operentur, quoniam propter primum odium, quod ad fecunditatem mulieris habuit, illam adhuc persequitur, ne partum proferat [3]); sed mavult quod homines in contrarietate se polluant. Et quia Deus voluit quod genus humanum de femina procrearetur, magnum scelus est, quod homo semen suum in confusionem ducit, cum idem peccatum perpetrat.

1) Haud ita trita est Hildegardis sententia, qua scilicet ex peccato originis homo cessaverit voces omnium animalium, fortasse et avium intelligere. — 2) *suadent* W. — 3) *proferant* W.

LXXXI.

De eodem.

99. Sed et qui pecoribus se commiscent, ita quod gloriosam humanam naturam huic pessimae turpitudi immittunt, et postea facinorosum reatum suum cognoscentes, pro eodem reatu se afflictione supponere contendunt, acerrimis jejuniis ac durissimis verberibus se puniant, et genus pecoris illius, cum quo peccaverunt, deinceps fugiant, quatenus poenitendo Diabolo scandalum afferant.

LXXXII.

De eodem.

100. Homo enim qui cum pecoribus per fornicationem peccat, facit sicut ille qui vas fictile parat, et hoc Deum suum esse dicit, et sic Deum inhonorat, quia rationalitatem irrationali et contrariae naturae conjungit. Iste duro et frigido lapidi assimilatur, quoniam magna duritia est, quod homo ita obduratur, quod ad quem honorem creatus sit, non recordatur; atque maximum frigus est, quod in intellectu suo ignem ardoris Spiritus Sancti extinguit, cum peccatum istud in pessima coecitate perficit. Quapropter anima illius, quae inextinguibilis est in vase corporis sui, dolet, cum ille peccatum hoc perpetrat, quoniam istud nequius vermibus est, qui de natura sua non recedunt.

LXXXIII.

De peccato luxuriae.

101. Sed et cum homo per gustum carnis in luxuria praevaricatur, daemonibus oblationem offert. Cum enim ad mala haec opera per gustum movetur, oculos bonae scientiae animae obtenebrat, quasi cum manibus suis oculos suos tegat, et sic cum opere iniquitatis hujus in tenebras vadit, dicens: Stare non possum, velut caro non sim. De cibis namque et de potibus vivo, sicut Deus me constituit, et ideo ab hujusmodi operibus me abstinere non possum. Et sic homo in sensu suo et in operibus malis velut molendinum currit, et sibimetipsi per voluntatem maledictorum operum ruinam aedificat, ac per osculum et per odorem concupiscentiae peccata luxuriae ad se colligit. Nam flamma ignis luxuriae in umbilico mulieris accenditur, sed [1]) in lumbis viri pleniter perficitur; et his diabolica persuasio accedit, quia Diabolus malum consilium in muliere incepit, et illud in viro perfecit, quemadmodum cum ignis per aliam rem afflatur [2]), plenius ardet. Sed quia Deus hominem absque omni inanitate creavit, et quia per bonam scientiam omnia bona

[1]) *et in* A. — [2]) *inflatur* A.

illi ostendit, omnia opera ejus secundum merita ipsorum judicabit, velut etiam David spiritu prophetico per me inspiratus, loquitur dicens:

LXXXIIII.

David ad eamdem rem.

102. *Judicabit orbem terrarum in justitia, et populos in aequitate.* Quod etiam sic intelligendum est. Deus qui omnia juste discernit, justo judicio judicabit circulum terrae, qui [1]) ad serviendum homini positus est, ita quod in omnibus terrenis creaturis nullo germine caret; sed cum peccatis hominum violatur, per justitiam juste purgabitur, ne rubigine iniquitatis inquinatus appareat. Sed et homines qui ad hoc [2]) constituti sunt, ut in praeceptis Dei quieta mente perdurent, recto modo aequitatis judicabit, ita quod aut in praesenti vel in futuro saeculo purgabuntur, cum praevaricatores praeceptorum ejus extiterint. Nam cum gratiam Dei vivendo et sciendo neglexerint, et se peccatis [3]) implicaverint, ut ab his purgentur, eripiendi tamen poenis condignis supponentur, quia quamvis tarde, ad gratiam Dei vel in fine suo per poenitentiam respiciunt, unde purgati ad salvationem resurgunt.

Haec autem de poenitentium animabus purgandis et salvandis dicta sunt, et fidelia sunt, et fidelis his attendat, et ea in memoriam bonae scientiae componat.

[1]) *quia ad* A. — [2]) *adhuc* A. — [3]) *se in peccatis* A.

FINIT TERTIA PARS.

CAPITULA QUARTAE PARTIS

DE VIRO AD AUSTRUM ET AD OCCIDENTEM ASPICIENTE.

I. *Verba injustitiae.*
II. *Responsum justitiae.*
III. *Verba torporis.*
IV. *Responsum fortitudinis.*
V. *Verba oblivionis.*
VI. *Responsum sanctitatis.*
VII. *Verba inconstantiae.*
VIII. *Responsum constantiae.*
VIIII. *Verba curae terrenorum.*
X. *Responsum coelestis desiderii.*
XI. *Verba obstinationis.*
XII. *Responsum compunctionis cordis.*
XIII. *Verba cupiditatis.*
XIIII. *Responsum contemptus mundi.*
XV. *Verba discordiae.*
XVI. *Responsum concordiae.*
XVII. *Verba zeli Dei.*

XVIII. *Quod homo per veram obeditionem ad gratiam Dei redeat, et creatori suo adhaereat.*

XVIIII. *Quod Deus hominem monet ut lucem beatitudinis attendat.*

XX. *Quod terra sustinens et portans caeteras creaturas, hominem quoque in omnibus necessitatibus quae corporis ejus sunt, conservat.*

XXI. *Quod terra materia hominis existit, qui materia humanitatis Filii Dei est.*

XXII. *Quod anima suspiria ad Deum habens, et in beatis virtutibus germinans, materia bonorum operum existit.*

XXIII. *Quod Filius Dei in corde Patris latens, postea homo factus baptismum attulit.*

XXIIII. *David ad eamdem rem.*

XXV. *Quod octo vitia octo beatitudinibus repugnantia, in perditionem redire coguntur.*

XXVI. *Specialiter de injustitia et habitu ejus et quid significet.*

XXVII. *Specialiter de torpore et habitu ejus et quid significet.*

XXVIII. *Liber Sapientiae ad eamdem rem.*

XXVIIII. *Specialiter de oblivione et habitu ejus et quid significet.*

XXX. *Specialiter de inconstantia et habitu ejus et quid significet.*

XXXI. *Specialiter de cura terrenorum et habitu ejus et quid significet.*

XXXII. *Specialiter de obstinatione et habitu ejus et quid significet.*

XXXIII. *David ad eamdem rem.*

XXXIIII. *Specialiter de cupiditate et habitu ejus et quid significet.*

XXXV. *Specialiter de discordia et habitu ejus et quid significet.*

XXXVI. *In Actibus Apostolorum ad eamdem rem.*

XXXVII. *Item specialiter de forma zeli Dei et quid significet.*

XXXVIII. *Quomodo fidelis homo contra se loquitur, peccata sua pavens, et vi-*

tam suam protrahi volens, quatenus peccata sua emendet.

XXXVIIII. *Quod zelus Dei adversus diabolicas suggestiones invincibilis est.*

XL. *Quod hominem, qui se pro peccatis suis punit, zelus Domini minus ferit.*

XLI. *Quod homo* [1]) *peccata sua recognoscendo, et ad Deum suspirando, et sancta opera aedificando, Diabolum erubescere facit.*

XLII. *David ad eamdem rem.*

XLIII. *Item de quibusdam purgatoriis poenis animarum quorumdam hominum qui in injustitia peccaverant, et cur easdem ita patiantur.*

XLIIII. *Quomodo homines poenitendo peccatum injustitiae in semetipsis deleant.*

XLV. *Qui injustitiam diligunt, legem servare nolunt, quoniam in injustitia nullus ordo aequitatis reperitur.*

XLVI. *Quod fidelis Creatorem suum laudet, quoniam anima multoties planctus educit, cum symphoniam audit.*

XLVII. *Item de quibusdam aliis purgatoriis poenis quarumdam animarum quae in saeculo per torporem deliquerant, et quare illas hoc modo sustineant.*

XLVIII. *Qualiter homines qui in torpore peccant, idem peccatum poenitentes in se puniant.*

XLVIIII. *Quod torpor in pigritia jacens, et sicut inutilis arbor existens qui fructus non facit, bonum operari postponit.*

L. *Item de quibusdam purgatoriis poenis quarumdam animarum hominum illorum qui in oblivione Dei peccaverant, et cur eas sic patiantur.*

LI. *Quomodo homines poenitendo peccatum oblivionis in corporibus suis deleant.*

LII. *Quod oblivio Dei tenebris infidelitatis cor hominis circumdat.*

LIII. *Verba de libro Sapientiae.*

LIIII. *Item de quibusdam purgatoriis poenis animarum quorumdam hominum qui in inconstantia deliquerant, et quare illas sic habeant.*

LV. *Qualiter homines peccatum inconstantiae in semetipsis per poenitentiam abjiciant.*

LVI. *Quod inconstantia per viam unam incedere nolens, sed voluntatem suam retinens, similis est simulacro.*

LVII. *Item de aliis quibusdam purgatoriis poenis animarum quorumdam hominum qui in cura terrenorum peccaverant, et cur easdem hoc modo patiantur.*

LVIII. *Quomodo peccatum curae terrenorum homines poenitendo in corporibus suis examinent.*

LVIIII. *Quod qui curam terrenorum diligunt, sic creaturam inspiciant, et sic creaturis communicent, ac aratrum cum bubus sic apprehendant, ut tamen ad Deum aspiciant.*

LX. *Item de aliis quibusdam purgatoriis poenis quarumdam animarum hominum, quae in obstinatione peccaverant, et quare eas sic patiantur.*

LXI. *Qualiter per poenitentiam homines peccatum obstinationis in semetipsis puniant.*

LXII. *Sicut talpa terram ejicit, sic obstinatio quaeque bona evertit.*

LXIII. *Quod quia Deus Job valde amavit, multas tribulationes super ipsum posuit.*

LXIIII. *Item de quibusdam purgatoriis poenis animarum quorumdam hominum qui in cupiditate peccaverunt, et cur illas hoc modo sustineant.*

[1]) *quod homo qui* A, W.

LXV. *Quomodo homines poenitendo peccatum cupiditatis in se purgent.*

LXVI. *Quod cupiditas, canibus et avibus qui non saturantur similis existens, ad illa quae aliena sunt respicit.*

LXVII. *Item de quibusdam aliis poenis purgationum animarum quorumdam hominum qui in saeculo peccata sibi attraxerant, et quare eas ita patiantur.*

LXVIII. *Qualiter peccata discordiae homines per poenitentiam in corporibus suis puniant.*

LXVIIII. *Quod qui discordiam diligunt, a maligno spiritu fatigantur, ita quod discors et impoenitens homo in magnum casum* [1]) *cadit.*

LXX. *Verba Evangelii.*

[1]) *in magno casu* A.

INCIPIT QUARTA PARS

DE VIRO AD AUSTRUM ET AD OCCIDENTEM ASPICIENTE.

Vidi quoque quod praefatus vir ad Austrum se convertit, ita quod Austrum et Occidentem inspiciebat. Et terra in qua idem vir a genibus usque ad suras suas erat, humorem et viriditatem ac germen in se habuit; et quasi floriditas ac decor virtutis ejusdem viri fuit, velut virtus ipsius per eam decorata esset, quia in diversis generibus fertilis est, scilicet quoniam omnia formata in terrenis creaturis de terra producta sunt. Ipsa quoque materia operis Dei in homine est, qui materia humanitatis Filii Dei est. Et ecce in supradicta nebula, quae diversa genera vitiorum in se habuit, ut praefatum est, nunc etiam octo vitia in imaginibus suis hoc modo videbam. Nam prima imago caput ut hinnulus cervorum habebat, et caudam ut ursus, reliquum vero corpus ejus porco assimilabatur.

I.

Verba Injustitiae.

2. Et eadem imago dicebat: « Super quem justitiam meam ponam? Super nul-
» lum. Nam si illum et illum inspicerem, creatura Dei non essem, sed sicut asel-
» lus essem, qui tarde incedit, nisi per stimulum minetur. Sapientior enim et pru-
» dentior aliis sum. Solem quoque et lunam ac stellas ac caeteras creaturas scio,
» et unamquamque rem et causam recte constituo. Et quare me ipsam repudia-
» rem, quasi nihil scirem? Si etiam alicujus constitutionem repudiavero, forsitan
» ille idem mihi faciet. Quod si tamen fecero, mea tamen institutio utilior est. Et
» cur in memetipsa tabescerem, velut nihil boni scirem, cum omnia quae mea
» sunt, meliora et utiliora sunt quam aliorum. Nam tantum valeo, quantum illi qui
» omnia discernunt et dijudicant. »

II.

Responsum Justitiae.

3. Et de turbida nube, quae se ab Austro ad Occidentem extenderat, ut praedi-

ctum est, audivi vocem verbis istis sic respondentem: « O ars [1]) diabolica et impudi-
» ca, quid loqueris? Omne instrumentum Deus sic instituit, quod unumquodque in
» aliud respiciat. Quanto plus enim alius ab alio sapit, quod in se nescit, tanto
» plus [2]) scientia illi adest; et ob hoc etiam oculos per scientiam habet, ut sibi pro-
» videat, ne periculum incurrat, et ne in ullo periculo periclitetur. Si enim homo
» non inspiceret, cui imperio praeesset? quae creatura illi obediret, et quae crea-
» tura illi ministraret? Homo cum adjutorio creaturarum ea quae sibi necessaria
» sunt operatur. Nam hortos rostro fodit, agros aratro evertit, cum bubus quoque
» arat, et eos ambulare jubet. Ac unumquodque genus creaturarum secundum of-
» ficium suum capit, et secundum quod illius ad utilitatem suam indiget. Et qua-
» re contemnis hominem, in quo coelum et terra intelligitur? Aut cur etiam doctri-
» nam et donum Spiritus Sancti, quod Spiritus Sanctus hominibus infudit, repu-
» dias? Homo namque aedificium et altare Deo aedificat, in quo ei serviat. Unde
» ego dona Spiritus Sancti quae in homine cognosco, opera Dei esse scio, et illis
» symphonia sum. Diadema quoque regis in creaturis et in operibus earum [3]) cum
» justitia habeo, et hos in honore inspicio, ac cum operibus ipsorum operor, ita
» quod in gaudio me habent, quoniam per viam justitiae baculus eorum sum. Qua-
» propter illi qui me contempserit, in puteum cadet. Nam de saliente fonte pro-
» cessi, nec ulla terrena causa terrebit me. Ego diluculo surrexi, ac diligentissi-
» ma amica Dei sum, et cum Deo morabor, nec ab eo recedam. Per ipsum enim
» solida salubritas sum; et in ardente ariditate non cado, quia floriditas omnium
» arborum sum, quas hiems non arefacit, et quae propter tempestatem non ca-
» dunt. In monte Sion habito, et in quiete sum, ac in mansuetudine Agni ambulo,
» et in victoria ejus surgo, ac victoria regis sum, nec victa inveniar, nemo enim
» me movebit, nemo me terrebit, quia casura non sum. »

4. Sed secunda imago puerilem faciem et albos capillos habebat, ac tunica pallidi coloris induebatur, in quam brachia et manus suas subduxerat, et per quam pedes suos ac caetera membra sua ita obtexerat, quod nullam aliam formam in ea discernere valebam.

III.

Verba Torporis.

5. Et dixit: « Cur angustam ac laboriosam vitam sufferrem? Et cur plurimas tri-
» bulationes sustinerem, cum multa peccata non fecerim? Unicuique enim creatu-
» rae esse suum adest. Multi autem lacrimantur, et ululant, ac corpus suum ma-
» cerant, ita quod vix vivere possunt [4]), et tamen pravos mores habent, et peccato
» peccatum addunt. Et quid illis praedictus labor prodest? Ego autem in mollitia [5])
» et in fuga laborum meliorem vitam aliis habeo, et nullum laborem nolo. Si enim
» laborem et alia mihi nociva fugio, num Deus propter hoc me perdet? »

[1]) An praestat singularis varietas in A: *Pars diabolica!* cf. caetera colloquia. — [2]) *plura* A, W. Emendare suadet n. 29. — [3]) *eorum* A. — [4]) *possint* W. [5]) *mollicie* W. cf. n. 19.

IIII.

Responsum Fortitudinis.

6. Et de praefata turbida nube audivi vocem huic imagini responsum dantem: « O cinis cineris, et o favilla miserae putredinis, in primo ortu corporalis imaginis » venenosa fuisti, sicut etiam in inutilitate opera tua adhuc sunt; ita quod nec » vermibus, qui in cavernulis suis laborando, ad se trahunt unde pascantur, similis » es, nec etiam volatilibus quae nidos suos colligunt, et quae etiam in angustia [1]) » pastum quaerunt, unde corpora sua reficiant. Quid enim in hac vita vitale est, » quod sine sollicitudine vivat? Nihil. Vita enim ista ab exoptabili vita illa quae » in Paradiso manet, remota est, ubi viventes oculi in beatitudine nunquam cali- » gant. Tu autem, o misera, sine Dei sapientia, et repudiata sine Dei misericordia, » habere desideras quod nullus tibi dabit, quoniam absque labore illa accipere » vis, quae in torpente pigritia tua apprehendere non poteris. Sed ego fortitudini » leonis, scilicet humanitatis Salvatoris, in regali thalamo servio, et ad omnia bona » Dei suspiro, ac ubique volo, quemadmodum ille qui pallium suum late dilatat. » Quapropter omnia genera linguarum et omnes nationes hominum, qui in bono » persistere volunt, ad me clamant, et me habere desiderant, sed te inutile cada- » ver esse computant. »

7. Et vidi tertiam imaginem, cujus caput ut caput stellionis erat, et cujus reliquum corpus corpori lacertae assimilabatur. Et coram illa nubes apparuit, quae nigra, turbida, ac nebulosa erat, et densa alba nube intermixta.

V.

Verba Oblivionis.

8. Et eadem imago anteriores pedes suos supra praedictam nubem posuerat, et dicebat: « Cum Deus me nesciat, et cum nec ego illum sciam, cur abstraherem » me a voluntate mea, quoniam nec Deus me vult, nec ego eum sentio? Unde quod » in unaquaque causa mihi prodest, et quod volo, hoc ubique inspiciam, quia quod » scio, et quod intelligo, et quod gusto, hoc faciam. Multi autem ad me clamant » de aliena vita, quam nec scio, nec audio, et quam nullus mihi ostendit. Plurimi » quoque mihi dicunt: Fac hoc et hoc, hi Deum mihi ostendant [2]), et vitam, et mer- » cedem quam receptura sum, ut sciam quid facere possim. Sed et plurimi tyran- » ni ad me currunt, et magnalia praecepta quae magis falsa quam vera sint, mihi » proponunt, et quae ipsi prorsus non faciunt. Quod autem me facere oportet, hoc » licitum est, ut mihi praecepto injungatur. Plurimos autem Deos, scilicet magi- » stros nolo. Si Deus est, certum est quod me nescit [3]). »

[1]) *angusta* male W. — [2]) *ostendunt* A. — (3) *me scit*, uterque codex, an pravo consensu?

VI.

Responsum Sanctitatis.

9. Et de praedicta turbida nube vocem audivi eidem imagini respondentem: « O velocissima perditio, quid dicis? Quis te creavit, et quis te vivere fecit? Deus. » Cur non cognoscis quod te ipsam non fecisti? Ego autem Deum invoco, et omnia » necessaria ab ipso postulo, ac praecepta ejus colligo, et in eis permaneo, ipsum » videndo et cognoscendo. Quomodo? Nam per bonam scientiam volatilis sum, in » qua etiam Deum sentio, et in qua cytharam orationis percutio, cum eum adoro, » et in qua eum cognosco. Si autem ad eadem respicerem, a Deo declinarem. Ter- » ra enim cibum ac vestimentum et alia necessaria hominibus non dat, sed Deus. » Homines haec crescere vident, sed unde et quomodo crescant non vident, sed » hoc solum sciunt, quod a Deo crescunt. Omnes enim homines et cuncta saecula » nullus posset facere crescere, nec minimum quod in mundo est, ullus posset vi- » vificare, nisi Deus, et per hoc, quod Deus sit, intelligitur. Unde in omnibus ope- » ribus suis homo devotissime Deo serviat, et a malis se abstineat, ita ne in vola- » tu scientiae suae voluntatem suam perficiat. Ego enim cingulum abstinentiae » volo habere, ac in jocundo flore beatitudinis volo permanere. Nam in vexillo coe- » remoniarum Dei dux ordinatae aciei regis sum, ubi opera sua Deus operatur. »

10. Vidi quoque rotam quasi rotam plaustri, in praefatis tenebris jacentem, quae velut a ventis agitata, ut mola circumferebatur. Et radiis ejus quatuor fustes ad staturam hominis, sursum erecti, infixi erant, inter quos super eisdem radiis quasi imago hominis stabat, quae de ipsis fustibus utraque manu fustem unum tenebat, aliis duobus ad dorsum ejus stantibus, et quae cum eadem rota circumferebatur. Capillos autem crispos et nigros habebat, et manus similes anterioribus simiae pedibus, ac pedes similes pedibus accipitris. Et indumentum ejus lineis albi ac nigri coloris distinctum erat. Sed et interdum quoddam rete ad capiendum animalia expandebat, sed nihil capiebat.

VII.

Verba Inconstantiae.

11. Et dixit: « Quare nescirem quod sum? Quod autem scio hoc facio, et si hoc » non facerem, stulta essem. Multi faciunt quod admiror, scilicet quod sapientes » se stultos faciunt, et divites pauperes, ac probi viles. Quod sum loquor, et quod » volo profero, et quod habeo non relinquo, et quod possum facio, quantum pos- » sibilitatis in hoc habeo, alioquin inanis essem. Faber enim qui opus illud non » faceret, quod facere posset, et qui artem suam desereret, nec eam exerceret, ru- » sticus esset. Hoc etiam fortuna docet. Nam cum homo prosperitatem habuerit, » faciat quod vult, quia cum prosperitas illa defecerit, quod vult facere non po- » test. Et hoc probitas est. »

VIII.

Responsum Constantiae.

12. Et iterum de praefata turbida nube audivi vocem huic imagini responsum dantem: « Tu stulta et vana es, ac in magnis viribus donorum Dei derelicta. Unde » considera. Diabolus quod potuit fecit, et in infernum cecidit. Adam quoque quod » fecit, in gustu sensit, et in omni genere suo mortalis est. Goliath etiam confisus » est perficere quod potuit, et puer illum superavit. Sed et Nabuchodonosor, filius » tuus, a te accepit quod potuit, et quis finis ejus fuit? Et alii filii tui, quomodo in » eis finem fecerunt, quae a te acceperunt? Nam Deus qui homini possibilitatem » operandi dedit, scientiam quoque discernendi quod honestum et inhonestum est, » ei tribuit. Et bonae scientiae gladium ac malae scientiae fustes dedit. Cum enim » caro pullulat, et cum animus ei consentit causam quae inutilis est, exequendo » bona, scientia gladium suum contra malam scientiam vibrat, et mala scientia » fustes suos contra illam extendit, unde homo provideat [1]) quod sibi prosit. Deus » enim malae scientiae locum ponit, et bonae scientiae scalam [2]) in coelum, quia virtus Dei est. O pessima velut mors, et quoniam aliud eligis, et áliud contemnis. » Nam in lacum descendis, et scalam ascensionis in coelum respuis. »

13. Quintam autem imaginem vidi, formam hominis et pallidos capillos habentem, ac in tenebris quasi in dolio nudam stantem.

VIIII.

Verba Curae terrenorum.

14. Et dicebat: « Quae sollicitudo sollicitudine hujus saeculi melior est? ubi gramina et pomifera, et ubi vindemia, atque alia huic vitae necessaria crescunt, » quibus homines reficiuntur, et sustentantur. Si enim ex oculis meis lacrimas » funderem, vel si in suspiriis pectus meum percuterem, vel si genua mea flecterem, inde nec cibum nec vestimentum haberem, sed deficerem. Quod si etiam ad » coelum clamarem, et si a sole et a luna ac a stellis necessaria mea expeterem, » nihil mihi conferret. [3]) Quapropter omnia quae cogitando, loquendo et operando » acquirere potuero, illa mihi attraham, quatenus super terram vivere possim. »

X.

Responsum coelestis Desiderii.

15. Sed iterum de praedicta turbida nube audivi vocem eidem imagini respondentem: « O spoliatrix animarum, quid dicis? Mens tua fallax est, quia in Deum » non confidis, qui omnia necessaria praestat; quoniam [4]) quemadmodum corpus si

[1]) *praevideat* W. — [2]) *scala* A, W. — [3]) *nichil mihi conferrent* W. — [4]) *quod* A.

» ne anima vivere non potest, sic nec ullus fructus terrae, sine gratia Dei crescit. » Inspice ergo ossa mortuorum, quae in sepulcris jacent, et considera quid faciant. » Nihil enim faciunt, nisi quod in putredine jacent. Sic et tu nihil operaris, nisi » quod negligenter vivis, quia sine gratia Dei vivere vis, nec desideras, nec quae- » ris Deum in omnibus sollicitudinibus tuis. Ego autem in altissimis habito, et » unaquaeque in creaturis cum gratia [1]) invenio, quoniam vita et viriditas in omni- » bus bonis operibus sum, ac monile omnium virtutum. Delectatio quoque ac com- » prehensio amoris Dei, et aedificatio totius desiderii ejus sum, quia quaecumque » Deùs vult facio, et cum pennis bonae voluntatis supra sidera coeli volito, ita » quod voluntatem Dei in omnibus justitiis ipsius perficio. Et sic etiam supra » montes Bethel ascendo, ubi opera Dei facie ad faciem inspicio, ita quod nec re- » quiro, nec desidero, nec aliud volo quam quod sanctum est, unde psalterium » et cithara jucunditatis ejus sum. Sed et hoc modo in omnibus causis coele- » stis sum. »

XI.

Verba Obstinationis.

16. Sexta vero imago formam bubali habebat. Et dixit: « Nequaquam nimieta- » tem aut superfluitatem diversarum rerum et causarum in me habeo, sed cum » hoc et hoc dico, illud segniter et molliter proferre non valeo. Si enim terra de » pluvia et de pinguedine mollis semper esset, et si duritiam non haberet, hoc ad » nullam utilitatem valeret, quoniam fructus ejus hoc modo non proficerent; aut si » tenera esset, aquae super eam fluentes totam destruerent. Et quid hoc me lae- » dit, si in unaquaque causa mollis non sum, quum incongruens et repentina plu- » via cadens, terram valde laedat. Si autem suspirare non possum, hoc ita sit; vel » si non lacrimor, nulla cura mihi est, quia multi per moestitiam pereunt, et nul- » li propter lacrimas deficiunt. Nam omnem gratiam quam Deus praestare vult, » illam praestat. Et cur pro illa tam pertinaciter laborarem? Et cur etiam pro illo » laborarem, quod perficere non possem? Cum enim quilibet inquirit quod inveni- » re non potest, nihil illi prodest. »

XII.

Responsum Compunctionis cordis.

17. Et iterum de praefata turbida nube vocem audivi huic imagini sic respon- sum dantem « Quae es tu, o acerbitas, quae dicis quod in vita tua laborare non » possis, cum volucres, pisces, bestiae et pecudes ac vermes et reptilia, omnes la- » borent, ut vescantur? Pulli quoque de matribus suis cibum petunt, et terra de » aere omnem viriditatem suam postulat. Et cur nominatur Deus pater, nisi pro- » pterea quoniam filii sui [2]) eum invocant. Et cum ipse per gratiam suam eis bona

[1]) *cum gratia Dei* W. — [2]) *quoniam cum filii* W.

» praebet, ipsum esse Deum cognoscunt. Et quare tu contra Deum rixaris? Ego » namque de rore benedictionis ejus bibo, et de compunctione cordis ad eum rideo, » et cum gaudente lacrimabili voce ad ipsum dico: Deus, adjuva me. Et Angeli cum » sonante organo mihi respondent, ac Deum laudant [1]), quoniam ipsum invoco. » Tunc etiam aurora gratiae suae mihi lucet, ac cibum vitae mihi dat, quia ab ipso » petivi, ne deficiam. Sed quoniam tu [2]) ab ipso nihil quaeris, nihil tibi dabitur. »

18. Sed septima imago mulieri usque ad crura sua assimilabatur, sed crura et pedes suos praedictis tenebris ita infixerat, quod eos prae eisdem tenebris videre non poteram. Caput autem suum muliebri more velaverat, et candida veste induebatur.

XIII.

Verba Cupiditatis.

19. Et dicebat: « Valde desidero, valdeque studeo unamquamque rem, quae di- » ves et honorifica ac pulchra est, ad me trahere, ac unumquodque munusculum, » quod dandum et habendum est, accipere, quia quanto plus habuero, tanto plus » scientia mea multiplicabitur. In pulchris enim annulis, et in pulchris monilibus » et inauribus, ac in aliis divitiis cum probitate sapiens esse cognoscor, atque in » subtilibus causis unaquaeque recte dispenso. Quod si haec non haberem, omni » bono et omni probitate vacua essem, ac putrido ligno, in quo nec duritia, nec » mollitia est, assimilarer. Bona autem cum Deo et cum hominibus facere possum, » ac hominibus cum aliis creaturis benefaciam. »

XIV.

Responsum Contemptus mundi.

20. Sed de praedicta turbida nube iterum audivi vocem ipsi imagini respondentem: « Tu pessimus laqueus es, quae corporalia illa modularis, quae cum diver- » sis facultatibus ac substantiis carnali voluptati adsunt. Quaedam enim genera- » tiones hominum in animo suo ad divitias ac ad honores saeculi se quondam ex- » tendebant, et signa in sole et in sideribus quaerebant, ac se et illos in quibus » confidebant, deos esse dicebant. Et quid profuit illis haec vanitas? Et ubi nunc » sunt divitiae ac honores et regiones earum? [3]) In inferno. Nam meritas poenas pa- » tiuntur, quoniam in figura Spiritus Sancti non sederunt; et quoniam illa quae coe- » lestia erant, non desiderabant, sed omnia corporalia et caduca petebant. Ego au- » tem in figura Spiritus Sancti sedeo, et in curru praeceptorum Dei circulum facio, » ac ubique vias ejus ambulo, et ipsum patrem invoco, et carnalia desideria pro- » priae voluntatis prosterno, et meipsam ubique manifesto. Sed si carnalibus de- » sideriis gravor, per timorem Dei et per rotam ignis Spiritus Sancti, cito evigila- » bo. Et cum populi propter nomen Domini me honorificant, et cum omnia sua

[1]) *laudent* W. — [2]) *tu* om. A. — [3]) *eorum* W.

» mihi tradere volunt, hoc pro nihilo computo, sed tantum ut modice sustenter, » quaero. Et dico: Ista a facie Dei me fugant, unde valde erubesco; cum enim pec- » catum per suggestionem me vocat, ipsi hoc responsum do: Tu me non creasti, » nec me a malo liberare potes, quaprópter deceptionem tuam contemno. Nam » cum ignea flamma Spiritus Sancti me incendit, omnia mundana in me consumun- » tur, et sic in superno curru omnia coelestia pertranseo. »

21. Et vidi aliam imaginem, elatis pedibus suis, in praefatis tenebris pendentem, quae caput ut leopardus habebat, sed reliquum corpus ejus scorpioni assimilabatur. Et se contra Austrum et Occidentem verterat, et dixit:

XV.

Verba Discordiae.

22. « Orientem abnego, et Austrum nolo. Nam Oriens omnia habere vult, Auster » autem omnia sustinere. Sed quid Occidens et Aquilo obtinebunt? Aurora luci- » dum solem tenens, rutilat; Occidens autem tenebras portat. Et potest Aquilo » quidquam facere? Potest. Nam tenebrae solem obscurant, sol autem tenebris non » appropinquat, ut eos attenuet. Sic ambo vim suam obtinent. Et Aquilo ea quae » in tenebris moventur, sustinet. Volucres in coelo et bestiae ac pecora in terra » quid poterunt? Et pisces in aquis quam possibilitatem in generibus suis habent? » Quod possunt, faciunt. Et ego cum omnibus istis habito, ac discerno quid sint, » et quid facere possint. Nam nobiles et ignobiles, divites ac pauperes, ut rotam, » omnes subverto. Si unum tantum inspicerem, taedium in illo haberem. Sed in » omnibus, quamdiu mihi placet, sum. Sed unusquisque, scilicet dives et pauper, » nobilis et ignobilis, faciat quod possit. Sic et ego faciam. Nam et [1]) Oriens et » Auster sic faciunt. »

XVI.

Responsum Concordiae.

23. Et iterum audivi de praefata turbida nube vocem huic imagini responsum dantem: « Tu, horrida et execrabilis, quid loqueris? Num coelum ac instrumenta » ejus destruere poteris? Nullo modo. Sed nec muscam facere potes. Omnia autem » opprobria rixando profers. Quod si mille convicia verborum ad destructionem » alicujus civitatis proferres, [2]) eam in illis laedere non posses. Num solem et stel- » las expugnare poteris? Non. Nam pulvis fulgoris solis te conculcat. Cum primum » pugnare incoepisti, in infernum projiciebaris, et plus non facis quam in creatu- » ra vides. In illa enim ministras, ut bos domino suo. Omne quoque masculinum » fortitudinem habet, ut sol, cui firmamentum, ut caetera luminaria, ut femininum » genus, subjecta sunt. Tu autem in neutro vales, sed in omnibus inutilis es, quo- » niam opera Dei scandalizas. Nam illud nihil est, quod omni bono caret. Si reli-

[1]) *nam etiam Oriens* A. — [2]) *profers* W.

» qua creatura Deum contemneret, sicut tu eam despicis, potestas tamen ejus non » deficeret, quia potestatem judicii super te, et super gehennam, et super tenebras, » ac super omnia quae in eis sunt, habet. »

24. Deinde ad sinistram partem praefati viri conspexi imaginem, quasi humanam formam habentem, in cujus capite igneus circulus erat de quo velut igneae linguae procedebant, et cujns facies coruscantia fulgura emittebat. Aliam autem formam in ea videre non poteram, quia marmoreo pallio circumdabatur. Sed et haec contra vitia ista, quae praedicta sunt, vociferabatur, dicens:

XVII.

Verba Zeli Dei.

25. « O diabolicarum artium iniquitates pessimae, per fortitudinem Dei vos pro» sternam et delebo, quemadmodum Diabolus in prima luce prostratus est, et sicut » Goliath et Nabuchodonosor, qui justitiam Dei delere volebant, per igneum circu» lum Spiritus Dei dejecti et prostrati, in pulverem redacti sunt. Nam contra om» nes causas viscerum vestrorum, quae in omni malo contrahitis, fortis et constans » sum, nec mihi resistere poteritis. »

XVIII.

Per veram obeditionem ad gratiam Dei reditus.

26. Et iterum vocem de coelo sic mihi dicentem audivi: Deus qui terram fundavit, et eam viriditate ad diversa gramina perfudit, ipsam robore suo tenet, ne in pulverem redacta dissolvatur, quatenus homo de terra formatus, et de paradiso expulsus, in ea subsistat, et in ea laborans; per subjectionem verae obeditionis ad gratiam Domini sui redeat, ita quod diabolica vitia sibi assidue adversantia respuat, et quod virtutes a Deo missas diligat, et Creatori suo jugiter adhaereat.

XVIIII.

Quod homo lucem beatitudinis attendat.

27. Quod et praesens visio testatur, ubi vides quod praefatus vir ad Austrum se convertit, ita quod et Austrum et Occidentem inspicit, quia omnipotens Deus hominem sua pietate movet, ut lucem summae beatitudinis in ardore et in amore [1]) verae sanctitatis attendat, et quod illam ardentem diligat, et quod coecitatem et tenebrositatem diabolicarum suggestionum omnino respuat, nec se potestati illi ut [2]) voluntarie subjiciat.

[1]) *in ardore et amore* W. — [2]) An rectius *illius voluntarie?*

XX.

Quomodo terra hominem conservat.

28. Et terra in qua idem vir a genibus usque ad suras suas est, humorem ac viriditatem ac germen in se habet, quoniam terra quam Deus circumquaque flectendo, deprimendo et elevando conglutinat, et quam in fortitudine sua sustinet, portat [1]) humorem superiorum, interiorum ac subteriorum aquarum, ne in pulverem reducatur [2]), et etiam viriditatem omnium nascentium et in juventute crescentium, et fucum vividae vegetationis in se trahentium, ac etiam germen omnium [3]) germinantium in ea, et flores viriditatis fortitudinis suae emittentium, in se habet. Et haec quasi floriditas ac decor virtutis ejusdem viri est, velut virtus ipsius per eam decorata sit, quia eadem terra cum hominem producit et nutrit, et cum omnia caetera quae in servitute hominis sunt, sustinet et fovet, quasi flos pulchritudinis ac decor honestatis virtutis Dei, omnia in virtute sua bene et juste disponentis, apparet; velut potentia ejusdem Dei per terram honorificetur, quoniam ipsa hominem qui Deum omni tempore laudare et magnificare debet, in omnibus necessitatibus, quae corporis ejus sunt, conservat; et quia etiam reliqua quae ad usum hominis respiciunt, sustentat, cum illis se ipsam ad fomentum eorum aperit. Nam quum excellentia Dei per hominem laudatur, ipsi Deo quasi per terram de qua homo est, homo in justis et sanctis operibus hominum exhibetur. Et hoc etiam ideo fit, quia in diversis generibus fertilis est, scilicet quod [4]) omnia formata in terrenis creaturis de terra producuntur, ita quod ipsa diversorum generum, tam ex carne nascentium quam de seminibus suis in semetipsis exsurgentium, velut mater est, cum cuncta, formam et vitam terrenarum creaturarum habentia, de ipsa surrexerint, [5]) cum etiam homo qui rationalitate et spiritu intelligentiae animatus est, de terra factus sit.

XXI.

Terra, materia hominis et humanitatis Filii Dei.

29. Nam ipsa materia operis Dei in homine est, qui materia humanitatis Filii Dei est; quoniam de terra opus illud, quod Deus hominem creavit, factum, materia Virginis illius erat, quae in pura et sancta humanitate Filium Dei sine macula edidit.

XXII.

Anima, materia bonorum operum.

30. Sed et sicut terra multa producit, de quibus Deus glorificatur, sic etiam anima hominis, qui felicia opera sectatur, plurima germina virtutum ad gloriam

[1]) *et portat* A, W. — [2]) *redigatur.* W. — [3]) *in ea germinantium* W. — [4]) *quoniam* W. — [5]) *surrexerunt* W.

nominis Dei profert. Anima enim in qua Deus, velut in terra, per possibilitatem suam, usque ad fortitudinem perfectionis bonorum et sanctorum operum, quasi a genibus usque ad suras est, suspiria et orationem, atque sancta opera quae ad Deum tendunt, tanquam humorem et viriditatem ac tanquam germen per gratiam Dei in se habet. Quae omnia pulchritudo et ornatus divinae inspirationis, quasi floriditas ac decor virtutis Dei sunt, velut etiam eadem divina inspiratio, scilicet virtus Dei, per illam glorificatur [1]). Nam quum anima in qua Deus est, bona opera operatur, gloria ipsius, quoniam ex ipso procedit, coelestibus laudibus magnificatur. Ipsa namque anima per gratiam Dei, in beatis viribus et in beatis virtutibus germinans, quasi in diversis generibus fertilis est, et opera ipsius tabernacula in coelestibus aedificant; quia eadem ex ipsa procedunt, quemadmodum formata in terrenis creaturis de terra producuntur. Sed et anima est [2]) materia bonorum operum et melioris vitae, videlicet contemplativae, et quae divina in viribus ejusdem animae, quoniam a Deo est, in homine existit, qui etiam justa et bene composita opera per divinam jussionem sibimetipsi praeparavit, et ea facere incepit, quae postmodum incarnatus Dei Filius in perfectione beatarum virtutum et in ostensione verae sanctitatis per semetipsum complevit, et vita existens, vitam in se credentibus dedit.

XXIII.

Quod Filius Dei, in corde Patris latens, homo factus est.

31. Vita enim in medio potestatis latuit, et silentium habuit usque dum candida nubes lucem ita obnubilavit, quod illa vix lucebat. Tum aurora surrexit, et solem circumdedit; sed ille radios suos emisit, ac magnam civitatem aedificavit, ac duodecim luminaria produxit, et in tertia parte dormitionis, illos qui in media dormitione dormierunt, suscitavit. Quapropter omnes aquilae, quae in candida nube habitabant, et quae tabularum sacrificium inspiciebant, erubuerunt, ubi idem sol speculum sanctitatis in oculo honestatis ostendit. Tunc etiam et novus mundus in igne apparuit, qui de aqua exivit; in qua montes et colles perfusi, angelicum carmen canunt, ac videntibus oculis supernum lumen in vera fide attendunt, quoniam Dei Filius, in mundum veniens, haec omnia fecit, et credentibus per semetipsum viam rectitudinis ostendit, quemadmodum etiam David Spiritu Sancto inspiratus, loquitur dicens:

XXIV.

David ad eamdem rem.

32. *In sole posuit tabernaculum suum, et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo, exultavit ut gigas ad currendam viam. A summo coelo egressio ejus, et occursus ejus usque ad summum ejus; nec est qui se abscondat a calore ejus.*

[1]) *Dei, de qua Deus glorificatur* W. — [2]) *Est* om. A, W.

Cujus sensus talis est. Filius Dei in claritate Divinitatis suae carnem ex Virgine [1] induit, quae per salvationem in recuperatione alterius vitae, generis humani tabernaculum existit. Deus enim ardens sol dicitur, qui omnia obscura illuminabat, quando creaturam creavit; de cujus calore, velut tabernaculum, caro Virginis fervebat, ita quod homo splendidiore fide et ardentiore caritate ex ipsa processit, quam quum Deus, ante ruinam, Adae Evam conjungeret. [2]) Ipse etiam Deus virum fortem et feminam debilem creaverat, cujus debilitas mendum generavit. Et Divinitas fortis est, caro autem Filii Dei infirma, per quam mundus in priorem vitam recuperatur. Caro vero ista immaculata et inviolata, quemadmodum sponsus, processit ex utero virginali: ad hoc etiam ita fecit, quemadmodum etiam in laeto gaudio sponsus sponsam suam [3]) per desponsationem in cubile cordis sui suscipil, cum etiam in magna dilectione omnes divitias et omnem honorem suum illi donat. Tunc idem Filius Dei exultavit, et in altitudine Divinitatis, ut gigas, hoc in gaudio suo habuit, quod nec timor, nec dubium in ipso erat, quod ab ullo victore itinera ejus obstruerentur, quin festinanter curreret, ut salvatio populi cum via veritatis eidem populo per ipsum demonstraretur. Num a summo Deo egressio ejus, cum a Patre exiens, ad terram se inclinavit, ita quod homo factus, unicus Filius in potestate, unicus Filius in opere, unicus Filius in liberatione super omnes est. Unde etiam cum eadem carne et cum omni opere suo pleniter rediit ad Patrem suum, cum corporaliter ad coelos in magnis miraculis ascendit. Nec est qui effugere possit calorem Divinitatis ejus, quia ipse Verbum Patris omnia creavit, et carnem induens, hominem in carne liberavit, et ideo omnia justo judicio judicabit, scilicet inimicum cum maximo, novissimum cum primo, quia per ipsum omnia exierunt.

XXV.

Octo vitia octo beatitudinibus repugnantia.

33. Sed quod in praedicta nebula, quae diversa genera vitiorum in se habet, ut praefatum est, nec etiam octo vitia in imaginibus suis hoc modo vides, hoc est quod in obscura infidelitate damnosae perditionis, quae multimodas artes diabolicae exsufflationis producit, ut superius ostensum est, hic etiam octo vitia in execrabilibus significationibus suis se manifestant, octo beatitudinibus repugnantia, a quibus tamen per divinam potentiam superantur, et in eamdem perditionem unde procedunt, redire coguntur.

XXVI.

De injustitia.

34. Prima autem imago injustitiam significat, gaudio vitae carens, et primae iniquitati [4]) adhaerens, quoniam ille qui totus injustus est, hanc primam protulit, ut

[1]) Nescio qua calami vecordia scribatur in meo apographo codicis A *ex imagine*. — idem mox *in recuperationem*. — [2]) *conjunxerat* A. — [3]) *suam* om. A. — [4]) *iniquitatis* A.

ea quae justa fuerunt et sunt, per ipsam destrueret. Et haec caput ut hinnulus cervorum habet, quia mentes injustorum hominum in saltibus perversitatis [1]) sunt, omnem providentiam ac intelligentiam bonorum supergradientes, et in praeceps euntes, atque conscientia sua, quam semper in semetipsis ruminant, utiles videri cupientes. Sed et caudam ut ursus habet, quoniam omnes artes morum illorum in instabilitate nequitiae ac in murmure malitiae finiuntur, cum omnibus resistere, omnibus repugnare conantur; ubi vero et justo judicio devicti, et ad nihilum redacti, dejiciuntur. Reliquum vero corpus ejus porco assimilatur, quia homines injustitiam sectantes, luto ejusdem vitii involvuntur, et in sordibus ejus jacent. Quoniam opera ipsorum per rugitum injuriae tortuosa, et per injuriam multorum nefaria, nullam rectitudinem sapientiae praevident, nec ullum consilium justitiae ad se trahunt; sed omnia per se ipsos fieri, et secundum voluntates suas terminari volunt, et aliis superiores esse contendunt, quemadmodum etiam idem vitium in locutione sua ostendit, ut praefatum est. Justitia autem illi respondet, et ne homines illam imitentur, admonet.

XXVII.

De torpore.

35. Sed secunda imago torporem declarat; quae hic injustitiam sequitur, quia justitiam deserit, et quia in fide vigil non est, sed coecitatem mentis habet, ita quod in Deum veraciter non aspicit. Quae puerilem faciem et albos capillos habet, quoniam homines torporem diligentes, in sapientia et discretione quae causas utilitatis postulant, nullam disciplinam per intentionem suam quaerunt; quia stulti ac instabiles in factis suis sunt, et quasi levitatem in mentibus suis se habere ostendunt, ubi nullam probitatem, sed lubricam pigritiam diligunt. Et tunica pallidi coloris induitur, in quam brachia et manus suas subducit, [2]) et per quam pedes suos ac caetera membra sua ita obtegit, quod nullam aliam formam in ea discernere vales, quoniam nocturnas et torpentes tenebras negligentiae per otiositatem vacantes homines sibi circumdat; in quos etiam fortitudinem, quam in operibus suis habere deberent, abscondunt, cum bona et fortia facta operari negligunt, et per quos etiam vestigia sua ubi in via rectitudinis ambulare debebant, ac caeteras conjunctiones et extensiones operum suorum tali negligentia et pigritia subtrahunt, quod nulla forma beatarum virtutum in eis considerari [3]) potest. In taedio enim sunt, et in taedio vivunt, nec pro salute animae sollicitantur, nec pro corpore laborant; sed in otio torpentes, in quiete se vivere velle dicunt, velut etiam idem vitium in verbis suis superius demonstrat. Quam fortitudo redarguit, et ne homines in torpore sordescant, sed ut tam aliis quam sibimetipsis in anima et corpore strenue succurrant, et ut manus suas ad opera utilitatis dirigant, persuadet, secundum quod etiam hoc modo scriptum est:

[1]) *perversitatibus* A. — [2]) *subduxit* A. — [3]) *considerare* W.

XXVIII.

Sapientia ad eamdem rem.

36. ***Mulierem fortem quis inveniet? Procul et de ultimis finibus praetium ejus. Confidit in ea cor viri sui, et spoliis non indigebit. Reddet ei bonum et non malum omnibus diebus vitae suae. Quaesivit lanam et linum, et operata est consilio manuum suarum. Facta est quasi navis institoris, de longe portans panem suum.*** Cujus sensus talis est. Homo, qui fidelis esse desiderat, muliebrem levitatem abjiciat, atque virilem fortitudinem in specie mansuetudinis studiose quaerendo arripiat, quia tunc quasi procul per gloriam et quasi de ultimis finibus per famam laus ejus orietur, cum propter bona opera ipsius Deus glorificatur. Quapropter etiam confidentiam suam in ipsum illi ponant, qui majoris virtutis sunt, ita quod honorem virtutum ipsi exhibent, quoniam rapina prava usurpationis non indiget, scilicet quod ullam laudem mendaciter sibi usurpet. Tunc et huic reddentur bona merita, et non mala lucra, quamdiu sic in bonis operibus durat, quia tam aliis quam sibimetipsi fidelia opera cum justis laboribus suis congregat. Quaerit enim lenitatem et duritiam, ut operetur, sciens ubi suavis, et ubi asper esse debeat, quoniam diligenter considerat, quid cuiquam in moribus suis, velut in operibus ejus, conveniat.

37. Et sic fit portitor cum adjutorio summi Datoris, dum aliorum delicta, de longe velut a via veritatis errantia, per sublevamen orationum portat; et dum aliis necessaria vitae, ac etiam necessaria praesentis cursus subministrat, nec sibimet in plurimis et periculosis tentationibus perversarum inundationum parcit, quatenus omnes se fideliter imitantes ad portum salutis perferat. Num etiam iterum et mulierem, scilicet sapientiam, mollitiem abjicientem, ac fortitudine fortem [1]) existentem, quis hominum diligens iniquitatem inveniet? Nam nec propter taedium, nec propter itineris longinquitatem dimittetur, quin quaeratur donec inveniatur, quoniam ipsa esca est, qua nullus saturari potest, et fulgor [2]) quo omnia ornamenta fulgent, ac lapis qui aurum ornat. Omnia etiam quae in creaturis discernenda sunt discernit, et in diligentes partes operum ea multipliciter ponit, nec ab his cessat, quia omnis utilitas in ipsa est. Procul enim in coelestibus et de ultimis finibus; in terrenis scilicet, dum spiritualia et saecularia discernit, pretium ejus; dum fidelis homo animam suam illi ita [3]) appretiatur, quod eam in contemplativa contemplatione, et in actuali actione ad se colligit, dum sapienter agit omnia quae facit.

38. Ipsa enim placuit cordi fortissimi ac omnipotentis Dei, in quo necessaria necessitas non est, sed summa plenitudo: qui et in nullum respicit, quod ab eo quidquam accipiat, quia omnibus bonis abundat. Unde et idem Deus dat ei omne quod laudabile et gloriosum est, et non contradictionem nominis sui in longitudine dierum, quibus cum Deo manet, quoniam ipsa cum illo semper fuit, et cum illo semper permanebit. Sed et ipsa in secreto studio suo quaesivit mansuetudinem, sicut lanam, et pietatem, sicut linum, et coelestia opera fecit cum cauta sollicitudine

[1]) *fortitudinem fortem* W. — [2]) *fulgur* A. — [3]) *illa ita* A, W. corruptus fort. locus in duobus codd.

consilii sui, in omnibus operibus quae sapienter perpetravit; cum quibus etiam filios hominum protegit, ne nudi coram Deo ambulent, et in quibus etiam illos otiosos esse non permittit, quia eis plurima opera in quibus operentur demonstrat; quoniam et ipsa semper operari solet. Quapropter valde fidelis est, in qua fidelitate navi assimilatur, quae omnia bona et necessaria hominibus portat, et quae illius est, qui faber mundi existens, coeleste regnum potentibus pro justis laboribus suis tribuit. Sed et eadem fidelitas sapientiae a fine mundi usque ad finem ejus palam portat escam illam, qua omnes qui salvari cupiunt, refici debent, ne in via et labore animarum suarum deficiant, sed ut ea refecti ad plenitudinem satietatis illius perveniant, ubi amplius non esuriant [1]).

XXVIIII.

De oblivione.

39. Et vides tertiam imaginem, quae oblivionem demonstrans, hic post torporem incedit, quoniam et in servitute Dei ac in aliis necessitatibus suis torpentes homines ad hoc tandem perveniunt, quod Deum, quasi eum nesciant, oblivioni tradunt, et quod ad eum propter multas sciscitationes diabolicarum irrisionum venire non desiderant; sed quod consilia sua in semetipsis pro Deo habent, unde etiam pro Deo Diabolum [2]) apprehendunt. Cujus caput ut caput stellionis est, et cujus reliquum corpus corpori lacertae assimilatur, quia iidem homines hoc vitium diligentes, in mentibus et in voluntatibus suis contumaces sunt, ac omnia opera sua Deo contumaciter opponunt, ita quod etiam omnes actiones suas in praeceps et in immoderationem vertunt, quoniam praefatum vitium per invidiam et per incredulitatem interdum eos hoc modo exterret, quod aliquando nesciunt quid facere possint. Et coram illa nubes apparet, quae nigra turbida ac nebulosa est, densa alba nube intermixta, quia Deum oblivioni tradentes, sibi varias cogitationes institutionum suarum proponunt [3]), ubi nunc in impietate nigri, nunc in incredulitate turbidi, nunc [4]) in diversa vicissitudine nebulosi sunt. Quae tamen omnia ipsis, velut in alba nube, bene placent, cum cuncta opera sua secundum placitum voluntatis suae intermiscent; ubi nihil aliud faciunt, quam quod desiderium ipsorum eis [5]) ostendit. Quod autem eadem imago anteriores pedes suos supra praedictam nubem ponit, hoc est quod illi in quibus oblivio Dei est, vestigia sua quae primum ad salutem animarum suarum dirigere deberent, non ea ad bonum, sed ad malum ponunt, et se in omnibus operibus ac in omnibus itineribus suis in duas vias, scilicet in oblivionem Dei ac in duritiam cordis, dividunt, illa tantum attendentes quo ipsos mens eorum ducit, sicut etiam idem vitium in verbis suis ostendit, ut praedictum est. Sed sanctitas ipsi repugnat, monens ut homines, oblivione postposita, Deum veraciter diligant.

[1]) *esuriunt* W. — [2]) *Diabolum pro Deo* W. — [3]) *proponit* A. — [4]) *nec* bis A. — [5]) *his* A.

XXX.

De inconstantia.

40. Quod autem vides rotam quasi rotam plaustri, in praefatis tenebris jacentem, quae velut a ventis agitata, ut motus circumfertur, hoc est quod cursus instabilitatis, sicut ursus ille qui nec in initio, nec in fine suo ullam stabilitatem habet, multis excessibus gravatus [1]), ac multis vanitatibus onustatus, in infidelitate torpescit; sed tamen a terrenis tentationibus ita impellitur, quod in nullo statu honestatis permanet, sed quod hac et illac discurrens, omnia vetera instituta in novam sollicitudinem evertit. Et radiis ejus quatuor fustes ad staturam hominis sursum erecti [2]) infixi sunt, quoniam retentaculis instabilitatis, quibus ipsa simul continetur, stabilis in instabilitate manens, nec varias vicissitudines suas deserere volens, per quatuor partes mundi diversi mores hominum ad placitum eorum in aperto apparentes imponuntur, cum homines nec istas nec illas consuetudines incipiunt, et cum veteres novis transformant. [3]) Inter quos super eisdem radiis quasi imago hominis stat, quae inconstantiam praefigurat, quia in medio diversorum morum hominum super retentaculis confidentiae suae est. Hoc vitium in forma hominis stat, quia homines in actibus suis magis inconstantes quam aliae creaturae inveniuntur. Et illud haec omnia quae honestatis sunt recusans, hic oblivionem Dei sequitur, quoniam cum infideles Deum postposuerint, et cum eum in oblivionem duxerint, ad inconstantiam convertuntur, ac diabolica persuasione instabilitatem arripiunt; quia Diabolus rectus non est, nec ullam sapientiam ostendit, nec ullam quietem docet, nec moderationem amat; sed semper homines seducit, et eos [4]) in varias vicissitudines impellit, quoniam ipsa in instabilitate est, et instabilitatem diligit, ac illos qui stabiles sunt assidue inquietat. Quae de ipsis fustibus utraque manu fustem unum tenet, aliis duobus ad dorsum ejus stantibus, quia quosdam mores hominum tam spiritali quam saeculari attrectatione in consuetudinem unius delectationis vertit, aliis et spiritualiter et saeculariter interim neglectis, quoniam antiquus Serpens in hominibus tam Deo quam saeculo servientibus inquietudinem parans, eos nunc mores istos, nunc illos habere, et nunc ista facere, nunc illa dimittere per inconstantiam facit. Quod vero cum eadem rota circumfertur, hoc est quod idem vitium in nullo statu permanens, sed semper in instabilitate currens, in omnes ventos se ventilat, et modo ista eligit, modo illa negligit, modo sola vetera in moribus hominum quaerit, modo sola nova in moribus eorum apprehendit.

41. Capillos autem crispos et nigros habet, quia idem vitium homines ad hoc perducit, quod in mentibus suis multiplicem scientiam se sapere existimant, quam tamen non sapiunt, quoniam in plena rectitudine non pollent, sed quoniam in torta vanitate nigredinem perversitatis diligunt. Et manus similes anterioribus simiae pedibus habet, quia omnia opera sua magis assimilantur elatae stultitiae

1) *gravatur* A. — 2) *erecte* W. — 3) In utroque codice series hic et infra laborat, nec tamen interrupta videtur. Inter uncos *est* ut cumque supplevimus. — 4) *et eas* W.

quam verae prudentiae, cum ipsa decorem prudentiae se habere putat, ubi tota in stultitia ambulat; ac pedes similes pedibus accipitris, quoniam in vestigiis suis acritatem [1]) ostendit, cum nullum quam placitum suum sequi vult, quia quod vult hoc sibi eligit, nec utilitatem, sed tantum vanitatem aliorum considerat. Quod vero indumentum ejus lineis albi ac nigri coloris distinctum est, hoc est quod scandala et contumelias, quae sibi in officio suo circumdat, interdum quasi viam justitiae fallaciter exornat, interdum etiam tramite deceptionis obfuscat; cum modo ista pro retinenda sanctitate, modo illa pro devitanda iniquitate se facere dicit, pro quo nec gloriam nec honorem sapientum et disciplinatorum consequitur, sed molestam abjectionem [2]) illorum qui eam non amant, sed qui ipsam velut pestilentiam abhorrent. Nam hi qui constantes in omni honestate et probitate sunt, hos qui inconstantiam in dictis et in operibus suis habent, nec perfecte venerari, nec perfecte diligere possunt. Sed quod interdum quoddam rete ad capiendum animalia expandit, sed nihil capit, hoc est quod multoties conatus suos ad deceptionem utilium hominum dilatat, ubi eos post se trahere laborat, sed hoc perficere non praevalet, quoniam illi vacillantes animos non habentes, fixi in bonis et in honestis moribus suis permanent, nec se hoc habere, nec se hoc posse facere existimant, quod nec habent, nec facere poterunt. Vitium autem istud causam in qua pendet, illam in aestimatione sua tenet, et se non sequentes pro stultis hominibus habet, se vero diligentes aliis sapientiores ac probiores et feliciores esse affirmat, velut etiam superius in locutione sua demonstrat. Cui constantia respondet, ac eam stultam et vanam esse, et in locum miseriarum cum sequacibus suis descendere ostendit.

XXXI.

De cura rerum terrenarum.

42. Quinta autem imago curam terrenorum designat, et inconstantiam hic comitatur, quoniam homines qui in moribus et in operibus suis inconstantes sunt, per instabilitatem quam in mentibus suis frequenter habent, cura terrenorum saepissime involvuntur, quae et coelestibus resistit, nec escam, nec refectionem vitae quaerit. Et ut vides formam hominis, scilicet saecularium ac terrenarum causarum occupationem, et pallidos capillos habet, id est in insipientia, et in magno strepitu errantem animum, ubique discurrentem, quia homines hoc vitio insudantes, maximam inquietudinem et animae et corporis patiuntur, sed in hoc, velut in magna quiete sint, delectantur [3]). Nam quod inquietudo aliorum hominum est, hoc quies istorum est; et quod quies aliorum, et hoc inquietudo illorum per hoc vitium est. Unde in tenebris quasi in dolio nuda stat, quoniam sensus et corda eorumdem hominum nigredini terrenarum sollicitudinum et angustiarum ita impositi et involuti sunt, quod nudi a superna beatitudine tanta delectatione eis insistunt, quasi in balneis cum suavitate sedeant. Cum enim nuditatem primae ignorantiae diligunt, tunc nec desiderando nec postulando, vestimentum salutis a Deo quaerunt, quia omnes intentiones et omnia studia sua ad saecularia tendunt, et quia his quae tem-

[1]) sic uterque cod. — [2]) *abjectione* A. Paulo post *nam his qui* A, W. — [3]) *delectentur* W.

poralia et caduca sunt, ferventissima occupatione insistunt [1]), velut etiam idem vitium in loquela verborum suorum dicit, ut superius demonstratur. Cui coeleste desiderium respondet, et ne homines ea quae superna et aeterna sunt temporalibus postponant, exhortatur.

XXXII.

De obstinatione.

43. Sed sexta imago obstinationem mentis demonstrans, hic curam terrenorum sequitur, quia homines qui se totis terrenis sollicitudinibus infigunt, in obstinationem mentis cadunt; ita quod in cordibus suis, quasi corda ipsorum pice inquinata et conglutinata sint, nullum respectum ad Deum habent, et loquuntur et faciunt, velut Deus non sit, quoniam quod bonum est nesciunt, nec mollitiem pietatis quaerunt; sed in duritia contumaces contra Deum sunt. Quae formam bubali habet, quoniam hoc vitium facit homines duros et asperos in mentibus suis esse, et in altitudinem insecurae securitatis ascendere, ita quod nullum consolentur, et quod nullam curam in bonitate rationalis scientiae ad ullos habeant [2]); sed quod unicuique cum jaculis verborum et cum amaritudine operum occurrant, neminem regentes, neminem protegentes, sed omnibus quibuscumque potuerint, stuporem et timorem incutientes, quemadmodum etiam idem vitium in verbis suis, ut praemonstratum est, profert. Sed compunctio cordis huic resistens, ut homines duritiam deserant, et ut ad coelestia frequenter suspirent, fideliter monet, ostendens etiam ut a Deo postulent, quatenus eos de tempestatibus malignorum spirituum clementer eripiat, quemadmodum et David propheta exorabat, ubi dicebat:

XXXIII.

David ad eamdem rem.

44. *Eripe me de luto, ut non infigar; libera me ab his qui oderunt me et de profundis aquarum. Non me demergat tempestas aquae, neque absorbeat me profundum, neque urgeat super me puteus os suum.* Cujus sensus talis est. Domine Deus, per mansuetudinem gratiae tuae eripe me peccatorem de putredine, in qua per carnem ortus sum, et quae me ad peccatum illud hortatur, per quod duritia illa in me surgit, quae te negat. Etiam eripies me [3]) a magna concupiscentia carnis meae, quae lutulenta est, quia primo terrenum me fecisti; sed post casum Adae immundum lutum factus sum, quod ubique vitiose in me pullulat, et in me vermes [4]) repunt, in quibus foeditas ac omnis inutilitas est. Sed de ipsa carne virtuosa virtute gratiae tuae aromata bonorum operum redolere deberent, quia caro hominis in humilitate bonae et malae scientiae utilis ac inutilis est, sed illa ad malum declinat. Tu autem, o Deus, abstrahe me de lutulentis actibus, ne in foetore inutilitatis et ne in oblivione illa, quae me ut spina mortis in perditione figit, inveniar, et in suavissimo

[1]) *insistant* W. — [2]) *habeat* W. — [3]) *eripiens me* W. — [4]) *et in quo vermes* W.

odore virtutum per bonam scientiam fac me idem lutum transcendere, ita ut illud sub pedibus bonorum gressuum meorum conculcem. Sed et libera me ab his qui per odium omnem substantiam, quam in bona scientia mihi dedisti, a me subtrahere volunt, qui gustus peccatorum sunt, et etiam de profundis casibus eorumdem peccatorum quae me suffocare tentant [1]), scilicet qui luxuriae deserviunt. Non me etiam per ereptionem bonitatis tuae demergat tumultus periculosae iniquitatis, qui avaritia est, neque propter consuetudinem pravorum operum absorbeat me guttur antiqui Serpentis, quod velut infernus profundum in oblivione Dei existit; neque urgeat in contritione super me puteus, qui effectus et plenitudo omnium malorum operum in superbia est, os suum quod mors esse perhibetur, ita ne mors clauso ore hoc modo me constringat, ne sit qui me de ipso eripiat. Et hoc non propter merita mea quae parva sunt, o Deus, facies, sed idcirco quoniam benignus es. Nunc autem homo ille beatus est, quem Deus exaudit, et qui [2]) hoc donum a Deo habet quod ab ipso petit ea quae petenda sunt.

XXXIV:

De cupiditate.

45. Septima autem imago, ut vides, cupiditatem significat; post obstinationem mentis hic incedens, quoniam cum eadem obstinatio in perversis mentibus hominum Deum non quaerit, mox cupiditas ei succedit, quae nullum visum in Deum habet; sed quae ubique circumeundo et ubique currendo, sicut lupus quaerit quem devoret, in inquieta etiam inquietudine, alios laedens, et omnia quaecumque potest, quocumque modo acquirere festinans. Et haec mulieri usque ad crura sua assimilatur, sed crura et pedes suos praedictis tenebris ita infigit, quod eos pro eisdem tenebris videre non potes, quia in mollitie vanitatis omnia concupiscentis usque ad finem illum tendit, quo vestigiis totius iniquitatis infidelitati se hoc modo immergit, quod nec finis, nec vestigia ipsius in eadem infidelitate discerni possunt. Nam cupiditas hominibus suis hanc lenitatem verborum immittit, quod dicunt se pro instanti necessitate non habita conquirere, et conquisita pro superventura necessitate non dispergere; sed eamdem lenitatem ad consummationem hujus perversitatis perducunt, quod ibi nulla bona conspiciuntur, cum congregata nec sibi nec aliis largiuntur. Quod autem caput suum muliebri more velat, hoc est quod homines eidem vitio insistentes, omnem intentionem suam per deceptionem abscondunt, nullum scire permittentes, quid in cordibus suis habeant, quoniam in nulla moderatione, in qua homo coelestis et terrestris esse deberet, sunt. Et candida veste induitur, quia omnem opinionem et institutionem suam utilem et pulchram esse per simulationem demonstrat, et quia omnia quaecumque in diversis rebus et in diversis supellectibus rapere potest, per bonam et necessariam intentionem se congregare dicit, ut etiam in verbis suis superius ostendit. Contemptus autem mundi huic repugnat, et ut homines temporalia et caduca fugiant, et ut ad aeterna anhelent, fideliter persuadet [3]).

[1]) *temptat* W. — [2]) *qui* om. A. — [3]) *persuadent* W.

XXXV.

De discordia.

46. Et vides aliam imaginem, discordiam praefigurantem, ac hic cupiditatem sequentem, quoniam cum maligni homines multa per cupiditatem quaerunt, quae habere non possunt, discordiam in insania mentis suae incurrunt, et caeteros infestant, quemadmodum canis hominem furendo invadit, ac plurimas dissentiones parantes, in acerbitate et in amaritudine sua dispergunt et dissipant ea quae a Deo facta sunt, quia pacem nolunt, et quia valde gaudent, cum alios et in verbis et in factis dilaniant. Quae erectis pedibus suis in praefatis tenebris pendet, quia hujusmodi homines hoc vitio instigati, per elationem et contumeliam [1]) in itineribus suis ad praevaricationem infidelitatis semper parati sunt, nulli cedentes, nulli parcentes, sed omnia quae evertere possunt, in contrarietatem commoventes, nec bonum humanitatis [2]) attendentes, quemadmodum illi attenderunt, qui omnia quae habebant, aliis in bono communia parabant, ut scriptum est:

XXXVI.

De Actibus apostolorum ad eamdem rem.

47. *Multitudini credentium erat cor unum et aimna una. Nec quisquam eorum quae possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia.* Cujus sensus talis est. Multitudini quae in fide catholica est, multiplicata et igne Spiritus Sancti assignata, qui mentes credentium sic aspergit, quod in unitate speculi verae fidei Deum vident, esse debet cor unum in unitate verae Trinitatis, in qua ita ardeant, quod non in alium nisi in solum Deum respiciant. Sed et ipsis esse debet anima una, in ardentissimo amore illo, quo omnia regna mundi contemnant, et quo etiam poenas sibi occurrentes pro nihilo computent, quia cum caro in culmen officiorum animae ascendit, merito ab officiis carnis caro affligitur; et propter hoc etiam in omnibus his gaudeant, quia non divites, sed pauperes esse volunt. Et quoniam ut cineres, divitias quae per avaritiam mortuae sunt, spernunt, etiam hoc modo nullus eorum quidquam secundum voluntatem suam habeat, sed omnia quae per donum Dei habet, cum Deo possideat, nec aliquid sua virtute sibi adesse dicat, sed Deo, qui bonis omnia bona dat. Quae sunt illa? Veritas et justitia, quibus omnia bona implicantur. Isti enim mutuum Deum habere nolunt, qui omnia bona abnegant, et qui omnia mala sibi attrahunt [3]). Et hic erunt illis qui Deum diligunt, et qui vitam habere volunt, omnia communia, quoniam proprietas voluntatis hominum

[1]) *contumaciam* A. — [2]) Insolens uterque codex, *immanitatis* A, *unanimitatis* W. — [3]) anxius emendavi locum obscurum, in quo duo codices absonum illud habent: *Ista enim mutuum Deum habere nolunt, qui omnia bona abnegat, et qui omnia mala sibi attrahit, et hic erunt etc.* ubi etiam vix non malim *et haec erunt*. Sed *hic* absolute scriptori placet. Tandem mox codd. habent *proprietatem voluntatis*, quod non extrico, nisi legatur *proprietas*.

alienos Deos quaerit, et omnem sanctitatem a se repellit, quia a se ipsa per se subsistere vult. Deus autem hominem creavit, et omnem creaturam illi subjecit; sed homo nullam potestatem in eis habet, nisi secundum quod Deus illi permittit, quoniam quod homo hodie habet, hoc illi Deus justo judicio suo cras subtrahit, sive hoc idem homo velit, sive nolit; quia omnia a Deo subsistunt, et quia omnia in Deo sunt, qui cuncta recte disponit.

48. Unde et discordia caput ut leopardus habet, quoniam omnem voluntatem iniquorum hominum ad duplicem insaniam perducit, cum eos verbo et opere furere et bacchari facit, et cum omnibus, tam quietis quam inquietis, et in occulto et in aperto, per insidias furoris sui horrorem et terrorem inquietudinis incutit, per hoc Diabolum a quo procedit imitans, qui malignis suggestionibus suis omnes inquietat et disturbat. Sed reliquum corpus ejus scorpioni assimilatur, quia omne quod agit, veneno mortis plenum est, quoniam non aliud quam pericula infelicitatis et mortis tractat. Quod autem contra Austrum et Occidentem se vertit, hoc est quod virtutibus in amore coelestium ardentibus se opponit, et quod diabolicis artibus, omnia quaecumque potest subvertens, assistit, sicut etiam in dictis suis, ut praemonstratum est, declarat. Sed concordia illi responsum dat, ac eam in infernum projectam esse manifestat.

XXXVII.

De forma zeli Dei.

49. Deinde quoque ad sinistram partem praedicti viri conspicis imaginem, quasi humanam formam habentem, quia iniquitates illae, quae quasi ad sinistram in oblivione Dei [1]) sunt, per justum judicium zeli Dei dijudicantur, quoniam in praevaricatione hominum committuntur. Iustum enim Dei judicium quaeque injusta juste dijudicat. In cujus capite igneus circulus est, de quo velut igneae linguae procedunt, quia zelus Domini a principio mundi exardescens, et circuitum profundorum judiciorum suorum in primo cadente angelo percurrens, omne scelus calore cupiditatis succensum, et per rationalem creaturam commissum comburit, nec aliquid non examinatum relinquit. Cujus facies quoque coruscantia fulgura emittit, quoniam divina ultio voluntatem purgationum suarum manifeste et elucide demonstrat, cum unumquemque secundum quod promeruit, aliis cernentibus, aperte flagellat. Quod autem aliam formam in ea videre non potes, quia marmoreo pallio circumdatur, hoc est quod profunda judicia in zelo Dei fine tenus considerari non possunt, quoniam tam invincibili fortitudine circumteguntur, quod examinari [2]) aut emolliri non valent, quin officia sua secundum quod justum est exerceant, quia omnia in rectitudine penetrant, quae per poenitentiam excussa et purgata non sunt. Nam quod poenitentia purgat, zelus Dei non examinat, quoniam poenitentia ignis et flagellum ipsius est; quod vero penitentia non excoquit, idem zelus consumit.

[1]) *in oblivione omnipotentis Dei sunt* W. — [2]) *exterminari aut emolliri* W.

XXXVIII.

Quomodo justus sui occultator est.

50. Unde etiam fidelis homo, qui castigationes Dei in semetipso expertus, easdem castigationes timet, sciens quod non delinquenti, sed poenitenti parcetur. Intra se gemebundo corde dicat: « O Deus, qui omnia nosti, et omnia bona perfecisti, cum pecco, in conscientia [1]) peccatorum meorum paveo, et cum per poenitentiam in anima mea me recognosco, poenitentiam illam non perficio, et hoc timeo. Ac cum in lascivia vias et itinera voluntatis meae pertranseo, paveo; et cum peccata in senectutem perduco, vel cum peccati taedium prae dolore et prae tristitia habeo, illa idcirco non dimitto, et hoc timeo. Et cur hoc? Quoniam scio quae et qualia sunt. Quid est hoc? Nam rota illa sum, quae interdum ad Aquilonem, interdum ad Orientem, interdum ad Austrum, interdum etiam ad Occidentem rotatur. Cum enim sentio peccatum illud, quo [2]) in primo originali peccato conceptus sum, hoc aut cogitando aut loquendo aut operando traho in me. Sed cum anima mea reminiscitur unde fit, hordeum operum meorum de tritico cribro. Et tamen hoc ad plenum non facio, quia caro et sanguis sum. Cum autem ad illicita gaudia vado, quae me per incitamenta carnis sicut hinnulum saltare faciunt, frenum in eis non habeo. Sed etiam cum per senectutem in taedium peccatorum vado, ita quod me amplius peccare non delectat, vitam meam protrahi volo, quatenus peccata mea emendem, quod tamen non perficio. Et tunc in omnibus istis, quemadmodum rota, in instabilitate circumvolvo. Unde etiam, o Deus, in his causis abhorreo cuncta peccata mea, quocumque modo ea facio, sciens in anima mea quod nulli parcis, qui se tibi proterve in peccatis opponit; quia primum praevaricantem angelum in infernum projecisti, et quia hominem post lapsum in exilium posuisti, et quia unamquamque iniquitatem secundum merita sua in stabulum contritionis suae repellis. Fiduciam autem in hoc habeo, quod coelum rupisti, et quod carnem induisti; propter quod delinquens et peccans pars tibi derelicta est, quia illam in misericordia tua per poenitentiam abluis; quapropter et ego poenitens, a peccatis meis per te ablutus, vivam. »

XXXVIIII.

Quod zelus Dei adversus Diabolum invincibilis est.

51. Sed et praedicta imago contra vitia ista quae praedicta sunt, vociferatur, quia zelus Dei adversus suggestiones malignorum spirituum, a quibus in manifesto homines fatigantur clamat, eas in diabolicis iniquitatibus per virtutem superni judicis compescens et exterminans, sicut etiam idem antiquus invasor ac quidam membrorum ipsius veram justitiam abjicientes, per igneam divinam ultionem prostrati, ad nihilum computati sunt, quoniam contra omnes artes insidiarum sua-

[1]) Palam nova et gravis corruptela huc irrepsit in duos codd. *in concupiscentia peccatorum meorum paveo.* — [2]) *peccatum illud quod* A, W.

rum, quas [1]) in omnibus malis habent, fortis et invincibilis idem zelus Dei est, nec ipsi resistere valebunt, quia lux tenebras opprimet, ac ea quae bona sunt, mala destruent, quoniam omnia Deo subjecta sunt.

XL.

Poenitentem zelus Dei minus ferit.

52. Cum autem homo se ipsum pro peccatis suis punit, et cum peccare desinit, zelus Domini minus eum ferit, quia ille sibimetipsi non pepercit, et quia hoc abjecit in quo prius delectabatur. Et istud alia via est quae hominem ad aliam vitam ducit.

XLI.

Quod accusator sui Diabolum erubescere facit.

53. Quomodo? Quandocumque enim homo peccata sua recognoscendo deserit, Deum scit; et quando per suspiria animae ad Deum suspirat, Deum videt; et quando justa et sancta opera aedificare inceperit, angelicum ordinem colit; et quando bonus rumor bonorum operum inter homines ab ipso volat, cum Cherubim secreta Dei scribit. Quod Diabolus videns erubescit, quoniam homo peccata sua deserit, et ad Creatorem suum redit, quod ipse in perversitate nequitiae suae induratus, facere non vult. Fidelis autem homo ad Deum recurrat, et ipsi gloriam de tota salute vitae suae referat, quia justum est ut Creatori suo piam et sanctam devotionem cordis sui ostendat, quemadmodum etiam Psalmista exhortatur, dicens:

XLII.

David ad eamdem rem.

54. *Afferte Domino gloriam et honorem, afferte Domino gloriam nomini ejus. Adorate Dominum in atrio sancto ejus.* Cujus sensus talis est. Vos qui mala devitare et bona facere desideratis, afferte omni devotione Dominatori cunctorum gloriam, in recta fide, et honorem in servitio justitiae; scilicet cum rectam fidem habentes, eam beatis operibus adimpletis. Afferte etiam et eidem Domino gloriam, cum eum Deum vestrum nominatis, et cum eum Deum nominantes, ipsum [2]) verum Deum esse veraciter creditis, et cum bona opera secundum ipsum operamini, quoniam ad imaginem et similitudinem suam facti estis. Quapropter adorate etiam flexa mente ac flexo corpore eumdem Dominatorem omnium, in universis ecclesiasticis institutis, quae sancta sunt, quia ad sedem majestatis ejus pertingunt; et hoc etiam facite per abstinentiam et castitatem ac per coeteras virtutes, quae in atrio ipsius ambulant, atque coelestem harmoniam ac angelicum ordinem imi-

[1]) *quos* A. — [2]) *et cum ipsum verum* W.

tantes, ipsum fideliter colite. Haec sancta et fidelis anima, dum adhuc in corpore manet, faciat, ac Diabolum cum persuasionibus suis fugiat; Creatorique suo adhereat, et ab illis quae eam suffocare laborant, festinanter declinet. Qui autem vitae desiderium habet in illo, verba haec percipiat, ac ea in interius cubiculum cordis sui recondat.

55. Et ecce alias praefatae multitudinis vidi spiritus, qui vocifeɪabantur dicentes: Lucifer quod sibi placuerit faciet, et nos cum illo, nec ipse nec nos aliud faciemus. Isti hominibus injustitiam proponunt, et ne quisquam ulli quod suum est tribuat, persuadent.

XLIII.

De injustitiae poenis purgatoriis.

56. Et vidi horrendum locum, igneis spinis et tribulis ac pessimis vermibus plenum, per quae [1]) omnia maligni spiritus animas illorum igneis flagellis agitabant, qui dum in saeculo in corporibus suis fuissent, injustitiae omnibus modis institerant. Nam quia injustitiam factis et dictis ubique tenuerant, spinis et tribulis istis puniebantur; et quia in illa amaritudinem servaverant, eisdem vermibus torquebantur; et quoniam nulli per injustitiam pepercerant, a malignis spiritibus igneis flagellis affligebantur. Et vidi et intellexi haec.

XLIIII.

De injustis facienda poenitentia.

57. Et iterum de praedicta vivente luce audivi vocem mihi dicentem: Haec quae vides vera sunt, et ut ea vides, ita sunt. Quapropter homines qui hos pessimos spiritus voluerint superare, et poenas hujus vitii [2]) effugere, omnem injustitiam de se projiciant, et jejunia et verbera sustineant; purissimis quoque orationibus attente insistant, et hoc secundum quod a praesidente animarum suarum rectore eis demonstratur, faciant.

XLV.

De injustitia.

58. Quicumque enim injustitiam diligunt, et eam tenent in dextera et in sinistra, caeteris hominibus adulantur; sed magistros suos non audiunt, et nec legem amant, nec instituta legis servare volunt, sed unaquaeque quae diligunt, sibi pro lege constituunt, quamdiu volunt. Injustitia namque sicut non est in qua luna deficit, et in qua stellae non lucent, quoniam ut in nocte ista nec in luna nec in stellis obtenebratis tempora discerni poterunt, ita etiam nec in injustitia ullus ordo

[1]) *per quem* A. — [2]) *superare voluerint et poenas vitii hujus* W.

aequitatis reperietur. Sed et ipsa ut incoctus et insulsus cibus est, quia sine doctrina scientiae incocta est, et quia sine sapientia insulsa est. Nam et laeto sono rationabilitatis caret, quoniam rationabilitas sonum laudis et cytharizantem laetitiam qua laudet Deum, habet, in qua etiam fidelis homo omni annisu [1]) mentis et corporis et in spiritu humilitatis ac in corde contritionis eumdem Creatorem suum magnificat, qui a creatura sua digne laudandus est.

XLVI.

De planctu et symphonia animae.

59. Unde et ego qui omnia feci dico: Vos qui coelestis Hierusalem participes esse vultis, laudate Creatorem vestrum in sono fidei, quae laudabili sono in comprehensione rationalitatis per omnia opera Dei sonat, quomodo de unoquoque bono laudem Deo dicat. Rationalitas namque velut tuba cum viva voce est, quae infra se officia sua habet, quae per diversas artes in creaturas dispensat, quatenus eaedem creaturae ipsi hoc modo assistant, ut bonum et fortem sonum reddant, quia rationalitas per sonum vivae vocis suae illa quae vivum sonum non habent, secum resonare facit. Ipsa enim de prima inspiratione qua Deus animam homini inspiravit, modum jubilationis in se tenet. Et ideo laudare Deum, [2]) in pura et in conveniente scientia illa, quae creaturam sibi consonam parat, et in suavi ac in profunda sapientia, quae omnia secundum justam dispensationem sapienter disponit, videlicet cum in animo hominis coelestia sapienter discernit, et cum terrestria suaviter sentit. Sed et anima hominis symphoniam in se habet, et symphonizans est, unde etiam multoties planctus educit, cum symphoniam audit, quoniam de patria in exilium se missam meminit. Haec autem de poenitentium animabus purgandis et salvandis dicta sunt, et fidelia sunt, et fidelis his attendat, et in memoriam bonae scientiae componat.

60. Alios quoque ejusdem multitudinis vidi spiritus, quos etiam hic vociferantes audivi: Qui aut quis Deus sit, nescimus. Sed quem et quod videmus, scimus. Et hi homines ad torporem inducunt, et ut in omnibus tepidi sint, eos exhortantur.

XLVII.

De torporis poenis purgatoriis.

61. Et tenebrosum aerem igne permixtum vidi, in quo maligni spiritus animas illorum qui in corporibus suis torporem dilexerant, hac et illac igneis fustibus propulsas, discurrere faciebant. Nam propter torporem, quem in se habuerant [3]) in tenebroso aere isto erant; et propter stultitiam, qua Deum pro nihilo computaverant, ignem ejus sentiebant; et propter pigritiam, qua justis operibus non laboraverant, infestationes malignorum spirituum sustinebant. Et vidi et intellexi haec.

[1]) in vocabulo *annisu* prima syllaba raditur in W. — [2]) *laudare Deum* A. — [3]) *habuerat* A.

XLVIII.

De torporis poenitentia.

62. Et iterum de praefata vivente luce vocem mihi dicentem audivi: Haec quae vides vera sunt. Sed et homines, si spiritus ad torporem eos exhortantes studuerint declinare, et poenas torporis effugere, jejuniis ac verberibus se castigent, ac purissimis orationibus taedium [1]) torporis de se excutientes, cum acumine probitatis Deo serviant.

XLVIIII.

De vitio torporis.

63. Torpor namque consortium quorumdam animalium habet, quae nec agilitatem in bono, nec agilitatem in malo habent, sed quae in pigritia jacent. Ipse enim Deum nec timet nec amat, quia in timore eum non gustat, nec in amore cum eo symphonizat, nec in laboribus rationalitatis ut homo operatur, nec in spiramine animae Deum exorat. Nam sicut inutilis aer est, qui fructus terrae arefacit. Unde et in semetipso dicit: Si Deus est, Deus sit, nam ipse laboris mei indigus [2]) non est. Ego enim nihil amplius quam vivere cupio. Et sic torpor bonum operari postponit. Sed magna stultitia in homine illo est, qui Deum, qui omnia creavit, et cujus regni finis non erit, nec venerari nec diligere querit. Sed sapientia in illo est, qui hunc a quo corpus et animam habet, in speculo cordis sui jugiter intuetur. Haec autem de poenitentium animabus purgandis et salvandis dicta sunt, et fidelia sunt, et fidelis his attendat, et ea in memoriam bonae scientiae componat.

64. Sed et alios ejusdem multitudinis vidi spiritus, qui omnes magnis clamoribus vociferabantur, dicentes: Eamus, eamus, et illuc ire festinemus, quo ire debemus. Isti homines ad oblivionem Dei trahunt, et ne Creatoris sui, nec operum ejus recordentur, persuadent.

L.

De oblivionis poenis purgatoriis.

65. Et vidi vallem magnam, longitudinem et latitudinem multam habentem, ac maximo igne et immundissimo foetore plenam, in qua etiam plurimi vermes horribilis formae discurrebant. In hac animae illorum puniebantur, qui in saeculo viventes, timorem Dei oblivioni tradiderant, nec quid facerent, scire aut intelligere voluerant. Quia enim infidelitatem in cordibus suis habuerant, in valle ista erant; et quia impietatem dilexerant, in igne hoc ardebant; et quia Deo resistere tentaverant, foetorem istum sentiebant; et quia plurimas adversitates dolositatum in se collegerant, a praefatis vermibus torquebantur. Et vidi et intellexi haec.

[1]) *taedium* om. A. — [2]) *Indignus* A, W, turpi et manifesto errore. An paulo supra l. *Deus scit?*

LI.

De poenitentia pro oblivione.

66. Et de praefata vivente luce audivi vocem iterum mihi dicentem: Haec quae vides vera sunt, et ut ea vides, ita sunt. Unde homines Deum in oblivione tenentes, malignos spiritus ad oblivionem eos pertrahentes fugiant, et ad cor suum redeant, et ad Creatorem suum et ad opera illius respiciant; et ne praefatis poenis puniantur, per aliquod tempus ab hominibus se separent, et asperitate vestium ac jejuniis et flagellis, secundum jussionem sibi praesidentis rectoris, se castigent.

LII.

De vitio oblivionis.

67. Nam oblivio Dei pessimas cogitationes hominibus immittit, et eis persuadet ut dicant: Quomodo Deum scire possemus, quem nunquam vidimus? Et quomodo hoc attendere valeremus, quod nunquan intuebamur? Homo qui talia loquitur, Creatoris sui non meminit, quoniam tenebrae infidelitatis cor ejus circumdederunt. Quando enim homo lapsus est, omnis creatura cum eo obnubilata est. Deus quippe hominem totum lucidum creaverat, ita quod ille lumen purissimi aetheris vidit, et quod carmen angelicum cognovit, ac eum tanta claritate induerat, quod etiam magno splendore lucebat. Sed hoc totum jussionem Dei transgrediendo perdidit unde et elementa cum eo in pejus commutata sunt; sed tamen aliquid luminis in se habuerunt, quoniam peccatum quod homo fecerat, illa per transgressionem non perpetraverant. Quapropter homo Deum intelligat, et eum ad intima cordis sui reducat, sciens quod non per alium quam per Deum, qui omnem [1]) creaturam procedere fecit, creatus est, ac eum [2]) in memoria bonae scientiae semper teneat, quemadmodum scriptum est:

LIII.

Verba de libro sapientiae.

68. *Memento Creatoris tui in diebus juventutis tuae, antequam veniat tempus afflictionis tuae, et revertatur pulvis in terram suam unde erat, et spiritus redeat ad Dominum qui dedit illum.* [3]) Quod etiam sic intelligendum est. Tu qui gloriosam vitam et requiem aeternitatis habere desideras, in bonis et sanctis operibus, memento illius qui te creavit, et hoc etiam facies in diebus germinantis vitae tuae, in quibus crescis et procedis in sanctitate, antequam tibi occurrat tempus illud, quo sanguis et caro tua deficiant, et ossa tua denudentur, et antequam revertatur cinis corporis tui in pulverem terrae, de qua factus es, in alienam vitam

[1]) *Deum quem* W. — [2]) *ac eam in memoriam* W. — [3]) Eccl. XII, L.

mutatus; et antequam spiritus, qui corpus tuum vegetat, idem corpus deserendo, redeat ad Dominatorem cunctorum, qui eidem corpori tuo dedit ipsum, secundum gratiae suae dispositionem. Nam Deus ut faber est, qui folle ignem examinat, et qui eum undique circumvertit, ut opus suum pleniter perficiatur. Cum autem spiritus hominis recto modo cursu bonorum operum dirigitur, ut ad indeficientem aeternitatem gaudiorum revertatur, purissimum lumen videbit, et angelicum carmen audiet, quod Adam vidit et audivit [1]), antequam transgressionem mortalitatis adiret; et sic maximo desiderio vestimentum quod eruit, requiret, quatenus pariter cum ipso gaudeat. Haec autem de poenitentium animabus purgandis et salvandis dicta sunt, et fidelia sunt, et fidelis his attendat, et ea in memoriam bonae scientiae componat.

69. Alios quoque ejusdem multitudinis vidi spiritus, quos etiam sic vociferantes audivi: Arte nostra omnia inquiremus, et omnia obtinebimus. Et hi homines ut inconstantes sint exhortantur, ac eis inconstantiam ubique proponunt.

LIIII.

De inconstantiae poenis purgatoriis.

70. Et vidi ignem magnum in quo plurimi et diversi vermes, diversas formas habentes, erant, [2]) in quo animae illorum puniebantur, qui dum in corporibus suis fuissent, in verbis et in operibus suis inconstantiam sibi attraxerant Nam propter inconstantiam, qua multos audacter deceperant, in igne isto ardebant; et propter multiplicem dolositatem, quam cum vanitate in se habuerant, a praefatis vermibus torquebantur.

LV.

De poenitentia pro inconstantia.

71. Et vidi et intellexi haec. Et de praefata vivente luce iterum vocem audivi dicentem ad me: Haec quae vides, vera sunt. Homines autem qui pessimos spiritus ad inconstantiam eos exhortantes, de se voluerint fugare, et poenas ejus effugere desideraverint, si saeculares sunt, ad spiritalem vitam se colligant; vel si spiritales sunt, in eadem conversatione sua cum omni disciplina veritatis acrius se solito coerceant, quatenus nequitiam vitii hujus de se abjiciant. Illud enim in hominibus sic loquitur dicens:

LVI.

De vitio inconstantiae.

72. « Quomodo per viam unam incederem, cum mihi res una non ostendatur, et

[1]) En alterum innocentis Adami privilegium, qui non solum voces animalium intellexit, ut supra dictum est, sed carmen audivit angelorum. — [2]) *et in quo* W.

cum pascua in quibus pascar, mihi non dentur? Ubi fidem quaero, ibi illam non invenio; et quos amicos meos aestimo, inimici mei sunt; et in quibus [1]) amicitiam invenio, mihi vix adhaerent, et ob hoc nullo modo pactum stabilitatis habere possum. Nam quomodo unusquisque se mihi ostendit, sic me illi exhibebo; et si me illis plus subjicerem, omnes me conculcarent. Ego laudo quod laudare volo, et despicio quod mihi vile videtur, et abscondo me ab illo quem timeo, et sic omnia secundum voluntatem meam retineo; quemadmodum Judaei fecerunt, qui Moysen audierunt, quem postea audire noluerunt, sed quod viderunt, hoc audierunt, et crediderunt; et sicut Balaam fecit, qui Judaeos laudavit, et alios sibi amicos paravit; et ut pagani fecerunt, qui in idolis plurima reperierunt, quae invenire voluerunt. Quae probare possum, probo; et in multa sciscitatione omnia perquiro, et in omnibus his aliquam partem teneo, ne deficiam, quia si hoc non facerem, quid essem nescirem. Nam coelum mihi non loquitur, terra mihi non succurrit, nec ulla alia creatura mihi dicit, ut cum ipsa pergam. » Sic inconstantia in omnibus, [2]) quibus praesidet, loquitur, quoniam oculi ejus coeci sunt ad fidem, et aures ejus surdae ad veritatem. ac lingua ejus muta ad legalia praecepta, et cor ipsius ad amorem Dei lapideum. Nec enim ad Deum nec ad homines fidem habet, sed similis est simulacro quod Deum negligit, et quod homines per multos sibilos [3]) seducit et decipit. Hanc qui Deum diligunt, et qui hominem verentur, fugiant, et simulationem deceptionis de se projiciant, nec aliud quam quod tam secundum homines quam secundum Deum stabile et firmum est, aggrediantur. Haec autem de poenitentium animabus purgandis et salvandis dicta sunt, et fidelia sunt, et fidelis his attendat, et ea in memoriam bonae scientiae componat.

73. Et alios praedictae multitudinis vidi spiritus, qui omnes clamabant dicentes: Coelum inhabitabimus, quia Lucifer in honore suo consistet. Isti homines ad curam terrenorum ducunt, et quod omnino terrenis instant, persuadent.

LVII.

De poenis purgatoriis pro cura rerum terrenarum.

74. Et vidi ignem magnum, nigram flammam habentem, ac plurimis vermibus redundantem, in quo etiam animae illorum erant, qui in saeculo viventes, coelestia postposuerant, et omni annisu [4]) curam terrenorum arripuerant, et in eo de loco ad locum velut a vento projiciebantur. Quia enim in tenebrositate incredulitatis Deum neglexerant, cum terrenis inhiabant, ignem hunc nigrum sentiebant; et quia avaram duritiam in eadem cura habuerant, a praefatis vermibus torquebantur; et quoniam ab ea cessaverant, in eodem igne hac et illac cum afflictione jactabantur. Et vidi et intellexi haec.

[1]) Verba *mihi non dentur* usque ad *in quibus* om. A. — [2]) *in hominibus* W. — [3]) in alio scriptore vix non cogitaretur de loquaci Memnonis simulacro apud veteres Aegyptios. — [4]) *nisu* W.

LVIII.

De agenda pro curis terrenis poenitentia.

75. Et iterum de praefata vivente luce audivi vocem mihi dicentem: Haec quae vides vera sunt, et ut ea vides, ita sunt. Quapropter homines qui curae terrenorum insudant, si spiritus ad illam eos exhortantes voluerint superare, et praefatas poenas devitare, jejuniis et flagellis, secundum jussionem sibi praesidentis rectoris, se castigent, et corda sua ad coelestia reducant.

LVIIII.

De vitio in cura rerum terrenarum.

76. Nam qui curam terrenorum diligunt, intra se insipienter dicunt: « Creaturam quae nobis ad usum nostrum creata est, inspiciemus, et attendemus, quoniam illa nos cibat et vestit. Deus ergo quod sibi placet, faciat. Si enim causas nostras ita in Deum poneremus, quod curam terrenorum non haberemus, cito deficeremus. Et quid tunc essemus? Volucribus scilicet similes, qui facies suas in speculo aquarum inspiciunt, et cum [1]) nihil aliud attendunt, cito moriuntur. Postquam enim mortui fuerimus, cum creaturis amodo non erimus, sed vitam illam quam Deus post mortem nostram nobis donaverit, habebimus. Nam si creaturis communicaverimus, et quaeque ab eis sciscitati fuerimus, culpabile non est, quia Deus eas sic creavit. Si enim ad usus nostros creatae non essent, et si istas tum diligeremus, valde peccaremus. Nulla quippe in eis [2]) requirimus, nisi quae Deus nobis donaverit. Qui namque equum suum infrenem currere permittit, non quiete, sed periculose incedit. Et si nos curam terrenorum in usu non haberemus, terra spinas et tribulos germinaret, et in hoc peccaremus, quoniam illa cuncta animalia pascet, et quoniam planas vias et non periculosas habebit. » Hoc modo illi in corporibus suis loquuntur, qui omne studium et omnem curam suam ad praesentem vitam et non ad futuram ponunt, quemadmodum avari et infideles Judaei fecerunt, qui Filium meum, quem pro salute hominum in mundum misi, neglexerunt, et verba ejus subsannantes, ipsum per mortem omnino delere conati sunt. Sed fidelis homo aratrum cum bubus sic apprehendat, ut tamen ad Deum aspiciat, qui viriditatem et omnes fructus terrae dat, et sic per praecepta magistri incedat, ut terrena colens, coelestia non deserat. Haec autem de poenitentium animabus purgandis et salvandis dicta sunt, et fidelia sunt, et fidelis his attendat, et ea in memoriam bonae scientiae componat.

77. Alios quoque ejusdem multitudinis spiritus vidi, quos etiam magno clamore vociferantes audivi: Qui est Deus iste, qui nobis tanta certamina infert? Et hi [3]) cordibus hominum obstinationem ostendunt, et ut ad cuncta obstinatam mentem habeant, eos exhortantur.

[1]) *cum* om. W. — [2]) *in eis* om. W. — [3]) *et his* A.

LX.

De obstinationis poenis purgatoriis.

78. Et vidi tenebras, pice et sulphure ardentes, in quibus animae illorum magnum planctum habentes puniebantur, qui dum in corporibus suis essent, obstinationem mentis sibi imposuerant. Nam quoniam contra Deum duritiam in se habuerant, in his tenebris ardebant; et quoniam virtutibus non communicaverant, picem sustinebant; et quoniam benevolentiam a se projecerant, poena sulphuris eos laedebat; et quoniam suspiria de cordibus suis ad Deum non traxerant, planctum magnum emittebant. Et vidi et intellexi haec.

LXI.

De poenitentia pro obstinatione.

79. Et de praefata vivente luce iterum audivi vocem dicentem ad me: Haec quae vides, vera sunt. Sed homines qui obstinationem mentis in se habent, illam de se abjiciant, ac malignos spiritus qui illam sibi proponunt, negligant; et ne poenis ejus affligantur, jejuniis et flagellis se castigent, ac genuum flexionibus Deum sibi propitium faciant.

LXII.

De vitio obstinationis.

80. Qui enim obstinationem in se colligunt, mortuis assimilantur, qui nec vident, nec audiunt, neque [1]) per aspirationem Dei moventur. Obstinatio namque prava et nequam est, nec a duritia illa quam in se habet, molliri aut moveri vult, sed sicut talpa terram ejicit, sic ipsa quoque bona evertit, quia nihil sibi placet nisi quod ipsa eligit; et velut favilla est, quae dum extenditur, et in altum spargitur, evanescit, quoniam dum ipsa non virtuosam scientiam, sed immobilem nequitiam inspicit, ad nihilum redigitur.

LXIII.

Cur in Iob Deus posuit tribulationes.

81. Nam timorem hunc non habet, quem Iob [2]) servus meus habuit, qui omnia patienter sustinuit, quae in eo fieri permisi. Et quoniam hunc valde amavi, multas tribulationes super ipsum posui, quia patientiam et magnam benevolentiam in eo cognovi. Patientia quippe ejus floruit, et benevolentia ipsius ad me ascendit, quia omnia sua mihi tradidit, et quia contra me non frenduit. Sed ista obstinatio non habet, quod [3]) dura ut lapis est, et arida velut terra, quae sine fructu est. Quod illi

[1]) *nec qui* A, W. — [2]) *quae Iob* A. — [3]) *quia dura* W.

fugiant, [1]) qui Deo adhaerere, et superna praemia capere desiderant. Haec autem de poenitentium animabus purgandis et salvandis dicta sunt, et fidelia sunt, et fidelis his attendat, et ea in memoriam bonae scientiae componat.

82. Sed et alias praefatae multitudinis spiritus vidi, qui omnes vociferabantur, dicentes: Quae utilitas in una re consistit? Haec namque quae quaerimus, in uno Deo invenire non possumus; et idcirco ubique circumspiciemus, et quaecumque voluerimus, illa trahemus ad nos. Isti homines ad cupiditatem exhortantur, et quod in omnibus rebus cupidi sint, [2]) eis demonstrant.

LXIIII.

De purgatoriis poenis pro cupiditate.

83. Et vidi magnam longitudinem et latitudinem et profunditatem aquarum, maximo ardore ignis ferventium, in quibus pessimi vermes et plurimi maligni spiritus fuerunt. In his autem poenis animae illorum affligebantur, qui in saeculo viventes, cupiditatem dilexerant, et ea omnibus modis sibi attraxerant. Nam propter insatiabilem cupiditatem, quam in se habuerant, earumdem aquarum fervorem sentiebant; et propter acerbitatem ejusdem cupiditatis, a vermibus istis affligebantur; et propter studium quo eidem vitio insudaverant, ab his malignis spiritibus igneis fumi praefatis aquis immergebantur. Et vidi et intellexi haec.

LXV.

De poenitentia pro cupiditate.

84. Et iterum de praefata vivente luce audivi vocem mihi dicentem: Haec quae vides, vera sunt, et ut ea vides, ita sunt. Unde homines si spiritus, qui eos ad cupiditatem pertrahunt, studuerint [3]) superare, et poenas ejusdem vitii evadere, jejuniis et verberibus se castigent, ac eleemosinis eadem peccata redimant.

LXVI.

De vitio cupiditatis.

85. Nam cupiditas nec caritatem ad Deum, nec fidelem fiduciam ad homines habet, sed omnia quae potest rapit, omnia quae potest capit, et aliena sibi libenter attrahit, ac nimietatem in mente et in ventre et in omnibus operibus ac in omnibus rebus suis tenet. Canibus etiam qui undique discurrunt, et non saturantur similis est; et etiam immundae avi assimilatur, [4]) quae in inquietudine et in voracitate est; et squalidos mores habens, medicinales mores honestatis fugit, ac in effusione vituperationis multorum est: unde et Deum nescit, [5]) et ad illa quae aliena sunt respicit. Sed qui mortem fugiunt, et Deum diligunt, et qui gaudia aeternae

[1]) *fugiunt* W. — [2]) *sunt* A. — [3]) *studuerunt* A. — [4]) *assimilantur* A. — [5]) *nescis* W.

repromissionis adipisci quaerunt, superfluitatem cupiditatis abjiciant, et omnia quae agunt, tam secundum saeculum, quam secundum Deum moderantur. Haec autem de poenitentium animabus purgandis et salvandis dicta sunt, et fidelia sunt, et fidelis his attendat, et ea in memoriam bonae scientiae componat.

86. Vidi quoque alios spiritus ejusdem multitudinis, quos etiam magno clamore vociferantes audivi: Lucifer Dominus noster est, et nullus, cum apud illum sumus, nos expugnabit. Hi enim hominibus discordiam proponunt, ac eis ut discordes sint, et ut concordiam virtutum fugiant, persuadent.

LXVII.

De poenis purgatoriis hominum concordiam negligentium.

87. Et maximum ignem vidi, juxta quem densissimae tenebrae apparuerunt, in quibus vermes horrendae formae fuerunt, et in quibus etiam plurimi maligni spiritus discurrebant. Et in poenis istis animae illorum puniebantur, qui dum in corporibus suis fuissent, concordiam sanctitatis neglexerant, et discordiam sibi associaverant, ita quod de eodem igne ad praedictas tenebras transire, et de eisdem tenebris ad ignem redire, malignis spiritibus eas semper impellentibus, cogebantur. Quia enim omne malum per discordiam suscitaverant, in eodem igne urebantur; et quia multis hoc modo laesionem intulerant, in tenebris istis torquebantur; et quia crudelitatem in se habuerant, a praefatis vermibus affligebantur; et quia per idem vitium plurimos errare fecerant, de igne ad tenebras et de tenebris ad ignem transire per malignos spiritus compellebantur.

LXVIII.

De poenitentia pro discordia.

88. Et vidi et intellexi haec. Et de praefata vivente luce audivi vocem iterum dicentem ad me: Haec quae vides, vera sunt, et ut ea vides, ita sunt, et plura sunt. Sed homines qui spiritus eos ad discordiam pertrahentes declinare voluerint, et qui poenas ejusdem vitii effugere optaverint, cilicio et asperrimis jejuniis et durissimis verberibus cum justitia se affligant, ac quoque mollia corpori suo devitent.

LXVIIII.

De vitio discordiae.

89. Qui enim discordiam diligunt, et qui ei adhaerere semper festinant, a maligno spiritu fatigati sunt: unde et in hac nequitia sua ad tormenta internecionis transire jubebuntur. Nam discordia adjutrix serpentinae malitiae est, et libenter susurrat, ac diversa consilia tractat, et bona consilia dissipat, et facta aliorum exprobrat, ac improbitate aliorum frendet. Et ipsa sapientiam esse scit, sed eam imitari

negligit, et plena maledictionis existens, cum pessimis malis coelum tetigit, quando serpentem in Paradisum misit, qui hominem veste innocentiae expoliavit, cum illum similem Deo fieri dixit. Sed et sapientiam deridet, et bonos ac rectos mores dissipat, et turres virtutum movere tentat; ubi ludos excitat, in quibus iram aedificat, et in quibus magnas ruinas ad se colligit, de quibus omnibus se libenter excusat. Et cum omnia haec fecerit aliis, quos saepe commovit, dicens: Fatui, quid fecitis? Et tunc sanctitatem se ferre dicit, et hoc cum illusione facit, quemadmodum ille sanctitatis illusor existeret, qui sancta vasa in platea, ut ibi illuderentur, portaret, et sic eam in sacrilegium computat. Hoc etiam modo Diabolus hominem [1]) decepit. Sed et postqnam discordia plurimas iniquitates ad se collegerit, eas cum blasphemiis devorat, ac eas sic in confusionem et in opprobrium ducit, velut illas nunquam ad se collegisset. Simplex autem homo, qui se peccato simpliciter involvit, ista non cognoscit; quapropter et Deus illum non spernit, cum ipsum ad poenitentiam ducit, ubi discors et impoenitens homo in ira Dei [2]) magno casu cadit, quoniam timorem Domini non habens, retro incedit, cum justam viam contemnit. Idem quoque vitium opus suum pleniter perfecit, quando Judaei Filium meum in humanitate sua viderunt, et mirabilia ejus cognoverunt; sed pro nequitia cordis sui ab eo recesserunt, et se ipsos in mortem praecipitaverunt, quemadmodum scriptum est:

LXX.

Verba Evangelii.

90. *Abierunt retrorsum, et ceciderunt in terram.* [3]) Quod etiam sic intelligendum est. Illi qui veritatem abnegant, et Satanam in contrariis operibus imitantur, vadunt in interitum, retro incedentes, cum oculos fidei in semetipsis claudunt; unde etiam cadunt in pessimas tentationes, quae eos ad internecionem impellunt. Sed ut Deus in novissimo die homines ad immortalem vitam excitat, sic etiam et nunc per poenitentiam eos ad vitam resuscitat: quoniam illi qui in corporibus suis commissa sua deflent, dum animae eorum corporibus exuuntur, etiam si poenas purgatorii promeruerunt, citius tamen eis eripiuntur. Haec autem de poenitentium animabus purgandis et salvandis dicta sunt, et fidelia sunt, et fidelis his attendat, et ea in memoriam bonae scientiae componat.

[1]) *hominem* om. W —. [2]) *in magno casu* A. — [3]) Joan. XVIII, 6.

CAPITULA QUINTAE PARTIS

DE VIRO PER TOTUM ORBEM PROSPICIENTE.

[1]) *sustentantur* W.

XXXIII. *Specialiter de avaritia et habitu ejus et quid significat.*

XXXIIII. *Verba Jeremiae prophetae ad eamdem rem.*

XXXV. *Specialiter de tristitia saeculi et habitu ejus et quid significat.*

XXXVI. *Item specialiter de forma zeli Dei et quid significat.*

XXXVII. *De libro Exodi.*

XXXVIII. *Quod sanguis Christi virginitatem sibi conjungit.*

XXXVIIII. *Quod Deus antiquum Serpentem in malis operibus suis et conversione publicanorum et peccatorum superat.*

XL. *Item de quibusdam purgatoriis poenis animarum quorumdam hominum, qui in scurrilitate peccaverant, et quare eas patiantur.*

XLI. *Quomodo homines per poenitentiam peccatum scurrilitatis in corporibus suis puniant.*

XLII. *Quod scurrilitas omnia quae vera sunt, cum umbra ludentium verborum eradicare tentat.*

LXIII. *Item de aliis quibusdam purgatoriis quarumdam animarum hominum, qui in saeculo per vagationem deliquerant, et cur easdem poenas hoc modo sustineant.*

XLIIII. *Qualiter homines poenitendo peccatum vagationis in se purgent.*

XLV. *Quod vagatio vigilem scientiam non habens, puella inobedientiae est, ac luxuriae famulatur, et otiositatem et prigritiam ad se colligit.*

XLVI. *Verba David.*

XLVII. *Item de quibusdam aliis* [1]) *poenis purgationum animarum quorumdam hominum, qui in maleficio peccaverant, et quare eas ita habeant.*

XLVIII. *Qualiter poenitendo peccata maleficii in semetipsis deleant.*

XLVIIII. *Quod qui in creaturis, velut in scripturis, discere contendunt, corpore et anima destruuntur, quia aspectum animae suae excoecant.*

L. *Item de quibusdam aliis purgatoriis poenis animarum hominum illorum, qui per avaritiam peccaverunt, et cur illas sic patiantur.*

LI. *Item de quibusdam aliis poenis purgationum animarum quorumdam hominum, qui propter avaritiam latrocinia exercuerant, et quare illas hoc modo sustineant.*

LII. *Item de aliis poenis in quibus animae quorumdam hominum purgabuntur, qui propter avaritiam furta fecerant, et cur easdem ita habeant.*

LIII. *Quomodo homines per poenitentiam peccatum avaritiae in se puniant.*

LIIII. *Item quomodo avaritiam quam per latrocinium exercuerant, in cordibus suis poenitentes abluant.*

LV. *Item qualiter poenitendo homines peccatum avaritiae, quod per furtum commiserant, in semetipsis deleant.*

LVI. *Quod homo qui omnia quae potest, aliis subtrahit, et ea* [2]) *sibi attrahit, pessimis poenis subjacebit.*

LVII. *Verba David.*

LVIII. *Quod avaritia non solum ea quae extra corpus hominis sunt, sed et corpus hominis aufert.*

LVIIII. *Quod homo latrocinium exercens, diabolum imitatur.*

LX. *Quod fur, qui nocturnalis insidiator est, diabolicae deceptioni assimilatur.*

LXI. *Verba Evangelii.*

LXII. *Item de quibusdam aliis poenis*

[1]) *aliis* om. A.

[2]) *et eas* A, W.

[1]) *imponant.* W.

[2]) *ita etiam et ab homine* W.

INCIPIT QUINTA PARS

DE VIRO PER TOTUM ORBEM PROSPICIENTE.

1. Et vidi quod praedictus vir per totum orbem terrarum prospiciebat. Et aquae abyssi, in quibus idem vir a suris deorsum ad plantas suas erat, ita quod etiam supra abyssum stabat, quasi robur virtutis ejusdem viri fuerunt: quoniam omnia recuperant, omnia purificant, omnia sanctificant, omnia continent, omnia portant,[1]) ac quoniam omnes creaturas sudore humiditatis suae perfundunt, omnes[2]) creaturas solidant, velut anima corpus firmat. Sed et abyssus quasi virtus possibilitatis ipsius erat, quia omnes institutiones ejus fert, et quia eaedem institutiones illi innituntur, et etiam velut fabrica summi fabricatoris existit, in qua utensilia ejusdem fabri sunt. Et ecce de cruribus ejusdem viri aer quidam cum sudore exiens, omnes aquas abyssi diverso modo movebat. Ipse quoque vires elementorum quae supra terram et in terra ac subtus terram erant, pedibus suis deprimebat.

I.

Verba viri orbem prospicientis.

2. Et dixit: « Audientes audite et intelligite. Poenitentiam agite, quia Deus se » vobis[3]) sic ostendit. Quod si non feceritis, virgae meae purgabunt vos. Poenitentia » ergo in homine sit. » — Deinde in praefata nebula, in qua multimoda genera vitiorum fuerunt, ut supra ostensum est, etiam hic quinque in hujusmodi imaginibus aspexi. Nam primam imaginem vidi a vertice capitis ad lumbos suos juvenilem formam hominis habentem, a lumbis autem deorsum formam cancri, ut cancer a capite deorsum formatus est. Et nigros capillos capitis habebat, ac toto corpore nuda fuit.

II.

Verba Scurrilitatis.

3. Et dixit: « Ego omnia dispono, et omnia discerno, et quo qualibet res cecide-

[1]) *portent* A, W. cf. n. 21, 29. — [2]) *et omnes* A, W. — [3]) *nobis* A.

» rit, illuc aspicio, et inde loquar. Si hoc non facerem, insipiens essem. Et quis me » ob hoc arguet? Si insipientem et fatuum laudarem, mendacium dicerem. In ver- » bis meis retia extendam, et omnia quae potuero capiam, et quanto plus cepero, » tanto plus habeo. Nam honorem meum sic dilato, ut omnes in verbis meis eru- » bescant. Sed et arcum meum cum jaculis verborum extendam. Et quid hoc no- » cebit? Nulla celabo, nulla silebo, sed unicuique homini, secundum mensuram » suam, quod habeo do. »

III.

Responsum Reverentiae.

4. Sed iterum de praefata turbida nube audivi vocem huic imagini responden- tem: « Si omnia noveram quae Creator fecit, quid essem? quod illa destruerem » quae non feci, nec creavi, nec quibus scientiam dedi, sicut tu, o pars iniqua, » omnia commoves. Montes me sustinent, et in planitie vallium ambulo, nec ipsi » contemnent me. In supernis et in infimis volito, et omnia quae Deus constituit, » mihi placent, nec ulli injuriam facio, [1]) sed te ut lutum calceamentorum conculco. » Nam digniorem partem non habebis, quia omnibus quibus potes, injuriam in- » fers. »

5. Secundam autem imaginem vidi, puerilem formam habentem, excepto quod in capite capillis carebat, et quod faciem et barbam, ut senex vir, habebat. Et in prae- dictis tenebris, in quodam panno, quasi in cunis pendebat, qui hac et illac, velut a vento, movebatur. Sed alia indumenta in ea non videbam. Et interdum ab eodem panno erexit se, et interdum in eumdem pannum abscondit se.

IIII.

Verba Vagationis.

6. Et dixit: « In stulta aestimatione habeo, si in uno loco et in uno populo per- » mansero. Ubique me ostendere volo, et ubique vox mea audiatur, et ut ubique » facies mea videatur, et sic gloriam meam dilatabo. [2]) Gramen enim crescit, et » flos ejus apparet; et si hoc non esset, quam gloriam homo haberet? Ego in sa- » pientia et in ratione mea gramen sum, ac in pulcritudine mea flos sum, et ideo » ubique me manifesto. »

V.

Responsum quietae Tranquillitatis.

7. Et iterum de praefata turbida nube audivi vocem huic imagini responden- tem: « Tu, o ars diabolica, sicut flos feni cades, et sicut lutum in via conculcabe-

[1]) *facit* W; *facis* A. — [2]) *dilato* W.

» ris. Tu vox vanitatis, tu aspectus iniquitatis, nec cribras verba rationalitatis; » sed sicut locusta instabiliter incedis, unde etiam sicut nix, per diversa loca » spargeris. Nam cibum sapientiae non manducas, nec potum discretionis bibis, » sed vitam volucrum imitaris, qui nullam stabilitatem in habitaculis habent. Ci- » nis enim et putredo es, nec ullam requiem habebis. »

8. Sed tertia imago caput lupi et cauda leonis habebat, ac reliquum corpus ejus cani [1]) assimilabatur. Et haec cum praedicta imagine ludebat dicens: « Nos in omnibus unum sumus. » Sed et magni strepitus ventorum in aures ipsius sonuerunt, quos ipsa diligenter excribravit, auscultans qui essent, et unde essent; cum quibus etiam exultabat, quasi dii sui essent. Deinde dextrum anteriorem pedem elevavit, et eumdem ad magnum ventum, qui ab Aquilone venit tetendit, ac sinistro anteriore pede flabrum ventorum ab elementis ad se trahebat.

VI.

Verba Maleficii.

9. Et dixit: « De Mercurio et de aliis philosophis multa dicam, qui sciscitatione » sua elementa hoc modo jugabant, quod unamquamque rem quam voluerunt, » certissime reperierunt. Haec fortissimi et sapientissimi viri ex parte a Deo et » ex parte a malignis spiritibus adinvenerunt. Et quid hoc obfuit? Et sic se ipsos » planetas nominaverunt, quoniam de sole et de luna et de stellis plurimam sa- » pientiam ac multas inquisitiones acceperunt. Ego autem ubicumque voluero, in » artibus istis regno et dominor, scilicet in luminaribus coeli, in arboribus et in » herbis et in omnibus virentibus terrae, et in bestiis et in animalibus super ter- » ram, ac in vermibus super terram et subtus terram. Et in itineribus meis quis » mihi resistet? Deus omnia creavit; unde in artibus istis illi nullam injuriam fa- » cio. Ipse enim vult, ut in scripturis ac in plenis operibus suis probetur. Et quid » prodesset, si opera ejus tam caeca essent, quod nulla causa in eis considerare- » tur? Nihil conferret. »

VII.

Responsum veri Cultus Dei.

10. Et iterum de praefata turbida nube audivi vocem huic imagini respondentem: « Utrum magis placitum est Deo, ipsum adorare, an opera ejus? Creaturae » quae de ipso procedunt, nulli vitam dare possunt. Et quae est vita quam Deus » dat? Scilicet quod homo rationalis est, et quod reliqua creatura in elementis » subsistit. Quomodo? Homo in pennis rationalitatis vitalis est, et omne volatile » ac reptile ex elementis vivit et movetur. Et homo sonum in rationalitate habet; » reliqua autem creatura muta est, [2]) nec se ipsam, nec alios juvare potest, sed » officium suum perficit. Tu autem, o ars magica, circulum absque puncto habes.

[1]) *corpori cani* W, ubi *cor*, mendose scriptum, margine in absolvitur *cor-pori*. — [2]) *mutua est* W.

» Nam cum in circulo creaturae multas sciscitationes inquiris, ipsa creatura honorem et divitias tibi abstrahet, et velut lapidem, in infernum projiciet te, quoniam ipsi nomen Dei sui abstulisti. Unde etiam omnes tribus terrae plangent [1]) super te, quia illas in blasphemia derides, cum eas in cultura Dei hoc modo in errorem ducis, ubi Deo servire deberent. Quapropter nulla alia praemia tibi restant quam praemia Diaboli. »

11. Quarta autem imago in forma hominis apparebat, excepto quod capillis capitis carebat, et quod barbam ut hircus habebat, et parvas pupillas ac albuginem oculorum latam, et quod naribus suis ventum fortiter introrsum traxit et emisit. Manus quoque ejus ferreae fuerunt, ac crura [2]) sanguinea, et pedes ipsius ut pedes leonis. Induta autem erat tunica subalbo et subnigro colore commixtim [3]) intexta, quae superius constricta videbatur, inferius autem, scilicet circa crura, in amplitudine distenta. Et super pectus ejus vultus nigri coloris apparuit, qui pedes suos eidem pectori infixerat, sed dorsum ac caudam suam ad eamdem imaginem verterat. Sed et coram ipsa arbor stabat, quae radicibus suis in gehennam radicaverat, [4]) et cujus fructus picea et sulphurea poma fuerunt; et hanc arborem eadem imago diligentissime intuebatur, ac de fructu illius ore suo rapiens, avidissime devorabat. Ipsa quoque multis et horribilibus vermibus circumdabatur, qui caudis suis multum sonitum et magnum motum in praefatis tenebris faciebant, quemadmodum cum pisces ictibus caudarum suarum aquam commovent.

VIII.

Verba Avaritiae.

12. Et eadem imago dicebat: « Ego insipiens non sum; sed sapientior illis sum, » qui ad ventos aspiciunt, et qui de aere omnia sibi necessaria postulant. Ad me » omnia rapio, et in sinum meum omnia colligo, et quanto plus contraxero, tanto » plus habeo. Nam multo utilius mihi est, ut ipsa quaeque necessaria habeam, » quam aliis supplicem. Nulla etiam culpa est, ut illi congregata auferam, qui » plus habet quam sibi necesse sit. Cum enim habuero quod volo, nullam sollicitudinem habeo, ut ab alio quicquam requiram. Et cum in sinu meo videro » omnia quae voluero, prospere impleo omne quod me delectat. Tum et neminem » timeo, sed in beatitudine vivo, nec indigeo ut misericordiam ab ullo requiram. » Nam in duritia astutam sapientiam habeo, ac omnia mea requiro, et nullus me » decipere potest. Et quid me nocebit? Nec fur, nec latro sum, sed omnia quae » volo capio, et ea arte mea acquiro. »

VIIII.

Responsum purae Sufficientiae.

13. Et iterum de praefata turbida nube audivi huic imagini vocem responden-

[1]) *plangel* W. — [2]) *crura ejus* W. — [3]) *commixtum* A. — [4]) *radicaverant* A.

tem: « O fraus diabolica, tu ad praedam ut lupus velox es, et alienam rem sicut » vultur devoras. Sed et grossae pustulae ebulliunt in te, unde per illicita deside» ria, sicut camelus cum gippis suis, onerata es, ac ad devorandum [1]) omnia, aper» tum os lupi es. Tu quoque in duritia [2]) jaces, et in omnibus oblivionem Dei ha» bes, quia in ipsum non confidis. Dura namque et aspera sine misericordia es, » quia perfectum alterius non vis. Nam sicut vermis in speluncam se abscondit, » sic tu, vilissima rustica, ab omni prosperitate alterius te subtrahis, quoniam » nulla tibi sufficiunt. Ego autem super sidera sedeo, cum omnia bona Dei mihi » sufficiunt, et in dulci sono tympani gaudeo, quando in ipsum confido. Solem » osculor, quando ipsum in gaudio habeo; lunam amplector, cum illam in carita» te teneo, et cum ea quae de ipsis crescunt, mihi sufficiunt. Et cur plus deside» rem quam indigeam? Nam quia misericordiam in omnibus habeo, vestis mea ex » albo serico est; et quoniam mollis in omni utilitate sum, vestis mea pretiosis la» pidibus ornata est. Unde in domo regis sum, ac omnia quae desidero, mihi non » desunt. Convivium enim regis habeo, quia filia regis sum. Sed tu, o pars pessi» ma, omnem circulum terrae circuis, nec tamen ventrem tuum imples. Vide ergo » quae sis. »

14. Quintam vero imaginem vidi, muliebrem formam habentem; ad cujus dorsum arbor stabat, quae tota arida sine foliis erat, et cujus ramis eadem imago implexa fuit. Nam ramus unus verticem capitis ejus obtexerat, et unus collum et guttur ejus circumdederat. Et unus circa dextrum brachium, unus circa sinistrum se extendit, ipsis tamen brachiis non expansis, sed ad se [3]) collectis, ac manibus ab eisdem ramis dependentibus, et ungues ad similitudinem corvi habentibus. Ab illius quoque dextra parte ramus unus, et a sinistra parte unus procedebat, qui ventrem et crura ejus in transversum circumcinxerant, et invicem circumplexi erant. Pedes autem illius lignei fuerunt. Alia autem indumenta non habebat, nisi quod hoc modo ramis istis circumdata fuit. Et maligni spiritus cum nigra nebula valde foetente venientes, ipsam invaserunt, ad quos gemendo se reclinabat.

X.

Verba Tristitiae saeculi.

15. Et dixit: « Heu quod creata sum! heu quod vivo! Quis me adjuvabit? quis » me liberabit? Si Deus me sciret, tanta pericula mihi non adessent. Quod in » Deum confido, bonum mihi non tribuit; quod cum illo gaudeo, malum a me non » aufert. A philosophis plurima audivi, qui docent quod multa bona in Deo sint, » sed in omnibus his nihil boni mihi Deus fecit. Si Deus meus est, cur omnem » gratiam suam a me abscondit? Si mihi quicquam boni conferret, illum scirem. » Nescio autem quid sim. In infelicitate creata [4]) et in infelicitate nata sum, et » sine ulla consolatione vivo. Ah! quid [5]) prodest vita sine gaudio! Et quare crea» ta sum, cum mihi nullum bonum adsit? »

[1]) *ad devoranda* W. — [2]) *in duritiam* A. — [3]) *sed tamen ed se* W. — [4]) *creata sum* W. — [5]) *ach! quid* W.

XI.

Responsum coelestis Gaudii.

16. Sed de praedicta turbida nube audivi vocem hoc responsum illi dantem: « O coeca et surda, tu nescis quid intra te loqueris. Deus hominem lucidum creavit, sed propter praevaricationem suam Serpens illum in hunc lacum miseriae seduxit. Nunc solem et lunam et stellas et omnem ornatum viriditatis terrae inspice, et considera, quantam prosperitatem Deus homini cum illis dat, cum tamen homo in multa temeritate contra Deum peccet. Tu fraudulenta et dolosa et impia es, semperque gehennam in fiducia tua habes, nec scis, nec cogitas quae salus a Deo sit. Quis tibi dat ea quae in his lucidis et bonis habes, nisi Deus? Cum dies ad te currit, ipsum [1]) noctem nominas; et cum salus tibi adest, ipsam dicis esse maledictionem; et cum omnes causae et res tuae bonae sunt, eas malas esse dicis. Unde gehennalis es! »

17. « Ego autem coelum habeo, cum omnia quae Deus creavit, recte inspicio, quod tu nocivum nominas. Flores quoque rosarum et liliorum et omnem viriditatem in sinum meum leniter colligo, cum omnia opera Dei laudo, in quibus tu dolorem doloris ad te colligis, cum in omnibus operibus tuis tristis es. Tu gehennalibus spiritibus similis es, qui per omnia opera sua Deum semper negant. Sic ego non facio; sed omnia opera mea Deo tribuo, quoniam in quadam tristitia laetitia est, et in quodam gaudio prosperitas; non est ut dies et ut nox sunt. Nam quemadmodum Deus diem et noctem constituit, sic etiam gesta hominis sunt. Cum enim avaritia castrum suum aedificat, Deus illud cito destruit; et cum caro lasciviam desiderat, Deus illam conculcando percutit; et cum voluptas carnis in vana gloria gyrum coeli circuire vult, Deus illam percutiendo dissipat. Quod justum et rectum est. Nam inspice qualitatem volucrum coeli, et qualitatem pessimorum vermium terrae, quoniam et utiles et inutiles sunt, quamvis se invicem devorent. [2]) Sic prosperitas atque adversitas saeculi sunt. Non omnino abjiciendae sunt, sed utilia inutilia, et inutilia utilia purgant, sicut aurum in fornace probatur. Tu autem parti [3]) inutilium consentis, quod ego non facio. Nam utilia et inutilia sic computo, quemadmodum Deus ea constituit. Anima coelum, caro terram testatur, et caro animam affligit, anima autem carnem constringit. Unde stulta et coeca, quid loquaris, considera. »

18. Et ecce coram praefato viro aeneus fustis, ut fustis percussoris est, abysso infixus apparebat, qui hac et illac, quasi ad percutiendum, movebatur. Et motus ejus sonum sic dicentem reddebat:

XII.

Sonus aenei Fustis.

19. « O irrisiones perditionis, quae Deo vos opponitis, volentes culmen ascende-

[1]) *ipsam* A, W. — [2]) *devorant* A. — [3]) *parte* W.

» re, ubi in infernum descenditis, ab omni honore vos abstraho, et ab omni felici» tate vos projicio, ac in confusionem [1]) vos prosterno, atque sicut putridum cada» ver vos abjiçio, quoniam [2]) in gutture antiqui serpentis estis, et ex ore ejus ad » decipiendum homines ebullitis. Nam ferventibus vulneribus spumam immundi» tiarum super illos funditis, [3]) et igneis jaculis parvorum operum eos percutitis, » atque furorem homicidii exsufflantes, eos mortificatis; et hoc modo festinanter » in illos [4]) irruitis, quatenus justitiam Dei derelinquant, et ut ipsum Deum con» temnant. Et in his machinationibus vestris, desideratis ut omnia opera Dei du» catis in confusionem. Quapropter bella contra vos colo, per quae vos abjicio; et » sic fortitudinem Dei in vobis manifesto, cum ad nihilum deducimini. »

XIII.

Aquae ad salutem hominum creatae.

20. Et iterum audivi vocem de coelo mihi dicentem: Creator omnium, qui aquas ab invicem divisit, ita quod eas in diversis locis, scilicet tam in superioribus quam in inferioribus, emanare jussit, et qui abyssum ad sustentationem illarum quae sub terra sunt, coadunavit, eas non solum ad diversos usus corporalium necessitatum in terra viventium liquefecit, sed etiam ad salutem animarum hominum per ablutionem baptismi direxit; ita quod fideles in Unigenitum Dei credentes, per ablutionem peccatorum suorum vitia diabolicarum suggestionum a se projiciant; et quod coelestibus desideriis intendentes, ad vitam aeternae beatitudinis feliciter et gloriose pertingant, velut etiam in praesenti visione typice tibi manifestatur. [5])

XIIII.

Quod omnes homines sub protectione Dei sunt.

21. Nam vides quod praedictus vir per totum orbem prospicit, quoniam omnipotens Deus mundum et omnes habitantes in eo jussione [6]) protectionis suae defendit; quia ab ipso quod sunt, acceperunt, quamvis eum diverso modo colant, invocent ac venerentur, praeceptis ipsius famulantes. Sed et qui ei famulari recusant, sub protectione tamen ipsius sunt, quoniam ab eo creati sunt, et quamvis nolint, etiam nolentes multis modis illi serviunt. Unde [7]) et aquae abyssi, in quibus idem vir a suris deorsum ad plantas suas, et ita quod etiam supra abyssum stat, quasi robur virtutis ejusdem viri sunt, quoniam aquae subterioris profunditatis, quas Deus in fortudine sua et in absconditis occultis, velut sub plantis suis, tenet, ita quod supra eamdem profunditatem stat, quia omnia sub potestate ejus sunt, vim Divinitatis ostendunt, quoniam ut cuncta a Deo reguntur et proteguntur, sic etiam aquae cuncta terrena conglutinant et muniunt. Nam cum homines infidelitati de-

[1]) *in confusione* A. — [2]) *quod in* A. — [3]) *effunditis* W. — [4]) *in ipsos* W. — [5]) *demonstratur* W. — [6]) *visione* A in apographo. — [7]) *unde*. Hic incipit XV in W, neque inepte.

ditos per ablutionem baptismi in alienam vitam [1]) reducunt, omnia recuperant; et cum immunda tam corporum quam animarum auferunt, omnia purificant; et cum aspersione sua tam visibilium quam invisibilium incursionum pericula abstergunt, omnia sanctificant; et cum perfusione sua cuncta quae debent solidant, ne arescant, omnia continent; et cum coadunatione sua orbem terrarum ferunt, omnia portant. Omnes enim creaturas sudore humiditatis suae perfundunt, quoniam unaquaeque in vita sua vivit, secundum quod ei Deus vivere suum constituit: scilicet illa quae vitalis est, vivit ut homo; quae aerea, ut pecus; quae viriditatem habet, ut arbusta; quae sudorem fuci, [2]) ut herbae, quia haec omnia per divinam dispositionem et de terra et de aere exsudans humiditas in essentia sua continet, et etiam unumquodque germen, secundum quod a Deo constitutum est, ex eis producit.

XV.

Quomodo aquae cuncta terrena conglutinant.

22. Nam et omnes creaturas aquae solidant, quoniam humiditatem eis infundunt, ita quod nec crescunt, nec decidunt, nec disperguntur; velut etiam anima corpus firmat, quia cum calore spiraminis carnem vegetat, et carnem insimul compingit, quamdiu in illa manet.

XVI.

Abyssus omnia terrena tenet.

23. Sed et abyssus quasi virtus possibilitatis ejusdem viri est, quia omnes institutiones ejus fert, et quia eaedem institutiones ipsi innituntur, quoniam illa velut similitudinem posse Dei habet; quia ut possibilitas Dei omne opus ipsius in cunctis officiis suis tenet, ita quod de potestate ejus non exeunt, sic etiam et abyssus ea quae super terram et quae in terra et quae sub terra sunt, sustinet, [3]) quoniam haec omnia divina ordinatione super illam posita sunt.

XVII.

Abyssus per solam Dei potestatem sustentatur.

24. Et etiam velut fabrica summi fabricatoris existit, in qua utensilia ejusdem fabri sunt; quia ut in fabrica ignita [4]) et non ignita, massa cujuscumque fabrilis generis est, et ut faber in ea operans opus suum hac et illac secundum voluntatem suam fundit et ducit, ita etiam abyssus quasi fabrica Creatoris mundi exstans, ea de quibus diversae formae procedunt, servat, cum aquas et terram, diversarum creaturarum materiam, sustinet, nec ipsa ab alia creatura portatur, nisi quod per potestatem Dei sustentatur.

[1]) *in alienam viam* W. — [2]) *fuci A*, W sic. Suspicor *facit*. — [3]) *sustinent* W. — [4]) *quoniam ut fabrica ignita* W... *massa cujuscumque fabrili generis* W.

XVIII.

Abyssus cisternae similis.

25. Sed et in fundo similis cisternae est, quoniam ut fundus aquas super se continet, sic et abyssus superiora super se sustinet. [1])

XVIIII.

Quod fortitudo Dei aquas liquefacit.

26. Et ecce de cruribus ejusdem viri aer quidam cum sudore exiens, omnes aquas abyssi diverso modo movet, quia de fortitudine Dei aer cum lenitate veniens, et multitudinem aquarum liquefaciens, eas hac et illac diffundit, cum ipsas per totum orbem terrarum deducit, eas etiam ita retinens, ne modum suum aut procedendo aut redeundo aut crescendo aut decrescendo transcendant, [2]) sed ut illum, sicut ipsis a principio constitutus est, teneant. [3]) Nam spiritus Domini aquis humiditatem [4]) et cursum dat, scilicet quod humidae et liquidae sint, et quod fluant tanquam vivant, alioquin concretae essent, ac in uno loco sine impetu fluentis motionis manerent, nec terra, nec alia creatura irrigaretur.

XX.

Quod Deus elementa in potestate sua tenet.

26. Ipse quoque vires elementorum, quae supra terram et in terra et subtus [5]) terram sunt, pedibus suis deprimit, quoniam Deus austeritatem elementorum, quae in superioribus et in interioribus ac in subterioribus creaturis viget, [6]) in potestate sua, quae contra omnes fortis est, et quae omnia portat, firmiter tenet, ne ante tempus quod eis et propositum et institutum ab ipso est, concutiantur, aut tremant, et terrorem aliis creaturis inferant.

XXI.

Quod Deus fideles hortatur ad poenitentiam, plagarum metu.

28. Unde et fideles exhortatur, quatenus admonitionem ejus percipiant, et poenitentiam de peccatis suis arripiant, quia se ipsis in multis miraculis manifestat; alioquin plagas ejus sentiant, si poenitentiae modum toto annisu cordium suorum sibi non imposuerint.

[1]) Nec satiora sub Hildegardis aevo doctissimi sapiebant. — [2]) *transcendat* A, W. — [3]) *teneat* W. — [4]) *aquas humiditatis* W. — [5]) *ac subtus* W. — [6]) *quae* inserit A inepte.

XXII.

Quomodo anima ad Deum anhelat.

29. Sed et quemadmodum aquae et abyssus virtutem et possibilitatem Dei ostendunt, sic etiam cum viribus suis anima hominis, quae ad Deum anhelat, virtutem et possibilitatem ejus in bonis operibus manifestat. Nam vires animae, in quibus Deus per fortitudinem descendentium ad occulta mysteria secretorum, velut a suris deorsum ad plantas suas est, ita quod etiam supra eamdem animam in operatione bonorum operum, cum ei sanctitatem per justa et fidelia opera inspirat, quasi supra abyssum stat, confortationem et constantiam sanctitatis per divinum adjutorium adversus diabolicas artes habentes, [1]) quasi robur virtutis ejusdem viri sunt; quoniam ubi Diabolum abnegant, et Deum confitentur, ad justitiam omnia recuperant; et ubi sordes et contagia peccatorum per contritionem confessionum [2]) a se abstergunt, omnia purificant; et ubi mala et pericula mortis devitant, ea quae bona sunt operantes, omnia sanctificant; et ubi per infusionem lacrimarum bona opera in se irrigant, ne deficiant, omnia continent; et ubi in unanimitate beatarum virtutum ab invicem non discrepant, omnia portant, quia tunc etiam omnia opera sua vera et suavi compunctione perfodiunt, et ea coelesti desiderio ita conglutinant, quemadmodum Deus mundum compaginavit, ne ab invicem dissolvatur.

XXIII.

Quod divina praecepta dentur animae adimplenda.

30. Ipsa quoque anima, per divinam gratiam antiquum Serpentem fortiter conculcans, et strenue Deum imitans in operatione virtutum, quasi virtus possibilitatis ipsius est, quia dum bono affectu et dum recta voluntate divina praecepta observat, velut omnes institutiones ejus fert, quoniam eadem praecepta ab hoc manifestata et data sunt, ut per fidelem animam portentur et impleantur, quasi eaedem institutiones illi innitantur, et etiam anima aedificatio et templum aeterni Creatoris, velut fabrica summi fabricatoris, existit, in qua justa et sancta opera et omnia quae ad beatam vitam quam Deus fidelibus suis donabit, respiciunt, quasi utensilia ejusdem fabri sunt.

XXIIII.

Quomodo anima de virtute in virtutem ascendit.

31. Cum enim anima in homine sanctitatem sequitur, Deus in ea et per eam tanta miracula multoties operatur, quod etiam alii velut ex incognitis et terren-

[1]) Series aliquid patitur. Refer *habentes* ad verbum remotum *vires*. — [2]) *confessionis* W.

tur et mirantur. Nam de fortitudine donorum Dei Spiritus Sanctus suavi lenitate ad fidelem animam procedens, cunctas vires ejus de virtute in virtutem ire et ascendere mirabiliter facit, velut etiam de cruribus ejusdem viri aer quidam cum sudore exiens, omnes aquas abyssi diverso modo movet.

XXV.

Quod Deus tentationes per humanitatem Filii sui compescit.

32. Unde ipse videlicet Deus tentationes diversarum causarum et incursionum, quae et spiritualibus et carnalibus ac infernalibus incitamentis animam hominis irretitant, per humanitatem illam qua Diabolus contritus est, compescit, quemadmodum et idem vir vires elementorum quae supra terram et in terra ac subtus terram sunt, pedibus suis deprimit. Nam Unigenitus Dei Filius in mundo inter homines sine peccato conversatus, exempla fidelibus suis dedit, ut terrenis concupiscentiis abjectis, ad coelestia anhelent, et ut id quod in sanctitate aeternum est, diligant.

XXVI.

Quod Deus per miracula ad poenitentiam hortatur.

33. Quapropter et praefatus vir qui Deum designat, illos qui vere audientes aures et vere intelligentia corda habent, ut poenitentiam de peccatis suis agant, quemadmodum audis, monet, quia ut injusta opera sua abjiciant, et ut ad ipsum festinanter currant, se ipsis per multa miracula clementer manifestat. Hos autem qui verba admonitionis ejus negligunt, flagella ipsius acriter purgabunt, quoniam admonentem et corripientem judicem per contumaciam temeritatis suae contemnunt. [1]) Unde amaritudinem corpori suo per poenitentiam inferat, qui in domo Dei fidelis esse desiderat.

XXVII.

Quod Joannes ad poenitentiam hortatur.

34. Velut etiam Joannes exhortatur, ubi dicit: ***Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere a ventura ira? Facite ergo fructus dignos poenitentiae, et ne coeperitis dicere: Patrem habemus Abraham. Dico enim vobis, quia potens Deus de lapidibus*** [2]) ***istis suscitare filios Abrahae.*** [3]) Cujus sensus talis est. De poenis poenitentia est, et omne vitium secundum culpam suam examinabitur, et quaeque anima tabernaculum operum suorum inveniet. Quis enim in alia vita tabernaculum dare poterit, nisi Deus, a quo etiam praemia dantur? Deus autem homo factus, in tabernaculo suo invenit quod sibi valde placuit, videlicet poenitentibus peccata

[1]) *contempnant* W. — [2]) *Deus lapidibus* W. — [3]) Luc. III, 7.

ignoscere. Nam Filius Dei in corporali vita Virginis sine peccato conceptus et natus est, et sic in innocentia sua permansit, cum ipse sic solus justus ortus est; unde superno Patri suo placuit, quod ipsis potestatem hanc daret, ut illis qui poenitentiam facerent, peccata dimitterent. [1]) Sed illi qui in peccatis conversantur, et in peccatis perseverare volunt, genimina viperarum dicuntur, quia in deceptione viperae concepti sunt; quoniam Adam et Eva regalem vitam in semetipsis dilaniaverant: quapropter etiam sanctam innocentiam perdiderunt, et filios suos in mortalitatem peccatorum genuerunt, donec munda carne Filii Dei vivificati sunt.

35. Et quis hominum, hoc modo in peccatis nascentium, demonstravit vobis, qui etiam in multis criminibus estis, fugere supervenientem vindictam indignationis Domini sine poenitentia? Quo dicto ostenditur, quod homo ultionem Dei nullo modo effugere potest, quia nec primus angelus, nec Adam, nec filii ejus illam effugere potuerunt, quoniam quisquis contra Deum ab initio pugnavit, victus cecidit. Operamini ergo fidelia opera, et ut a peccatis liberemini, fideliter in Deum credite, et lacrimosa oratione ipsi appropinquate, ac prava opera vestra relinquite, et unumquodque solo bono opere redimite quae omnia digna sunt poenitentia, et veraciter dicite: Ah, Ah! Domine, [2]) haec peccata feci coram te! Sed et per falsam justitiam non dicatis, quod defensionem habeatis in Abraham, cui Deus multa miracula ostendit, et cui initium veteris Testamenti dedit, quia solus Deus et non alius vos liberare potest. Unde et in certitudine illa quae vera est, pronuntio vobis, qui haec bona voluntate auditis, quod virtute gratiae suae potest Creator cunctorum de durissima duritia incredulitatis producere fideles homines ad ipsum revertentes, qui veritatem et veram fidem colant, et qui filii excelsae beatitudinis existant, quoniam Filius Dei lapis angularis est, de quo omnes lapides, scilicet sancti, germinant et renovabuntur, quia ipse sanctus est, et in ipso sancti permanebunt.

XXVIII.

Quod solertia justorum vitia repellit.

36. Quod autem in praefata nebula, in qua multimoda genera vitiorum sunt, ut supra ostensum est, etiam hic quinque vitia in hujusmodi imaginibus aspicis, hoc est quod in pessima infidelitate temerariae precipitationis, in qua diversae varietates nefandorum vitiorum discurrunt, ut praemonstratum est, etiam hic quinque contra quinque sensus hominis bacchantia, in perversis figuris et significationibus suis se declarant, quoniam haec omni conatu sensus fidelium hominum in contrarietatem perversitatis irretire et pervertere conantur, quamvis ea divino adjutorio perspicuitas et solertia [3]) justorum a se repellat, nec illa sibi dominari permittat.

[1]) *dimitteret* A. — [2]) *ach, ach! Domine* W. — [3]) *solatia* A, W, communi ineptia.

XXVIIII.

De scurrilitate.

37. Nam prima imago scurrilitatem ostendit, et inter caetera haec vitia, cum verbis mendacii praecedit, quia veritatem non diligit, sed nunc istum, nunc illum joculariter ad malum provocat, nec eos quietem habere sinit. Et a vertice capitis ad lumbos suos juvenilem formam hominis habet, quoniam hoc vitium diligentes, vitium[1]) mentis suae ad incontinentiam dictis et factis ponunt, et lasciviam omnibus modis in vanitate sibi assumunt, cum inscientia cordis sui unamquamque causam hac et illac secundum voluntatem suam dispergunt. A lumbis autem deorsum in forma cancri apparet, ut cancer a capite deorsum formatus est, quoniam isti ab incontinentia ad declivem inconstantiam descendentes, et ante per laudem et retro per vituperationem incedentes, pravum initium pravo fine concludunt. Unde et nigros capillos capitis habet, ac toto corpore nuda, et quia tetram et immoderatam immunditiam idem vitium in mentibus horum hominum faciens, eis omnibus modis verecundiam et pudicitiam aufert, ac eos verba et facta sua nunc in adulationem, nunc in detractionem aliorum proferre persuadet, quemadmodum etiam in locutione sua superius per semetipsum manifestat. Cui reverentia respondet, et illam pro luto calceamentorum computat.

XXX.

De vagatione.

38. Secunda autem imago vagationem designat, et scurrilitatem hic comitatur, quia per illam instabilitatem incurrens, unaquaeque recte disposita in immoderationem ducit, ac Deum quasi finem habentem finetenus colit. Quae puerilem formam habet, quoniam nec coelum cum gaudio, nec terram cum sollicitudine considerat, sed vacuam vacillitatem in circulo elementorum inspicit, nullam rem recte providens, nullam recte dividens, sed omnia opera sua ad pueriles mores dirigens, excepto quod in capite capillis caret, et quod faciem et barbam ut senex vir habet, quia mentem suam taedio infigens, ab honore sapientiae declinat, sed tamen in intentione sua coram hominibus venerabilis et virtuosa, quemadmodum religiosis hominibus convenit, videri desiderat. Quod autem in praedictis tenebris, in quodam panno, quasi in cunis pendet, qui hac et illac velut a vento movetur, hoc est quod homines hoc vitio insudantes, in infidelitate ac intextura voluntatis suae insipientes constricti sunt, tanquam molliter quiescant, ubi in diversas et varias vanitates multarum rerum et incognitorum jocorum per diabolicas tentationes se dispergunt, nihil recte incipientes, nihil recte terminantes, sed in vicissitudine, velut inquietae nubes discurrentes, ubique semper errantes, ubique ignota sibi eligentes, atque aliena habitacula semper quaerentes. Sed alia indumenta in ea

[1]) *initium* A?

non vides, quoniam nullam stabilitatem probitatis hujusmodi homines sibi induunt; sed semper in instabilitate vacillantes incedunt; et interdum ab eodem panno erigit se, et interdum in eumdem pannum abscondit se, quia iidem [1]) homines nunc voluntates suas deserere, et ad majorem venerationem se velle ascendere ostendunt; nunc autem in eamdem voluntatem suam se occultant, cum nulli manifestant quod facere deliberant; hoc ab eodem vitio instigati, facientes quod nullam salutarem quietem, nullam veram stabilitatem inquirit, sed quod ubique vagari, ubique joculanter se manifestare studet, sicut etiam in verbis suis superius demonstrat. Quieta autem stabilitas illam redarguit, monens ut quisque fidelis honestam stabilitatem diligens, Christo etiam loquatur, quemadmodum scriptum est:

XXXI.

Verba in Canticis canticorum.

39. *Indica mihi quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie, ne vagari incipiam per greges sodalium tuorum.* [2]) Cujus sensus talis est. Sapientia enim per Salomonem haec dixit. Nam Salomon, cum sapientia se imbutum esse sensit, ad ipsam in consuetudine amoris, velut ad mulierem, loquebatur. Et ego Sapientia dico: Tunc surrexi, et pallium meum excussi, ac per mille et centenas guttas roris eum perfudi, in quo munere Deus hominem computat. Sic nos invicem loquebamur. Nam ut omnia ordinavi, quando gyrum coeli circuivi, ita etiam in Salomone loquebar de dilectione Creatoris ad creaturam et creaturae ad Creatorem; quomodo Creator creaturam exornavit, quando eam fecit, quia eam valde amavit; et quomodo creatura a Creatore osculum petivit, quando illi obedivit, quoniam in omnibus ei obediens fuit, quia etiam creatura a Creatore osculum accepit, cum Deus illi omnia necessaria dedit. Ego etiam caritatem Creatoris ad creaturam et creaturae ad Creatorem amori et fidei qua Deus virum et mulierem cunjunxit, ut genitura ab ipsis procederet, assimilo. Sicut et omnis creatura a Deo processit, sic etiam et omnis creatura cum officiis suis ad Deum respicit, nihil sine praecepto ejus faciens, velut etiam mulier ad virum [3]) aspicit, ut jussa ipsius compleat, et quomodo illi placeat. Unde et creatura ad Creatorem trahitur, cum ei in omnibus obtemperat, et Creator creaturae adest, cum illi viriditatem et fortitudinem infundit. Sed creatura nigra efficitur, cum divino judicio in aliquo officio suo retardatur; sed formosa est, cum omnia officia sua juste complet, unde et ab ipsa ad illos qui ei in necessitate vitae adhaerent, bonus rumor pervenit, quoniam cuncta quae debet, bene et ordinate producit.

40. Quapropter et ipsa ad Creatorem in diligenti amore, velut ad dilectum suum, loquitur, quaerens ab eo ubi pastum, ubi quietem in virtute sua producat, quae ab ipso solerter accipiat, nec in hoc errando per idola discurrat, quae nomen Divinitatis sibi fallaciter usurpant. Hac etiam similitudine et homo qui omnis creatura est, a Deo per bonam voluntatem in anima sua osculum quaerit, cum gratiam

[1]) *idem* A, W. — [2]) Cant. 1, 6. — [3]) *virum suum* W.

ejus adipiscitur, ac per suspiria ad eum trahi exoptat, quatenus in suavitate ipsius strenue currat. Quem dum umbra peccati denigrat, poenitentia tamen formosum reddit, ita quod ab ipso ad filias coelestis Hierusalem bonus et sanctus odor in bona fama procedit, cum de peccatis suis per divinam admonitionem surgere appetit. Quapropter etiam et Christo redemptori suo tum loquitur dicens: Per pulcritudinem mandatorum tuorum ostende mihi, quem tota dilectione in anima mea teneo, quia in incarnatione tua me redemisti, et de morte me suscitasti, ubi pascas in virginea natura, in qua carnem assumpsisti, et per quam omnia opera tua perfecisti, quemadmodum bona aromata in horto aromatum redolent. Nam humilitas in humanitate tua omnia opera tua rigavit, sicut ros de coelo ad irrigationem super terram cadit. Ostende etiam ubi quiescas, in sepultura mortis, quoniam in plenitudine fidei plenissimus calor solis, scilicet Spiritus Sancti, fideles replevit, cum post resurrectionem ad ascensionem tuam per eumdem Spiritum Sanctum vetus Lex in majorem profunditatem conversa est; ne itinera mea in errorem illum mittam, quod rursum discurram per vetera legalia praecepta, vel per antiquos philosophos, qui in societate tua erant, quando per divinam inspirationem ea quae dixerunt sapienter protulerunt. [1]) Quod tamen facere negligo, ne squalidos mores et otiositatem operum incurram, cum quibus ab omni utilitate felicitatis separatus sum. [2])

XXXII.

De maleficio.

41. Sed tertia imago maleficium praetendens, hic vagationem subsequitur, quoniam cum homines plurimas alienationes otiose peragrant, plurimas etiam vanitates in creaturis per diabolicas artes suscitantur, Deum derelinquentes, quatenus in unaquaque se inveniant quod volunt. Quos [3]) Diabolus deridet, et in multa offendicula eos seducit. Et haec caput lupi et caudam [4]) leonis habet, quoniam homines qui hoc vitio dediti sunt, ea quae scire volunt, per diabolicas artes in creaturis inquirunt; ubi animas suas eidem Diabolo, velut agnus lupo, ad devorandum tribuunt. Finem etiam operum suorum per fiduciam spei in Deum non ponentes, sed duritiam et asperitatem, quasi caudam leonis, malo exitu in moribus suis ostendentes, odio et tyrannide omnia quae possunt commovent, quia in his causis nec mansuetudinem, nec quietam mentem habent. Reliquum autem corpus ejus [5]) cani assimilatur, quoniam cuncta opera sua ad immunditiam ponentes, scientiam quoque suam ad venationem malorum convertunt. Et haec cum praedicta imagine laedit, dicens quod in omnibus unum sint, quia qui maleficiis intendunt, ea per vagationem multoties sibi contrahunt; et etiam illam societati suae ita conjungunt, quod ab invicem separari non poterunt, quoniam utroque vitio velut naturaliter occupati sunt.

42. Sed et magni strepitus ventorum in aures ipsius sonant, quos ipsa diligen-

[1]) Noli citissimo oculo negligere hunc locum, in quo docta virgo fontem veteris philosophiae, ubi sapuit, ostendit. Idem paulo sopra facile notaveris. n. 21. 4. — *dixerint* A. — [2]) *separatus sum* A. — [3]) *quod Diabolus* A. — [4]) *cauda* A, W. [5]) *opus ejus* sic A, W.

ter excribrat,[1]) auscultans quae sint et unde sint; quia dum homines isti studia sua ad vagas vanitates ponunt, plurimas suggestiones malorum et infernalium iniquitatum auribus cordium suorum recipiunt, ac eos avide excutientes, et percipientes ad singulas voluntates suas dirigunt, quoniam illas concupiscentiis suis convenienter adaptari cognoscunt. Cum quibus etiam exultat, quasi dii sui sint, quia infideles diabolicas persuasiones pro gaudio habentes, multam venerationem eis exhibent, dum illas in secretis cordium suorum ita recondunt et ita colunt, tanquam per eas adipiscantur quidquid desiderant. Deinde dextrum anteriorem pedem elevat, et eumdem ad magnum ventum qui ab Aquilone venit tendit, quoniam ubi iidem [2]) homines rectitudinem sibi proponere deberent, ita quod in bonis gressibus juste incederent, ibi elationem in pravis vestigiis arripiunt, et se ad maximas irrisiones, quae ab antiquo seductore emittuntur, per maleficium convertunt. Unde et sinistro anteriore pede flabrum ventorum ab elementis ad se trahit, quia malis illis quae praeposita sunt vestigiis eorumdem hominum, quatenus illa inspiciant, ne in eis offendant, irritamenta malignorum spirituum, a creaturis sibi famulantibus, idem [3]) amici perversitatis ad se convocant. Nam daemonia deos suos nominant, et ipsa pro Deo colunt, ac ab illis diversas vanitates et contrarietates maleficiorum inquirunt, et hoc idcirco faciunt, ut omnes voluntates immunditiarum suarum, et in semetipsis et in aliis creaturis, tanto promptius et facilius perficere possint; velut et idem vitium declarat, ut in verbis suis praemonstratum est. Sed verus cultus Dei responsis suis illi resistit, monens homines ut a nequitiis irrisionum istarum resipiscant.[4])

XXXIII.

De avaritia.

43. Quarta autem imago avaritiam manifestat, et post maleficium hic incedit, quoniam haec officium et plenum opus illius existit, et etiam servitus idolorum est, qui venter Diaboli manens, non impletur, quoniam nullam causam secundum voluntatem suam perficere potest. Quae in forma hominis apparet, quoniam terrena et non coelestia desiderat, excepto quod capillis capitis caret, quia nullam honestatem in voluntate sua exercet. Et quod barbam ut hircus habet, quoniam pro decore suo foeditatem amat; et parvas pupillas ac albuginem oculorum latam, quia prosperitati aliorum non congaudet, sed horribilem invidiam in intentione sua demonstrat. Et quod naribus suis ventum fortiter introrsum trahit et emittit, quoniam indiscreto desiderio saeculares concupiscientias, quantum praevalet, in se ipsam tollit, et eas iterum ad majora acquirenda educit; videlicet cum de paucis multa, de modicis magna recipere contendit. Manus quoque ejus ferreae sunt, quia opera ejus plurimas rapinas in duritia et acerbitate exercent; ac crura sanguinea, quoniam in fortitudine sua pro explenda cupiditate effusionem [5]) sanguinis educit, cum homines pro propriis rebus suis occidit; et pedes ipsius ut pedes

[1]) *excribrant* W. — [2]) *idem* A, W, mox *praeponere* W. — [3]) an iterum leg. *iidem?* — [4]) *suarum resipiscant.* — [5]) *effusione* A.

leonis, quia cuncta vestigia sua ad itinera ferocitatis et praedarum dirigit, nulli parcens, ubi quicquam ad rapiendum invenit.

44. Induta autem est tunica subalbo et subnigro colore commixtim intexta, quoniam sibi omnes quascumque potest divitias, sive juste, sive injuste adquisitas trahit [1]), a nemine quaerens, unde sint vel cujus sint; quae superius constricta videtur, inferius autem, scilicet circa crura, in amplitudine distenta, quia quod a rapinis spiritalium hominum pro coelesti remuneratione se contineat, per simulatam simulationem aliquando ostendit, cum inter saeculares, qui terrenam curam ferunt, amplos sinus ad diripiendum in aestimatione sua dilatat. Et super pectus ejus vultus nigri coloris apparet, quoniam conscientiam ipsius voracitas diversarum rapinarum in nigredine ingluviei fovet; qui pedes suos eidem pectori suo [2]) infigit, quia itinera sua ad voluntatem conscientiae suae dirigit, cum omnia quae desiderat facit. Sed dorsum ac caudam suam ad eamdem imaginem vertit, quoniam vigorem et completionem [3]) iniquitatum suarum ad avaritiam extendit, omnibus modis illi insudans.

45. Sed quod coram ipsa arbor stat, quae radicibus suis in gehennam radicat, et cujus fructus picea et sulphurea poma sunt, hoc est quod cordibus infidelium hominum avaritia sollicitudinem saeculi demonstrat, quae totis viribus suis internecioni [4]) immersa, fructum inquinationis pessimique foetoris in circumvolutione nequissimarum curarum profert; ubi nulla coelestia, sed semper terrestria meditatur. Et hanc arborem eadem imago diligentissime intuetur, ac de fructu illius ore suo rapiens avidissime devorat, quia ineptam sollicitudinem avaritia solerter inspiciens, ea quae in terrenis curis haec gignit, mordaci hiatu comprehendit, et sine moderatione in se trahit. Nunquam enim homines huic vitio servientes, securi sunt, nec Deo confidunt, sed se totos arduis rebus ardenter immergunt. Unde ipsa quoque multis et horribilibus vermibus circumdatur, quoniam avaritia inenarrabilibus et monstruosis diabolicis artibus circumvallatur; qui caudis suis multum sonitum et magnum motum in praefatis tenebris faciunt, quia fortitudine et completione iniquitatis suae plurimos strepitus ac immensas inquietudines in tenebris infidelitatis commovent, cum nullum in quiete propriis rebus suis frui permittunt; et hoc etiam per iniquos homines agunt, quemadmodum cum pisces ictibus caudarum suarum aquam commovent, scilicet cum in illis perversitas pravorum operum confortata et peracta, puritatem [5]) bonae scientiae in beatis hominibus disturbat, ita quod ipsis quae ipsorum sunt auferunt, et sibi ea pertinaciter congerunt, sicut et idem vitium in locutione sua superius manifestat. Cui pura sufficientia resistens, ut fidelibus dona Dei sufficiant, fiducialiter admonet, ne si avaritiae insolenter insistant, amaritudinem acerbae infelicitatis incurrant; velut etiam Jeremias de quibusdam hoc vitium diligentibus testatur, dicens:

[1]) *adtrahit* W. — [2]) *suo* om. A. — [3]) *complectionem* A, *completione* W. — [4]) *internecionem* A. [5]) *puritate* A.

XXXIV.

Verba Jeremiae prophetae.

47. *Ubi sunt principes gentium, et qui dominantur super bestias, quae sunt in terra? qui in avibus coeli ludunt, qui argentum thesaurizant et aurum, in quo confidunt homines, et non est finis posssessionis*[1]) *eorum, qui argentum fabricant,*[2]) *et solliciti sunt, nec est inventio operum illorum.*[3]) Cujus sensus talis est. Ubi sunt et quam mercedem illi habent, qui tyrannide sua gentes opprimunt? Scilicet in teterrimis et in squalidis locis, quae opera eorum ipsis praeparaverunt, sunt; ac praemia punitionis receperunt, quoniam legalia praecepta reliquerunt, et quoniam in dominatione illa, qua populis praefuerunt, se ipsos deos fecerunt, et quoniam substantias eorumdem hominum in avaritia consumpserunt. Qui etiam dominium suum exercent super feras, quae in feritate sua sunt, in terra nihil nisi quod bestiale est scientes; quas isti in ditione sua habent, quasi eas fecerint, non cogitantes quod Deus illas eis in servitutem[4]) creaverit; et sic altitudinem ac latitudinem supernorum praemiorum, propter pretium propriae voluntatis suae, relinquunt, quia faciunt quod volunt. Nam mentes suas ad Deum non erigunt, sed avaritiae serviunt; unde in pessima tenebrositate non alia quam bestialia merita recipiunt. Qui et in avibus, aerem penetrantibus, ludicra voluptatum suarum implent; et symphoniam Spiritus Sancti, cum qua in praeceptis Dei gaudere deberent, relinquentes, gaudia sua in mores volucrum vertunt, et cum eis varia diversitate inconvenienter ludunt,[5]) et ideo magnas poenas sustinebunt, quoniam Deo non serviunt. Qui etiam per injustas acquisitiones et per injusta lucra, argentum mortalitatis sibi congregant et aurum perditionis, in quo spem suam, terrena et non coelestia sentientes, ponunt; ita quod nullum terminum, nullum modum dilatationi contractionis suae constituunt, quia argentum bonae scientiae, quo sanctissima opera in coelesti harmonia thesaurizantur, nolunt; et quia aurum sapientiae, quo fideles homines cum discretione Dei sapienter reguntur, contemnunt. Nam divina praecepta in voluminibus, velut in privilegio[6]), ne oblivioni tradantur, sed ut per justos et sanctos homines compleantur, posita sunt; quae omnia isti repudiant, ac mortalem pecuniam sibi eligunt; unde mortales in morte facti sunt. Qui et argentum in diversas species confidentiae suae ducunt, et de terrenis et caducis sollicitantur, ne ipsis auferantur; quapropter etiam in nulla inventione perseverantiae opera ipsorum durare poterunt, quoniam in vanitate facta, in vanitate quoque dilabuntur. Ipsi enim fidem et subjectionem Dei abjicientes, in terrenis quaecumque sibi placent, faciunt, dicentes: Omnia quae Deus vult facit, et nos ea quae volumus faciemus. Et sic sanctimoniam sanctorum operum, quae cum bonis virtutibus deargentatae, et quae in fabricatione virtutum velut elegantes formae apparent, de se abjiciunt, ac omnem sollicitudinem suam in facultates divitiarum secundum desideria cordium suorum

1) *acquisitionis* Vulg. — 2) *Fabricantur* A, W. 3) Baruch III, 16. — 4) *servitute* A. — 5) *inconvenienter laetantur* W. — 6) Respectu ad Bullas tabularii monastici.

figunt, nullam curam de salute animarum suarum habentes; et ideo etiam nulla inventio pravorum operum ipsorum in ulla utilitate aut in ullo merito salvationis est, quia cuncta quae faciunt, ut carbones extinguuntur, ac in operibus avaritiae in morte moriuntur.

XXXV.

De tristitia saeculi.

48. Et quinta imago, tristitiam saeculi significans, hic avaritiam sequitur, quia cum avari ea quae desiderant, habere non possunt, in tristitiam [1]) incidunt, de qua se leniter expedire non praevalent. Et muliebrem formam habet, ad cujus dorsum arbor stat, quae tota arida sine foliis est, quia in feminea formidine insipienter stultitiam amplectens, omnem fortitudinem et fiduciam suam ad afflictionem animi ponit; quae omni viriditate, sive omni protectione beatitudinis caret, et cujus ramis eadem imago implexa est, quia procedentibus ex ea contrarietatibus idem vitium ita implicatur, quasi in felicitate sit. Nam ramus unus verticem capitis ejus obtegit, qui contritio est, initium et summitatem mentium hominum illorum qui eodem malo occupantur, opprimens; et unus collum et guttur ejus circumdat, qui anxietatem ostendens, robur eorum, quo jugum Domini ferre, et desiderium eorum quo cibum vitae capere deberent, constringit. Et unus circa dextrum brachium, unus circa sinistrum se extendit, ipsis tamen brachiis non expansis, sed ad se collectis, quoniam eisdem hominibus formido ad aeterna et spiritalia [2]) opera, et pavor ad caduca et saecularia horrorem immittit, ita quod nec in illis, nec in istis laborare, aut se bene et honeste dilatare studeant, sed quod in ignavia per pessimam oppressionem cordium suorum manere contendant. Et hoc faciunt manibus ab eisdem ramis dependentibus, et ungues ad similitudinem corvi habentibus, quia opera eorum a praedictis contrarietatibus superbe eminentia, asperitatem in voracitate protervae nigredinis demonstrant; cum tam sibimetipsis quam aliis nullam dilectionem impendunt, quoniam in laetis, nec in tristibus, nec in prosperis, nec in adversis ullam confidentiam semper habent. Ab illius quoque dextra parte ramus unus, et a sinistra parte unus procedit, qui ventrem et crura ejus in transversum circumcingunt, et invicem complectuntur, quia ubi homines in tristitia saeculi pereuntes, per spiritualia velut in dextra defendi deberent, ibi afflictio animi dubietatem eis immittit; et ubi carnalia velut in sinistra deberent abjicere, ibi moeror ipsis etiam per afflictionem animi accedit, quae etiam omnia conscientiam et fortitudinem tam animarum quam corporum eorum hac et illac per multas diversitates circumferendo comprimunt; et quae pessima societate in ipsis conjunguntur, ita quod nec ad Deum, nec ad saeculum viriliter tendunt; quia nec in Deo nec in saeculo ullum gaudium habent, nec quae sint opera sua, pleniter considerant. Unde et pedes vitii illius lignei sunt, quoniam iidem [3]) homines itinera sua nulla correctione spei et fiduciae corrigunt, sed ea post tristitiam saeculi

[1]) *in* om. A. W. — [2]) *spiritualia* A constanter. — [3]) *idem* A. W. solemni scriptura.

ponunt, nullam viriditatem in viis suis habentes, [1]) sed colubro similes existentes, qui ab omni gaudio et ab omni laetitia coeli et terrae se abscondit.

49. Alia autem indumenta non habet, nisi quod hoc modo ramis istis circumdata est, quia idem vitium homines istos nulla gloria, nulla honestate decoratos, sed omni felicitate nudos reddit, et ut praefatum est, pessimis calamitatibus oppressos ostendit, quoniam se ipsos, nec alios diligunt, sed omnibus gravedinem in moribus suis inferunt. Quod autem maligni spiritus cum nigra nebula valde foetente venientes, ipsam invadunt, ad quos gemendo se reclinat, hoc est quod nequissimi et diabolici spiritus cum nigredine pessimarum artium suarum, omni sorde et immunditia foetentium, ebullientes, praedictos homines cum praedicto vitio aggrediuntur, et eos ab omni consolatione et ab omni quiete mentium suarum trahunt, ita quod isti illis, desperantes et se ipsos abominantes, consentiunt, nec sibi ullam beatitudinem adesse posse confidunt; velut idem vitium in verbis suis, ut praemonstratum est, declarat. Coeleste autem gaudium illi respondet, et ut homines amaritudinem tristitiae a se projiciant, et Deo in gaudio adhaereant, fideliter exhortatur.

XXXVI.

De forma zeli Dei.

50. Et ecce coram praefato viro aeneus fustis, ut fustis percussoris est, abysso infixus apparet, qui in conspectu Dei, fortissimum zelum ejus ad vindictam malorum praeparatum, et profundissimis judiciis ejus impositum designat, nihil ferientem, nihil comminuentem quam quod divina judicia demonstrant. Qui hac et illac quasi ad percutiendum movetur, quia omnia perquirit, omnia perscrutatur quae justis Dei judiciis examinanda et discutienda sunt [2]). Et motus ejus, scilicet recta judicia, zeli Dei sonum, videlicet judicialem sententiam sic dicentem reddit, quoniam magna austeritate clamat, quod diabolicas visiones Deo repugnare cupientes, et ad altitudinem illam quae in ima descendit, pertingere contendentes, ab omni decore et ab omni beatitudine auferet, ac in contumeliam foetentis cadaveris projiciet; quia ipse a voracitate primi insidiatoris et a rabie ejus crudeliter prodeuntes, quoscumque possunt, in loca pessimae damnationis secum trahere student. Sed eas zelus Domini dispergit, et ad nihilum deducit, quoniam omnia juste examinat, et quaeque quae judicanda sunt, juste dijudicat, sicut etiam scriptum est:

XXXVII.

De libro Exodi.

51. *Factum est autem, in noctis medio, percussit Dominus omnem primogenitum in terra Aegypti a primogenito Pharaonis, qui sedebat in solio ejus, usque ad primogenitum captivae quae erat in carcere, et omnem primogenitum jumentorum.* [3])

Cujus sensus talis est. Dum iniquitas superabundavit, ita quod a nullo se supe-

[1]) *habentibus* W. — [2]) *dijudicanda sunt* W. — [3]) Exod. XI, 5.

rari existimavit, contrivit Dominus in zelo suo omne initium et omme caput, quod in perversitate tenebrosae infidelitatis grassabatur, scilicet ab initio superbiae Diaboli, qua [1]) sibi sedem in tartareo regno paraverat, usque ad initium transgressionis Adae, ubi ipse captivatus et incarceratus, eidem Diabolo se subjecerat. Nam verus Deus, justus judex, cum superbiam Diaboli in abjectione perditionis conclusit, et cum trasgressionem Adae in acerrima ultione transverberavit, omne genus vitiorum in his comminuit, quoniam istis omnia vitia adhaerent. Comminuit quoque omne vitium perversarum cogitationum, cum etiam cogitationes hominum examinat, quia dum eas in capite obtruncat, fine tenus etiam ipsas exterminat, nec ullas [2]) indiscussas pertransire permittit. Nam Dominus, quasi in medietate mortis percussa iniquitate, per Filium suum in regeneratione Spiritus et aquae fideles homines ad vitam reduxit, cum a prophetis et sapientibus usque ad subditos eorum qui peccatis incarcerati erant, [3]) omne malum occidens veterem Legem in meliorem partem convertit. Ipse nempe initia vitiorum prostravit cum luxuriam ac inobedientiam in nova Lege extinxit, quatenus plurimae virtutes ibi crescerent, ubi eae [4]) pessimae radices extirpatae fuissent. In ore enim antiqui serpentis luxuria conglobata fuerat, ubi ille per cibum hominem deceperat. Sed de stirpe Jesse puella surrexit, quae luxuriam in ventre ejusdem serpentis divisit, cum sine gustu luxuriae in puellari innocentia peperit, quae semper gaudet, nec tristitiam habere potest. Filius autem Dei abstinentiam docuit, cum in abstinentia ciborum quadraginta diebus et noctibus jejunavit. Sed et plurima mala in idolis superavit, cum illa contrivit; ac occulta miracula per semetipsum ostendit, cum morsum serpentis per sanguinem suum et per sanguinem martyrum suorum oppressit.

XXXVIII.

Quod sanguis Christi virginitatem sibi conjunxit.

52. Innocens quippe sanguis Christi et martyrum suorum desponsationem virginitatis sibi conjunxit, et unde Diabolus erubuit, quod totus confusus erat, et contra omnia haec speluncas quaesivit, ut ea deciperet, cum vitia adversus virtutes armavit; ubi etiam praecepta Dei cum perversa doctrina evertere tentavit, in semetipso dicens: « Quando quidem possibilitatem habeo facere quod volo, omni conatu Deo rebellabo, quia me opprimere vult. »

XXXVIIII.

Quomodo Deus antiquum serpentem superat.

53. Sed ego qui ab initio creaturarum fortis praeliator sum, eumdem antiquum serpentem, cum culturam operum suorum perfecerit, totum prosternam, et cum inobedientia quam de se genuit, totum conteram. Diabolus namque pater inobe-

[1]) *quae* A, W. — [2]) *nec ullam* A. — [3]) *erant* om. A, *aut omne* A, W. — [4]) *ubi hae* W.

dientiae est, et omnes qui consilio inobedientiae consentientes, praecepta Dei contemnunt, sic perseverantes, membra Diaboli sunt. Haec omnia cum eodem antiquo seductore destruentur, et ad nihilum redigentur; et hic potestas Divinitatis integra apparebit, quia inimicum suum superavit. [1]) In homine quoque eum superat, cum conversionem publicanorum et peccatorum diligit; ubi eos denuo suscitat, quoniam misericordia Dei lata nunquam arescet, nec propter vicissitudinem ullius rei mutabitur; sed semper stabilis in se est, quoniam Deus vita illa est, quae nunquam vivere incepit, et quae nullum similem sibi invenit, et quae etiam nunquam finietur. Deus quippe peccatores poenitentes suscipit, qui vivere incipiunt, cum peccata deserendo in peccatis arescent, et cum naufragium peccatis suis in lacrimis poenitentiae prudenter faciunt. Qui autem vitae desiderium habet in illo, verba haec percipiat, ac ea in [2]) interius cubiculum cordis suis recondat.

54. Et ecce praedictae multitudinis alios spiritus vidi, qui omnes vociferabantur dicentes: « Numquid magnum est quod Deus facit? Lucifer magnus est, et cum illo semper erimus. » Isti homines ad scurrilitatem exhortantur, et ut subsannantia dicta et facta ad omnes habeant, eis demonstrant.

XL.

De poenis purgatoriis scurrilitatis.

55. Et vidi flammam ignis, in qua mirabilis formae vermes discurrebant. In ista animae illorum cruciabantur, qui scurrilitatem amaverant, et qui nulli hominum in hujusmodi vitio pepercerant [3]). Nam propter ardens studium scurrilitatis, quo multos laeserant, in flamma ista ardebant; et propter ignorantia qua [4]) Deum per idem vitium oblivionis tradiderant, per praefatos vermes torquebantur.

XLI.

De poenitentia ob scurrilitatem.

56. Et vidi et intellexi haec. Et de praefata vivente luce vocem mihi dicentem iterum audivi: Haec quae vides, vera sunt, et ut ea vides, ita sunt. Quapropter homines scurrilitatem sibi componentes, si malignos spiritus illam sibi suggerentes contenderint de se fugare, et poenis ejus abesse, jejuniis et verberibus secundum iussionem sibi praesidentis rectoris se castigent, et deinde silentium cum rectitudine convenientis temperamenti diligant.

XLII.

De vitio scurrilitatis.

57. Scurrilitas enim oblivione [5]) Dei repleta est, et mendacibus verbis veritatem

[1]) fort. *superabit.* — [2]) *in* om. A. — [3]) *perceperunt* A, W. — [4]) *quam* A. — [5]) *oblivioni* A.

dilaniare studet, quoniam sicut foetens nebula est, quae omnes fructus arefacit. Nam in honestate non germinat, nec per disciplinam pallio verecundiae tegitur; sed omnia quae vera sunt, cum umbra ludentium verborum, eradicare tentat. Ista namque cum quibusdam sibilis secundum mores serpentium facit, ac cum blasphemantibus verbis, quae contra Deum et hominem sunt, pessimae consuetudini se implicat, et constitutam legem deridet, velut tinea vestem demolitur, et hominem deridendo decipit, ac sic eum per mortem invadit. Sed qui Deum puro corde et disciplinato animo diligere voluerit, virus subsannationis hujus de se projiciat, ne postea flere incipiat, cum gaudium habere desiderat. Haec autem de poenitentium animabus purgandis et salvandis dicta sunt, et fidelia sunt, et fidelis his attendat, et ea in memoriam bonae scientiae componat.

58. Alios quoque ejusdem multitudinis vidi spiritus, quos etiam sic vociferantes audivi: « Dominator noster Lucifer est, qui omnia pertransit, et omnia quae sunt cognoscit. » Hi hominibus vagationem ostendunt, et ne stabilitatem diligant, eis persuadent.

XLIII.

De vagationis poenis purgatoriis.

59. Et vidi paludem magnam, putrida et foetente sorde plenam, de qua pessima nebula surgens, eamdem paludem totam circumdabat. In hac animae illorum puniebantur, qui in saeculo viventes, vagationi insudaverant, ita quod de loco ad locum transeundo semper vagi incedere soliti fuerant. Nam propter vagationem qua peccaverant, in sordibus paludis hujus erant; et propter delectationem quam in illa habuerant, foetorem ejus sentiebant; et propter diversitatem novitatum illius, eadem nebula obtegebatur. Et vidi et intellexi haec.

XLIIII.

De agenda ob vagationem poenitentia.

60. Et de praedicta vivente luce iterum audivi vocem mihi dicentem: Haec quae vides, vera sunt, et ut ea vides, ita sunt. Quapropter homines, ut spiritus ad vagationem eos exhortantes superent, et ut poenas ejusdem vagationis evadant, jejuniis et flagellis se castigent, ac genuum flexionibus et suspiriis pro eisdem excessibus se puniant.

XLV.

De vitio vagationis.

61. Qui enim vagationem amplectuntur, Deum non timent, nec caritatem Dei habent; et cum praefatum timorem abjiciunt, sapientia carent; et cum charitati se non

implicant, vigilem scientiam habere non poterunt. Vagatio quippe velut puella inobedientiae est, ac luxuriae multoties famulatur, et si eam opere non perficit, consortium ejus tamen affectat, et aspectum ipsius desiderat, et officio ejus se subjicit. Nam et rabida et tepida est, et in unaquaque causa ululat, et cibo sale non condito similis est, nec gaudium rectum, nec tristitiam rectam habet, nec prophetia illam inspicit, nec sapientia cum illa loquitur, quoniam nec radix, nec folium fructiferae arboris est, quia in radice prophetiae sicut ros in mane non madet, nec in folio aedificationis sapientiae in meridie surgit. Spuma enim et putredo est, nec gustus in scientia, nec cibus in operibus est, nec in ulla utilitate manet, nec vigilem sensum, nec elevationem mentis ad Deum in ulla auctoritate habet. Ipsa quoque otiositatem et pigritiam ad se colligit, cum quibus per plurima lubrica et contumeliosa temere incedit, et visum suum ad diversitatem sibi occursantium infigens, ea quae Dei sunt obliviscitur, cum etiam corporales necessitudinis suae causas multoties sic negligit. Sed qui Deo strenue et in austeritate vitae suae desiderat famulari, hujus vitii vanitates abhorreat, et se tam corpore quam spiritu constringens, ad Deum se erigat. Cum enim homo in coelum extenditur, cum facie fidei Deum videndo, ipsum diligentissima contemplatione osculatur, et firmissima charitate amplectitur. Tum[1]) in homine isto completur quod sic scriptum est:

XLVI.

Verba David.

62. *Delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui.* [2]) Quod etiam sic intelligendum est. Tu qui fideliter in Deum credis, et qui fidelia opera operaris, omne delectamentum virtutum ad te collige, in illo delectare, qui Dominus universorum est, illum fideliter sequens, et illum fideliter diligens, qui Creator tuus est. Et cum sic in illo delectaris, dabit tibi ea quae bona sunt, et in quibus nunquam aresces, videlicet secundum quod petis, et secundum quod cor tuum desiderat[3]). Quomodo fides enim, qua in Deum recte credis, nihil te petere quam quod justum est permittit, ita[4]) contemplatio illa, quam fides docet, in aspectu Dei nihil quam quod Deo placet, et quam quod aeternum est, petit. Nam si etiam pro necessitate tua ad Deum suspiras, et si etiam pro necessitate fratris tui ad Deum clamas, his bonis et sanctis operibus odor virtutum charitati Dei appropiat, et Deus petitiones istas quae juste fiunt, implere non cessat. Haec autem de poenitentium animabus purgandis et salvandis dicta sunt, et fidelia sunt, et fidelis his attendat, et ea in memoriam bonae scientiae componat.

63. Deinde alios ejusdem multitudinis spiritus vidi, quos omnes magno clamore vociferantes audivi: Lucifer Dominus est, quoniam elementa praecepto ejus obediunt. Et isti elementa studiose inspexerunt, et homines ad maleficium pertrahunt, et ut magicis artibus et veneficiis insistant, eis persuadent.

[1]) *tunc et in homine* W. — [2]) Ps. XXXVI, 4. — [3]) *secundum cor tuum desideras* A. — [4]) *et* A, W.

XLVII.

De poenis ob maleficium purgatoriis.

64. Et vidi paludem magnam, ut ignem totam ferventem, et pessimum foetorem emittentem, ac multitudinem serpentium aliorumque vermium in se habentem, in qua etiam animae illorum torquebantur, qui dum in corporibus suis fuissent, maleficio institerant, ita quod diabolicis artibus plurima magica et veneficia cum diversis creaturis exercuerant. Unde et maligni spiritus plurima opprobria intulerant eis, dicentes: Isti verum [1]) Dominum non habent. Quia enim rectam fidem neglexerant, et in operibus suis incredulitatem secuti fuerant, in hac ignea palude ardebant; et quia quid facerent non consideraverant, foetorem ejusdem paludis sentiebant; et quia fiduciam suam in elementa et in alias creaturas posuerant, ac illis magis quam Deo crediderant, a praedictis [2]) vermibus affligebantur; et quia in hujusmodi pessimis artibus delectatae fuerant, conviciis malignorum spirituum infestabantur. Et vidi et intellexi haec.

XLVIII.

De poenitentia ob maleficium.

65. Et iterum de praefata vivente luce vocem mihi dicentem audivi: Haec quae vides, vera sunt. Sed homines qui malignos spiritus, ad maleficium eos exhortantes, contenderint devincere, et poenas ejusdem vitii effugere, aspera veste se affligant, ac durissimis jejuniis ac acerrimis verberibus cum judicio justitiae se castigent.

XLVIIII.

De coecitate maleficiorum.

66. Nam homines qui in creaturas velut in scripturas aspiciunt, et qui in creaturis velut in scripturis multa dicere contendunt, Diabolum pro Deo colunt, et ei serviunt; quapropter et ipse eis adhaeret dicens: « Quidquid a me petieritis, vobis dabo. » Unde et miser ille qui Diabolo sic famulatur, in semetipso dicit: « Omnem salutem meam in creaturis invenio. Si enim in Deum semper aspicerem, et si mihimet ipsi quaelibet bona non providerem, Deus cum sibi placeret, omnia quae haberem, mihi auferret. Et quid tum haberem? Igitur quae voluero, [3]) in creaturis perscrutabor. In his namque ut peccem, non aestimo. » Haec pessimus ludificator in semetipso loquitur, ad haec etiam pessimis et perversis artibus initiatur; [4]) unde et corpore et anima destruitur, quia casum primi angeli subsequitur, et quia etiam se viliorem Diabolo facit, cum in irrationabiles creaturas confidit, quod ille

[1]) *unum Deum non habent* W. — [2]) *a praefatis* W. — [3]) *quae volueris* W. — [4]) *imitatur* W, A sic.

non fecit, quoniam in semetipsum confidebat. Sed qui Deo pure et digne servire vult, hujusmodi figmenta et illusiones fugiat, nec semetipsum, nec alias creaturas in contrariam diversitatem evertat; quoniam si creaturas malis siscitationibus inspexerit, [1]) aspectum animae suae excoecat; et si cum eis prava et contraria et nefaria opera, et quae etiam contra naturam et salutem hominis sunt, perpetraverit, animam suam in interitum mittit. Quod facere contemnant, qui Creatori suo adhaerere desiderant. Haec autem de poenitentium animabus purgandis et salvandis dicta sunt, et fidelia sunt, et fidelis his attendat, et ea in memoriam bonae scientiae componat.

67. Sed et alios praefatae multitudinis vidi spiritus, qui clamantes vociferabantur: « Lucifer multis honoribus ditabitur; et nos cum illo magnificabimur. » Isti hominibus avaritiam proponunt, et ut semper plura et majora attendant, eos exhortantur.

L.

De poenis avaritiae purgatoriis.

68. Et igneum aerem vidi, qui totus maximo ardore fervebat, et in quo minutissimi et acerrimi vermiculi velut a vento hac et illac agitati pergebant. In aere autem isto animae illorum erant, qui in saeculo viventes, avaritiae servierant, et quibus semper appetitus fuit, ut aliena quomodocumque potuissent, sibi congregarent. Nam propter incessabilem anhelitum avaritiae, quam in se habuerant, ignem aeris hujus patiebantur; et propter plurima damna et cruciatus, quos hoc modo hominibus intulerant, acerbitate praefatorum vermiculorum affligebantur.

LI.

De poenis latrocinii.

69. Sed et puteum vidi, qui tantae profunditatis erat, quod finem ejus discernere non valebam, ex quo flamma egrediens, se in altum extendebat, et iterum in eumdem puteum recidebat, et hoc sine cessatione faciebat. Et in puteo isto animae illorum puniebantur, qui propter avaritiam latrocinia in saeculo viventes exercuerant, ita quod cum eadem flamma, sursum de puteo illo emittebantur, et cum [2]) ea introrsum in eumdem puteum retrahebantur. Et plangebant clamantes: Ah! quod [3]) sic peccavimus! Quia enim latrocinia perpetraverant, in puteo isto erant; et quia in eodem vitio acerbitatem habuerant, in praedicta flamma ardebant; et quoniam multas rapinas sic commiserant, eadem flamma eos sursum et deorsum mittebat; et quoniam hoc quasi pro nihilo duxerant, in eisdem poenis plangebant.

[1]) *inspexerint* A. — [2]) *et quod cum ea* A, W. — [3]) *ach! quod sic* W.

LII.

De poenis furtorum.

70. Et etiam vidi foveam latam et profundam, in qua etiam plurimi maligni spiritus discurrebant. Et in poenis istis animae illorum puniebantur, qui dum in corporibus suis fuissent, alienas res furtim hominibus subtraxerant, ita quod etiam maligni spiritus in eisdem poenis eos hac et illac impellendo plurimum torquebant. Nam propter furta quae perpetraverant, in fovea hac tenebantur; et propter inquietudinem nocturnarum insidiarum a praefatis vermibus cruciabantur; et propter studium malae artis quam in vitio isto habuerant, in igne hoc urebantur; et propter coecitatem qua Deum non inspexerant, a pessimis spiritibus affligebantur. Et vidi et intellexi haec.

LIII.

De poenitentia ab avaris agenda.

71. Et de praedicta [1]) vivente luce iterum vocem audivi dicentem ad me: Haec quae vides, vera sunt, et ut ea vides, ita sunt. Unde homines qui pessimos spiritus avaritiam eis proponentes, optaverint devitare, et poenis ejus abesse, jejuniis et verberibus se affligant, et etiam pauperibus quos defraudaverunt, prout potuerint, misericordiam cum veritate rependant.

LIIII.

De poenitentia latronum.

72. Sed et qui in eodem vitio latrocinium aggressus, homines rebus suis expoliare non timuit, si se praedictis poenis absolvere voluerit, aspera veste et acerrimis jejuniis ac duris flagellis corpus suum, cum quo peccavit, castigare non negligat.

LV.

De poenitentia furum.

73. Ille quoque qui avaritiae per furta servire laboravit, ut a cruciatibus ejusdem vitii absolvatur, jejuniis et verberibus ac genuum flexionibus se punire non negligat.

[1]) *de praefata* W.

LVI.

De poena illius qui omnia sibi trahit.

74. Qui enim avaritiam sic sequitur, quod omnia quae potest, aliis subtrahit, et ea sibi attrahit, nec quasi lapidem super lapidem dimittit, substantias illorum crudeliter dispergendo, et per hoc pauperes et egenos et peccatores saepe facit, pessimis poenis, ut praefatum est, subjacebit, nisi per gratiam Dei poenitentia illum purgaverit. Nam omni tempore perscrutor et perspicio, quomodo quisque homo in via rectitudinis incedat, quemadmodum David, servus meus prophetico spiritu inspiratus, demonstrat, ubi dicit:

LVII.

Verba David.

75. *Deus de coelo prospexit super filios hominum, ut videat si est intelligens, aut requirens Deum.* [1]) Quod etiam sic intelligendum est. Qui omnia condidit, de secreto secretorum suorum prospicit super illos qui filii carnis sunt, scilicet qui carnaliter incedunt, ut discernat qualiter commendatum eis talentum lucrifaciant; quoniam divinus aspectus acutissime considerat, quali intelligentia in speculo fidei eum inspiciant, et quali inquisitione puritatis eum requirant. Quamdiu enim anima in carne bona opera operatur, Deum per gustum sanctitatis intelligit; et quamdiu fidem ad bonam consummationem cum virtutibus producit, Deum in speculo fidelissimae puritatis requirendo conspicit. Unde et Deus profundissimo intuitu videt, quo studio eum intelligat et requirat, et quo torpore eum negligat et relinquat, quoniam unicuique secundum opera sua justam retributionem recompensat.

LVIII.

Quod avaritia corpus hominis aufert.

76. Avaritiae autem malum pessimum malum est, ac plurimos in interitum ducit. Nam non solum ea quae extra corpus hominis sunt, homini abstrahit, sed et corpus ejus ipsi aufert.

LVIIII.

Quod latro Diabolum imitatur.

77. Homo enim latrocinium exercens, Diabolum imitatur, quia sicut Diabolus

[1]) Ps. XIII, 2.

animam hominis conciliando perdit, sic et latro homini substantiam subtrahit, ac corpus ipsius occidit. Unde et a Deo separatur, et nisi resipiscat, maledictione maledictionis induetur, ac aeterna poena operietur, quoniam peccata sua pleniter perfecit.

LX.

Quod fur Diabolo assimilatur.

78. Sed et ille qui nocturnalis insidiator est, diabolicae deceptioni assimilatur, quoniam Diabolus voluntatem suam quadam arte ne videatur velat, quia manifeste hominem decipere non audet, et hoc ideo facit, quatenus thesaurum justitiae de corde hominis auferat. Nam felicitatem salvationis hominis odit. Deus autem omne quod injustum est aufert, nec voluntatem illius ad plenitudinem nequitiae suae pervenire permittit, quemadmodum scriptum est:

LXI.

Verba Evangelii.

79. *Ego austerus homo sum, tollens quod non posui, et metens quod non seminavi.* [1]) Quod etiam sic intelligendum est. Ego qui omnia dijudico, justus et sincerus et etiam clemens in judiciis meis sum, quoniam omnia peccata secundum qualitates suas examino; ubi poenitenti misericorditer subvenio, impoenitenti autem judicium meum propono, tollens auferendo injustitiam quam non constitui, et metens delendo malum quod non dilatavi; quia quod injustum est non posui, et quod malum est non seminavi, sed haec per vera judicia reprehendo, quemadmodum piscis contra voluntatem suam hamo comprehenditur. Nam omne quod malum est contero, et guttur ejus ne stare possit constringo; et sic tollo ubi non pono, et meto quod non semino, velut etiam de inferno tuli quod volui, [2]) cum illum despoliavi; et velut ab impiis nequitiam eorum seco, cum eos ab impietate sua converto. Haec autem de poenitentium animabus purgandis et salvandis dicta sunt, et fidelia sunt, et fidelis his attendat, et ea in memoriam bonae scientiae componat.

80. Et ecce alios ejusdem multitudinis spiritus vidi, quos etiam sic clamantes audivi: « Quid est quod ille Deus esse vult, quem abhorremus? » Et hi homines ad tristitiam saeculi pertrahunt; et ut in tristitia marcescant, ita quod etiam se vivere doleant, persuadent.

[1]) Luc. XIX, 22. — [2]) *tuli qnos volui* W.

LXII.

De poenis purgatoriis ob tristitiam saeculi.

81. Et vidi locum aridum et inaquosum, ac vermibus plenum, et tenebris circumdatum, in quo animae illorum erant, qui dum in corporibus suis fuissent, tristitiam saeculi sibi attraxerant. Et maligni spiritus easdem animas per eumdem locum igneis flagellis hac et illac agitabant vociferantes: « Quare fiduciam vestram in Deum vestrum non posuistis? » Quia enim in gaudio coelestium non viruerant, sed quia tristitiam saeculi in defectu saecularium sibi imposuerant, in eodem loco erant; et quia hoc in amaritudine cordium suorum fecerant, cruciatus praedictorum vermium sustinebant; et quia hoc modo veram et indeficientem beatitudinem neglexerant, contrarietatem earumdem tenebrarum patiebantur; et quoniam his malis irretitae, in Deum non confidebant, a malignis spiritibus, ut praefatum est, affligebantur.

LXIII.

De poenitentia ob tristitiam saeculi.

82. Et per viventem spiritum vidi et intellexi haec. Et iterum de praefata vivente luce audivi vocem mihi dicentem: Haec quae vides vera sunt, et ut ea vides, ita sunt, et plura sunt. Quapropter homines tristitiam saeculi sibi accumulantes, si malignos spiritus ad illam eos exhortantes superare studuerint, et si cruciatus illius effugere desideraverint, si in saeculari vita sunt, ad spiritalem vitam se contrahant; aut si [1]) in spiritali conversatione sunt, communem districtionem plus solito adimpleant, et humillimae obeditioni se frequenter subjiciant, ac Scripturas illas, quae coeleste gaudium eis inferant, frequenti studio ruminent; et haec omnia non proterve, sed cum permissione praesidentis sibi judicis adimpleant.

LXIIII.

De tristitia saeculi formidolosa.

83. Tristitia enim saeculi gaudium in coelestibus non habet, et vento qui nec in viriditate, nec in siccitate utilis est, assimilatur; quoniam omnia quae tetigerit, dispergit. Sed et nusquam rectum statum habens, dicit: Nec hoc, nec illud quod in Deo esse dicitur, scio. Et sic omnia vitalia ipsius arescunt, quoniam spiritualia spiramina non habet. Unde et in plurimas partes divisa est; ita quod cum moerore omnia ad se colligit, et quod nullum gaudium in eis habere desiderat, et quod amicum cum laetitia non advocat, et quod inimicum non mitigat; sed

[1]) *aut in* W.

cum omnia haec cum moerore aggregaverit, in foramen molestiae sicut coluber se abscondit, quia omnes praetereuntes pavet. Omnibus autem his morti assimilatur, quoniam nec ad coelestia anhelat, nec in mundum confidit, et ideo zelus meus super eam [1]) cadet, quemadmodum scriptum est:

LXV.

Verba David [2]).

84. *Ignis succensus est in furore meo, et ardebit usque ad inferni novissima.* Quod etiam sic intelligendum est. Ego qui solem et lunam et omnes alias creaturas creavi, hominem rationalem feci, quatenus me cognosceret, et cognoscendo amaret, et quod per incredulitatem contra me non pugnaret, quia bonum sibi utilius est quam malum, sed ipse me negligit, quasi nullam salutem de me habeat. Unde ignis examinationis succensus est in zelo judiciorum meorum, in quibus omnia juste dijudico, qui ardebit ad profunditatem novissimarum iniquitatum, quae in igne examinanda sunt, quoniam omnia perfecte examinat; quia non est creatura quae eum exsuperet, aut quae eum extinguere possit, quoniam ea quae Deo resistunt, perquirit. Nam cum homini salvationem ostendo, et cum ille eam per incredulitatem negligit, justo judicio zelus meus illum examinabit, quia bonum quod ei demonstratum est, suscipere contempsit.

LXVI.

Diabolica turba cum vitiis contra homines pugnat.

85. Sic diabolica turba cum hujusmodi vitiis, ut praefatum est, contra homines pugnat, ut eos in omnibus locis et in omnibus elementis ac in omnibus operibus suis laedat. [3])

LXVII.

Quod beati spiritus hominibus adsunt.

86. Sed e contra acies beatorum spirituum sunt qui hominibus adsunt, et qui vires totius terrae et vires omnium elementorum per potestatem Dei continent, et qui opera sanctorum ante thronum Dei offerunt, quatenus ibi discernantur.

LXVIII.

Corpus pro peccatis affligatur.

87. Quapropter homo dum in saeculo vivit, et dum bonum et malum operari

[1]) *super ea* A — [2]) Immo lege *Deuteronomii* XXXII, 26. — [3]) *laedant* W.

potest, corpori suo afflictionem pro peccatis suis imponat, et sic illa cum judicio rectoris sui de se excutiat, quatenus a sordibus eorum purgatus, non amaritudinem poenarum, sed suavitatem vitae inveniat.

LXVIIII.

Quod magister qualitates et peccata subditorum considerat.

88. Magister autem animarum fortitudinem et imbecillitatem ac qualitatem subditorum suorum et qualitatem peccatorum eorum considerabit, et etiam qua intentione peracta sint perspiciet, et unicuique poenitenti juxta considerationem naturae ipsius, et juxta modum peccati, ac juxta modum poenitentiae astabit.

LXX.

Magister quomodo loquatur.

89. Nam magister videat quomodo virgam correptionis, discipulos suos coercendo, in manibus suis teneat.[1] Ipse enim flagellum duris et asperis semper sit, quoniam si eos propter utilitatem alicujus utilitatis secundum voluntatem suam ire permiserit, omnino rebelles efficerentur,[2] et eum etiam, si potuerint, morti tradent. Ad illos autem qui cum parvo lumine lucent, cum lenitate loquatur, quia si eos cum acerbitate circumdare voluerit,[3] omnino extinguentur, et pejores prioribus fient.

LXXI.

Quomodo magister corrigit.

90. Nam magister in duabus partibus sit, scilicet in lenitate Jacob et in acerbitate Esau. Jacob quidem deliquit, sed tamen benevolus fuit; Esau autem deliquit. sed tamen acer erat. Sed Deus Jacob propter benevolentiam suam dilexit, Esau autem propter malevolentiam suam reprobavit: sic et magister faciat. Illum qui in benevolentia delinquit, ad se trahat, ne deficiat; hunc autem qui in malignitate delinquit, aspere corripiat, ne ad majora mala profluat. Iste quoque qui cum gravi vulnere deliquit, si poenitentiam agere voluerit, adjutorium praebeat, et vulnera ejus lambat, et consideret si ei talem curam adhibuerit, qualem ei adhibere debuit, et si hoc se neglexisse meminerit, studiose poeniteat.

[1]) *teneunt* W. — [2]) *efficientur* W. — [3]) *voluerint* W.

LXXII.

Quae magister cavere debeat.

91. Sed magister qui cum dolosa injuria super bonos et justos sibi subditos cadit, Judaeis qui Stephanum lapidabant assimilatur; et qui innocentes et sanctos affligit, et ita bona opera eorum per iniqua spolia ipsis abstrahit, lupus nominatur; et qui cum vanis et delinquentibus pravitatem eorum dissimulando societatem habet, quasi fur dicitur; unde a fidelibus corripiatur, [1]) ne gregem Domini dissipet. Bonus autem magister praevaricantibus discipulis oculus in die et bona cura in nocte sit, ac bene operantes cum cithara laudet, et bonis ac optimis discipulis congaudeat.

LXXIII.

Bonus magister puro aetheri similis.

92. Nam boni magistri puro aetheri assimilantur, qui cum discretione et cum juxta correptione discipulos regunt.

LXXIIII.

Boni discipuli currus magistri sint.

93. Sed discipuli, qui bona subjectione velut auro. et bonis operibus velut gemmis ornati sunt, currus magistro suo esse debent, quemadmodum planetae soli assistunt. In his consilia magistri probentur, ac comitatus operum ipsius cum his velut cum curru sustineantur, sicut etiam et planetae soli ministrant.

LXXV.

De bono et pravo opere.

94. Opera autem quae homo operatur, ea [2]) ad Deum dirigat, quoniam opus hominis quod ad Deum tendit, in coelestibus fulminabit; quod vero ad Diabolum evertitur, [3]) in poenis manifestabitur. Deus enim hominem creavit, et illi reliquas creaturas subjecit, quatenus in eis operaretur, ita ut bona opera ipsius non delerentur, mala autem per commercium manifestatae poenitentiae abolerentur. Cum enim homo proprietatem voluntatis suae vendit, pretiosam margaritam emit, ac eam in sinum suum colligit, et postea poenitentia illius coram Deo, in confusione serpentinae deceptionis, semper fulgebit.

[1]) *corripietur* W. — [2]) *ea* om. A. — [3]) f. *vertitur*.

LXXVI.

Peccatorum confessio Trinitatem ostendit.

95. Nam si homo peccata sua per aurem sacerdotis Deo manifestat, hoc de Spiritu Sancto est, qui virtute sua aquas fluere, et eas omnes immunditias abluere dedit; unde et Deum decet peccata in aqua mundare. Homo quippe qui se culpabilem de peccato suo reddit, sanctam Trinitatem ostendit, scilicet in poenitentia Patrem, in confessione incarnatum Filium, in sudore verecundiae Spiritum Sanctum.

LXXVII.

Deus ab angelis et hominibus laudatur.

96. Et ut Deus ab angelis laudatur, et ut in hac laude opera ipsius cognoscuntur, [1]) ubi in citharis et in symphoniis ac in omnibus vocibus laudem sonant, quia hoc officialis lex eorum est, ita etiam et ab hominibus laudandus est, quoniam et homo in duabus partibus apparet, scilicet quod Deum laudat, et quod bona opera in se ostendit, quia per laudem ipsius Deus cognoscitur, et per bona opera [2]) miracula Dei in ipso videntur. Nam homo per laudem angelicus est, et per sancta opera homo est. Ipse namque plenum opus Dei est, quia laudando et operando, miracula Dei omnia in ipso perficiuntur.

LXXVIII.

Quod auimabus defunctorum sancta opera vivcntium succurrunt.

97. Sed et animabus, quae in oblivione non sunt, sed quae in memoria supernae beatitudinis existunt, orationes et eleemosinae ac alii sanctitatis labores viventium succurrunt, et ipsis remedium salutiferae ereptionis afferunt, dum in poenis purgationum sunt.

LXXVIIII.

De purgatorii poenis, de paradiso terrestri et de luce coelesti.

98. Nam per fortissimam vim Divinitatis, quae peccata dimittit, et quae infernum despoliavit, in quibusdam elementis et per quaedam elementa purgatoriae poenae liberandis animabus positae sunt. Sed terrestris paradisus purgatis et de poenis ereptis animabus mox datus est. Lux autem illa coelestis, quam homo nec

[1]) *cognoscantur* W. — [2]) hic plura om. A. ab verbis *in se ostendit* usque ad *bona opera*.

intueri nec discernere potest, gloriosis et virtuosis animabus, quarum virtutes ex vi Divinitatis processerunt, mox praeparata est. [1])

LXXX.

De terrena materia in novissimo die renovanda.

99. Et cum terrenae materiae implebuntur, tunc et sordes illae, quae in casu Adae coagulatae sunt, scindentur, et postea fulgebunt, quemadmodum in prima constitutione fulgebant.

LXXXI.

Orationes per Spiritum ad Deum ascendunt.

100. Cum enim homo per donum Spiritus Sancti orationes in corde suo dictat, orationes illae, in puritate prolatae, celari non poterunt, sed ante Deum ascendunt.

LXXXII

De psalmodia pro defunctis.

101. Nam [2]) cum lamentabilis vox prophetarum, per quam justitiam et miracula Dei protulerunt, pro liberatione alicujus corporalis afflictionis, seu pro requie animarum defunctorum ad laudem Dei pronuntiatur, necessitati dolentium, promeruerunt, subveni, ut [3]) quia etiam primum per dolorem et per suspiria dictata est. Et omnium istorum Deus fundamentum est, et ea suscipit, [4]) quoniam in ipsis tangitur. Homo nempe a Deo valde amatur, cum ei studiose servierit.

LXXXIII.

De eleemosyna.

102. Unde etiam cum homo de substantia sua, quam coram possidet Deo, eleemosynam offert, Deus sacrificii Abrahae recordatur, et ut filio ejus pepercit, sic et illis pro quibus idem homo eleemosinam offert, secundum quod digni sunt, parcet, quoniam in his omnibus delectatur, quia ipse hominem creavit, et omnia bona ei dedit, nec aliquid necessitati ipsius congruum ei deesse permisit.

[1]) Quae caute lege, et ea recole quae non semel notavi, ac statim ab initio p. 21. — [2]) In utroque cod. mirum est, huc irrepsisse titulum cap. LXXVII: *Quoniam* (l. quod) *et per angelum et per hominem Deus laudatur*. Nam etc. Quae autem deinde leguntur in hoc cap. LXXXII, nullo fere dubio pertinent ad cap. LXXVIII. — [3]) *ut* om. A, W. — [4]) *suscepit* W.

LXXXIIII.

De bona voluntate.

103 Sed et Deus homini, propter bonam voluntatem ipsius, quod petit dabit. Bona igitur voluntas suavissimus odor Deo est, quemadmodum et in veteri Testamento Deus non sanguine hircorum delectabatur, sed bona voluntate hominum.

LXXXV.

De laboribus Deo oblatis.

104. Sed cum homo, per donum Spiritus Sancti, aliquos labores pro necessitate viventium et pro requie defunctorum, sibi juste et convenienter imposuerit, Deus afflictionem illius digne et juste suscipit, sicut Moysen et Heliam audivit, cum pro aliis qui contra Deum peccaverant, laborare non cessabant.

LXXXVI.

De Angelo percussore.

105. Qui autem in nullo istorum Deo servit [1]) hunc per Angelum percutientem pro inanitate cordis sui duriter ferit. [2]) Unde quisque fidelis tam pro aliis quam pro se ad Deum laborare non cesset, quatenus ille qui corda hominum inspicit, justum laborem et bonam voluntatem ipsius remuneret, ubi omnis homo pro opere suo juste remuneratur. Haec autem de poenitentium animabus purgandis et salvandis dicta sunt, et fidelia sunt, et fidelis his attendat, et ea in memoriam bonae scientiae imponat.

[1]) *hic* A, nec fert. male, modo legatur intra *feritur*. — [2]) *ferit* sic A et W.

CAPITULA SEXTAE PARTIS [1])

DE VIRO SE CUM QUATUOR PLAGIS TERRAE MOVENTE.

[1]) *Incipiunt capitula VI partis. De viro se totum cum IV plagis t. s. m.* A. — [2]) *patebunt* A. — [3]) *proditorum* A. — [4]) *ita etiam opus* W. — [5]) *terrae* sic W.

dia, sic etiam infernales miserias nullus manifestare valebit.

XXV. *De quadam claritate et de gaudiis animarum quorumdam saecularium hominum, qui ante horam mortis suae poenitendo peccatis abrenuntiaverant, et animarum quorumdam saecularium hominum, qui legalia praecepta in actuali vita devote compleverant, et quare illa sic habeant.*

XXVI. *Item de alia quadam claritate et de gaudiis animarum quorumdam saecularium hominum, qui in activa vita praecepta legis diligenter observaverant, et cur ea hoc modo receperint.*

XXVII. *Item de aliis gaudiis animarum quorumdam spiritalium hominum, qui in spiritali vita obedientiae se subdiderant, et ita Deo omni devotione servierant, et quare illa sic habeant.*

XXVIII. *Item de quibusdam aliis gaudiis animarum quorumdam hominum, qui doctores et rectores populo Dei* [1] *existentes bona opera operati sunt, et cur illa hoc modo recipiant.*

XXIX. *Item de aliis quibusdam gaudiis quarumdam animarum, scilicet hominum illorum, qui pro gloria Dei* [2] *membra sua in martyrio morti* [3] *subjecerant, et quare ea sic habeant.*

XXX. *Item de quibusdam aliis gaudiis animarum quorumdam hominum, qui in virginitatis singularitate Deo servierant, et cur illa hoc modo habeant.*

XXXI. *De claritate in qua multo plura multoque majora gaudia prioribus gaudiis occultata sunt.*

XXXII. *Verba Filii hominis.*

XXXIII. *Quod in gloria paradisi, animae de peccatis purgatae gaudent, quae et per poenitentiam et per bona opera Deo adhaeserant.*

XXXIV. *Quod in coelesti celsitudine animabus sanctorum plura et majora ornamenta praeparata sunt, quam humana aestimatio capiat.*

XXXV. *Quod in coelesti regno sunt animae saecularium, spiritualium, subjectorum, praelatorum, martyrum, virginum, qui Deo servierant.*

XXXVI. *Quod animae justorum, in resurrectionis judicio, multo majora gaudia accipiant, quam nunc habeant.*

XXXVII. *Quod coelestia ornamenta,* [4] *non sunt aurum et lapides et gemmae terreni pulveris, sed sunt secundum opera sanctorum, quae Deus per semetipsum facit.*

XXXVIII. *Quod in coelesti habitatione plurima sunt, quae supra intellectum hominis sunt, et quae nullus mortali carne gravatus, in scientia intellectus sui accipere potest.*

XXXIX. *Quod malum mendacii sine Deo surrexit.*

XL. *Quod homo malo dominatur, cum illud facere recusat.*

XLI. *Quod homo in caduca terra immaculatas mansiones videre non potest, nisi quantum Deus illi permittit, cum autem postea Deum intuebitur, omnium terrenorum obliviscetur.*

XLII. *Quod Deus diversa miracula in omni aetate mundi ostendit.*

XLIII. *Quod prophetae quaedam miracula videbant, quaedam non.*

XLIV. *Quod omnis creatura et aeterna vita ex Deo est.*

XLV. *Quod quidam maligni spiritus homines decipere non possunt, nisi per aliquam ostensionem velut coelestes sint* [5].

[1] *in populo Dei* A. — [2] *pro gloria mundi* A. turpi naevo. — [3] *morti* om. A. — [4] *coelestia gaudia* W. — [5] Prolixa capitula commentario sequentium fere inserviunt.

INCIPIT SEXTA PARS

DE VIRO SE CUM QUATUOR PLAGIS TERRAE MOVENTE.



1. Deinde vidi quod idem vir, quasi se totum cum quatuor plagis terrae movebat. Et ecce in sinistro femore suo unicornis apparuit, qui genua ejus lambens dicebat. [1])

I.

Verba unicornis.

2. « Quae facta sunt destruentur, et non facta aedificabuntur. Peccatum quo- » que in homine examinabitur, et bonum justis operibus in ipso [2]) perficietur, ac » ipso bono rumore in aliam vitam redibit. » Et considerabam, si vitia alia, seu alia ulla his similia, quae prius conspexeram, hic apparerent et nihil istis simile hic mihi ostensum est.

II.

De potestate Dei in fine mundi.

3. Et iterum vocem de coelo audivi dicentem mihi: Fortissimus Deus cujus potestas super omnes est, potestatem suam in fine mundi ostendet, cum ipsum in aliud miraculum mutabit.

III.

Deus concutiet fines terrae.

4. Nam quod vides, quod idem vir, quasi se totum, cum quatuor plagis terrae movet, hoc est quod Deus in fine mundi fortitudinem suam cum virtutibus coelorum demonstrans, omnes terminos terrae concutiet, ita quod omnis anima ad judicium se praeparabit.

[1]) Recole quae supra de unicorni notantur. — [2]) *in ipsis perficietur ac ipse* W.

IV.

Christus judex cuncta examinat.

5. Unde et in sinistro femore suo unicornis apparet, quoniam qui in sancta humanitate Diabolo resistit, et qui illum gladio castitatis prostravit, scilicet Filius Dei, in forma hominis veniet; qui genua ejus lambens, id est judicialem potestatem a Deo Padre accipiens, clamat totum mundum per ignem expurgandum, ac in alienum modum renovandum, et etiam perversitatem hominum judicio suo examinandam, atque sanctitatem in bonis et rectis operibus in homine ad perfectionem ducendam, ita quod animae justorum maxima gloria et maximo gaudio ad beatitudinem aeternae vitae tunc transibunt.

V.

Quod omnia in mundo maculata purgabuntur.

6. Cum enim Deus virtutes virium suarum in homine perfecerit, fortitudinem suam in nubibus elevabit, et favillam qua elementa obnubilata sunt, abstrahet; et hoc cum tanto terrore faciet, quod omnia quae in terra sunt movebuntur, et quod omnia quae peccatis hominum maculata sunt purgabuntur. Tunc et Deus Aquilonem et omnes [1]) vires Aquilonis destruet, et Diabolum in victricibus armis suis dejiciet, ac eum spoliis suis denudabit.

VI.

De coelo novo et terra nova.

7. Deinde rutilans coelum et pura terra apparebunt, quia cum aliis elementis purgata sunt; quoniam nunc quamdam clausuram in obnubilatione coelestium portant, tunc autem in novitate fulgebunt. Tunc et homo, qui beatus existit, in eisdem elementis purgatus, aureo circulo rotae assimilabitur, ac spiritu et carne tunc torrens erit, atque omnis clausura occultorum secretorum patebit. Sic homines beati Deo adhaerebunt, et ipse plenum gaudium eis dabit.

VII.

De Diabolo post finem mundi.

8. Quod autem in vitia aliqua, nec alia ulla [2]) his similia quae prius conspexisti, hic apparent, nec quicquam istis simile hic tibi ostenditur, hoc ideo est, quoniam finito mundi termino, Diabolus amodo sordes vitiorum ad deceptionem hominum non producit, quia mundus jam cessavit hoc modo esse, ut prius

[1]) *ac omnes* W. — [2]) *ulla* om. W.

fuerat. Et quoniam vitia tunc non bacchantur, a nullo etiam eis tum ut prius repugnatur, nec a malignis spiritibus excitantur, nec etiam ulla temporali examinatione excutiuntur, quia memoria eorum de terra ablata est; hominibus in terra temporaliter et carnaliter non habitantibus, quos machinationibus suis infestent. Tunc enim[1]) omnia ad aeternitatem transierunt, instabilitate et fatigatione, in quibus mundus et ea quae in mundo sunt modo, elapsis, et ad indeficientem transmutationem perductis, ita quod ultra hujusmodi terrores ac hujusmodi pericula non erunt, ut prius fuerunt, cum homines temporaliter in temporali saeculo vivebant; quemadmodum et Johannes, dilectus meus, in visione coelitus sibi demonstrata, ostendit dicens:

VIII.

Verba Joannis.

9. ***Et absterget Deus omnem lacrimam ab oculis eorum, et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quoniam prima abierunt.*** [2]) Cujus sensus talis est. Auferet Deus omnem squammam [3]) peccatorum, quae lacrimas parit de scientia sanctorum, et eos purum limum viventis vitae, ut primus homo creatus est, in aeternitate constituet. Mors enim finalium temporum eo modo non adveniet, scilicet quo infantia per juventutem, juventus per senectutem, senectus per mortem finitur. Sed neque beati in luctuabili exilio ultra habitabunt, neque aliam vitam expectabunt, quia vitam illam, in qua taedium non est, semper habebunt; neque in ignorantia clamoris sunt, quoniam occulta testimonia non quaerent, quia gloriam Dei manifeste semper videbunt. Dolor quoque, gustus peccatorum et cupiditas habendi, ac timor perdendi ea quae habentur, non laedent ultra homines, nec ab ulla temporali damnatione perturbabuntur; sed semper ab omnibus malis securi sunt, quae prima abierunt, cum in temporali mundo et in temporalibus cruciatibus fuerunt. Qui autem vitae desiderium habet, in illo verba haec percipiat, ac ea in interius cubiculum cordis sui recondat.

IX.

De levioribus poenis eorum qui baptismo carent.

10. Et vidi tenebras, diversis cruciatibus velut nebulam in immensum diffusas, in quibus tamen quodam loco nullas poenas ignium aut vermium aut aliorum gravium cruciatuum aspiciebam, sed tantum quasdam animas, quae absque pondere aliorum peccatorum judiciali casu Adae constrictae, signo baptismatis carebant. [4]) De quibus aliae quemdam fumum, aliae autem nullum fumum, in eisdem tenebris sustinebant. Nam animae istae gravia tormenta non patiebantur, sed tene-

[1]) *Tunc etiam* W. — [2]) Apocal. VII, 17. — [3]) fort. *spummam*. Cf. XXII infra. — [4]) Nemo non sistet cogitabundus ad haec tanta cum securitate asserta de spinosa et ventilata quaestione circa salutem infidelium. Infinitum erit vel cursim appellare hac de re Patres et theologos.

bras infidelitatis habebant, quoniam dum in corporibus suis fuissent absque pondere aliorum peccatorum, judiciali casu Adae constrictae, signo baptismatis carebant; sed illae quae quibusdam levioribus peccatis irretitae fuerant, praefatum fumum sustinebant, et illae quae tam a levioribus quam a gravioribus peccatis alleviatae, signum tamen catholicae fidei non habuerant, fumum [1]) earumdem tenebrarum non habebant, sed incredulitatis tenebras, ut praedictum est, substinebant.

X.

De Gehenna.

11. Sed et alias nigerrimas [2]), et totas sine flammae nigredine ardentes, tenebras videbam, quibus praefatae tenebrae adhaerebant, quoniam istae illarum fortitudo fuerant. [3]) Et in his gehenna erat, quae omne genus cruciatuum et miseriarum et foetorum et poenarum in se habet, sed nihil eorum quae in ipsa seu in eisdem tenebris fuerunt, videre [4]) poteram, quoniam easdem tenebras non interius, sed exterius videbam, unde nec ipsam gehennam videre volebam; sed maximos et indiscretos ululatus plangentium, ac maximos et indiscretos stridores lugentium animarum, et innumerabiles et indiscretos crepitus poenarum, velut sonum inundantis maris, et velut sonum aquarum multarum, in eo esse audiebam. Nam universa genera poenarum in gehenna sunt, quoniam ipsa malignorum spirituum potestas est, qui omnia vitia hominibus ipsis consentientibus infundunt, quae etiam tot sunt quod nec anima corpore gravata prospicere et intelligere ea potest, quia supra humanum modum sunt. Et per viventem spiritum vidi et intellexi haec.

XI.

Iterum de infidelibus baptismo carentibus.

12. Et iterum de praefata [5]) vivente luce vocem mihi dicentem audivi: Haec quae vides, vera sunt, et ut ea vides, ita sunt, et plura sunt. Nam in praedictis prioribus tenebris fletus et stridor dentium est; sed in loco in quo poenas gravium cruciatuum non vides, animae quorumdam hominum et aliorum in ignorantia peccatorum, in saeculo viventium, ante vexillatam victoriam Filii Dei tenebantur, in quibus etiam et nunc animae, pondere peccatorum non gravatae, sed igneo signo sacrati fontis non signatae, sunt, quoniam aspectum rectae fidei non habent, aliis pro opinione gustus quarumdam saecularium contagionum poenas ejusdem fumi sustinentibus, aliis autem pro simplici ignorantia fidei easdem simplices tenebras simpliciter patientibus.

[1]) *praefatum fumum* W. — [2]) *horribiles et infinitas et totas sine flamma in nigradine* W. — [3]) *fuerunt.* W. — [4]) *in ipsis erant seu in eisdem tenebris videre* W. — [5]) *de praedicta* W.

XII.

De gehenna perditorum angelorum.

13. Sed in aliis horrendis et sine flamma ardentibus tenebris, quia aere lucis et flamma rutilantis ignis carent, quibus praefatae tenebrae contiguae sunt, quoniam utraque in perditione existunt, gehenna est, ut vides; quae in ruina perditorum angelorum surgens, Satanam suscepit, et quaecumque tormenta omnium miseriarum sine consolatione et sine spe in se retinet;[1]) in quibus tam animae quae in oblivione sunt, quam idem [2]) antiquus inventor perditionis, manent. Quae quot et quanta et qualia sint, capacitas mortalis creaturae non capit, quoniam haec in oblivione sunt, et nunquam cessabunt; quoniam his qui gratiam Dei non quaerunt, nec in Deum aspicere volunt, nec qui vitam habere desiderant, in his permanebunt.

XIII.

De suppliciis eorum qui coram Deo abjecti sunt.

14. Et quid plus de his quae coram Deo in oblivione sunt, humana mortalitas perscrutetur, quam quod ea quae sic abjecta sunt, in infinitis suppliciis sunt? De his antiquus serpens gaudet, quoniam [3]) ipse bonum nec desiderat nec vult, quia auctor mali omnium malorum et peccatorum est. Nam ipse primus omnium claritatem Dei inspexit, et mox malum illud incepit, quod esse non debuit, nec fieri potuit. Omnis autem creatura per Deum facta est, hoc vero malum, quod ille antiquus serpens incepit, sine ipso factum est.

XIV.

Quod astra contra Diabolum Deus constituit.

15. Lucifer enim velut speculum cum omnibus ornamentis suis constitutus erat; sed ipse lux, et non umbra ejusdem lucis esse voluit. Tunc Deus solem fecit, qui omnes creaturas contra fulgorem illius illustraret, et lunam posuit, quae omnes tenebras contra insidias illius illuminaret, et stellas constituit, quae omnia vitia ejus offuscarent.[4]) Deus namque plenitudo illa est, in qua nulla vacuitas nec est, nec esse potest. Diabolus autem inane vas est, quia mox ut claritatem suam inspexit, illam superbiendo perdidit, et semetipsum in infernum sepelivit, ubi sine gloria et sine omni honore laudis manebit; quouiam spoliator ille est, qui primum hominem despoliavit, et qui eum de Paradiso expulit, et qui in Abel homicida fuit, et qui primo malo homines occidit, cum se illis Deum esse ostendit.

[1]) *retinent* W. — [2]) *quemadmodum* W, in marg. ubi *quam idem.* — [3]) *quod ipse* A. — [4]) Elegans sane theoria, in argumento satis libero, de tempore in quo angeli creati sunt et ceciderunt.

XV.

De malo Diaboli.

16. Sed et malum ejus malo hominis nequius est, quia homo Deum videndo, quemadmodum ipse, non vidit. [1]) Et idem rotam nativitatis hominis concussit, ac per multa mala illum decepit, et ob hoc maximas confusiones sibi aggregat, quia etiam in perditione animarum laetatur. Unde et ipse in poenis suis, sicut exul sine consolatione, semper erit, quoniam deceptio ipsius cum magna confusione ad eum revertetur, in qua etiam erubescendo valde affligetur, cum ei fideles tam per poenitentiam quam per purgationem eripiuntur.

XVI.

De Diabolo et serpente.

17. Ipse autem primum hominem in Paradiso per serpentem deceperat, quia in omni genere animalium aliud animal non invenit, quod ad decipiendum hominem celerius esset quam serpens fuit, quoniam Diabolus ad hominem accedere aperte tunc timebat, unde materiam deceptionis hujus serpentem elegit. Nam serpens in duas partes divisus est, scilicet quod in aqua interdum est, et quod in terra quiescit. Per has duas partes sibilosus et perfidus est. De aqua enim sibilos et de terra perfidiam trahit. Unde et de aquoso aere serpit, et de terra quasi supplicat. Natura quippe ejus talis est, quod hominem deceptuose decipit; et quod eum mortifero veneno occidit. Sed si homo illum vicerit, se mox abscondit, ac dolose ad illum se movet. Et per hujusmodi artes serpentis Diabolus homini persuasit, quod nec gaudium nec fiduciam ad Deum haberet. [2]) Quapropter homo in gustu pomi scientiam mali accepit, ac in succo illius peccatum adesse sensit. Sic Diabolus omnia mala homini immisit, quae postea per aquam suffocata sunt.

XVII.

Quod opus hominis non peribit.

18. Sed ut opus Dei, quod homo est, non exterminabitur, sed durabit, [3]) ita etiam opus hominis non evanescet, quia opus hominis, quod ad Deum tendit, in coelestibus fulgebit; opus autem illius, quod ad Diabolum extenditur, in poenis manifestabitur. Cum enim Deus hominem creavit, illi injunxit ut in creaturis operaretur. Et ut ille non finietur, nisi quod in cinerem mutabitur, et ut postea surget, sic et opera ipsius videbuntur, bona scilicet ad gloriam, mala vero ad confusionem ipsius, nisi per commercium manifestatae poenitentiae deleantur.

[1]) Suspensa periodus non videtur. — [2]) *habeat* W. — [3]) *sed ut durabit* A, W.

XVIII.

De insidiis Diaboli.

19. Sed quia Diabolus, sicut speculator, hominem jocunde decipit, tali etiam vitio illi insidiatur, quali vi elementorum eum delectari videt. Omnia namque vitia a Diabolo procedunt, et ut latrones sunt, quoniam omnia bona quae in homine sunt, quantum possunt, illi diripiunt, et hoc etiam cum elementis et cum aliis creaturis interdum faciunt, cum quibus homo vivit et operatur.

XIX.

De elementis et virtutibus.

20. Et ut quatuor elementa in homine sunt, ita et virtutes Dei in beato homine, quae eum ad bonum convertunt.

XX.

De igne et virtutibus.

21. Sanctus enim Spiritus vere ignis inextinguibilis est, qui nunquam extingui potest, et qui omnia bona dat, omnia bona accendit, omnia bona suscitat, omnia bona docet, et qui in flamma sua homini loquelam tribuit. Ipse enim velut per fortes vires ignis in ardore suo humilitatem ostendit, quae omnibus subjacet, et quae se omnium infimam aestimat. Et ardor ille geliditatem, scilicet patientiam habet, et humorem in benevolentia, quae ubique circuit, et quae opus humilitatis est ac fundamentum, quod sanctitas velut per aerem in celsitudinem aedificat, ubi etiam maligni spiritus ita commoventur, quod ad nihilum rediguntur.

XXI.

De aere et virtutibus.

22. Aer autem, acutas vires habens, fidem significat, quae vexillum victoriae est; quia ut flamma ignis lucet, sic fides rectam viam ostendit, et rorem spei cum quo mentes fidelium irrigat, cum illi ad coelestia suspirant, viriditatem perfectae charitatis in se habentes, cum omnibus ubique prodesse festinant. Unde etiam per flatum poenitentiae lacrimabilem querimoniam in oratione proferunt, quemadmodum suavis flatus aeris flores educit, ita in calore coelestis desiderii optimum fructum, velut cibum vitae, ad utilitatem suam et aliorum plurimorum operantes.

XXII.

De aqua et virtutibus.

23. Sed et aqua in multiplicibus viribus suis hominem vitia deserere, et ad virtutes anhelare demonstrat. Sanctus namque Spiritus omnia indigna per aquam superat, et etiam dona sua per aquam perficit. Nam velut calorem, prophetiam emittit, per quam coagulationem peccatorum dissolvit; et quasi aerem, per sapientiam delectationem eorum extinguit, ita ut homo [1]) in humore justitiae pinguescat, et ut inundatione veritatis ad spiritalia semper fluat. Ipse etiam in velocitate legalia praecepta currere facit, ubi per fucum castitatis, fucum medullarum hominis extinguit, et ubi per gustum abstinentiae, immoderata peccata conterit, sic per viriditatem intimorum suspiriorum, humorem compunctionis duris mentibus hominum [2]) infundens, quatenus madentes in humectatione virtutum, mundi contemptum arripiant, et omnes sordes ejus de se projiciant. Et sic quasi volatilia, fideles de virtute in virtutem ascendere facit; ac eos velut pisces, in aquis fidei morantes, cibo vitae per abstinentiam peccatorum pascit, cum eos etiam, velut bestias, calore suo ita perfundit, quod in aliena vita propter amorem coelestis regni districte vivunt. Sed et reptantibus in vestigiis humilitatis spummam delectationis ac consuetudinem vitiorum aufert, et ipsos ita in omnibus virtutibus retinet, ac eos ita in sustentatione perfectionis consolidat, [3]) quod dilectionem Dei in omnibus sibi proponunt.

XXIII.

De terra et virtutibus.

24. Terra in convenientibus viribus suis hominem carnalia sua Deo offerre, et intra se omnem pompam saeculi hujus relinquere ostendit. Fidelis enim, quasi in aestate, frigidum se demonstrat, cum se humillimum existimat; et quasi in hieme, se calidum denuntiat, cum carnalia desideria in ardore virtutum sibimetipsi abnegat. Sed et viriditate coelestium virtutum se pascit, cum in ariditatem incentiva carnis suae vertit, ubi et germina bonorum operum profert, per quae fructum sanctitatis apprehendit. Deus enim hominem creavit, quatenus ille coelestia operando terrena vinceret, et ut etiam Deus in homine calliditatem Diaboli superaret, ita ut et homo vexillum Divinitatis sic esset. Nam Deus primum angelum clarum fecit, ut arcana Divinitatis ostenderet; sed ille in aestimatione sua contra Deum se exaltavit, et a laude Dei cessavit, unde et a gloria sua evanuit. Sed Deus hominem fecit, quatenus hoc quod inferius erat, hoc quod superius fuerat superaret. In homine namque Deus omnia opera sua perfecit. Qui ut terra animalia sustinet, in carne sua multas tentationes patitur; et cum a mundanis declinat, facit quemadmodum animal quod hominem fugit; et cum ad spiritalem vi-

[1]) *ut ita homo* W. — [2]) *homini* A. — [3]) *consolidant* W.

tam se vertit, facit ut bestia quae ad hominem currit. Sic homo in carne sua omnia portat, cum cuncta terrena in semetipso superat, unde etiam et vexillum coelestis harmoniae in coelesti victoria vocatur, ubi Diabolum cum curis saecularium conculcat. Sic opera Spiritus Sancti vires elementorum in homine demonstrant.

XXIV.

Quod sicut nullus aeterna gaudia, sic infernales miserias nullus manifestare valebit.

25. Quapropter homo qui tartarea tormenta evadere studuerit, Diabolum fugiat, et suggestiones illius de se repellat; fidem igniti fontis, quam ille attulit, qui sine peccato venit, suscipiat, ac eam justis operibus custodiat, quatenus ad gaudia illa perveniat, quae diligentibus Deum praeparata sunt. Sed ut eadem gaudia nulla mortalis lingua explicare poterit, sic etiam nec infernales miserias ulla humana scientia manifestare valebit. Haec autem de viva voce viventis et indeficientis lucis prolata et dicta sunt, et fidelia sunt, et fidelis his attendat, et ea in memoriam bonae scientiae componat. [1])

XXV.

De coelestibus gaudiis saecularium hominum.

26. Et vidi magnam et immensam claritatem, cujus splendor tantus erat, quod nec in ipsam, nec ea quae in ipsa fuerunt, nisi velut per speculum intueri valebam, in qua omne genus amoenitatis totius floriditatis ac suavissimum odorem diversorum aromatum cum plurimis deliciis esse sciebam; in qua etiam animas quorumdam beatorum, qui dum in caduco saeculo viverent, Deum justis gemitibus tetigerant, et qui eum justis operibus coluerant, in omnibus his suavissima gaudia habentes esse sentiebam.

27. Ex his quosdam, qui omnes velut candidissima veste induebantur, quasi per speculum videbam; quorum alii circulum velut auroram in capitibus suis fulgentem habebant, calceamentis eorum supra nivem candidis apparentibus; alii vero circulum quasi ex auro in capitibus suis gestabant, calceamentis ipsorum ex smaragdo fulgentibus, reliquis ornamentis et illorum et istorum, quae plurima fuerunt, mihi occultatis. Nam quia omnes hi, dum in corporibus suis fuissent, per fidem Diabolo abrenuntiaverant, et quia eamdem fidem illi digna poenitentia, isti autem aliis bonis operibus consummaverant, in praefata claritate quietem receperant, et in amoenitate et in deliciis ejusdem claritatis gaudebant. Sed et quoniam iidem beati peccata deserendo et bona opera perficiendo praecepta Dei dilexerant, candida veste, qua Adam exutus erat, induebantur.

28. Quorum alii, quoniam per poenitentiam salvationem redemptionis, qua Deus hominem redemit, mentibus suis infixerant, ubi poenitendo peccata sua planxerant, circulum, velut auroram in capitibus suis fulgentem, habebant; et quoniam in rectis itineribus, per viam salutis ad vitam, quamvis tarde, redie-

[1]) In utroque codice numerus capituli sequentis desideratur.

rant, calceamenta eorum super nivem [1]) candida apparuerunt. Isti enim dum in saeculo saeculariter viverent, naufragium peccatis suis, ante horam et in ipsa hora transitus sui, in poenitentia per divinam inspirationem fecerant, et ita in salvatione inventi sunt. Alii vero, quia propter saecularia officia Deum non reliquerant, sed voluntarie praecepta ejus in cordibus suis compleverant, in saeculo saeculariter viventes, sed tamen Deum non deserentes, circulum quasi ex auro in capitibus suis gestabant; et quia in lege Dei strenue ambulaverant, calceamenta ipsorum velut smaragdus fulgebant. Hi autem dum in corporibus suis fuissent, Deum non postposuerant, sed legalia praecepta devote compleverant, quamvis corpore saeculo et saeculari vitae impositi essent. Reliqua autem ornamenta illorum et istorum et significationes eorum visui et intellectui meo occultata sunt.

XXVI.

De coelestibus confessorum et poenitentium gaudiis.

29. Sed et alium [2]) multo majoris et infinitae claritatis splendorem videbam, cujus nullum finem sentiebam; qui tantum fulgorem de se reddidit, quod eum intueri non poteram, quoniam supra humanum intellectum erat; cui etiam praefata claritas ita adhaerebat, quemadmodum regio ad regionem extenditur, quia haec principium et origo illius fuerat. [3]) Et in ista omne genus cunctarum deliciarum, et omne genus musicorum, ac voces psallentium, et gaudia gaudiorum, ac magnitudinem totius laetitiae esse sentiebam; quoniam animas quorumdam sanctorum, qui magnis et duris castigationibus corpora sua in saeculo cruciaverant, et etiam animas aliorum quorumdam sanctorum, qui corpora sua pro amore vitae martyrio tradiderant, in ea esse sciebam; sed nulla eorum quae in ipsa erant nisi velut per speculum videbam, quia nec eamdem claritatatem inspicere valebam.

30. Et ex his quosdam velut per speculum aspexi, qui quasi veste candida nubis induebantur, quae purior purissimo superno aethere apparuit, velut auro etiam intextam. Ornamentum etiam capitis eorum, scilicet circulus quem in capite habebant, quasi ex electro erat, et calceamenta ipsorum [4]) crystallina videbantur, puritatem super puritatem limpidissimarum aquarum ex se reddentia. Et isti a quodam suavissimo vento, ab arcano Divinitatis procedente, et odorem omnium herbarum et florum habente, interdum tangebantur; et tunc sonum dulcissimae symphoniae proferebant, et voces eorum ut voces aquarum multarum resonabant. Reliqua autem ornamenta ipsorum, quae plurima erant, videre non poteram. Quia enim isti per fidem summa et altissima [5]) devotione Deum apprehenderant, et quia tota amplexione in bonis et in fortissimis operibus, dum in corporibus suis in saeculo viverent, Deum dilexerant, pulchritudinem supradictae claritatis adepti sunt, et in gaudiis ejusdem claritatis infinita gaudia habebant. Nam et propter observantiam legalium praeceptorum, quae in puritate justitiae sunt, quam [6]) in saeculari et in activa vita degentes, compleverant, quasi veste candidae nubis in-

[1]) *supra nivem* A. — [2]) *alius* A, W. — [3]) *fuerant.* A — [4]) *ipsius* A. — [5]) *arctissima* A. — [6]) *qua* W.

duebantur; quae purior purissimo aethere apparebat, et quae propter diligentiam eorumdem praeceptorum, quae praecepta ejusdem legis diligenter observaverant, velut auro intexta fulgebat. [1])

31. Sed et propter perspicuam poenitentiam, qua unumquodque peccatum in cordibus suis cum pura scientia planxerant, ornamentum capitis eorum, scilicet circulus, quem in capite habebant, quasi ex electro erat [2]), et propter itinera saecularium mandatorum, quae in lege Dei saeculariter viventibus constituta sunt, in quibus recte et pure incesserant, calceamenta ipsorum crystallina videbantur, puritatem super puritatem limpidissimarum aquarum ex se reddentia. Et ob dulcissimarum largitatem eleemosinarum, qua unicuique miseriae lacrimabiliter misericordiam impenderant, et hoc etiam in legalibus praeceptis, sicut Deus illis constituerat, fecerant, ubi nudos vestierant, esurientes et sitientes refocillaverant, infirmos et captivos visitaverant, et similia bona opera fecerant, a suavissimo vento, ab arcano Divinitatis procedente, et odorem omnium herbarum et florum habente, interdum tangebantur; et ob devotionem qua voce et opera bonos fructus cum profunditate suspiriorum et irrigatione lacrimarum protulerant, sonum dulcissimae symphoniae proferebant, et voces eorum ut voces aquarum multarum resonabant. Isti autem dum in saeculo corporibus suis induti viverent, in saeculari habitu et vita, corpore tantum et non spiritu degentes, in timore Creatoris sui, legem justitiae justis operibus compleverant. Caetera vero ernamenta istorum et significationes eorum visui et intellectui meo occultata sunt.

XXVII.

De coelestibus obedientium gaudiis.

32. Alios quoque in eadem claritate simili modo quasi per speculum considerabam, qui quasi veste pulchriore aurora et clariore splendore solis, ac nobilissimis gemmis ornata, vestiebantur; quae etiam in lenitate suavissimorum florum suavissimum aerem, velut in odore balsami et omnium pigmentorum, de se emittebat. Hi in capitibus suis coronas velut nobilissimo hyacinto decoratas habebant, et calceamentis, pretiosis margaritis distincte ornatis, induebantur. Vox quoque eorum sonum omnis generis musicorum habebat, ac sine taedio cantica nova semper cantabant. Sed et clarissima et purissima luce, ab arcano Divinitatis veniente, interdum illustrabantur; quae tam magna et tam lucida erat, quod eam nec oculus videre, nec auris audire, nec cor hominis excogitare poterit.

33. Caetera autem ornamenta eorum, quae plurima fuerunt, intendere non valebam. Nam et isti propter fidei devotionem et propter indeficientem fortitudinem bonorum operum, in praefatae claritatis consortio, et in gaudiorum ejus delectabilibus deliciis gaudebant. Et quoniam initium bonae voluntatis suae, cum studio rectorum operum, perfecerant, ubi propriam voluntatem suam cum sudante lavore reliquerant, veste pulchriore aurora et clariore splendore solis ac nobilissimis gemmis ornata vestiebantur, et quoniam in subjectione obedientiae, quae flos totius sanctitatis est, abstinentiam carnalium desideriorum habuerant, ubi odo-

[1]) *fulgebant* A, W. - - [2]) *quasi clectro erat* A.

rem vitae et exemplum sanctarum virtutum hominibus exhibuerant, eadem vestis suavissimum aerem velut in odore balsami et omnium pigmentorum de se emittebat. Sed quia in cordibus suis fiducialem spem de omnibus laboribus suis ad Deum extenderant, in capitibus suis coronas velut nobilissimo hyacinto decoratas habebant, et quia in recto itinere spiritualium viarum stabilitatem servaverant, calceamentis pretiosis margaritis distincte ornatis induebantur.

34. Ob laudem quoque qua Deum in voce jubilationis humiliter et devote in saeculo laudaverant, vox eorum sonum omnis generis musicorum habebat, et ob incessabilem in divino officio cordis et oris eorum servitutem, ubi in corporibus suis viventes, unamquamque virtutem benigne ruminaverant, sine taedio cantica nova semper cantabant. Et quoniam angelica servitute, toto annisu mentis et corporis, vocis quoque et recti operis, laudes angelorum Deum laudando imitati sunt, praeceptis majorum suorum obedientes, orationibus ac silentio et caeteris hujusmodi bonis operibus, in contemplativa vita, per continentiam carnalium concupiscentiarum, jugiter insistentes, clarissima et purissima luce, ab arcano Divinitatis veniente, interdum illustrabantur; quae tam magna et tam lucida erat quod eam nec oculus videre, nec auris audire, nec cor hominis excogitare poterit, ut praefatum est. Hi vero in corporibus suis in saeculo viventes, a propria materia sua in qua concepti et nati erant, se abstraxerant, et spirituali vitae per veram obedientiam se subdiderant, et Creatori suo omni devotione et humillima subjectione in contemptu mundi et voluptatum ejus servierant. Reliqua autem ornamenta istorum et significationes eorum visui et intellectui meo occultata sunt.

XXVIII.

De quibusdam coelestibus gaudiis doctorum et rectorum animarum.

35. Sed et alios in praefata claritate eodem modo, ut supra dictum est, velut per speculum videbam, qui quasi veste saphirini coloris, lapide berillo ac bachis ornata [1]) induebantur, in qua etiam ad pectus velut signa septem planetarum miro modo lucentia apparuerunt. Super capita quoque sua coronas quasi topazio ornatas gestabant, [2]) et calceamenta velut ex purissimo auro habebant. In manibus autem suis quasi tubas crystallinas tenebant, de quibus ventus odorem velut myrrae et thuris offerens flabat, cum quibus etiam in canticis et in laudibus illorum, qui vocem coram Deo habent, canebant.

36. Reliqua autem ornamenta istorum quae plurima erant, mihi occultata sunt. Isti namque, quia fidelem servitutem cum perfectione bonorum operum Deo exhibuerant, in claritate et in gaudiis supradictae beatitudinis feliciter quiescebant. Sed et ob charitatem, quam cum misericordia in subditos suos effuderant, et ob receptionem, qua peccatores et publicanos in poenitentia ad se collegerant, ac ob occultationem, qua peccata confitentium secreta obtectione occultaverant, veste saphirini coloris, lapide berillo ac bachis ornata, induebantur; et ob pium mentis

1) ***berillo ac bacis*** W, sed infra idem *bachis*. ***Baccae, baeae***, annuli catenarum, variis exemplis adductis, apud Cangium assimilantur. — 2) *gestabat* W.

intuitum, quo septem dona Spiritus Sancti in regimine suo aperte inspexerant, cum sibi pro Dei amore regulariter subjectos in activa vita corporaliter procuraverant, et cum eos in comtemplativa vita spiritaliter rexerant, in eadem veste ad pectus, velut signa septem planetarum miro modo lucentia, apparuerunt.

37. Et quoniam in cordibus suis veram justitiam cum passione corporum suorum se coercentes portaverant, ubi per instabilem injustitiam Deo obsistere nolentes, eum cum magna constantia fidelium operum inspexerant, super capita sua coronas quasi topazio ornatas gestabant; et quoniam in rectis viis coram Deo subditos suos sapienter incedere fecerant, calceamenta velut ex purissimo auro habebant. Sed et quia in operibus suis veram doctrinam verbo et exemplo demonstrantes. se ipsos aliis velut speculum proposuerant, cum etiam rumorem sanctorum operum, scilicet in dilectione verae continentiae, et in mortificatione carnis suae, et in officio sanctitatis, in populos credentium emiserant, ubi servitio et laude Creatoris sui die noctuque instantes, fidem et justitiam patriarcharum et prophetarum et apostolorum, qui clamoribus suis veritatem quae in Deo est manifestaverant, imitati sunt, in manibus suis quasi tubas crystallinas tenebant, de quibus ventus odorem velut myrrae et thuris offerens flabat, cum quibus etiam in canticis et in laudibus illorum, qui vocem coram Deo habent, canebant. Isti autem dum in terreno saeculo corporaliter fuissent, per inspirationem illam qua Deus magistros et praelatos fieri designavit, doctores et rectores in populo Dei existentes, verbo et exemplo subditis suis praefuerant, a malis eos eripientes, nec eos ad internecionem cadere sinentes, ubi etiam se ipsos per bona opera Deo obtulerant. Caetera vero ornamenta istorum et significationes eorum visui et intellectui meo occultata sunt.

XXIX.

De quibusdam coelestibus martyrum gaudiis.

38. Alios etiam in eadem supra dicta claritate simili modo, ut praemonstratum est, quasi per speculum, ceu supra quoddam mare stantes videbam, quod nec manebat, nec humectationem sicut aqua habebat; sed quod tantum fulgorem maximum de se reddebat. [1]) Et hi quasi veste rubri [2]) hyacinti coloris vestiebantur, quae supra humeros ac in circuitu supra pedes eorum velut pretiosissimis lapidibus decorabatur. Coronas quoque velut ex purissimo auro fulgentes, et velut lucidissimis speculis in circuitu distinctas, in capitibus suis habebant, et calceamentis velut [3]) smaragdo et berillo ornatis induebantur. Sed et in manibus suis palmas ceu [4]) purissima aqua perlucidas habebant, in quibus etiam plurima miracula Dei quasi in speculis apparebant.

39. Et audivi vocem de coelo tanquam vocem tonitrui clamantem et dicentem: Antiquus serpens Deo se opposuit, unde et in infernum projectus est; sed ille de forma hominis membra sibi collegit, quatenus ipsi communicarent, et per ea ho-

[1]) *reddiderat et hii* W. — [2]) *quali* W. — [3]) f. *veste rubra*, sed cf. 40. — [4]) *seu* A, W, hic et supra.

minibus persuasit, quod se invicem occiderent. Sed ut peccata hominum abolerentur, Agnus, scilicet Filius Dei, carne [1]) induebatur et occisus est. Nunc ergo propter eumdem Agnum occisi veniant, et effusum sanguinem corporum suorum in sanguinem ipsius Agni fundant. In hac voce praefatae animae de mari sursum elevabantur, et velut sanguineae guttae ab eis super terram spargebantur, et sic omnis coelestis harmonia cantico novo, in testimonium Agni qui occisus est, ipsis occurrebat.

40. Et quoties praefata vox eodem modo, ut praedictum est, vociferabatur, toties eaedem animae, sparso sanguine, ad cantica nova, ut supra demonstratum est, elevabantur. Caetera autem ornamenta istorum quae plurima fuerunt, videre non poteram. Quia enim isti, dum in corporibus suis essent, fide et opere Deo servierant, et quoniam corpora sua magno fortitudinis impetu pro Dei amore contempserant, in praefata claritate et in deliciis ejus mansionem et infinita gaudia supernorum praemiorum adepti sunt. Et quia anxietatem quam in martyrio habuerant, in fortitudine mentium suarum conculcaverant, ubi per constantiam mollitiem instabilitatis abjicientes, ardentissimam charitatem ad Deum apprehenderant, ceu supra mare stabant, quod nec manabat, nec humectationem sicut aqua habebat; sed quod tantum fulgorem maximum de se reddebat [2]). Sed et quoniam ipsos in sanguine suo coercentes, in magna fiducia Deum coluerant, veste rubri hyacinthi coloris vestiebantur; et quoniam magnos labores pro divino cultu sustinuerant, quos etiam ubique bono fine consummaverant, cum seipsos sacrificium Deo fecerant, membra corporum suorum contemnentes, et ea tortoribus ad diversa tormenta subjicientes, eadem vestis supra humeros, ac in circuitu supra pedes eorum [3]) et velut pretiosissimis lapidibus decorabatur.

41. Altitudinem quoque spei in sapientia gestabant, cum per puritatem fidei fraternam dilectionem ubique intuentes, et compassionem aliis impendentes, Deum in cordibus suis extollebant, cum in semetipsis patientiam habentes, membris suis non parcebant; ac idcirco coronas velut ex purissimo auro fulgentes, et velut lucidissimis speculis in circuitu distinctas, in capitibus suis habebant. Et etiam itinera [4]) viarum Dei in patientia et in effusione sanguinis sui percurrebant; unde calceamentis quasi smaragdo et berillo ornatis induebantur. Sed et in operibus suis victoriam absque omni contagione simulationis [5]) puram et mundam tenebant, in qua plurimi exempla constantiae et patientiae accipientes, Deum toto mentis intuitu inspexerunt; quapropter et ipsi in manibus suis palmas ceu purissima aqua perlucidas habebant, in quibus etiam plurima miracula Dei quasi in speculis apparebant.

42. Quae omnia vox de coelo sonans testabatur, quae et Diabolum Deo resistentem, et in infernum submersum, ex hominibus quosdam sibi consociare ostendebat, quibus etiam homicidia persuadet; sed ut homo ille eriperetur, Filium Dei incarnatum et occisum clamabat, exhortans etiam ut qui propter Filium Dei mortem subissent, martyria sua martyrio ipsius demonstrarent. In hac voce, illis in victoria sua exaltatis, tormenta quae ab impiis et incredulis passi sunt, ad vindictam eorum justo Dei judicio emicabant. Unde et omnis coelestis exercitus, in

[1]) *carnem* W. — [2]) *manebat* A. — [3]) *eorum* om. A. — [4]) *in itinera* W. — [5]) *simulationem* W.

laude innovati gaudii, passionem Filii Dei passionibus istorum innovatam laudat, et quoties divina majestas passiones eorum tetigerit, passionibus suis [1]) passionem Agni renovando glorificant. Hi in saeculo corporibus suis induti, non solum voluntates suas reliquerant, sed etiam eadem corpora sua multis et diversis tormentis pro gloria Dei [2]) subjecerant tyrannis, non cedentes, sed membra sua membratim in martyrio morti subjicientes. Reliqua autem ornamenta istorum et significationes eorum visui et intellectui meo occultata sunt.

XXX.

De coelestibus virginum gaudiis.

43. In praefata quoque claritate simili modo, ut supradictum est, quasi per speculum aerem videbam. puritatem super puritatem limpidissimarum aquarum habentem, et splendorem super splendorem solis emittentem de se, qui et flatum habebat, et qui omnem viriditatem herbarum et florum paradisi ac terrae continebat, et qui odore [3]) omnium viriditatum plenus erat, quemadmodum aestas dulcissimum odorem herbarum et florum habet. In aere isto, quosdam velut per speculum aspiciebam. qui quasi candidissima veste velut auro intexta, et quasi pretiosissimis lapidibus a pectore usque ad pedes, in modum dependentis zonae, ornata induebantur; quae etiam maximum odorem velut aromatum de se emittebat. Sed et cingulis, quasi auro et gemmis ac margaritis supra humanum intellectum ornatis, circumcingebantur.

44. Super capita quoque sua velut coronas, auro et rosis ac liliis intricatas, et velut fistulis pretiosissimorum lapidum distincte circumdatas habebant. Cumque Agnus Dei vocem suam daret, suavissimus flatus venti, de secreto Divinitatis veniens, fistulas suas tangebat; ita quod omni genere citharedorum citharizantium et organorum cum eodem Agno resonabant; [4]) et ideo canticum hoc, exceptis istis easdem coronas portantibus, nemo cantabat, aliis quidem illud audientibus, et in eo gaudentibus, quemadmodum homo gaudet, cum splendorem solis prius non visum [5]) videt.

45. Et calceamenta eorum ita perlucida erant, quasi de vivo fonte sumpta essent. Sed et interdum velut super aureas rotas incedebant, et tunc etiam in manibus suis citharas portabant, cum quibus citharizabant; et tunc etiam alienam linguam intelligebant et sciebant et loquebantur, quam nullus alius novit, nec dicere poterit. Reliqua vere ornamenta istorum, quae plurima erant, aspicere non valebam.

46. Nam quoniam, dum in saeculo corporaliter viverent, fidem quam Creatori suo noverant, bonis operibus compleverant, in praedictae claritatis gaudiis beata quiete erant, et quoniam aerias varietates carnalium delectationum in puritate mentium suarum neglexerant, et in amorem ardoris veri solis super legalia praecepta ascenderant, aerem puritatem super puritatem limpidissimarum aquarum

[1]) *passionibus eorum innovatam* W. — [2]) *per gloriam Dei* A. — [3]) *odorem omnium* W. — [4]) *agno resonabat* W. — [5]) *non prius visum vivet* W.

habentem, et splendorem super splendorem solis de se emittentem, ut supra dictum est, habebant. Sed et propter suavissimum desiderium, quod in virginitatis viriditate et flore mentis et corporis, Deo et hominibus demonstraverant, ubi bonum odorem plurimarum virtutum, ardore Spiritus Sancti accensi, ubique diffuderant, ejusdem aeris flatum sentiebant, qui omnem [1]) viriditatem herbarum et florum paradisi ac terrae continebat, et qui odore omnium viriditatum plenus erat; quemadmodum aestas dulcissimum odorem herbarum et florum habet.

47. Et propter castissimum animum, quem sapienter cum sanctis virtutibus, in devotione cordium suorum, usque ad consummationem bonae perseverantiae, contra carnis tentamenta [2]) perduxerant, candidissima veste velut auro intexta et quasi pretiosissimis lapidibus a pectore usque ad pedes, in modum dependentis zonae ornata; induebantur, et quia hoc in laudabili et amabili nomine virginitatis fecerant, eadem vestis maximum odorem velut odorem aromatum de se emittebat. Carnem etiam suam domantes, a lubrica temeritate voluptatum constrinxerant, et abstinentiam cum suavitate honestatis, nec hac nec illac diversitate [3]) multiplicium morum se permutantes, sibi attraxerant, et ideo cingulis quasi auro et gemmis ac margaritis super humanum intellectum ornatis circumcingebantur. In cordibus quoque suis gloriam et honorem Deo sapienter exhibentes, et maceratione corporum suorum puerilia ludicra sibi ubique competenter abnegantes, ac signa propositionis castimoniae [4]) ubi supra homines et supra praecepta legis erant, suspiriis supernorum desideriorum ac fortitudine et subtilitate virtutum in se munientes [5]), velut homines carnem et sanguinem non habentes essent, fecerant; et verecundiam in cordibus ac in vultibus suis ad omnia carnalia officia habuerant, unde et super capita sua velut coronas auro et rosis ac liliis intricatas, et velut fistulas pretiosissimorum lapidum distincte circumdatas habebant.

48. Et quia ad mansuetudinem incarnati Filii Dei se inclinaverant, et quoniam mentes eorum in tantam altitudinem ascenderant, quod virginitatem suam Deo voverant, et quod eam digne et sancte observaverant, congaudens eis Agnus Dei vocem suam dat, et suavissimus flatus venti de secreto Divinitatis veniens, signa coronatae virginitatis ipsorum tangit, ita quod canticum Agni resonant, quod in aliis non fit, qui eisdem signis carent, quamvis illud audientes gaudeant. Sed et quoniam vestigia illa subsecuti fuerant, in quibus Deus per antiquum consilium homo fieri voluit, calceamenta eorum ita perlucida erant, quasi de vivo fonte sumpta essent.

49. Quia etiam sapienter et humiliter ubique incedentes, purissima castitate motus corporum suorum ad aspectum Divinitatis extenderant, et cum largitione eleemosinarum omnibus in necessitate positis pie et misericorditer succurrerant. voce et corde Deo psallentes, ac divina miracula ruminantes, et ruminando proferentes, humanam naturam in abnegatione carnalium voluptatum transcenderant. Interdum velut super aureas rotas incedebant, et tunc etiam in manibus suis citharas portabant, cum quibus citharizabant; et tunc etiam alienam linguam intelligebant et sciebant ac loquebantur, quam nullus alius novit nec dicere po-

[1]) *quia omnem* W. — [2]) *temperamenta* A. — [3]) *in diversa multiplicium* A. — [4]) *signa propositionis*, fort. respectu ad vota professae virginitatis. — [5]) *munientis* A.

test, ut supra dictum est. Isti dum in corporibus suis fuissent, angelicum ordinem imitati,[1]) in virginitatis singularitate Deo servierant, et se totos hoc modo et caeteris bonis et sanctis operibus ipsi holocaustum fecerant. Caetera vero ornamenta ipsorum[2]) et significationes eorum visui et intellectui meo occultata sunt.

XXXI.

De claritate beatorum.

50. Sed et in praedicta claritate, etiam multo majorem infinitamque claritatem sentiebam. Quam dum intendere vellem, splendor fulgoris ejus tantum decorem omnium ornamentorum, tantasque delicias deliciarum, tantaque gaudia gaudiorum totius beatitudinis in ea esse intelligebam, quod[3]) nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, dum in fragili et[4]) corruptibili corpore manet; unde etiam quoddam sigillum mihi oppositum est, per quod multo plura multoque majora gaudia mihi occultata sunt, quam prius vidissem. Sicque idem visus in me reverberatus est. Et per viventem Spiritum vidi et intellexi haec.

XXXII.

Verba Filii hominis.

51. Et de praefata vivente luce iterum audivi vocem mihi dicentem: Haec quae vides, vera sunt, et ut ea vides, ita sunt, et plura sunt. Et ecce dulcissimum ac suavissimum sonum vocis audivi, ut guttas balsami mihi instillantem, et dicentem:

52. « Ego vis Divinitatis ante aevum et ante tempora sum, nec inceptionem » temporum habeo. Vis enim Divinitatis sum, qua Deus omnia discernendo et » probando fecit. Ego etiam speculum providentiae omnium sum, et fortissima » vi intonui, in qua sonans verbum, scilicet *Fiat*, sum, per quod omnia processe» runt; ubi et videntibus oculis tempora temporum dividebam, considerans quae » sint, vel quomodo omnia sint. Ore quoque meo officiale opus meum lambebam, » videlicet figuram quam de limo feci, et unicaliter[5]) eam amando amplexus sum, » ac sic per igneum spiramen in carnem eam[6]) mutavi, et officium omnis crea» turae illi dedi.

53. « Postquam requievi. quousque considerarem, quomodo per oonsilium ser» pentis homo deceptus esset, deinde flammanter veni, ac in utero Virginis, eo ac» censo, requievi, et de carne ipsius, quae nunquam ulla sorde sudaverat, ut » etiam caro Adae primum munda fuit,[7]) incarnatus sum, ac sic gigas magnus, in » virtute super omnem hominem processi, quoniam homo per coagulationem il» lam[8]) non seminavit, quam serpens primum hominem per concussionem san» guinis derisit, qui per delectationem carnis movetur. Diabolus enim hominem

[1]) *imitari* A. — [2]) *istorum* W. — [3]) *quae* A. — [4]) *et in* W. — [5]) Ne quid varietatis omittatur in loco insigni, irrepsit in W ineptia: *et tunicaliter.* — [6]) *eam* om. A. — [7]) id nota. — [8]) *illa me* A.

» gloria sua denudaverat, ac eum a me abstraxerat; unde et ego per circumci-
» sionem illum vulneravi, ac in legalibus praeceptis omnem suggestionem dece-
» ptionis ejus in confusionem duxi.

54. « Sed postea de utero Virginis exiens, hominem in aquis mersus requisivi,
» ac ita virile semen in eisdem aquis mundavi, sicut aquam ignis educit, et hoc
» modo omnia purgavi. Rotam enim meam circuivi, donec alienos natos renova-
» bam; et sic per hoc quod figuram hominis, quae me tetigit, osculatus sum, re-
» ctam conjunctionem constitui, ac per hoc quod hominem in creaturis officialem
» feci, continentes designavi; et per hoc quod de Virgine exivi, regulam virginita-
» tis in viro et in femina, ipsis separatis, esse constitui. Punctum quoque in me-
» dio rotae meae posui, per quod spiritualem [1]) populum sine saeculari habitu vi-
» cturum praescivi. Sic ego rotam meam contra astutiam antiqui serpentis com-
» plevi, qui me nesciebat, quoniam incarnatio mea silenter illi occultata fuit.
» Ille enim Adam viderat, sed eum plene non cognoverat, unde tentavit quid
» facere vellet, ac eum in officiis suis decepit. Ego autem fortem fortitudinem il-
» lius in humanitate mea ligavi et contrivi, sed ipse me ad plenum non cogno-
» scet, nisi cum super judiciale tribunal sedero, ubi totus confundetur. Et hic
» per veram emundationem vere credentes et vere beatos ad gloriam paradisi
» et ad gloriam coelestium gaudiorum reposui. [2])

XXXIII.

De animarum gloria in paradiso.

55. Sed gloria paradisi, de qua primus homo ejectus est, tanta claritate, ut vides, circumdata est, quod nec ipsam, nec ea quae in ipsa sunt, nisi velut [3]) per speculum intueri valet, imputribili floriditate amoenitatis ornata, et suavissimo odore aromatum perfusa, ac plurimis deliciis repleta, in quibus animae ab omnibus generibus peccatorum suorum purgatae gaudent. Animae enim quae in ipsa sunt, veste immortalitatis et decoris, quam Adam perdiderat, majore gloria recepta, induuntur; quae etiam secundum quod per poenitentiam peccatorum in saeculo viventes, Deum tetigerant, et quae etiam secundum quod praecepta Dei cum bonis operibus compleverant, delectabilibus [4]) ornamentis decorantur, quemadmodum et corpora hominum pretiosis rebus ornantur.

XXXIV.

De ornamentis animarum in coelesti celsitudine.

56. Sed magnus ille splendor, quem prae nimio fulgore suo intueri non potes, quoniam mortalis intellectus eum capere non valet, de coelesti celsitudine procedit, de qua Lucifer cum angelis suis ejectus est, et claritatem paradisi perfun-

[1]) *per quem* A, W. — [2]) Virgulis licet omissis, pergere videtur longum Verbi eloquium. — [3]) *velut* om. W. — [4]) *delectabilius ornamentis* sic A, W.

dit et irradiat, ac in vigore viriditatis et pulchritudinis eam, ut vides, retinet. In hac autem coelesti celsitudine [1]) remunerationes et gaudia illa sunt, quae beatis animabus, quae toto annisu intimae devotionis de terrenis ad coelestia suspirabant et anhelabant, ibi ab aeterno ordinata sunt; quae humanae fragilitati pulvereo tegmine obumbratae ad plenum scienda non sunt, quoniam temporalia ea quae aeterna sunt, capere non possunt, nisi quantum paterna clementia, ad gloriam sui et ad profectum fidelium suorum, ea revelare voluerit. Nam animabus sanctorum plura et majora ornamenta illic [2]) praeparata sunt, quam caduca et humana aestimatio capiat; quia electi laude et opere ornabuntur, quoniam anima et corpore lucidissima opera operati sunt.

XXXV.

Quales animae sunt in coelesti regno.

57. Ibi enim sunt, ut vides, qui saeculo in onere actualis vitae carnaliter servire conspecti, ea quae coelestia erant spiritu amplectebantur, et qui se a saeculo separantes, in subjectione regularis disciplinae, et in contemplationis alleviatione, corpore et spiritu coelestibus inhaeserant, ac qui subditis suis et corporalia et spiritalia subministrantes, doctrina et exemplo eis benigne ac humiliter praefuerant; [3]) et qui idola spernentes, et Creatorem suum confitentes, in constantia veritatis corpora sua debilitari ac morti tradi non dubitaverant; hi [4]) quoque qui se carnem et sanguinem habere, et se homines esse abnegantes, virginitatem suam, quam Deo voverant, in timore et in amore ipsius honeste conservaverant.

XXXVI.

De incremento gloriae in resurrectione.

58. Et hi omnes secundum quod Creatori suo, ipso inspirante, in bonis operibus servierunt, gaudia gaudiorum et decorem ineffabilium ornamentorum recipiunt, et benedicti sunt, ac in resurrectionis judicio benedicti Patris mei vocabuntur; et ibi multo majora gaudia accipient, quam nunc habeant, cum modo solum [5]) in anima gaudeant, tunc autem et corpore et anima gaudia habituri sunt, quae tam ineffabilia sunt, quod ea nulla creatura mortali saeculo explicabit.

XXXVII.

Qualia sunt ornamenta coelestium gaudiorum.

59. Sed ornamenta eorumdem gaudiorum spiritalia et aeterna ac inaestimabilia sunt; et sic etiam, non quod aurum et lapides ac gemmae terreni pulveris in

[1]) *in hac autem coelesti celsitudine procedit remunerationis* sic W. — [2]) *illic* om. W. — [3]) *profuerant* A. — [4]) *hii quoque* A. W. de more. — [5]) *non solum* W.

aeternitate coelestium sint,[1]) sed quod electi bonis et justis operibus spiritaliter exornantur, velut homo pretiosis ornamentis corporaliter decoratur. Ego enim fabricator mundi, operi meo, scilicet homini, cum scientia quam ipsi immisi, opera operari dedi, quatenus per terram et aquam, per aerem et ignem, de quibus ipse est, opera sua perficeret. Unde cum bona operatur, ornamenta de bonis operibus suis in claritate indeficientis lucis sibi aeternaliter praeparantur; quemadmodum firmamentum cum sideribus, et terra cum floribus temporaliter exornantur. Nam cum homo interdum terrenis ornamentis decoratur, anima etiam ejus aliquando ingemiscit, recordans quomodo ex operibus suis ornanda sit. Sed et sicut homo per ignem et aerem, ac per aquam et terram ornamenta sibi conflat, et sicut vestimentum, ut sibi placet, secundum corpus suum parat, ita et Deus ornamenta secundum opera sanctorum ipsis praeparat, quae a nulla alia materia tollit, quam quod ea per semetipsum facit, sicut etiam et omnes creaturas per semetipsum creavit, quemadmodum et homo opera sua per nullam aliam creaturam, quam per semetipsum, dictat et operatur.

XXXVIII.

De variis in coelo mansionibus.

60. In coelesti autem habitatione plurimae et plurimae mansiones plurimarum et homini inaestimabilium deliciarum, secundum operationes hominum, quas per divinam gratiam operantur, manent, quae humanae fragilitati ostendendae et sciendae non sunt, quoniam supra intellectum hominis sunt. Ibi enim et illae mansiones sunt, quae humanum cor excedentes, nulli gravato [2]) corpore manifestantur, sicut et nec ipsae, nec illae quae in ipsis sunt, ulla secreta detectione tibi vel ad modicum aperiuntur. Caro namque peccato depressa, coelestium secreta non suffert, nisi quantum gratia divinae fortitudinis roboratur. Ornamenta enim et gaudia supernorum miraculorum nullus hominum, mortali carne gravatus, unquam perfecte vidit, nec in scientia intellectus sui accipere potuit, nisi quantum voluntas Dei quibusdam sanctis ac quibusdam prophetis per visionem ostendit, qui aliquid inde loquebantur, quemadmodum Isaias de ornatu primi angeli dicit, et quemadmodum Joannes in Apocalypsi sua de ornatu coelestis Hierusalem demonstrat.

XXXIX.

Quod malum mendacii sine Deo surrexit.

61. Deus namque omnia bona et justa ac utilia per Verbum suum fecit; sed malum mendacii, per quod omnis injustitia et omne peccatum exortum est, sine ipso surrexit; haec Deum nullo modo tangunt, sed ab eo aliena sunt, et ideo cum dominante judicio illa sibi rebellantia Deus dijudicat.

[1]) *sunt* W. — [2]) *nullo gravato* A.

XL.

Homo quomodo malum superat.

62. Homo autem malo non dominatur, nisi quando illud facere recusat; cum vero malum fecerit, servus ejus est.

XLI.

Quomodo homo videre coelestia possit.

63. Sed homo Deum deseruit, et malo communicavit; unde quandiu in hac cinerosa et caduca terra vixerit, puras et immaculatas mansiones videre non poterit, nisi quantum Deus illi [1]) permiserit. Cum autem ita obdormierit, quod in malis ultra non evigilat, tum mansiones illas cognoscendo videbit. Et cum Deum intuebitur, omnium terrenorum obliviscetur, quemadmodum et homo, quomodo genitus sit, non recordatur, quamvis se genitum esse sciat.

XLII.

Deus diversa miracula sanctis ostendit.

64. Deus namque diversa miracula sanctis et prophetis suis in omni [2]) aetate mundi ostendit, ne anima hominis a coelestibus desideriis omnino peregrinaretur, sed ut per fidem in aliquibus monitis aeternae vitae reminisceretur; sicut et praevaricato homini luminaria firmamenti dedit, ne idem homo de luce separatus, in tenebris totus periret. Prophetae autem ac quidam alii sancti quaedam miracula videbant, et quaedam proferebant, sed maxima et plurima miracula nec proferebant, nec videbant. At primus angelus miracula Dei nec requisierat, nec expectaverat, quia per se esse voluit, et ideo in morte sepultus est. Homo vero per consilium serpentis in ludibili gaudio puerilium morum se socium Dei esse optavit, et ob hoc in exilium doloris expulsus est, videlicet ut pariter in exilio cum dolore finiretur, quoniam ad aeternitatum Dei falsa opinione se extenderat.

XLIII.

Quaenam miracula prophetae videbant.

65. Omnis autem creatura secundum voluntatem Dei processit, et etiam aeterna vita ex Deo claruit, et ex ipso est, atque ornatus et gaudia ac omnis vox pleni gaudii aeternae vitae ex ipso sunt. Opera namque electorum, quae de Spiri-

[1]) *ipsi* W. — [2]) *suis omni* A.

tu Sancto germinaverunt, ibi fulminant, et velut purissimo auro et velut pretiosis lapidibus ac margaritis et omnibus ornamentis ornata existunt. Sed ornamenta haec de genere factae materiae, ut praedictum est, non sunt, sed a Divinitate diffunduntur. Nunc autem, o homo, qui de limo factus es, Deus in operibus tuis te ornat, in quibus insidias primi angeli superas, qui propter magnum fulgorem suum superbuit; [1]) unde et in morte sepultus est, in qua Deus eum reliquit, sed hominem per semetipsum retraxit. Et quoniam serpens hominem deceperat, et quoniam homo in praevaricationem se posuerat, homo tali velamine opertus est, quod mysteria Dei perfecte non perspiciet, quandiu eodem velamine tectus est. Unde quandiu rectam fidem habet, Deus illi miracula sua quasi fenestraliter [2]) et quasi per speculum manifestat.

XLIV.

De falsis daemonum miraculis.

66. Quoddam autem genus malignorum spirituum est, quod homines decipere non potest, nisi per aliquam ostensionem; velut coeleste sit, et sicut illud mentitur, cum de veritate loquitur, sic et hominibus falsa ostendit, quae tamen homines in intellectu suo capere possunt, quatenus tanto facilius eos decipiat, cum ipsis vera interdum demonstrat. Quapropter qui eis in hoc consentiunt, seducuntur; qui vero attendunt et perquirunt quid ipsis ostendatur, facile non cadunt, sed in fortitudine veritatis persistentes, illos de se fugant, cum quaeque tentamenta eorum paulatim examinant.

XLV.

Quod daemones non decipiunt, nisi per falsam ostensionem.

67. Haec autem [3]) vera sunt, et homini huic quae simplex est, [4]) in diverticulis verborum veraciter [5]) ostensa sunt, quia ego qui de superno [6]) Patre exivi, et de matre Virgine viriditatis carnem accepi, [7]) eamdem hominem ad hoc excribravi, ut absque expolitis verbis et sine humano magisterio prolatis haec denudaret, et ea absque umbraculis verborum aperte proferret, quatenus scientia scientium [8]) nescientis simplicitatem notaret, et auctorem illorum, indeficientem lucem inextinguibili flamma flammantem intelligeret, et ut pusillus et magnus in omnibus his se fideliter castigaret.

67. Beatus igitur homo ille est, qui in coelestibus per miracula Dei excitatur.

[1]) *superbuit* A, W, raro exemplo, nisi mendum sit pro *superbivit*. — [2]) *fenestraliter*, iterum nota novum adverbium.

[3]) Numerus et distinctio ultimi capituli in A desideratur. Male idem caput in W incipit a verbis: *Cum quaeque temptamenta eorum examinat*, sic W. Alio autem lapsu calami, ob veru litterae *p* suffixum, A legit *temperamenta*. —

[4]) *quae simplex*. sic codd. et bene: Hildegardis in fine seipsam respicit. — [5]) *et veraciter* A, W. — [6]) *quia ego de superno* W. — [7]) *carnem suscepi* W. — [8]) *scientia nescientium* W.

Et audivi vocem de coelo dicentem: Homo quae haec vidit, et scribendo protulit, vidit et non vidit, cinerosa sentit et non sentit, ac miracula Dei non per se, sed per illa tacta profert, quemadmodum chorda per citharoedam tacta, sonum non per se, sed per tactum illius reddit. Et haec vera sunt, et qui verus est, ea sic manifestari veraciter voluit. Quapropter si quis per [1]) supereminentem mentem scripturarum et proprietatis suae, aliquid eis in contrarietate addiderit, poenis hic descriptis subjacere dignus est; aut si quis aliquid ab eis per contrarietatem abstulerit, dignus est ut a gaudiis hic ostensis deleatur. Et audivi vocem multitudinis in superioribus secretis respondentem: Fiat, Amen, et sic fiat. Et iterum audivi vocem de coelo mihi dicentem: Haec de viva voce viventis et indeficientis lucis prolata et dicta sunt, et fidelia sunt, et fidelis his attendat, et ea in memoriam bonae scientiae componat.

EXPLICIT LIBER VITAE MERITORUM 2)

PER SIMPLICEM HOMINEM A VIVENTE LUCE REVELATORUM.

[1]) *per* om. A. — [2]) W brevius, ac more veterum: *Explicit liber vitae meritorum feliciter.*

INCIPIUNT EXPOSITIONES

QUORUMDAM EVANGELIORUM

QUAS DIVINA INSPIRANTE GRATIA HILDEGARDIS EXPOSUIT [1].

I.

In Vigilia Nativitatis Domini.

I.

C*um esset desponsata mater Jesu Maria Joseph*, [2]) Deus justitiam primae institutionis, qua ipse Adam et Evam conjunxit, inspexit, et matrem Filii sui viro desponsari voluit, ut eam fide et procuratione custodiret, et ut ipsa ei subjecta foret: quia justum erat ut omnis femina, infantem habens, virum procuratorem haberet. Et in hoc est justitia, quam humilitas subsequitur in subjectione, quoniam si Maria procuratorem non haberet, superbia facile subreperet, [3]) quasi viro ad procurandum se non indigeret. *Antequam convenirent*, in voluntate conjunctionis, *inventa est*, mater nominata coram Deo et populo, *in utero habens de Spiritu Sancto.*

Joseph autem vir ejus, in desponsatione et conjunctione foederis, *cum esset justus*, (quia in omnibus desideriis suis mendacium non quaesivit, et quoniam voluntas ipsius pura fuit, quia praevaricator Legis esse noluit,) *et nollet eam tra-*

[1]) Accedimus ad alterum Hildegardis opus, in quo audax prophetissae ingenium adeo liberam sibi provinciam fecit, ut dubitandi locus esset, utrum genuinum teneamus commentarium. Hunc tamen ipsa digito ostendere videtur, quum in prooemio superioris libri, opera sua ultima recenset, *cum quibusdam aliis expositionibus*, quae verba huic commentario ad amussim respondent, Obscura quidem multa sunt et subtilissima, quae etiam Trithemium deterrebant, virum germanicum, harum epularum helluonem, immo cujusdam conditorem *Steganographiae*, cnjus etiam de hac opella Hildegardis testimonium quacumque exceptione majus est atque locupletissimum. Sed plura alibi. Omnia excipiuntur ex unico codice majori Wisbadenensi. Titulos qui plerumque desiderantur, addidimus.

[2]) Matth. 1, 18. 21. — [3]) Caute lege.

Et audivi vocem de coelo dicentem: Homo quae haec vidit, et scribendo protulit, vidit et non vidit, cinerosa sentit et non sentit, ac miracula Dei non per se, sed per illa tacta profert, quemadmodum chorda per citharoedam tacta, sonum non per se, sed per tactum illius reddit. Et haec vera sunt, et qui verus est, ea sic manifestari veraciter voluit. Quapropter si quis per [1]) supereminentem mentem scripturarum et proprietatis suae, aliquid eis in contrarietate addiderit, poenis hic descriptis subjacere dignus est; aut si quis aliquid ab eis per contrarietatem abstulerit, dignus est ut a gaudiis hic ostensis deleatur. Et audivi vocem multitudinis in superioribus secretis respondentem: Fiat, Amen, et sic fiat. Et iterum audivi vocem de coelo mihi dicentem: Haec de viva voce viventis et indeficientis lucis prolata et dicta sunt, et fidelia sunt, et fidelis his attendat, et ea in memoriam bonae scientiae componat.

EXPLICIT LIBER VITAE MERITORUM 2)

PER SIMPLICEM HOMINEM A VIVENTE LUCE REVELATORUM.

[1]) *per* om. A. — [2]) W brevius, ac more veterum: *Explicit liber vitae meritorum feliciter.*

INCIPIUNT EXPOSITIONES

QUORUMDAM EVANGELIORUM

QUAS DIVINA INSPIRANTE GRATIA HILDEGARDIS EXPOSUIT [1].

I.

In Vigilia Nativitatis Domini.

I.

C*um esset desponsata mater Jesu Maria Joseph*, [2]) Deus justitiam primae institutionis, qua ipse Adam et Evam conjunxit, inspexit, et matrem Filii sui viro desponsari voluit, ut eam fide et procuratione custodiret, et ut ipsa ei subjecta foret: quia justum erat ut omnis femina, infantem habens, virum procuratorem haberet. Et in hoc est justitia, quam humilitas subsequitur in subjectione, quoniam si Maria procuratorem non haberet, superbia facile subreperet, [3]) quasi viro ad procurandum se non indigeret. *Antequam convenirent*, in voluntate conjunctionis, *inventa est*, mater nominata coram Deo et populo, *in utero habens de Spiritu Sancto.*

Joseph autem vir ejus, in desponsatione et conjunctione foederis, *cum esset justus*, (quia in omnibus desideriis suis mendacium non quaesivit, et quoniam voluntas ipsius pura fuit, quia praevaricator Legis esse noluit,) *et nollet eam tra-*

[1]) Accedimus ad alterum Hildegardis opus, in quo audax prophetissae ingenium adeo liberam sibi provinciam fecit, ut dubitandi locus esset, utrum genuinum teneamus commentarium. Hunc tamen ipsa digito ostendere videtur, quum in prooemio superioris libri, opera sua ultima recenset, *cum quibusdam aliis expositionibus*, quae verba huic commentario ad amussim respondent, Obscura quidem multa sunt et subtilissima, quae etiam Trithemium deterrebant, virum germanicum, harum epularum helluonem, immo cujusdam conditorem *Steganographiae*, cnjus etiam de hac opella Hildegardis testimonium quacumque exceptione majus est atque locupletissimum. Sed plura alibi. Omnia excipiuntur ex unico codice majori Wisbadenensi. Titulos qui plerumque desiderantur, addidimus.

[2]) Matth. I, 18. 21. — [3]) Caute lege.

ducere, quasi contra Legem faciens, quia vidit eam infantem in utero habentem, et non de se, et mirabatur, sciens eam castam, et tamen praegnantem, nesciens a quo; *et voluit occulte dimittere eam*, ita quod volebat ab ea secedere propter rumorem populi, sic ut omnes ignorarent an viveret, an obisset.

Haec autem eo cogitante, ecce angelus Domini in somnis ei apparuit. Quia in his dubitavit, angelus ei in somnis, et non vigilanti apparuit; et quoniam etiam spiritum prophetiae non habuit, *ei dicens: Joseph, fili David, noli timere*, quia timuit per eam diffamari, *accipe Mariam conjugem tuam*, tantum in foedere desponsationis. *Quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est. Pariet autem filium, et vocabis nomen ejus Jesum. Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* Sed cum Joseph verba Angeli audisset, mox in fide vidit, et credidit nasci Salvatorem.

II.

Alio modo.

Cum esset desponsata mater Jesu Maria Joseph. Desponsatio autem haec primum in baptismo uniuscujusque fidelis animae est, quae bona opera perficiendo, mater et membrum Jesu per salvationem illuminationis efficitur. Nam fidelis anima, per baptismum Joseph, id est sapientiae quae et in terrenis et in coelestibus, quaeque bona sapit, desponsatur, *et antequam convenirent.* [1]) In quibusdam saecularibus invenitur, in mente quaedam coelestia meditari, de inspiratione Spiritus Sancti edocta. *Joseph autem,* videlicet sapientia, *vir ejus* in foedere benedictionis, cum sit justa in omnibus, non vult animam illam traducere ad saecularia, quia coelestia super se meditatur. Sed vult *occulte dimittere eam,* in his quae desiderat, ut ipsa per se experiatur, utrum hoc quod incoepit, perficere possit, an non. Sed cum haec sapientia apud se tractat, *ecce angelus Domini in somnis*, id est admonitio supernae inspirationis in secreta quiete, apparet *ei dicens: Joseph, fili David,* illius scilicet quem nemo debellare potest, *noli timere* in ulla dubietate *accipere Mariam conjugem tuam*, id est fidelem animam; sed confide eam tecum ducere ad illa quae in Deo sapis, quoniam ipsa tibi in sancto baptismo conjuncta est. *Quod enim in ea natum est*, scilicet quod in mente sua habet, *de Spiritu Sancto est*, id est de inspiratione divina. *Pariet autem filium*, videlicet hoc perficiet pleno et perfecto opere, *et vocabis nomen ejus Jesum*, quia in ipso salvabitur [2]). *Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum*, cum cogitationes, locutiones et omnia membra corporis sui a nexibus peccatorum solvit, et ad Deum fideli et salubri translatione ducit. [3])

[1]) *conveniant* cod. — [2]) Hic duo verba interpolantur absone: *ante Jesum.* — [3]) Sequitur in cod. *alio modo,* quod infra videtur transferendum in sequenti commentario.

II.

In Nativitate Domini, ad primam Missam.

I.

Exiit edictum, [1]) id est antiquum consilium, *a Caesare Augusto,* scilicet a superno Patre, *ut describeretur,* id est ut procederet *universus orbis,* videlicet omnis creatura. [2])

Haec descriptio prima, id est creatio, *facta est a praeside Syriae, Cyrino,* scilicet per Verbum Patris, quod erat caput omnis formationis, et quod etiam incarnandum erat. *Et ibant omnes,* scilicet unaquaeque creatura, ut *profiterentur singuli in suam civitatem,* videlicet ut proficerent initium suum secundum naturam suam, ut eis in officio suo constitutum erat, id est eundo, natando, volando.

Ascendit autem in altitudinem illam *et Joseph,* id est homo, *a Galilaea de civitate Nazareth,* scilicet ab aliis creaturis, quia super eas positus est, *in Judaeam in* [3]) *civitatem David,* quoniam omnia comprehendit; *quae vocatur Bethlehem,* quia rationalitatem habebat; *eo quod essent de domo et familia David,* quoniam Deus illum ad imaginem et similitudinem suam creaverat; *ut profiteretur* Deum, de quo creatus exivit, et ad quem redemptus ivit, *cum Maria desponsata sibi,* id est cum rationalitate sibi data, *uxore praegnante,* ita ut cum ea discerneret, ubi praeceptum Dei audire deberet.

Factum est autem cum essent ibi, id est cum homo in rationalitate discretionem haberet, *impleti sunt dies ut pareret,* ubi cum auditu praeceptum Domini percepit, [4]) *et peperit,* cum praeceptum Dei audivit, *filium suum primogenitum,* id est bonam intentionem in prima incoeptione. *Et pannis eum involvit,* cum eum in recta desideria posuit, *et reclinavit eum in praesepio,* ubi se humiliavit ad bonam voluntatem, *quia non erat eis locus in diversorio,* scilicet quoniam nondum habebat secretum locum incoepti mali.

Et pastores, scilicet sollicitudo animi, *erant in regione eadem,* videlicet in comprehensione sui, *vigilantes* videndo, *et custodientes* defendendo *vigilias noctis,* id est ne peccarent in scientia mali, *super gregem suum,* scilicet super omnia opera illius.

Et ecce angelus Domini stetit juxta illos, id est angelica custodia aderat illis, unde angelos cognoverunt; *et claritas Dei,* videlicet dona Dei, *circumfulsit illos,* ita ut bona cognoscerent, *et timuerunt timore magno.* ita ut angustiam haberent quid facturi essent.

Et dixit illis angelus ostendendo: *Nolite timere* in angustia; *ecce enim evangelizo vobis* in ostensione *gaudium magnum,* id est honorem; *quod erit omni popu-*

[1]) Luc. II, 1-14. — [2]) Solemnis inde erit Hildegardi expositio a creatione orbis recepta. — [3]) *in* om. cod. hic et infra. — [4]) *auditum praeceptum Domini praecepit* apogr. cod.

lo, scilicet omnibus operibus dextris in opinione et actu; *quia natus est vobis hodie Salvator*, ita quod nata sit in vobis salus; *qui est Christus Dominus*, quoniam ad imaginem et similitudinem Dei facti estis, *in civitate David*, ita ut bona operemini in forti fortitudine.

Et hoc vobis signum, id est vera ostendendo: *Invenietis infantem*, scilicet bonam intentionem, *pannis involutum*, id est in rectis desideriis, *et positum in praesepio*, videlicet in bona voluntate. *Et subito facta est*, scilicet cum homo creatus positus est in Paradiso, *cum angelo*, videlicet cum angelica custodia, *multitudo militiae coelestis*, id est magnum miraculum in toto coelesti exercitu, *laudantium Deum* super hominem, quia divina opera in ipso claruerunt, ita quod rationalitas in ipso operari debuit; angelus enim tantum rationalis est in laude, homo vero in utroque, scilicet in laude et in opere, *et dicentium*, quia angeli vivo homine Deum plus cognoverunt:

Gloria in altissimis Deo, quod Deus gloriosus sit in excelsis cum angelis, *et in terra pax*, in coelo data *hominibus bonae voluntatis*, quoniam Adam ante casum in bona voluntate erat.

II.

Alio modo.

Exiit edictum, scilicet quoddam constitutum, *a Caesare Augusto,* id est a propria voluntate, *ut describeretur*, scilicet dilataretur *universus orbis*, videlicet per totum corpus. *Haec descriptio prima*, scilicet prima dilatatio, *facta est a praeside Syriae, Cyrino*, id est de gustu carnis. *Et ibant omnes*, scilicet virtutes et vitia, *ut profiterentur* se convertendo, *singuli in suam civitatem*, videlicet ad officium suum. *Ascendit autem* sursum *et Joseph*, id est bonum desiderium, *a Galilaea*, scilicet a consuetudine, *de civitate Nazareth,* id est a cultura quam in rationalitate habet, *in Judaeam, in civitatem David*, videlicet in arctam viam agnitionis Dei, *quae vocatur Bethehem*, id est salvatio animae; eo quod esset *de domo*, scilicet de creatura, *et familia David*, sciens bonum et malum, *ut profiteretur* enarrando, *cum Maria*, id est cum charitate, *desponsata sibi*, scilicet conjuncta, *uxore praegnante*, parere virtutes.

Factum est autem cum essent ibi, videlicet cum bonum desiderium cum charitate sic versatur, *impleti sunt dies ut pareret*, scilicet ut splendor bonorum operum appareret. *Et peperit* producendo *filium suum primogenitum*, scilicet obedientiam, primam virtutem, *et pannis eum involvit*, id est in amplexibus eam habet; *et reclinavit eum in praesepio*, ponens in humilitate, *quia non erat eis locus in diversorio*, quia nullum locum vanitatis habet.

Et pastores, scilicet angustia, ut homo bona perficiat, *erant in regione eadem*, id est in eadem voluntate, *vigilantes* in abstinentia, *et custodientes* in orationibus *vigilias*, scilicet circumspectionem *noctis*, cum se homo a peccatis vertit, *super gregem suum*, videlicet ut bona opera sua conservet.

Et ecce angelus Domini, scilicet gratia Dei, *stetit juxta illos*, eos circumdando,

et claritas Dei, videlicet adjutorium, *circumfulsit illos* sustentando. *Et timuerunt timore magno*, quoniam adhuc in pavore sunt, quomodo Diabolum devincant.

Et dixit illis ostendendo, *angelus*, id est gratia Dei: *Nolite timere*, id est ne dubitetis; *ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum*, scilicet magnam virtutem in spiraculo vitae, *quod erit omni populo*, quia communis est omnibus hominibus, *quia natus est vobis hodie Salvator*, ita in vobis nata est sancta rationalitas, quae est Christus Dominus, de Deo veniens, *in civitate David*, scilicet in munitione totius sanctitatis.

Et hoc vobis signum in manifestatione: *Invenietis infantem*, scilicet obedientiam, *pannis involutum*, ita ut eam in amplexibus habeatis, *et positum in praesepio*, id est in humilitate.

Et subito facta est, ita quod cito erit, *cum angelo*, scilicet cum gratia Dei, *multitudo militiae coelestis*, id est multitudo virtutum, *laudantium Deum* in suavissimo sono, *et dicentium* in ostensione:

Gloria in altissimis Deo, scilicet in scientia hominis, quia Deus potens est omnia facere et peccatorem ad vitam reducere, *et in terra*, ubi in terrenis versatus est, *pax hominibus*, scilicet in adversis turbinibus vanitatum, quietem habeant *bonae voluntatis*, cum libenter bona facerent, si in fragilitate sua non praepedirentur, sed tamen Deus in his hominibus pacificus erit.

III.

In Nativitate Domini, ad tertiam Missam.

In principio, [1]) scilicet in ortu mundi, *erat Verbum*, id est rationalitas [2]) quae est Filius Verbum; quamvis sit principium omnium creaturarum, hic tamen non dicitur principium; sed idem Verbum sonuit principium, quod est Fiat. *Et Verbum*, scilicet rationalitas, quae est Filius, *erat apud Deum*, quia rationalitas Deus est. Deus autem nec factus, nec creatus, sed semper est. Rationalitas autem omnia creavit. *Et Deus erat Verbum*, quia Deus vere rationalis est, sed in homine et in angelo rationalitas initium habet, in Deo autem initio caret.

Hoc Verbum, scilicet rationalitas, *erat in principio*, videlicet in ortu mundi, quod est Fiat, *apud Deum*, sicut rationalitas et Deus unum sint, nec divisi.

Omnia, videlicet coelum, terra et caetera quae in eis sunt, *per ipsum facta sunt*, in hoc quod Deus dixit: Fiat. *Et sine ipso*, scilicet sine rationalitate, id est sine Filio, *factum est nihil* quod est contradictio. Deus angelum rationalem fecit; sed quod rationalitas Deum in angelo contradixit, ipse non fecit, sed fieri permisit. Quamvis etiam alio modo intelligatur, ita quod sine Filio nihil factum sit. Deus

[1]) Joan. I, 1. 14 — [2]) Caute legenda sunt haec, uti alia plurima, quae non semel sensum quem dicunt accommaditium, ultra liberiores limites, ruptis repagulis, proferunt. Plura jam de *rationalitate* apud Hildegardem frequentissima, notavimus supra p. 75. Hic vero Verbum intelligitur, ut paulo supra: *Sancta rationalitas quae est Christus Dominus.*

deleri non potest. Sed quod ipsum delere [1]) voluit, nihil erat, quia hoc fieri non potuit. Angelus enim id quod est nihil, invenit; quem homo postea subsecutus, idem per inobedientiam fecit.

Quod factum est, *in ipso*, id est in Verbo, scilicet in rationalitate, videlicet in Filio Dei, qui erat homo incarnatus, *vita erat,* quia Filius Dei homo talis erat, quod nihil ipsum nec tetigit, nec intravit, sicut in angelum et in hominem fecit; quamvis etiam *quod factum est* aliter intelligi possit, quia omnia quae facta sunt, in Deo vitam habent. *Et vita*, id est incarnatio Filii Dei, *erat lux hominum*, quia eis lucebat, et quoniam tenebrae eum nunquam intraverunt. *Et lux in tenebris lucet,* ubi homo lapsus est. Haec lux non lucet in nihilum, scilicet in illud quod nihil est, quia Diabolus non est redemptus, sed in lapsum hominem lucet. *Et tenebrae,* videlicet quod homo cecidit, *eam,* scilicet incarnationem, *non comprehenderunt,* quia incarnatio Domini pura fuit; quoniam Christus sine originali crimine, in quo homines culpam Adae attrahunt, natus est. [2])

Fuit homo quidam missus in aridam terram, absque sudore voluntatis, carnalis voluptatis, *a Deo,* quia Deus sic voluit, *cui nomen erat Joannes,* quoniam gratia Dei in eo miracula operabatur, et quoniam ille ostensurus erat gratiam, quae ventura erat in mundo, sine vicissitudine morum, et veritatem dicendo, ut volans sagitta volabat. [3])

Hic venit in testimonium, ita ut ipse ostendendo et operando miracula operaretur; *ut testimonium perhiberet,* alioquin possibile non esset ut lucem tangeret, nisi sordes hae illi ablatae fuissent, quia ipse miraculum fuit operans et splendens in sanctitate, *de lumine* vitae. Et hoc ideo factum est, ut idem miraculum hominibus fidem daret, quia testimonium ejus verum esset: *ut omnes crederent per illum*, propter miracula quae in illo apparuerunt. Cum nuntius justus et rectus est, tanto fiducialius verbis illius creditur.

Non erat ille lux, in quam tenebrae nunquam intraverunt; sed solum talis erat, ut in ipso tanta miracula operarentur quae [4]) nunquam in humano semine apparuerunt. *Sed ut testimonium perhiberet de lumine*, scilicet quae veritas et rectitudo in illo lumine fuisset, quod purum et verum absque humana vicissitudine fuit.

Erat lux vera, pura et justa, *quae illuminat omnem hominem*, quoniam ipse lux vera est, et nullam similitudinem habet cum hominibus in tenebris, *venientem in hunc mundum*, quoniam homines in tenebris et in peccatis in hunc mundum veniunt.

In mundo erat, ita tamen ut de mundo, sicut caeteri homines, factus non sit; *et mundus per ipsum factus est*, cum Verbum Patris sonuit Fiat, et ideo lux et Dominus justus erat. *Et mundus eum non cognovit*, quia nullam similitudinem in peccatis cum mundo habuit, unde homines eum venientem, manentem et euntem in mundo non cognoverunt.

In propria venit, quae creaverat, et quae ita ejus propria erant, ut in omnibus et super omnia ascenderet et superexcelleret. *Et sui*, quos creaverat, *eum non receperunt*, quia honorem et miracula ejus nolebant accipere: et ideo scientia et

[1]) *deleri* cod. — [2]) *christus natus est.* id. — [3]) f. respectu ad Is. XLIX, 2. — [4]) *quem* cod. f. *qnanta*

sensibilitas ac similitudo eorum, quis essent et quomodo essent, non recepit, quia eum capere non valebant.

Quotquot autem receperunt eum, ab eo illuminati sunt, ipsum cognoscendo, *dedit eis potestatem* bona operari, quoniam ab eo nati fuerunt, non in similitudine, sed in fide, *filios Dei fieri* in rectitudine et justitia, quoniam ab eo tacti et illuminati fuerunt, et quia eum nuntiabant, praedicabant, et miracula ejus ostendebant; *his qui credunt in nomine ejus*, ita ut crederent esse Verbum per omnia operans, quoniam ipse ut rota in lumine ignis Sancti Spiritus, in miraculis quae aliis circumducti sunt: et ideo cognoverunt eum, quoniam et ipsi, ut ventus, in prophetia et in aliis miraculis circumacti sunt.

Qui non ex sanguinibus, scilicet coagulationum in libidine, *neque ex voluntate carnis,* scilicet mulieris consentientis, *nec ex voluntate viri* illud facientis: quoniam ubi hoc modo sanguis confluit, ibi coagulatio erit, et haec est ex voluntate carnis, quia caro erit, et ex voluntate viri fortitudinem suam ostendentis, quoniam voluntas eorum est, quoniam et voluntas carnis et voluntas viri haec in unum congregant, et circuiens molendinum. Et haec formatio non ostendit filios Dei fieri, sed ut caseus coagulati sunt. Et haec nativitas deest nativitati filiorum Dei; *sed ex Deo nati sunt*, quia denuo de vento Spiritus Sancti, et de igne inspirationis ejus, et de prophetia plantati sunt, et ita filii Dei.

Et Verbum, scilicet idem Verbum quod carnem de terra formavit cum spiratione vitae, *caro factum est*, ita quod se indidit in integram carnem, et dormivit simili dormitione, sicut Adam sine peccato dormivit, cum ex eo alia caro facta est in mulierem. Sic *Verbum caro factum est*, et crevit homo, *et habitavit in nobis*, sicut etiam Adam, [1] ante peccatum, quoniam in illis nulla vicissitudo erat, sed integri fuerunt, sicut Deus eos creaverat, et ideo malum illos nondum [2] intraverat, et sicut Verbum habitat in nobis, homines bonitate et veritate diligens. Cum autem astutia serpentis Adam intravit, sanguis eorum in venenum dispersus est, [3] et illud peccatum ex sanguinibus et ex voluntate carnis et ex voluntate viri pullulavit. Tunc illi destituerant et destruerant se, ita ut postea nulla caro recta, nec justa fieri possit, praeter infantem quem Virgo de superno vento concepit, et qui [4] ipse supervenit, et de quo [5] confortatus est et crevit: sic quod nec ira, nec inflatio malae voluntatis, nec gustus virilis sudoris, nec ullum malum in illo fuit. Et haec puellula pura et casta, sine concussione tempestatis, munda caro erat. Unde Verbum se in illam intulit, et homo crevit.

Et vidimus in fide et miraculis *gloriam ejus*, in multis ostensionibus coelestium miraculorum, et quia sine peccato fuit, et os suum ad astutiam non aperuit, nec ad vindictam irae, nec in ullam tempestatem carnis, qua homo concutitur, *gloriam quasi Unigeniti a Patre*, sicut haec gloria velut Unigeniti Filii esset, [6] quem Pater multum diligit, et cui magnam gloriam dat, ita quod talis Filius amodo non erit: sicut etiam Deus nullum hominem de terra formavit praeter unum, et ideo secundus Adam de Deo est, primus Adam a Deo factus est. Hoc autem Verbum in Deo factum est unicus Filius. *Plenum gratiae et veritatis*, ita ut gratia plenus esset, unde et gratiam hominibus attulit, et veritatem [7] sine omni mendacio, quia

[1]) *cum Adam* cod. — [2]) *non deum* apogr. — [3]) *discipulus est* sic ib. — [4]) *et quem* ib. — [5]) *de quibus* cod. — [6]) *filii essent* ib. — [7]) *et veritate*

nullum mendacium eum tetigit, et nulla vicissitudo in ipsum descendere potuit, sicut in Adam. Adam enim omnes filios suos in perditionem dedit, et exhaereditavit: iste vero Adam talis erat ut omnes filios hominum in se ipso ad rectam mensuram perduceret, et omnibus malis et omnibus inflatibus iniquitatum, quos antiquus serpens incoepit, hic mundus Adam obviam iret: quia cum homo ceciderit, Filius Dei illum hac dulcedine tangit, ut dicat: Surge, et dic quia peccator sis, et praeceptum Dei transgressus, quod est poenitentia, cum qua reparat corruptam vocem serpentis, qui dixit: « Comedite, et eritis sicut Dii.[1]) »

IV.

In Vigilia Epiphaniae.

I.

Angelus Domini,[2]) id est praescientia Dei, *apparuit* significando, *in somnis,* scilicet in obscuritate, *Joseph,* videlicet patriarchis et prophetis, *dicens: Surge* de jacente et tenebrosa natura tua, *et accipe* in desiderio tuo *puerum,* id est sanctitatem, *et matrem ejus,* scilicet bonam scientiam, *et fuge* declinando *in Aegyptum,* videlicet ad incredulitatem populorum, ut eos ad justitiam converterent, *et esto ibi, usque dum dicam tibi,* id est dum dona Spiritus Sancti in eis operentur ad confusionem Diaboli. *Futurum est enim* ab initio per insidias Diaboli, *ut Herodes,* scilicet Diabolus, *quaerat* per astutias suas *puerum,* videlicet sanctitatem, *ad perdendum eum,* id est ut eam totam perdat.

Qui consurgens de tenebrosa natura ad rectitudinem, *accepit puerum et matrem ejus nocte,* id est in multis angustiis, *et secessit in Aegyptum,* ut incredulos converteret. *Et erat ibi usque ad obitum Herodis,* id est usque ad confusionem Diaboli: ita ut fideles homines eum abjicerent, et Deum per legem eligerent. *Ut adimpleretur* ad perfectum *quod dictum est a Domino* creatore *per prophetam dicentem,* ab ore et inspiratione Dei: *Ex Aegypto,* scilicet de incredulis et peccatoribus, *vocavi* eligendo *Filium meum,* id est credentes, qui filii mei sunt in fide, scilicet ita quod de paganis feci Judaeos, de Judaeis Christianos.

Tunc Herodes, videns quoniam illusus, deceptus *esset a Magis,* id est a sapientibus, qui ei resistebant, *iratus est valde* in stupore et conturbatione. *Et mittens* per afflatus insidiarum suarum, *occidit*[3]) per vitulum in Oreb, et per caetera idola, *omnes pueros,* scilicet simplicitatem quam ad Deum habebant, *qui erant in Bethlehem,* id est in Lege a Deo data, *et in omnibus finibus ejus,* scilicet in significationibus, *a bimatu,* videlicet a prophetia et Lege, *et infra,* id est in sapientia, ut sapientes; *secundum tempus quod exquisierat a Magis,* scilicet secundum illud quod a sapientibus vidit institutum in divina cultura, secundum hoc fecit idola et

[1]) Genes. III, 5. — [2]) Matth. II, 13-18. — [3]) *occidens* cod.

irrisiones ac artem magicam et delubra, ut Jeroboam, qui duos vitulos fecit in Dan et in Bethel.

Tunc adimpletum est, id est manifestum *quod dictum est per Jeremiam prophetam,* videlicet per divinum oraculum, *dicentem,* quia Deus ita in hujusmodi vanitatibus irritatus sit: *Vox in Roma,* id est ante Deum, *audita est,* in querela, *ploratus*, indignatio, *et ululatus multus,* scilicet calumnia: *Rachel,* quod est sapientia, *plorans* dicendo: Quis est iste qui Deum abjicit, et Diabolum veneratur? *filios suos*, quia recordata est in quibus honoribus homo creatus erat, et Deum abjecit. *Et noluit consolari* de iniquitate illa, in qua tunc erant, et apparebant perditi, quia non sunt omnino in perditione, quoniam ad Deum aspiciebat, requirens et postulans, ut eos denuo in sinum redemptionis suae per Filium suum reponeret. De omni enim causa, quae nec recuperari, nec restaurari potest, hominem qualemcumque consolationem habere oportet, dum aliud idem fieri non possit; de ea vero quae recuperari, vel emendari poterit, constat ut quamdiu emendata non est, homo non consoletur: ita scilicet ut eam tamdiu in mente habens, oblivioni non tradat, quamdiu recuperatione ipsius consolationem percipiat. Unde Rachel noluit consolari, quia redempti erant per redemptionem sanguinis Christi, id est nolebat oblivioni tradere, quoniam redimendi erant. Nam cum aliquis in tribulatione captivitatis est, amici ejus consolari non possunt, quia liberationem ejus sperant. Sed si mortuus fuerit, consolationem accipiunt, quia eum amplius habore non possunt, et de eo desperaverunt, ut etiam de David scriptum est, qui infirmum filium flevit, mortuum autem non ploravit.

II.

Alio modo.

Angelus Domini, id est admonitio Spiritus Sancti, *apparuit* admonendo *in somnis,* id est secreto *Joseph,* scilicet homini, *dicens: Surge* in intellectu, *et accipe puerum*, scilicet scientiam, *et matrem ejus,* videlicet materiam bonorum operum, *et fuge*, id est descende *in Aegyptum*, scilicet in hanc afflictionem, ut peccata tua corrigas, *et esto ibi usque dum dicam tibi,* videlicet dum Deus gratiam suam tibi ostendat. *Futurum est enim,* id est forte continget, *ut Herodes,* scilicet Diabolus, *quaerat* laborando *puerum*, videlicet scientiam quae in homine est, *ad perdendum eum,* id est disperdere.

Qui consurgens se erigendo, *accepit puerum et matrem ejus nocte,* scilicet in dolore et gemitu, *et secessit in Aegyptum* se affligendo, *et erat ibi usque ad obitum Herodis,* id est usque dum Diabolus videat eum superari non posse, et ita ab eo cesset, *ut adimpleretur quod dictum est a Domino per prophetam, dicentem,* scilicet ut Deus dicit: *Ex Aegypto,* id est de afflictione et tenebrositate peccatorum, *vocavi Filium meum,* scilicet educam animam illius, qui in me credit, et non morietur in aeternum, quia ego sum vita, in qua nunquam tenebrae inventae sunt. Qui enim ad me de peccatis suis aspicit, illi dabo vitam, ut Adae feci, quem de limo formavi.

Tunc Herodes, videns intelligendo *quia illusus esset*, id est deceptus, *a Magis*, scilicet de illuminatione mentis illius, *iratus est valde*, id est perterritus. *Et mittens* se convertendo ad alios, quia cum illum vincere non potest se vertit ad alios, *occidit* decipiendo *omnes pueros*, scilicet quosdam bonos, quosdam pios, et quosdam castos, *qui erant in Bethlehem*, scilicet in rectitudine, *et in omnibus finibus ejus*, videlicet bonis operibus, *a bimatu*, id est in scientia boni et mali, *et infra*, quia simplices erant et incauti, ut scriptum est: « Sunt viae quae videntur hominibus rectae, » [1]) *secundum tempus quod exquisierat a Magis*, quoniam cum secundum illuminationem mentis suae multa et magna peccata non faciunt, putant se quidam [2]) sanctos esse, et sibi alios similes non convenire, et pii immites spernunt, [3]) et casti de castitate sua gloriam in vanitate quaerunt. *Tunc adimpletum est quod dictum est per Jeremiam prophetam dicentem*, scilicet quod a Deo dictum est in exhortatione Spiritus Sancti, quia nullus stare possit qui per se stare vult, sed ille stabit quem Deus sustentat, quoniam ipse baculus illius est.

Vox miseriarum *in Rama*, id est sursum, *audita est*, ubi superbia innocentiam percutiendo depressit; *ploratus*, scilicet pressura, *et ululatus multus*, videlicet tristitia; *Rachel*, id est sanctitas, *plorans*, quoniam oculi scientiae ejus fletus adducebant, *filios suos*, quia eos perdiderat; ita ut filii, qui haereditatem possidere debebant, exhaereditati sunt: sed innocens Agnus eos in sanguine suo requisivit. *Et noluit consolari*, quoniam cum homines post casum in poenitentia resurgunt, sanctitas eos in majoribus laboribus ad vitam reducit; *quia non sunt*, in oblivione ante Deum, in poenitentia resurgent, quamvis sanctitas eos in recta innocentia amodo invenire non possit, ut prius innocentes erant.

V.

In Epiphania.

I.

Cum natus esset Jesus [4]), id est cum Verbum Patris, per quod omnia creata et liberata sunt, creaturas creando praecessisset, ita ut per ipsum quatuor elementa, in quibus pascua est omnis creaturae, quae Deum confitetur, creata sunt: *in diebus Herodis regis*, scilicet in ortu illo, cum etiam Diabolus, qui se ipsum regere et voluntatem suam adimplere volebat, creatus est: *ecce Magi*, id est pagani et Judaei, qui sciscitatores rerum in scientia boni et mali erant, *ab Oriente*, hoc est a Deo creati et expirati, quoniam omnis sapientia a Domino Deo est; *venerunt* per inquisitionem *Hierosolymam:* ibi videlicet ubi homines habitacula, quietem, disciplinam et legem sibi secundum fidem suam fecerant, *dicentes: Ubi est*, scilicet qua lege colendus est, *qui natus est* ante tempora et ante creaturas, *rex Judaeorum*, videlicet omnium se confitentium? *Vidimus enim* in oculis scientiae

[1]) Prov. XIV, 12. — [2]) fort. *quidem*. — [3]) locus via sincerus. — [4]) Matth. II, 1 - 12.

cordium *stellam ejus in Oriente*, id est dona ipsius de Divinitate exeuntia, ut fortitudinem in Samsone, et ut sapientiam in Salomone. *Et venimus* requirendo *adorare eum*, ut cognoscamus quia praeter illum nullus sit.

Audiens autem, quia hoc in scientia sua cognovit, *Herodes rex*, scilicet Diabobolus, qui in mundo potestatem suam exercuit, *turbatus est* in angustia, quod Deus requirebat, qui gloriosior et potentior ipso fuit, *et omnis Hierosolyma*, scilicet illi qui in propria lege vivebant, quam sibimet in disciplina sua constituerant, *cum illo*, scilicet Diabolo, cogitantes utrum recte in justitia conversarentur, an non.

Et congregans in stupore *omnes principes*, id est majores et primos qui leges diversae culturae dederunt, *sacerdotum*, scilicet illorum qui eamdem culturam observaverunt, *et scribas* qui ipsam culturam composuerunt, *populi*, videlicet illorum qui eam tunc simpliciter coluerunt: *sciscitabatur* in astutia *ab eis* cultoribus, *ubi Christus nasceretur*, id est oriretur, quem majorem se habere vellent.

At illi qui sapientiam hujus mundi habebant, *dixerunt ei* secundum quod putabant: *In Bethlehem*, id est quatuor elementis, *Juda*, quae ipsum in creaturis confitentur. *Sic enim scriptum est*, scilicet inventum et cognitum, *per prophetam*, id est in rationalitate. *Et tu Bethlehem*, scilicet quatuor elementa, *terra*, videlicet, cultura et sustentatio creaturarum, *Juda* Deum confitentium, *nequaquam minima es* in viribus tuis, quia magna in miraculis et rumoribus eris, *in principibus*, id est in angelis, *Juda* Deum confitentium, quoniam Deum cum angelis in laudibus colunt, et tu eum praestantissime laudabis. *Ex te enim*, quia homo erit, *exiet*, natus de Virgine, *dux* et salvans homines et ducens, *qui regat* in rectitudine *populum meum Israel*, id est illos qui rationales sunt et mei, propter rationalitatem Deum videntes.

Tunc Herodes Diabolus *clam*, scilicet in astutia sua, *vocatis Magis*, inquisitoribus creaturarum, *diligenter didicit ab eis* requirendo, videlicet gustum intellectus, *tempus stellae*, id est donorum Dei, *quae apparuit eis*, scilicet qui eis ostensus est.

Et mittens illos, id est dimisit eos in veneno deceptionis, *in Bethlehem*, scilicet in quatuor elementa, in quibus pascua est creaturarum, dicens ut etiam Balaam fecit, et similes. *Ite* per inquisitionem, *et interrogate diligenter* per multas sciscitationes, *de puero*, scilicet de innocentia quam requiretis. *Et cum inveneritis* eam in gustu rationalitatis, *renunciate mihi* in gustu carnis, ad me redeuntes: *ut et ego veniens* per deceptiones simulationum, *adorem eum*, quasi in veneratione eum occidam, cum fornicatione, avaritia et similibus.

Qui cum audissent in scientia sua, *regem* Diabolum, *abierunt* requirendo haec in multa sapientia mundi.

Et ecce stella, scilicet gustus donorum Dei, *quam viderant* in oculis scientiae *in Oriente*, a Divinitate procedentem, *antecedebat eos* in Abraham, et in Moyse, *usque dum veniens* in legalibus praeceptis, *staret supra*, retenta in alta obedientia, *ubi erat puer*, scilicet puerilis innocentia.

Videntes autem in scientia sua *stellam*, dona Dei in circumcisione, *gavisi sunt* in sapientia rationalitatis, *gaudio magno valde:* ita ut animae ipsorum coelestia gustarent.

Et intrantes domum, scilicet legem rectitudinis, *invenerunt puerum*, videlicet innocentiam, *cum Maria*, id est virginitate, ante in disciplina Legis, quae praemonstravit incarnationem Christi, *matre ejus*, videlicet innocentia, quia virginitas profert innocentiam, quam Cain perdidit in effusione sanguinis fratris sui; unde postea innocens Christus ad salvandos populos surrexit. *Et procidentes* in experimento fidei, *adoraverunt eum* cognoscendo Deum in veritate. *Et apertis thesauris suis*, scilicet desideriis suis, *obtulerunt ei*, id est orationi cum spe insistendo, *munera*, se constringentes in amore Dei cum sacrificio holocausti.

Et responso accepto per salutarem inspirationem in ipso desiderio, *in somnis*, id est in umbra prophetiae, *ne redirent* retro *ad Herodem*, scilicet ad haeresim quae a Diabolo venit, *per aliam viam*, videlicet per Deum verum, quia prius fallacem et mortuum coluerant, *reversi sunt*, ad se redeuntes, *in regionem suam*, in optionem coelestis praemii.

II.

Alio modo.

Cum natus esset in gemitibus et lacrimis *Jesus*, qui Salvator mundi est, *in Bethlehem*, id est in poenitentia hominis *Judae*, qui peccata sua confitetur, *in diebus*, scilicet in temporibus *Herodis regis*, scilicet suggestionis Diaboli, qui homines ad malos mores ducit, qui ipsi et pompis ejus militant, *ecce Magi*, id est cognitio Dei, ubi homo ad Deum convertitur, *ab Oriente*, videlicet ab ortu gratiae Dei, *venerunt* in spiritali gaudio *Hierosolymam*, scilicet in visione pacis, quia Deus poenitentem hominem suscepit, *dicentes: Ubi est* in gratia sua *qui natus est* per dona sua in poenitentia hominis, *rex Judaeorum*? quia Deus potens est peccata dimittere illis qui ea confitentur. *Vidimus enim*, quia experti sumus, *stellam* [1]) *ejus*, scilicet bonum rumorem *in Oriente*, in ortu gratiae miraculorum ipsius, *et venimus* in bona intentione *adorare eum*, id est ostendere illum qui in homine peccatore haec operatur.

Audiens autem, id est intelligens *Herodes rex*, scilicet suggestio Diaboli, qui in iniquitate regnat, *turbatus est* in terrore suo, *et omnis Hierosolyma*, videlicet omnis fiducia quam ille poenitens homo in quiete pacis tunc habere debebat, *cum illo*, quoniam Diabolus multas tentationes in poenitentia sua ei infert.

Et congregans fraudulenter exquirendo *omnes principes*, scilicet prophetas, *sacerdotum*, videlicet evangelicorum, quia prophetia praecessit, *et scribas populi*, id est expositores et doctores fidelium, *sciscitabatur ab eis* per astutias suas, *ubi Christus nasceretur*, id est quomodo esse posset, ut peccator in poenitentia resurgeret, quasi impossibile esset, ut peccator ad salvationem resurgeret.

At illi, scilicet doctores veritatis, *dixerunt ei*, respondendo: *In Bethlehem Juda*, id est in poenitentia, quae novit peccatum in humilitate confitendo; *sic enim scriptum est*, id est inventum per prophetam in numerositate gratiae Dei:

[1]) *stella* cod.

Et tu, Bethlehem, scilicet poenitentia, ***terra Juda***, id est de terrenis causis in confessione surgens, ***nequaquam minima es***, sed magna, ***in principibus Juda***, videlicet in virtutibus, ut est castitas, continentia, sanctitas, et his similes. ***Ex te enim exiet***, quia poenitentia Diabolum in abysso conterit, ***dux*** salvator, peccata dimittens, ***qui regat*** in coelestibus et in terrenis ***populum meum***, quem ego tango, dicit gratia Dei, ***Israel***, qui in virtutibus Deum inspicit.

Tunc Herodes, scilicet Diabolus, ***clam*** id est in fraude ***vocatis Magis***, cognitione Dei quasi amica sua, [1]) ***diligenter*** in mala opinione ***didicit***, exquisivit ***ab eis***, scilicet a cognitione Dei, ***tempus stellae***, id est initium et intentionem boni rumoris, ***in quo apparuit eis*** in experimento inventionis.

Et mittens illos in illusione ***in Bethlehem***, videlicet ad poenitentiam, ***dicens: Ite***, id est elevate vos cum vana gloria, ***et interrogate diligenter*** in falsa apertione [2]) ***de puero***, scilicet quomodo haec facta sunt, ut ille innocens esse velit. ***Et cum inveneritis***, id est cum hoc vobis ostensum fuerit, ***renuntiate mihi***, id est conjungite vos ad me cum superbia, ***ut et ego veniens*** in simulatione, ***adorem eum***, ita ut putet se tam sanctum esse quod nullus ei similis sit.

Qui, id est ubi cognitio Dei fuerat, ***cum audissent regem***, scilicet cum in mala deceptione suggestionem Diaboli intellexissent, ***abierunt***, scrutantes quae esset [3]) poenitentia hominis in innocentia sua. ***Et ecce stella***, bonus rumor, ***quam viderant in Oriente***, videlicet in ortu gratiae Dei, ***antecedebat eos*** in recto sensu et sapientia, ***usquedum veniens*** circumspecta, ***staret supra*** in stabilitate perseverantiae, ***ubi erat puer***, innocentia in homine.

Videntes autem simpliciter ***stellam***, rectum rumorem, sine vana gloria, ***gavisi sunt gaudio magno***, id est fide non ficta.

Et intrantes domum, scilicet cubiculum ubi peccator peccata sua deserit, et sanctitas surrexit, ***invenerunt puerum***, innocentiam, ***cum Maria***, id est cum lucente et salutari ***matre ejus***, videlicet materia sanctitatis. ***Et procidentes***, id est haec propalantes, ***adoraverunt eum*** in laudibus, qui haec in peccatore operatus est. ***Et apertis*** bona voluntate ***thesauris suis***, initio operum suorum, ***obtulerunt ei*** repraesentando ***munera***, scilicet magnum meritum: ***aurum***, quod homo incipit Deum cognoscere, ***thus***, quod peccata sua in confessione aperit, ***et myrrham***, quod se totum in constrictione prosternit.

Et responso, id est manifestatione, ***accepto in somnis***, scilicet Spiritu Sancto, ***ne redirent*** mala reversione ***ad Herodem***, ad suggestionem Diaboli, ***per aliam viam***, videlicet in vero Deo, ***regressi sunt*** recte et bene viventes, ***in regionem suam***, id est ad justitiam, in qua justus homo haereditatem habebit.

[1]) ***cognitionis Dei quasi amicae suae*** cod. — [2]) ***optione*** apogr. — [3]) ***essent*** cod.

VI.

In Dominica infra octavam Epiphaniae.

I.

Cum factus esset, [1]) id est Jesus, cum peracta fuissent miracula incarnationis Christi, *annorum duodecim,* scilicet in duodecim prophetis, ita quod illi prophetiam suam compleverant; *ascendentibus illis*, videlicet fidelibus qui eum nuntiabant futurum esse hominem; *Hierosolymam,* id est in pacem redemptionis, ad quam aspiciebant, *secundum consuetudinem diei festi,* scilicet juxta praenuntiationem clarissimi splendoris, quo [2]) Filius Dei homo factus est; *consummatisque diebus*, videlicet cum omnia signa quae de Christo praenuntiare debuerant, perfecissent, *cum redirent*, ita quod tunc prophetando in incarnatione Domini cessabant, *remansit puer Jesus in Hierusalem*, quia ipse incarnatus operatus est in redemptione, *et non cognoverunt parentes ejus,* quia Judaicus populus in vetere Lege nesciebat eum Filium Dei in humanitate esse.

Existimantes autem, in cogitationibus suis hac et illac versando, *illum esse in comitatu,* quia eum aliis sanctis similem esse putabant, *venerunt iter diei*, cum eum in profunditate prophetarum quaerebant, *et requirebant eum inter cognatos,* id est in scientia sua, *et notos,* scilicet in intellectu suo. *Et non invenientes eum* in ulla similitudine illis similem, *regressi sunt in Hierusalem,* scilicet redemptionem pacis, *requirentes eum,* scrutando quid in illo appareret in philosophis et sapientibus.

Et factum est, ita quod contigit, *post triduum,* id est post ostensionem prophetarum, sapientium et prudentium, *invenerunt illum in templo,* scilicet in apertis signis et in superna sanctitate, *sedentem in medio doctorum,* videlicet in majore doctrina praeceptorum Patris, *audientem illos* in redargutione, qua eos arguebat, *et interrogantem eos,* quis eorum Deus esset. *Stupebant autem omnes,* ita ut humanus intellectus tremeret, *qui eum audiebant* in novo auditu, *super super prudentia,* scilicet incognita sapientia, *et responsis ejus* ad perversas inquisitiones. *Et videntes* omnes scientiam [3]) Scripturarum, *admirati sunt,* ita quod non potuerunt in miraculis istis non [4]) pleniter admirari.

Et dixit mater ejus, id est vetus Lex ad illum: *Fili,* incarnatus in humanitate, *quid fecisti nobis sic?* Quia diu expectavimus et praestòlati sumus. *Ecce pater tuus,* qui est Abraham, *et ego*, scilicet vetus Lex, *dolentes* in multis desideriis et doloribus, *quaerebamus te,* ut scriptum est. « Utinam dirumperes coelos et descenderes! [5]) »

Et ait ad illos incarnatus Dei Filius: *Quid est quod me quaerebatis* dubitando? *Nesciebatis* arietem in spinis pendentem, et rubum quem Moyses vidit? et sicut

[1]) Luc. II, 42 52. *Jesus miracula* cod., voce transposita. — [2]) *quod filius Dei* cod. — [3]) *scientiam* ib. — [4]) *non* om. id. — [5]) Is. LXIV, 1.

scriptum est: « Ecce virgo concipiet, et pariet filium »? [1]) *Quia in his quae Patris mei sunt, oportet me esse,* quoniam ego, Verbum Patris, voluntatem ejus in carne mea adimplebo. *Et ipsi,* scilicet Abraham et vetus Lex, *non intellexerunt verbum quod locutus est eis,* quia Verbum Patris non intellexerunt hominem esse, quoniam eum non in carne, sed tantum in umbra significatum viderunt.

Et descendit cum eis propter hominem de sinu Patris in humilitate, *et venit Nazareth,* id est in circumcisionem et Legem, *et erat subditus illis,* videlicet omnibus institutis legalium praeceptorum. *Et mater ejus,* vetus Lex, *conservabat omnia verba haec.* id est in se habebat abscondita omnia signa, quae cum eo et per eum fiebant, *in corde suo,* scilicet in libris et significationibus suis.

Et Jesus proficiebat ad perfectionem, *sapientia,* id est prophetia, *et aetate,* videlicet Lege, ubi venit plenitudo temporis, *et gratia* in Evangelio, *apud Deum* id est divinam fortitudinem, et *coram hominibus,* ita ut ab omnibus cognoceretur quod Deus et homo esset.

Item alio modo.

II.

Cum factus esset in transacto tempore Jesus, id est rationalitas, *annorum duodecim*, scilicet cum pervenerit in homine ad intelligibilem aetatem, ita ut homo bonum et malum sciat: *ascendentibus illis,* videlicet per admonitionem Spiritus Sancti et sapientiae, *in Hierosolymam,* id est ad fidem, *secundum consuetudinem* (quod justum est) *diei festi,* scilicet praeclari operis, *consummatisque diebus,* videlicet cum finitum esset bonum initium quod illic incoepit, *cum redirent,* id est cum cessarent admonendo, dicens: Vide quid modo facias, quia ad bonum initium te perduxi, *remansit puer Jesus,* scilicet rationalitas, *in Hierusalem,* id est in fide, et thesaurizat in semetipso, secum tractans quid factura sit.

Et non cognoverunt parentes ejus claritatem et perfectionem operum, quia nondum operando ad finem pervenit. *Existimantes autem* computando *illum esse in comitatu,* scilicet in communi via propriae voluntatis suae, *venerunt* aspiciendo *iter diei,* si bona opera fecerit, *et requirebant eum* considerando, *inter cognatos,* videlicet vitia, *et notos,* id est virtutes, si inter vitia aut virtutes sit. *Et non invenientes* hominem operantem, sed tantum apud se computantem, quid facere velit, *regressi sunt* respiciendo *in Hierusalem,* ad fidem ad quam illum perduxerant, *requirentes eum,* quia non est bonum ut homo sub silentio in bonis sileat, sibimet ipsi utilis tantum existens, sed ut bona palam operetur, aliis etiam exempla praebens.

Et factum est, id est cum admonitio ista sic completa fuerit, *post triduum,* quia homo rationalis est, et fidem suscepit, et etiam voluntatem bonum operandi habet, *invenerunt illum in templo,* videlicet in bonis operibus, ut scriptum

[1]) Is. VII. 14.

est: « Dirigatur, Domine, ad te oratio mea sicut incensum in conspectu tuo; [1] » *sedentem*, id est incipientem, *in medio* omnibus bene faciens, *doctorum*, id est secundum exempla aliorum sanctorum, *audientem illos*, bona perquirendo, *et interrogantem eos*, scilicet currendo post illos.

Stupebant autem omnes in bona aedificatione sanctorum operum, *qui eum audiebant*, ubi bonus rumor exurgit, *super prudentia* novae sanctificationis, *et responsis ejus:* quod ita esse credunt ut in bono rumore audiunt.

Et videntes conversionem, *admirati sunt,* quia gaudium in idem [2] oritur. *Et dixit mater ejus*, videlicet sapientia, *ad illum: Fili, quid fecisti nobis sic?* te in occulto ponendo. Sed nolo ut thesaurum tuum abscondas, sed ut aperte in bonis operibus incedas. *Ecce pater tuus*, scilicet admonitio Spiritus Sancti, quae tibi bonum inspiravit, *et ego*, videlicet sapientia quae te suaviter nutrivit, *dolentes* si inhonorares nos, scilicet si opus nostrum sine utilitate portares, *quaerebamus te*, ita quod nolumus ut inhonores nos hoc modo, ne agnoscamur in te.

Et ait illis rationalitas in homine: *Quid est quod me quaerebatis?* quia timeo, si aperte ambulavero, quod vana gloria me impediat. *Nesciebatis quia in his quae Patris mei sunt*, id est quae admonitio Spiritus Sancti ostendit, ita quod semper ero in humilitate, *oportet me esse,* quoniam necessarium mihi est, ut superbiam et jactantiam fugiam.

Et ipsi non intellexunt verbum quod locutus est illis, quia nolebant, ita ut se in terram dejiceret, et bona opera sua ita occultaret, ne alii in idem [3] aedificarentur, sed ut humilitatem et timorem in eis haberet, sed tamen cum discretione ea lucere permitteret, quasi dicereut: « Opus nostrum apertum est, et non cecidimus. Sic etiam volumus, ut tu facias, et non dubites; quoniam homo aliquando supra modum de gratia Dei diffidit, ita ut donum Dei in se abscondat, et nimis celet, [4] et hoc Deus non vult. »

Et descendit cum eis, ubi homo voluntatem suam deserit, *et venit Nazareth,* scilicet cum vadit in aperta bona opera; *et erat subditus illis*, in magno timore subjectus. *Et mater ejus*, id est sapientia, *conservabat omnia verba haec*, scilicet timorem, angustiam et obedientiam, *in corde suo*, scilicet in memoria sua.

Et Jesus proficiebat sapientia, videlicet iu multitudine bonorum operum, *et aetate*, quia in justis operibus stabilis erat, *et gratia*, scilicet in plenitudine eorum *apud Deum*, quia in secreto cordis sui bonus est coram Deo *et hominibus*, cum palam cum eis in bonis operibus conversatur.

[1]) Ps. CXL, 2. — [2]) *id est oritur* cod. — [3]) *id est* iterum cod. quod rursus ut supra emendo. — [4]) *celat* cod. —

VII.

In Dominica II post Epiphaniam.

I.

Nuptiae factae sunt, [1]) quando Deus Adam et Evam formavit, *in Chana,* id est in ultione [2]) illa, cum eis divinum praeceptum dedit, *Galilaeae,* scilicet in transgressione, ubi jussionem Dei praevaricati sunt, *et erat mater,* id est humanitas, *Jesu,* scilicet Salvatoris, *ibi,* quia Christus de genere Adae et Evae nasciturus erat, quoniam Adam materia totius humani generis fuit.

Vocatus est autem in incarnatione *et Jesus* Salvator, *et discipuli ejus,* videlicet prophetae et omnes qui de incarnatione ejus loquebantur, *ad nuptias,* scilicet ad creationem hominis, quem Christus redempturus erat. *Et deficiente,* id est tepente, *vino,* scilicet divino gustu et cultu, cum Adam de Paradiso expulsus esset, *dicit* admonendo *mater,* videlicet humanitas, *Jesu ad eum,* scilicet ad Verbum Patris: *Vinum,* divinum gustum *non habent* in scientia sua. *Et dicit ei* respondendo *Jesus: Quid mihi,* quia omnia per me creata sunt, *et tibi est mulier,* scilicet humanitas mihi adest, ut omnia crearem, et tibi ut indumentum meum esset? « Spiritus quidem promptus est; caro autem infirma. [3]) » *Nondum venit hora mea,* cum omnes creaturas in aeternitatem stabilitatis immutabo.

Dixit ostendendo *mater,* humanitas, *ejus,* Christi, *ministris,* scilicet illis qui legem observando famulantur Deo: *Quodcumque* in divinis jussionibus *dixerit vobis* in ostensione fidei, *facite* adimplendo, quia bonum, verum et rectum est.

Erant autem ibi in genere Adae, quem Deus formaverat, *lapideae* (quos Spiritus Sanctus quasi ignem de petra exspiravit) *hydriae,* scilicet observacula, *sex,* videlicet quinque, libri Moysi, et sexta, Evangelium, *positae* in signum *secundum purificationem,* ut per Scripturas faeces peccatorum hominum purgentur, *Judaeorum,* qui Deum confitentur: *capientes singulae metretas,* id est mensuras, quoniam, « eadem mensura qua mensi fuerint, remetietur eis. [4]) » *binas,* scilicet dilectio Dei et proximi, *vel ternas,* quae ostendunt Divinitatem, ut in Noe; circumcisionem, ut in Abraham; incarnationem Domini, ut in Moyse.

Dicit inspiratione sua *eis Jesus: Implete hydrias,* id est vetus et novum Testamentum, *aqua* sapientiae, ut homo Deum cognoscat. *Et impleverunt eas* diversa scientia, *usque ad summum:* qui cum homo in circumcisione et in Lege nihil amplius operari potuit, tunc clamabant: « Utinam dirumperes coelum, et descenderes! » [5]) desiderantes ut Verbum Patris incarnaretur.

Et dicit eis Jesus in admonitione sua: *Haurite nunc* in me quod in vobis non habetis, *et ferte* demonstrantes *architriclino,* id est veteri Testamento, quia cum

[1]) Joan. II, 11. — [2]) In vetere bibliorum onomastico *Cana. zelus, aemulatio* dicitur. — [3]) Matth. XXVI, 41. — [4]) Matth. VII, 2. — [5]) Is. LXIV, 1.

homo incipit Deum cognoscere, postea bonum operatur, et deinde Deum in lege amplectitur. *Et tulerunt*, cum bonam famam dabant.

Ut autem gustavit intelligendo *architriclinus*, scilicet vetus Testamentum, *aquam*, videlicet Sapientiam Patris, *vinum factam*, ubi Verbum caro factum est, *et non sciebat unde esset*, quia nesciebat quomodo Filius Dei incarnatus esset, quoniam Judaei nolebant credere quod Deus homo esset; *ministri autem*, id est observatores Legis, *sciebant*, scilicet intellexerunt, *qui hauserant*, videlicet qui scrutati erant, *aquam*, id est Sapientiam Patris per Legem videbant.

Vocat obstupendo *sponsum*, scilicet Adam et Evam, qui in primis nuptiis humanae creationis fuerunt, *architriclinus*, videlicet vetus Testamentum, admirans quod Verbum Patris caro factum est, *et dicit ei* in stupore: *Omnis homo*, id est cunctae nationes, *primum*, scilicet in juventute sua, *bonum vinum*, floriditatem suam et praeclaras virtutes *ponit*, videlicet ostendunt; *et cum inebriati fuerint*, id est cum in laboribus senuerint, *tunc id quod deterius est*, quia tunc deficient. Nam Abel, Abraham et Moyses multa bona in Lege protulerunt; sed jam fere in his omnibus defectus est. *Tu autem servasti* in genere tuo *vinum bonum*, scilicet majorem virtutem, *usque adhuc*, post Legem ad novissima tempora, ita quod Deus dicitur homo, quo nihil praeclarius est.

Hoc fecit initium signorum, id est redemptionis humani generis, *Jesus in Chana*, scilicet in ultione, *Galilaeae*, cum Adam de Paradiso expulsus est, *et manifestavit* aperiendo *gloriam suam*, videlicet quia mortem Adae in vitam convertit, et Legem per semetipsum in Evangelium. *Et crediderunt in eum* per fidem *discipuli ejus*, omnes qui incarnationem ejus glorificabant.

II.

Item alio modo.

Nuptiae factae sunt, in gaudio novae sobolis, quando homo se ipsum recognoscit et corripit: *in Chana*, scilicet ut mala sua zelando dijudicet, *Galilaeae*, et peccata sua transiendo dimittat, *et erat mater*, id est bonum exemplum genitricis Dei, *Jesu* Salvatoris, *ibi* in gaudio novae sobolis.

Vocatus est autem per bonam intentionem *et Jesus*, ad auxilium per vim Divinitatis, ut bonum opus perficiatur, *et discipuli ejus*, id est vestigia de illo seminata, *ad nuptias*, ubi homo se recognoscit. *Et deficiente* in homine *vino*, id est virtute perfectionis, *dicit* in requirendo *mater* (scilicet bona exempla) *Jesu ad eum: Vinum*, id est virtutem perfectionis *non habent*, nisi tu Deus dederis eis.

Et dixit eis bono exemplo *Jesus: Quid mihi* in dando, *et tibi est* requirendo? quod dicitur: ego dabo et tu requires, *mulier*, scilicet caro; *nondum venit hora mea*, id est perfectionis, ut perfecti esse possitis, antequam in aeternitate perveniatis.

Dicit consiliando *mater ejus ministris*, id est virtutibus: *Quodcumque* in divinis jussionibus *dixerit vobis, facite*. Scilicet implete praecepta quae vobis data sunt.

Erant autem ibi in gaudio novae sobolis *lapideae hydriae*, scilicet duritia in for-

ma hominis, *sex*, id est in quinque sensibus, et sexta in propria voluntate: *positae*, id est datae, *secundum purificationem*, scilicet honorem, *Judaeorum*, qui Deum confitentur sursum aspiciendo, *capientes* amplectendo *singulae* diligenter *metretas*, scilicet mensuras *binas*, ita ut se ipsos in voluntate sua relinquant, *vel ternas*, videlicet in dilectione, in timore et perfectione.

Dicit eis virtutibus *Jesus: Implete* resonando in laudibus, *hydrias*, formam hominis, *aqua*, id est bono itinere. *Et impleverunt* angeli et populi *eas usque ad summum*, tangentes Deum in laudibus. *Et dicit* inspiratione sua *Jesus: Haurite nunc* cum laude, *et ferte* distribuendo *architiclino*, scilicet omni populo. *Et tulerunt*, ita ut sic factum sit.

Ut autem gustavit, id est intellexit, *architriclinus*, omnis populus, *aquam*, bonum iter in homine, *vinum factam*, scilicet bono opere completum, *et non sciebat*, videlicet non intelligebat *unde esset*, id est de quibus donis Dei; *ministri autem*, scilicet virtutes, *sciebant qui hauserant*, id est qui ministrant, et deferunt *aquam* in bono itinere, dona Spiritus Sancti.

Vocat in laudibus *sponsum*, hominem qui se ipsum recognoscit, *architriclinus*, *et dicit ei* admirando: *Omnis homo*, id est humana consuetudo, *primum* in festinatione tentans quid facere possit in probitate, *bonum vinum*, virtutem perfectionis *ponit*, id est dilatat, ut ab omnibus cognoscatur; *et cum inebriati fuerint*, scilicet cum omnes hoc viderint, *tunc id quod deterius est* ponit [1]) propter injustum rumorem. *Tu autem servasti* in scrutinio scrutationis *vinum bonum*, videlicet perfectionem *usque adhuc*, id est ad optimam partem in poenitentia, cum homines ad bonum convertuntur.

Hoc fecit initium signorum, quod homo compungitur, *Jesus in Chana*, ubi homo per divinam inspirationem se ipsum dijudicat, *Galilaeae*, peccata sua in poenitentia transiens, *et manifestavit* in novo homine *gloriam suam*, quia « venit peccatores salvos facere. » [2]) *Et crediderunt in eum*, laudantes ipsum *discipuli ejus*, scilicet qui vestigia ejus in poenitentia secuti sunt.

VIII.

In Dominica III post Epiphaniam.

I.

Cum descendisset [3]) compatiendo, *Jesus*, scilicet plenitudo Spiritus Sancti, *de monte*, videlicet de Divinitate, *secutae sunt eum* obediendo *turbae multae*, id est virtutes. *Et ecce leprosus*, scilicet vicissitudo vitiorum in homine, quam serpens antiquus ipsi persuasit, *veniens* se ipsam [4]) cognoscendo, quod munda non esset, [5]) *adorabant eum*, subjecta illi, *dicens. Domine*, omnia bona inspirans, *si vis, potes* in tua potestate *me mundare*, ut tua dulcedine tangar, [6]) quia injusta sum.

[1]) Compendio scribi videtur male *perit*. — [2]) Matth. IX, 23. — [3]) Matth. VIII, 2. — [4]) *ipsam*. Refer ad *vicissitudinem* sive ad vitia. — [5]) *essent* cod. — [6]) *tangat* ib.

Et extendens effundendo *manum*, scilicet dona sua, *tetigit* unguendo *eum, dicens: Volo*, quoniam possum, *mundare*, quia invocasti me. *Et confestim mundata est lepra ejus*, quia suffocatum est guttur serpentis in homine illo.

Et ait illi vicissitudini vitiorum *Jesus*, plenitudo Spiritus Sancti: *Vide*, id est cave, *nemini dixeris*, scilicet ne donum meum in vanam gloriam quasi sanctus sis ducas, *sed vade* in recto itinere, *ostende te sacerdoti*, qui renovat hominem, *et offer munus*, id est poenitentiam, *quod praecepit* dando *Moyses*, videlicet baptismus *in testimonium illis*, in ostensione columbae.

Cum autem introisset visitando *Capharnaum*, in possessionem subtractionis,[1] ita quod vitia cessabant, *accessit ad eum* supplicando *Centurio*, id est poenitentia, *rogans eum* in humilitate, *et dicens: Domine, puer meus*, scilicet ignorantia, *jacet* dormiendo *paralyticus*, id est taedio affectus, *in domo* habitaculi cordis sui, *et male torquetur* in magno foetore vitiorum.

Et ait illi poenitentiae *Jesus: Ego veniam* per inspirationem, *et curabo* tangendo *eum. Et respondens* recordando *Centurio: ait. Domine, non sum dignus* prae taedio *ut intres sub tectum meum*, scilicet ad intelligibilem sensum meum, ut scriptum est: « Die ac nocte gravata est super me manus tua, conversus sum in aerumna mea, dum configitur spina.[2] » *Sed tantum dic*, id est respice *verbo* ad sanctitatem sanctorum qui per Verbum Patris redempti sunt, ab illis auxilium peto, quia Divinitas tua mihi nimis magna est, *et sanabitur* in meritis eorum *puer meus*, videlicet ignorantia.

Nam et ego homo sum, quia praevaricatus sum, *sub potestate* possibilitatis tuae, *habens sub me milites*, id est propriam voluntatem, *et dico huic: Vade, et vadit*, quia eam verto quo volo, *et alii:*[3] *Veni et venit*, quoniam si unam voluntatem in taedio habuero, illam dimitto, et alii nutum facio et venit, *et servo meo*, id est consuetudini pravorum operum: *Fac hoc*, scilicet pravam consuetudinem tuam, *et facit* implendo.

Audiens autem, id est sciens *Jesus*, plenitudo Spiritus Sancti, *miratus est* in gaudio, *et sequentibus se*, sanctis operibus quae ipsum imitata sunt, *dixit: Amen dico* in veritate, *non inveni* videndo *tantam fidem*, id est tale speculum *in Israel*,[4] scilicet in illis qui sancti volebant esse, ut hypocritae et in Diabolo. *Dico autem vobis*, bonis operibus, *quod multi ab Oriente*, videlicet a casu Adae, *et Occidente*, id est in publicanis, *venient* oriendo, *et recumbent* in potestate *cum Abraham et Isaac et Jacob*, qui veram Trinitatem adorando poenitentiam fecerunt, *in regno coelorum*, id est in fulgente opere meo. *Filii autem regni*, videlicet daemonia, et qui illos in falsa sanctitate in hypocrisi imitantur, et qui apud semetipsos prudentes esse volunt, sed stulti sunt, *ejicientur* contempti *in tenebras exteriores*, ubi eos in gratia mea nec tango, nec videre volo, quoniam se ipsos ignoraverunt. *Ibi erit fletus*, quoniam gaudium meum in ignorantia sua fugerunt, *et stridor dentium*, quia verba mea loqui nolebant, unde etiam cibo vitae non pascentur.

Et Jesus dixit Centurioni, scilicet poenitentiae: *Vade* in hoc itinere, ut coepisti,

[1]) *Capharnarum* in vulgari onomastico est *ager poenitentiae*. — [2]) Ps, XXXI, 4. — [3]) *alio* cod. sed infra *alii*. — [4]) *Jherusalem* sic infra f. vitio compendii pro *Israel*.

et sicut credidisti, cum in [1]) ignorantia tua te recognovisti, *fiat tibi* adjutorium, quod petisti. *Et sanatus est* recuperata virtute *puer*, videlicet ignorantia ad bonam et rectam scientiam conversa, *in illa hora*, qua eam divina gratia ad utilitatem concussit.

II.

Item alio modo.

Cum descendisset veniendo ad hominem *Jesus*, scilicet spiraculum sciens bonum et malum, quod Deus in hominem misit, *de monte*, videlicet de altitudine illa quae omnia exsuscitat, *secutae sunt eum* famulando et sentiendo *turbae multae*, id est omnes creaturae cum elementis.

Et ecce leprosus, scilicet gustus carnis, *veniens* a se recognoscendo, *adorabat* suspirando, *eum*, id est spiraculum hominis, scilicet animam, *dicens* in gemitu: *Domine*, quia mihi dominaris, *si vis* pro me in pugna stare, *potes me mundare*, id est a delectatione absolvere.

Et extendens sumendo *manum*, videlicet scutum protectionis, *tetigit* perfungendo [2]) *eum*, scilicet gustum carnis. *Volo* pro te praeliari, *mundare* a delectatione. *Et confestim mundata est*, id est coercitata *lepra ejus*, videlicet dulcedo quam in gustu habebat. *Et ait illi Jesus* persuadendo divina inspiratione: *Vide*, scilicet cave, *nemini*, videlicet nulli creaturae, *dixeris* manifestando, quia victus sis et justus effectus, *sed vade* ascendendo, *ostende te* gratias referendo. *sacerdoti*, id est constitutori et legis datori [3]). *Et offer* in devotione *munus*, scilicet bonam scientiam, *quod praecepit* inspirando *Moyses*, scilicet rationalitas, *in testimonium illis*, ut nomen Dei in te manifestetur.

Cum autem introisset anima *Capharnaum*, id est in tabernaculum corporalium tenebrarum, *accessit* gemendo *ad eum*, scilicet animam, *Centurio*, videlicet quinque sensus corporis: id est, quod homo requirat quid intelligat, quid incipiat, quid operetur, et quid perficiat, et in quibus ubique circumaspiciat, ut quatuor animalia, sicut scriptum est: « Dorsa eorum plena sunt oculis, » [4]) *rogans eum* in miseria *et dicens: Domine*, scilicet o anima, *puer meus*, videlicet scientia mea, *jacet* prostrata *in domo*, id est in dolore carnis, *paralyticus*, ita ut frequenter in oblivione dormiat, *et male torquetur* per foramina suasionum antiqui serpentis.

Et ait illi compatiendo. *Jesus*, scilicet spiraculum hominis: *Ego veniam* cum coelesti militia, *et curabo*, id est perfungar [5]) *eum*, scilicet scientiam.

Et respondens reminiscendo sui *centurio*, id est quinque sensus, *ait: Domine*, videlicet anima, cui obedire debeo, *non sum dignus* propter inconstantiam meam, sed parce, ne peream; *ut intres* cum tanta militia virtutum, *sub tectum meum*, scilicet corporis mei, *sed tantum dic*, id est tange carnem meam, *verbo* correptionis in discretione, et osculando tua viriditate, *et sanabitur* in bono *puer meus* in

[1]) *in* om. cod. — [2]) *perfungendo* sic cod. f. *perungendo*, ut supra *unguendo*. — [3]) *legidatori* cod. uno verbo. — [4]) Ezech. 1, 18. — [5]) Vox ambinguo in apographo.

utraque parte, ita ut carnem meam tuo medicamine tangas, et in tua viriditate cum discretione sanes.

Nam et ego homo sum, scilicet operator, *sub potestate* rationalitatis, *habens sub me milites*, videlicet possibilitatem operandi, *et dico* discernens *huic: Vade*, id est vitium unum relinquo, *et vadit*, ita quod illud nolo; *et alii: Veni*, quod amo, *et venit* amplectendo me, *et servo meo*, scilicet peccato: *Fac hoc*, ostendo ei alia, *et facit* implendo ea quae volo. Unde, o anima, parce mihi et tibi, et cum pace erimus.

Audiens autem, id est intelligens *Jesus, miratus est*, scilicet anima exterrita, *et sequentibus se* viribus suis *dixit: Amen dico vobis* in veritate sapientiae, quae terrena et coelestia in amplexione habet, *non inveni* scrutando *tantam fidem*, id est temperamentum *in Jerusalem*, scilicet in altitudine austeritatis, in qua sum, ut clavus qui in alto positus est, [1]) ita ut carni parcere non possim, quoniam spiraculum sum a Deo veniens, sed sapientia omnia haec temperat, ut scriptum est: « Sapientia clamitat in plateis. [2]) »

Dico autem vobis asserendo, *quod multi* in virtutibus, *ab Oriente*, ubi in divinis ardent, *et Occidente*, qui in peccatis ceciderunt, ita ut isti carni condescendant, et illi se a vitiis tollant, *et recumbent cum Abraham*, in fide obedientes, *et Isaac* in spe gaudentes, *et Jacob* Diabolum effugantes, *in regno coelorum*, id est in contemplatione Dei. *Filii autem regni*, id est qui supra modum in peccatis sordent, et secundum voluntatem suam vivendo, et non secundum obedientiam se humiliando, *ejicientur* projecti *in tenebras* imprudentiae, *exteriores*, scilicet alieni loci, ubi nec vinum sapientiae, nec frumentum discretionis invenient; *ibi erit fletus* in nulla consolatione purgationis, *et stridor dentium*, id est inutilium causarum, ita ut ibi nullam utilitatem riment, sed tantum quasi vacuum stridorem emittant.

Et dixit Jesus, scilicet anima, *Centurioni*, videlicet quinque sensibus: *Vade* ad quietem, *et sicut credidisti* volendo, mihi praecipiendo, et me docendo, *fiat tibi*, id est ad discretionem tibi subjecta ero. *Et sanatus est* in quiete *puer*, scilicet scientia hominis, *in illa hora*, hoc modo temperata cum discretionis adjutorio.

IX.

In festo Purificationis B. M. V.

I.

Postquam impleti sunt [3]) in consummatione, *dies*, scilicet solemnitates *purgationis*, ubi vetus consuetudo in melius mutata est, *Mariae*, videlicet veteris Testamenti, *secundum Legem*, id est inspirationem, *Moysi*, scilicet prophetarum qui de Evangelio loquebantur. Quoniam ut mulier post partum in silentio est, usque dum infantem ad templum offerat, sic vetus Testamentum in occulto latuit, usque ad

[1]) Ecclc. XII, 11. — [2]) Prov. 1, 21. — [3]) Luc. II, 22 - 32.

novum, ubi Filius Dei incarnatus est. *Sicut scriptum est in lege Domini,* (voluntas ejus) *tulerunt,* scilicet sanctitas quae in antiqua Lege fuit, *Jesum,* id est Salvatorem, *in Hierusalem,* videlicet ad visionem pacis nostrae, *ut sisterent eum Domino,* ita ut incarnatus appareret homo in Deo. *Sicut scriptum est,* scilicet praedestinatum est, *in Lege Domini,* videlicet in inspiratione illa ubi dictum est: « Et erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, [1]) » *quia omne masculinum* videlicet Adam primus masculus, *adaperiens vulvam,* scilicet terram, *sanctum Domino vocabitur,* id est per spiraculum vitae sanctificatus est. Et ut Adam de integritate terrae surrexit, sic etiam Christus de integritate Mariae exivit, et sanctus erat. *Et ut darent hostiam,* scilicet virtuosam constantiam, *secundum quod dictum est in Lege Domini,* quia ipse inspiratione dedit, ut scriptum est. Emmanuel vocabitur; *par turturum,* id est amorem Domini et timorem, *aut duos pullos columbarum,* videlicet initium et finem bonorum operum.

Et ecce homo, scilicet prophetae, qui etiam terrena colebant, *erat in Hierusalem;* ita ut Filium Dei in carne venturum viderent, *cui nomen Simeon,* quia sine dubitatione erant. *Et homo iste justus,* id est sine dolo, simplex, *et timoratus* ad honorem Dei, *expectans* cum gaudio fidei, *consolationem Israel,* scilicet quod Filius Dei incarnandus erat. *Et Spiritus Sanctus erat in eo,* quia nec dubius, nec duplex erat.

Et responsum acceperat a Spiritu Sancto, quoniam respondit desiderio ipsius, *non visurum se mortem,* ita ut prophetia non deficeret, ut scriptum est: « Non auferetur sceptrum de Juda, [2]) » *nisi prius videret Christum Domini,* scilicet antequam Filius Dei incarnaretur.

Et venit in spiritu prophetiae *in templum,* videlicet ad apertam ostensionem Ecclesiae, quam in spiritu videbant. *Et cum inducerent* credendo, *puerum Jesum,* ab omni contagione purum, *parentes ejus,* scilicet patriarchae, *ut facerent secundum consuetudinem Legis,* quae per divinam inspirationem data erat, ita ut circumcisionem converterent in baptismum, *pro eo,* id est coram Deo ad salvationem populorum.

Et ipse, scilicet prophetae, *accepit eum in ulnas suas,* id est comprehensionem fidei, *benedixit,* scilicet laudaverunt credendo quae non viderunt, et in fide tenendo quae viderunt, *Deum* qui haec mirabilia fecit. *Et dixit* in fide:

Nunc dimittis, scilicet nunc auferes *servum tuum,* videlicet Legem quae carnaliter serviebat: *Domine,* qui omnibus dominaris, *secundum verbum tuum,* id est Filium tuum incarnatum, *in pace* (scilicet in melius conversam, et pacem illam, ut dictum est: « Gloria in excelsis Deo et in terra pax hominibus, » [3]) *quia viderunt,* id est senserunt, *oculi mei,* videlicet scientia nostra per institutiones Legis, *salutare tuum,* scilicet Filium quem ad salutem omnium misisti, *quod parasti,* id est elevasti, *ante faciem,* id est ad aspectum *omnium populorum,* videlicet majorem omnibus hominibus, ut dictum est: « Speciosus forma prae filiis hominum. [4]) » *Lumen* catholicae fidei, *ad revelationem gentium,* quia illos ad lucem reducet, qui in idolis tenebrosi erant, *et gloriam,* tam in hoc saeculo quam in futuro, quia

[1]) Ps. 1, 3. — [2]) Genes. XLIX, 10. — [3]) Luc. II, 14. — [5]) Ps. XLIV, 3.

homo factus est, *plebis tuae Israel*, scilicet omnium qui eum in fide inspicere volunt.

II.

Alio modo.

Postquam impleti sunt, id est peracti sunt *dies* in veritate, *purgationis Mariae* ita ut purgata sit ab omni contagione muliebris copulae, scilicet quod virgo permansit, *secundum Legem,* videlicet ut vir et mulier conjungi solent, *Moysi*, qui et de terra et de aqua creati sunt; *tulerunt*, qui virginitatem vovent bono exemplo, *Jesum*, id est virginitatem, *in Hierusalem*, scilicet ad visionem verae pacis et salutis, *ut sisterent,* videlicet ut adimplerent, *eum*, scilicet virginitatem, *Domino* quam voverunt. *Sicut scriptum est*, id est secundum quod exemplum habebat, *in Lege Domini,* scilicet de incarnatione Domini, quae sine macula fuit, *quia omne masculinum adaperiens vulvam,* ita ut vulvam aperire possit, si velit, sed eam viriliter clauserit; *sanctum Domino vocabitur*, quia virginitas virtuosa et sancta Deo est. *Et ut darent hostiam*, id est laudem victoriae, *secundum quod dictum est*, scilicet promissum, *in Lege Domini,* videlicet in incarnatione Domini, *par turturum*, id est innocentiam et castitatem, *aut duos pullos columbarum*, scilicet sancta opera, se ita martyrizantes in conflictu vitiorum.

Et ecce homo, qui in virginitate talis esse debet, *erat in Hierusalem*, scilicet visione salutis, *cui nomen Simeon,* videlicet speculum, in quo se ipsum consideret et custodiat, ne accipiter super eum irruat. *Et homo iste justus* in rectis itineribus, ita ne interdum injuste amet spiritum, interdum injuste carnem, sed rectam viam in sole amplectatur, *et timoratus,* ne coronam honestatis quam capiti suo imposuit, abjiciat, *expectans* in desiderio *consolationem Israel*, id est laetam vitam quae et confitenda et laudanda est. *Et Spiritus Sanctus* in donis suis *erat in eo*, quia vitia a se expulit. *Et responsum* in gustu suo *acceperat*, scilicet ad se introrsum traxit, *a Spiritu Sancto non visurum* in coscientia sua, *se mortem* in defectu, sed ut ita virtutibus repleretur, ne in fame deficiat, quae bonum nec novit, nec gustat: *nisi prius* de virtute in virtutem ascendat, *videret Christum Domini*, scilicet videndo Christum, ita ut ejus dulcedine saturari non possit.

Et venit in spiritu cordis sui *in templum*, id est in suavitatem aspectus Dei, ita ut Deum super omnia diligat. *Et cum inducerent* bene operando *puerum Jesum,* scilicet virginitatem quae pura esse [1]) debet, *parentes ejus*, videlicet bona exempla parando, *ut facerent secundum consuetudinem*, id est honorem *Legis*, scilicet incarnationis Domini, quam in virginitate imitantur, *pro eo*, in sanctitate et laude.

Et ipse accepit comprehedendo *eum in ulnas suas,* videlicet pleni desiderii, *et benedixit*, quia in aeterna vita gaudebunt, qui in saeculo ad Deum plorabant, *et dixit* in oratione:

[1]) [2]) *esset* cod. mox *exempla ut facerent parando.*

Nunc dimittis, id est aufer, *servum tuum,* scilicet servile opus carnis meae et ardorem concupiscentiae, *secundum verbum tuum,* videlicet secundum honorem Filii tui, qui nobis castitatem ostendit, *in pace,* ita ut in pace requiescat [1]), a Diabolo solutus: *quia viderunt* agnoscendo *oculi mei,* id est scientia cordis mei, *salutare tuum* in suavitate dulcedinis tuae, *quod parasti,* lucentem gemmam, *ante faciem,* id est desiderium *omnium populorum,* quoniam virginitas prae caeteris virtutibus in castitate claret et lucet. *Lumen,* scilicet auroram, *ad revelationem* in manistatione *gentium,* id est contra carnis jura illorum qui in copula carnali vivunt, *et gloriam,* scilicet singulare pretium *plebis tuae,* scilicet omnium, *Israel* qui in virginitate subsequuntur.

X.

In Dominica Septuagesimae.

I.

Simile est regnum [2]) *coelorum* [3]), scilicet secretorum, *homini patrifamilias,* videlicet illi qui Deus et homo est, *qui exiit primo mane,* quando coelum et terram creavit, et quando Fiat lux dixit, *conducere* in prima die *operarios,* id est diversas creaturas, *in vineam suam,* scilicet in mundum.

Conventione autem facta, in secunda die, quando divisit aquas ab aquis, *cum operariis,* id est creaturis quae tunc erant; *ex denario diurno,* scilicet ex officio suo, quod per singulos dies impleturae erant, *misit eos in vineam suam,* id est ut operarentur in mundo.

Et egressus circa horam tertiam, scilicet in tertia die, quando dixit « Congregentur aquae quae sub coelo sunt in locum unum, et appareat arida » [4]) *vidit alios stantes in foro otiosos,* cum creaturae adhuc non operabantur, *et illis dixit: Ite et vos in vineam meam,* ubi dixit: « Germinet terra herbam virentem, » et caetera, *et quod justum fuerit dabo vobis,* id est officium vestrum secundum naturam creationis vestrae. *Illi autem abierunt* divinam jussionem implere in officio suo.

Iterum autem exiit circa sextam, in quarta die, ubi dixit: « Fiant luminaria in firmamento coeli, » et reliqua quae subsecuntur. *Et nonam horam,* videlicet in quinta die, cum dixit: « Producant aquae reptile animae viventis, » et subsequentia, *et fecit similiter,* id est injunxit creaturae suae opus suum.

Circa undecimam vero exiit, id est in sexta die, ubi dixit: « Producat terra animam viventem in genere suo, » quod subsequitur: « Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram. » *Et invenit alios stantes,* scilicet creaturas ad

[1]) *requiei* cod. in ambigua apographi scriptura.
[2]) Laxat habenas ingenio suo Hildegardis in hoc duplici commentario, sed minus mirabitur, si quis recogitet, usum esse Ecclesiae in hac Septuagesimae Dominica, initium facere ad matutinum officium lectionibus super Genesim et Hexaemeron. Singularis tamen est expositio nostra, neque ullo quod sciam fulta alio in tota antiquitate exemplo. — [3]) Matth. XX, 1-16. — [4]) Genes. 1, 5 sqq.

operandum paratas, et dicit illis: *Quid hic statis* vacando, *tota die otiosi?* id est postquam creati estis, nihil operando. *Dicunt ei* illae creaturae et homo: *Quia nemo nos conduxit*, aliquod opus nobis ostendendo, quod facere possimus. *Dicit illis* Deus: *Ite et vos in vineam*, id est in mundum, ut operemini secundum quod vobis constitui.

Cum sero autem factum esset, scilicet postquam omnia creata sunt, ut dictum est: « Complevitque Deus die septimo opus suum quod fecerat, » *dicit dominus vineae procuratori suo*, scilicet Adae: *Voca operarios*, videlicet diversas creaturas, ut scriptum est: « Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terrae et universis volatilibus coeli, adduxit ea ad Adam, ut videret quid vocaret ea. » *Et redde illis mercedem*, id est injunge illis officia sua cum nominibus suis, quia cum creaturae in lucido aere essent, injuncta sibi erant [1]) officia sua quae facturae erant. In trasgressione autem Adae, ierunt cum eo in turbinem. *Incipiens a novissimis*, id est a bestiis et pecoribus, quae cum homine creatae sunt, quia post alias creaturas facta sunt, *usque ad primos*, scilicet ad illas quae prius creatae sunt. Quasi diceret: Illis quae tibi magis assimilantur, et tecum in terra conversantur, et quae etiam tecum creata sunt, officia sua secundum naturam tuam primum impone, et tunc illis quae primum in creatione praecesserunt, et quae in natura sua tibi dissimiliora sunt, officia sua ostende.

Cum venissent ergo procedendo, *qui circa undecimam horam venerant*, id est qui in ultima creatione, scilicet in sexto die cum homine processerunt, *acceperunt singuli denarios*, videlicet singula officia secundum naturam suam, ut silvestria essent in silva, domestica vero in rure cum homine.

Venientes autem in adductione ad Adam, *et primi* qui prius in creatione processerant, ut volucres et similia, *arbitrati sunt* in aestimatione sua, *quod plus essent accepturi*, scilicet ut et in aere volarent, et cum homine in terra irent, quia majorem possibilitatem in his quam pecora haberent. *Acceperunt autem et ipsi singulos denarios*, videlicet unum officium secundum naturam suam, id est volucres volandi, pisces natandi, sicut et bestiis unum officium datum est in terra eundi. *Et accipientes* officia sua, *murmurabant* in aestimatione sua *adversus patrem familias*, scilicet Creatorem suum, *dicentes: Hi novissimi* qui post nos creati sunt, ut pecora, *unam horam fecerunt*, quia in creatione sua procedentes nullam aliam creaturam post se creandam, sicut priores creaturae, sustinuerunt, *et pares illos nobis fecisti* in plenario officio naturae suae et non dimidiato, pares scilicet in pascuis solius terrae, quoniam et volucres et pecora et reliquae creaturae de sola terra omnes simul pascuntur, *qui portavimus pondus* volandi et eundi in aestimatione nostra, quid facturae essemus, *diei*, id est tempus processionis nostrae, *et aestus*, scilicet solis, lunae, et vicissitudinem aliarum creaturarum subsequentium nos.

At ille respondens uni eorum, videlicet creaturae quae una est ab uno Creatore, *dixit: Amice*, jussionem meam perficiendo, *non facio tibi injuriam*, sed do tibi officium tuum, secundum justum modum, ne mensuram tuam transcendas, plus

[1]) *sibi eis officia* cod. absone, in loco sat insigni, ubi prophetissa statum innocentiae in Adamo, ut alibi non semel, egregie ornat et exaggerat.

ascendendo vel descendendo quam tibi datum sit, non autem secundum quod posses. *Nonne ex denario*, scilicet ex officio illo quod tibi injunxi, in hoc quod dixi Fiat, *convenisti mecum*, ut jussionem meam impleres? *Tolle* officium *quod tuum est* in natura tua, *et vade* illud implendo. *Volo autem et huic novissimo*, scilicet quae postea creata est, et quae super terram vadit, *dare* possibilitatem ut officium suum impleat, *sicut et tibi*, quae prius creata es, et in aere volas. *Annon licet mihi*, qui Creator sum, *quod volo facere* in ipsa creatura, ita ut ipsa rebellis dicat: Cur me fecisti sic? *An oculus tuus*, scilicet scientia tua *nequam*, id est stulta *est*, cum plus velis quam tibi conveniat, *quia ego bonus sum*, qui te bene et pulchre creavi?

Sic, id est hoc modo ut hic factum est, *erunt novissimi*, scilicet illae creaturae quae postea processerunt, ut pecora, *primi* in incoeptione operis, quia pecora cum homine primum ire et conversari coeperunt, et utiliora carnibus, pellibus, servitio et omnibus modis sunt hominibus, quam volatilia, *et primi*, videlicet illae quae prius in creatione processerunt, *novissimi* in officio suo, quia volatilia in usibus hominum ita utilia non sunt sicut pecora, quae etiam in sexta die cum homine creata sunt. *Multi enim vocati*, multae et diversae creaturae vocatae sunt in creatione ad procedendum in vicissitudinibus suis, ut officia sua secundum quod eis institutum est, implerent; *pauci vero electi*, scilicet solus homo electus est a Deo, ita ut ad imaginem et similitudinem Dei factus sit, et ad coelestia praedestinatus.

II.

Alio modo.

Simile est regnum coelorum, id est omnis compago in homine, *homini patrifamilias*, scilicet rationalitati, quae in homine est, *qui exiit primo mane*, videlicet in scientia sensibilitatis *conducere operarios*, id est quinque sensus corporis, *in vineam suam*, scilicet in fidem salvationis animarum.

Conventione autem facta cum operariis ex denario diurno, id est quod rationalitas quinque sensibus spem vitae, quam semper habituri sunt, promittit, *misit eos in vineam suam* scilicet fidem salvationis animarum.

Et egressus circa horam tertiam, videlicet in operatione, *vidit alios* in alia vicissitudine majoris operationis quam opinionis, *stantes in foro otiosos*, id est in deliberatione eligentes quid facere vellent, *et dixit illis* in admonitione: *Ite et vos in vineam meam*, id est in fidem salvationis animarum, *et quod justum fuerit* in remuneratione *dabo vobis. Illi autem abierunt* ad opus.

Iterum autem exiit circa sextam, scilicet in perfecto opere, *et nonam horam*, cum homo jam in taedio operationis est,*et fecit similiter* vocans eos ad opus. *Circa undecimam vero exiit*, videlicet in defectu operis, *et invenit alios* in taedio *stantes* deliberando, *et dixit* illis iterum in admonitione: *Quid hic statis* in deliberatione, *tota die*, id est in scientia boni et mali, *otiosi*, scilicet vacantes in operatione? *Di-*

cunt ei consentientes rationalitati: *Quia nemo non conduxit;* videlicet quia nescivimus mercedem operis. *Dicit illis* iterum in admonitione: *Ite* per bona opera, *et vos in vineam,* id est in fidem salvationis animarum.

Cum sero autem factum esset, scilicet cum finis quorumque operum advenisset, *dicit dominus vineae*, videlicet rationalitas fidei salvationis animarum, *procuratori suo*, id est dignitati quae mercedem operum subministrabit: *Voca operarios*, scilicet quinque sensus corporis et alias vicissitudines operum, *et redde illis mercedem*, id est dans eis laudem et honorem, secundum quod apud Deum et homines meruerunt, *incipiens a novissimis*, scilicet ab his qui de malis suis poenitentiam egerunt, cum ipsi peccatum scientes, peccare recusaverunt, ubi et innocentes effecti sunt; *usque ad primos* scilicet qui prae simplicitate et innocentia peccare nescierunt, vel quia justa et recta opera incipientes, ea perfecerunt.

Cum venissent ergo ad remunerandum *qui circa undecimam horam venerant*, videlicet qui in defectu operis erant, et peccare desierant, *acceperunt singulos denarios*, scilicet solam spem supernae mercedis.

Venientes autem et primi, qui ab innocentia corporis peccare nescierunt, *arbitrati sunt quod plus essent accepturi*, quia non peccaverant cum gustum peccati non haberent. *Acceperunt autem et ipsi singulos denarios*, id est solam spem supernam. *Et accipientes murmurabant* in cordibus suis *adversus patrem familias*, scilicet rationalitatem, *dicentes* in opinione: *Hi novissimi unam horam fecerunt*, videlicet post peccata sua uno tenore et vigore bona fecerunt, *et pares illos nobis fecisti* in remuneratione, *qui portavimus pondus diei* in oppressione, *et estus* in calore cogitatuum et corporis.

At ille respondens, scilicet rationalitas, *uni eorum dixit*, videlicet gustui, qui quasi princeps aliorum sensuum est: *Amice*, quia tu sapis sicut et ego sentio, *non facio tibi injuriam* in remuneratione. *Nonne ex denario*, videlicet de sola spe superna, *convenisti mecum*, ut per eam remunerareris? *Tolle quod tuum est* in superna spe, *et vade* in mansiones quas ibi habes. *Volo autem et huic novissimo dare*, id est illi qui peccare sciebat, et peccare desinit, *sicut et tibi*, qui prae simplicitate innocentiae peccare nesciebas. *Annon licet mihi quod volo facere*, recto judicio haec diudicando? *An oculus tuus*, scilicet intentio cordis tui *nequam est*, haec injuste discutiendo, *quia ego bonus sum*, videlicet discrete non vagans in instabilitate?

Sic erunt novissimi, id est qui in gustu peccati peccare desierunt, *primi*, scilicet innocentes per poenitentiam effecti, cum in bonis perseveraverint, *et primi*, qui in simplicitate innocentiae incedebant, *novissimi*, cum per pondus angustiarum et per aestum caloris corporalium ad bonum finem perseverantiae tendunt. *Multi enim sunt vocati*, cum rationalitas quinque sensus hominis ad justitiam Dei conducit: *pauci vero electi*, quia rari inveniuntur qui non murmurent contra institutiones et ordinationes ecclesiasticas, sed tamen et hi et illi denarium, videlicet spem remunerationis quamvis diverso modo recipient.

XI.

In prima Dominica Quadragesimae.

I.

Ductus est Jesus in desertum, [1]) ubi nulla operatio hominis vel animalium fuit, et hoc factum est divino consilio, ut malignus tentator tanto liberius voluntatem et tentationes suas in Christo perficere posset, quum multotiens [2]) terretur ab opere creaturae, ita ut nequitias suas ita libere adimplere non possit. *A Spiritu,* scilicet a Spiritu Sancto, de quo etiam conceptus est; *ut tentaretur a Diabolo*, solo scilicet auditu Diabolo ad eum loquente, non alio modo. Sed bonitas ipsius illum ita vicit, ut nec prius, nec postea ab homine ita victus sit, unde etiam Diabolus incertus postea de Christo semper fuit, quia nullum gustum humani peccati in ipso invenit.

Et cum jejunasset in virtute Spiritus Sancti, ita ut nihil comederet, biberet, dormiret, nec ullum opus hominis in se ostenderet, *quadraginta diebus et quadraginta noctibus*, ubi ostendit virtutem suam et novam institutionem fidelium futuri populi: quia sicut Deus in diluvio per quadraginta dies et noctes virtutem suam demonstravit, et malignum populum delevit, ita ut postea novus populus in mundatione exortus sit, sic etiam Christus virtutem suam manifestavit, et Diabolum vicit, et novum populum in sanctificatione fidei exsurgere fecit; et quia etiam quater decem quadraginta sunt, ut in quatuor, elementa quatuor intelligeremus, et in decem, legis decem praecepta notaremus, ita ut quod in quatuor elementis delinqueremus, in decem praeceptis corrigendo emendaremus. [3]) Et antequam tentaretur, jejunavit, ut virtus Divinitatis in ipso videretur; et ut per hoc Diabolus ad tentandum eum incitaretur, dum cogitaret, quis homo ille esset, qui tantam fortitudinem in se haberet, quasi diceret, quid ille alius Adam esset? In his autem quadraginta diebus et noctibus Diabolus ad Christum saepius venit, et recessit, [4]) nec eum pleniter tentare praesumpsit, ut avis quae ad aliquam rem saepius volat, et iterum revolat, quam libenter caperet, si auderet.

Sed postea esuriit, quia tunc se ad fatigatam humanitatem inclinavit, et Diabolo quasi liberam potestatem se tentandi dedit.

Et accedens tentator permissione Christi, quia ipsum vidit spiritalia et non carnalia operantem; et idcirco accessit ad eum, ut fuit spiritus, non aereum corpus sumens, nec in [5]) aliquam aliam formam ullius creaturae se transfigurans, sed solum ut est, ita permanens, se in forma sua ut nigerrimam umbram ostendit: quia tantam virtutem in Christo videbat, quod se in aliam formam deceptuose transformare non audebat. Et ideo tentator dicitur, quia ille fuit qui Adam tenta-

1) Matth. IV, 1. - 11: — 2) *quem multaciens,* sic apogr. — 3) Plane more Augustini, et cum eadem eleganti subtilitate. — 4) De qua re alibi siletur. — 5) *aerium corpus sumens, nec aliq.* cod.

vit, non Lucifer; quoniam ille ex quo cecidit, de loco gehennalis perditionis motus non est,[1]) quia tanta fortitudo malitiae in illo est, si egredi permitteretur, quod etiam aerem in aliqua parte everteret: unde per divinam potentiam ita comprimitur, ne voluntatem suam in nequitia sua exercere possit, sed tantum alios ad decipiendum homines emittit.

Et ita dixit ei, scilicet Christo, permissione[2]) ipsius: *Si Filius Dei es*, quoniam non facis ut homo, sciens Deum Filium habiturum esse, et hoc de prophetis noverat, quomodo autem fieret, nesciebat, quia Christus ut spiritus, et non ut homo tunc fecit. Quapropter Diabolus dubitabat, quia quamvis eum ut hominem videret, tamen nullum peccatum, nec gustum peccati in eo reperit, nec patrem ei sciebat, sed matrem ejus Virginem videbat. Nam in subtilitate naturae suae ipse Diabolus sciebat, ut Deus hominem ita nequaquam perire permitteret, quin aliquod consilium sua ratione ad eripiendum illum quandoque emitteret. Et ideo cum in Christo tantam virtutem vidisset, putabat Deum ipsum novum hominem aliquo miro et secreto modo ad liberandum genus humanum genuisse, ut etiam Adam mirabiliter formaverat. Putabat enim, si Christum vicisset, etiam regnum Dei aliqua parte destruere posse: quia de illis spiritibus fuit, qui hominibus tentationes suas acriter immittunt. Et dixit: *Dic* solo verbo, *ut lapides isti*, quia ibi praesentes erant, *panes fiant.* Non dixit ut de nihilo panes faceret, sed ut creaturam in alium modum mutaret, ut tanto veracius cognosceret, si ipse Deus creaturae esset. Et quod contrarium justitiae Dei erat, fieri persuasit, quia adversus justitiam Dei esset, si creaturam aliquam in alium modum mutaret, ut Diabolus semper fieri persuadet. Sed quod Filius Dei aquam in vinum convertit, hoc naturae contrarium non fuit, quia vinum sicut et aqua madidum est et fluit, et ideo aqua saporem suum tantum mutavit; lapides autem si panes facti fuissent, omnino naturam suam perdidissent: sed et idcirco panes, quia primus et fortior cibus esurientium est.

Qui respondens dixit: Scriptum est: Non in solo pane vivit homo, panem comedens, *sed in omni verbo* Dei, quod ego sum, *quod procedit de ore Dei*, id est cum caeteris etiam creaturis, quae per Verbum Dei creatae sunt, cum dixit Deus: Fiat lux, et fiant luminaria, et reliquae creaturae, quia cum eis et cum elementis homo vivit. Sed quod Scripturam[3]) inducit, per hoc homines ad rationalitatem reducit, quia rationalitas in hominibus scripturas invenit, ut ita per rationalitatem velut per scripturas Deum cognoscant. Nam quaecumque Diabolus loquitur, a seipso ea loquitur, nec ab ullo exemplum accipere dignatur, ut ipse solus omnia facere videatur.

Tunc assumpsit eum Diabolus in sanctam civitatem, ita scilicet quod Diabolus, permissione Christi, quasi turbinem cum suggestione sua circa Christum fecerat, et hanc[4]) Diabolus tetigit, et Christum secum ea levitate sine pondere tulit, sicut etiam ipse Christus in monte transfiguratus est, et ut ad coelos ascendit. Et eum secum duxit super hoc quod ibi quasi aedificium apparuit. Sed civitatem istam Evangelista non nominat, sed tantum *sanctam* dicit. Nam cum Christus jejunas-

[1]) Nec facile id et sequentia alibi reperies. — [2]) *promissione* apogr. — [3]) *scriptura* apogr. — [4]) *hanc*, scilicet *turbinem* gen. fem. apud Hildegardem. Nota rursus novam explicationem.

set, statim Deus Pater ibi in deserto Ecclesiam[1]) cum templo sanctitatis et cum aedificiis virtutum, quae per Christum in Ecclesia complenda fuerunt, praemonstravit. Sed Diabolus, quia spiritus fuit, illa spiritaliter apparentia[2]) vidit, sciens illa quae ibi videbat, ad Christum respicere, et artibus suis tentavit, si magnifica opera illa ullo modo in Christo per vanam gloriam impedire posset. Et turbinem illam, quam circa Christum sua suggestione ad tentandum eum excitaverat, ut praedictum est, tetigit, et ita permissione ipsius, nullum pondus in eo sentiens, *statuit eum supra pinnaculum templi*, quod ibi apparere vidit, quod dum fecisset, et multum gaudens putaret, ut sicut Christus sibi in hoc consenserat, ita etiam in alio ei consensurum.

Et dixit ei iterum: *Si Filius Dei es*, quia tam fortis existis, *mitte te* fiducialiter *deorsum. Scriptum est enim, quia angelis suis mandavit de te* Pater tuus, *et in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum*, quia non audent omittere. *Ait illi Jesus: Rursum*, tentationem illius respuens, *scriptum est*: *Non tentabis Dominum Deum tuum*, qui ego sum.

Iterum assumpsit eum permissione ipsius *Diabolus*, praefatam turbinem tangens, ut prius fecerat, *in montem excelsum valde*, qui ibi etiam in deserto per voluntatem Dei Patris spiritaliter et non corporaliter in ipsis mirabilibus apparuit; ita ut ipse magnitudinem et celsitudinem miraculorum illorum praetenderet, quae per Christum in Ecclesia futura erant,[3]) quia opera Dei et mirabilia ejus super omnia magna et praeclara apparent. Nam nullus terrenus mons in terra tam altus inveniri posset, ut tota terra a qualibet corporalibus oculis prospici posset. *Et ostendit ei omnia regna mundi*, quae erant in diversis nationibus, *et gloriam eorum*, quae in ipsis regnis fuerunt, secundum quod mundus, id est homines saeculares pompas quaerunt. *Et dixit illi* iterum, tentans, si eum tunc saltem vincere valeret: *Haec omnia quae* vides in saeculari pompa, *tibi dabo*, quoniam mea sunt, *si cadens* ad terram prostratus, *adoraveris me* ut Deum. *Tunc dixit ei Jesus: Vade, Sathanas, retrorsum* in locum tuum, qui tibi praeparatus est, quoniam nullum locum in me invenis. *Scriptum est enim: Dominum* cunctarum creaturarum, Dominum omnium viventium *et tuum*, qui ego sum, *adorabis* prostratus, *et illi soli*, et non alienis et fallacibus diis, *servies*, debitum ministerium ei exhibendo. *Tunc* illico in ipsa hora *reliquit eum Diabolus*, ita ut nunquam postea auderet eum amplius tentare. *Et ecce angeli*, cives coelorum, *accesserunt*, ut prius fecerant, quoniam has tentationes sic in Christo ad horam secundum voluntatem ipsius impleri permittebant, *et ministrabant ei*, adorando et cognoscendo eum, atque voluntatem ipsius implendo.

II.

Alio modo.

Ductus est Jesus, scilicet Verbum Patris, per quod omnia creata sunt, *in deser-*

[1]) Pergit interpres nova proferens notatu dignissima. — [2]) *apparentes* apogr. — [3]) *futurae erant* ib.

tum, id est materiam creaturarum, antequam creaturae per species distinctae essent, et antequam quicquam operarentur: *a Spiritu*, videlicet a Spiritu Sancto qui omnia vivificat, quoniam Pater est aeternitas, Filius per quem omnia creantur, Spiritus Sanctus per quem omnia vivificantur: *ut tentaretur a Diabolo*, scilicet a malo, cum Diabolus hominem et reliquas creaturas cum ipso decepit. *Et cum jejunasset*, id est quod post casum hominis, Deo nec gloria, nec honor, nec laus exhibebatur, ut deberet; *quadraginta diebus*, ubi post expulsionem Adae, filii ipsius usque ad Noe Deum in quatuor elementis per lucem agnitionis ipsius non pleniter colebant, *et quadraginta noctibus*, quia etiam in quatuor elementis velut in noctibus peccatorum sordebant, cum nondum decem praecepta Legis perceperant, quoniam cum in circuitione quatuor elementorum, a casu Adae usque ad Noe, Diabolus omnia mala sua ante diluvium in homine complesset. Deus terram creaturis illis quas perire permisit, purgavit, ubi dixit: « Poenitet me fecisse hominem. »[1] *Postea esuriit* ad justitiam, cum hominem denuo post diluvium recuperavit, ubi justitiam facere coepit. Et accedens per multas vanitates tentator, scilicet Diabolus, ad homines, quia cum justitiam post diluvium apparere videret, idola et multa fantasmata adversum eamdem justitiam facere coepit.

Et dixit ei, qui omnia creavit: *Si Filius*, per quem omnia facta sunt, *Dei es*, in quo justitia apparet, *dic*, scilicet operare et tu in jussione tua, sicut ille,[2] quia « ipse dixit et facta sunt, »[3] et quoniam ego persuasi multa idola facta esse, *ut lapides isti*, scilicet duritia, quod homines te respuendo, ut Deum colere nolunt, *panes fiant*, videlicet aliqua cultura, ut tu etiam quasi Deus coleris, quoniam ego in idolis culturam legis meae feci, et tu fac similiter, ut saltem Deus esse cognoscaris, et hoc Deum deridendo dixit.

Qui respondens dixit, videlicet Verbum Patris: *Scriptum est*, in veraci Scriptura: *Non in solo pane*, id est non in illa sola creatura, qua homo frequenter utitur, vel quae ei subjecta ministrat, quia per creaturam Creator cognoscitur, et quod summus eam creaverit intelligitur, *vivit homo*, ita ut hoc sibi ad salutem sufficiat, quod haec visibilia a Deo creata esse credat, *sed in omni Verbo*, quod non potest carnalibus oculis videri[4]), nec manibus palpari, nec sensu capi, *quod procedit* invisibiliter *de ore Dei*, natum ineffabiliter, ita ut ipsum Filium Dei et filium hominis veraciter credant.

Tunc assumpsit eum Diabolus in sanctam civitatem, scilicet in judaicum populum, cui sanctitas Legis data fuit, quia cum Christus incarnatus esset, et cum jam verba praedicationis suae emitteret, Diabolus multas insidias per Judaicum populum ei posuit. *Et statuit eum supra pinnaculum*, id est altitudinem *templi*, scilicet coeli, ubi Judaei eum tentantes, signum de coelo ab eo fieri petebant. *Et dixit ei Diabolus* per Judaeos: *Si filius Dei es*, quia multa signa circa terram in terrenis causis facis, fac etiam signa de coelo, quae nobis incognita sunt, et ita *mitte te deorsum*, in rumore descende ad homines. *Scriptum est* enim in Scriptura, quam tu ipse instituisti, *quia angelis suis mandavit de te* Pater tuus Deus, *et in manibus* operum suorum *tollent te*, ita portantes, quoniam praestantiores

[1]) Genes VI, 6.— [2]) *ibi* cod. — [3]) Ps. XCVI, 12. — [4]) *videre... palpare... capere* cod.

creaturae sunt, [1]) Deo assistentes, ut etiam homo et caeterae creaturae ei serviunt, *ne forte in* negligentia positus, *offendas ad lapidem,* id est ad ullam duritiam *pedem tuum,* quoniam vestigia tua mollia et suavia sunt, ita ut nulla fortitudo te laedere possit. *Ait illi* Diabolo Jesus *rursum: Scriptum est* in veraci Scriptura: *Non tentabis* in praesumptione superbiae *Dominum Deum tuum,* quem adorabis Creatorem.

Iterum post hanc tentationem *assumpsit eum,* scilicet Christum in fidelibus membris suis, *in montem excelsum valde,* id est in montem erroris, qui altitudinem suam usque ad labrum venti extendet in Antichristo, *et ostendit ei* per fallaces deceptiones, in quibus fideles homines in novissimo tempore impugnabit, *omnia regna mundi,* quia de omnibus regnis terrarum, maxima pars hominum ad Antichristum declinabit, *et gloriam eorum,* scilicet culturam illam quam tunc decepti inibunt, *et dixit* per deceptiones suas, *illi* scilicet Christo, videlicet fidelibus Christi, qui membra ipsius sunt: *Haec omnia* quae vides, homines scilicet qui me ut Deum colunt, te deserentes, *tibi dabo,* ita ut tu mecum ab eis colaris, *si cadens,* scilicet si culturam Christianorum deseris, quia Ecclesia jam dejecta ultra stare non poterit, *adoraveris me,* quoniam jam nullus te adorat, cum ad me conversi te dereliquerint.

Tunc dixit ei, scilicet Diabolo, *Jesus* in novissimo tempore, in zelo suo, ubi Antichristus occidetur confusus: *Vade* in locum quem promeruisti, videlicet damnationis tuae, *Sathanas,* qui deorsum cecidisti. *Scriptum est enim* in Scriptura veritatis: *Dominum Deum tuum adorabis,* et non alium, *et illi soli servies,* quia nullus ei similis est.

Tunc reliquit eum Diabolus, ita quod nullam potestatem contra Deum ultra elevabit; *et ecce angeli accesserunt* in plenitudine et perfectione charitatis, *et ministrabant ei,* in coelestis harmoniae laude, [2]) quoniam sine fine Deum laudabunt.

XII.

In Sabbato ante Dominicam tertiam Quadragesimae.

I.

Homo quidam, [3]) ad cujus imaginem et similitudinem homo creatus est, *habuit duos filios,* cum homini dat scientiam boni et mali; *et dixit adolescentior,* qui pronior fuit ad malum in instabilitate morum, *ex illis patri* Deo: *Pater, da mihi portionem substantiae,* id est sine adimplere gustum operis, *quae me contingit,* cum me in gustu delectationis tangit. *Et divisit illis substantiam,* quia Deus illi qui bonae scientiae adhaeret, gloriam et honorem tribuit, illum autem qui in mala scientia esse cupit, sic abire permittit.

Et non post multos dies, quoniam ibi non est dies salutis, ubi malum est, *congregatis omnibus, adolescentior filius peregre profectus est in regionem longin-*

[1]) *ipsi praestantior creatura sunt* cod. — [2]) *in coelesti armonia* cod. — [3]) Luc. XV, 13-32.

quam, id est a seipso recessit, ut omnes voluntates suas adimpleret; *et ibi dissipavit substantiam suam*, videlicet sparsit opera sua in diversa vitia, *vivendo luxuriose*, cum omnem voluntatem suam turpiter adimplevit.

Et postquam omnia consummasset, id est cum multa mala fecisset, ita ut jam taedium in eis haberet, *facta est fames valida in regione illa*, ita ut de cibo vitae nullam curam haberet, cum voluntatem suam malis adimpleret, *et ipse coepit egere*, id est spem vitae perdidit in superfluitate vitiorum.

Et abiit, a Deo recedendo, *et adhaesit uni civium regionis illius*, cum se conjunxit malitiae, quae in mente illius sedem sibi fecerat; *et misit illum in villam suam*, scilicet in culturam vitiorum, in qua ipsa residebat, *ut pasceret porcos*, ut vitiis nutriret nequitiam.

Et cupiebat implere ventrem suum, scilicet desiderium suum *de siliquis quas porci manducabant*, scilicet de diversis vicissitudinibus, in hoc quod Deum culpare volebat, scilicet quia Deus magis de culpis suis reus esset quam ipse foret; *et nemo illi dabat*, quia nulla creatura in hoc quod Deum reum accusavit, ipsi astitit.

In se autem reversus, scilicet tandem Creatoris sui reminiscens, et malorum quae fecerat, quia in his nullam spem habebat, *dixit* cogitando: *Quanti mercenarii in domo patris mei*, scilicet qui sanguine suo [1]) et multis laboribus coelestia mereantur, *abundant panibus*, videlicet saturitate justitiae; *ego autem hic fame pereo*, in hoc quod careo gustu bonorum operum. *Surgam* de via mala, *et ibo* per viam bonam *ad patrem meum*, qui me creavit, *et dicam ei* cum suspirio gemitus: *Pater, peccavi in coelum*, scilicet in coelesti spiraculo, quod est in anima, *et coram te*, quia cognovi te Deum, quamvis peccarem; *jam non sum dignus vocari filius tuus*, propter nequitiam cordis mei, *fac me sicut unum de mercenariis tuis*, scilicet qui sanguine suo et multis laboribus voluntatem tuam adimpleverunt.

Et surgens de vitiis, *venit ad patrem suum*, in incessu bonarum viarum. *Cum autem adhuc longe esset* per malam consuetudinem, *videt illum* in requisitione *pater ipsius, et misericordia motus est;* quoniam ille in amore reversionis ipsum tetigit. *Et accurrens* per misericordiam, *cecidit se* inclinando *super collum ejus*, id est in conceptione justitiae, *et osculatus est eum* in charitatis conjnnctione.

Dixitque ei filius in poenitentia: *Pater, peccavi in coelum et coram te*, cum propter cognitionem tuam peccare non destiti; *jam non sum dignus*, quia praevaricator sum, *vocari filius tuus*, ut in pristinam haereditatem me recipias. Hic autem de mercenariis non dicit, sed tantum gratiam Dei expectat. *Dixit autem* per supernam inspirationem *pater ad servos suos*, scilicet ad virtutes, in quibus homines Deo serviunt: *Cito proferte stolam primam*, videlicet innocentiam, *et induite illum* justitia innocentiae, *et date annulum in manu ejus*, scilicet comprehensionem bonorum operum, *et calciamenta* per quae Diabolo abrenuntiet, in *pedes ejus*, ut recte incedat. *Et adducite* per invocationem *vitulum saginatum*, scilicet Filium Dei, qui coelestem pinguedinem attulit, *et occidite*, iterantes martyrium ejus in isto, *et manducemus* [2]) gustum bonorum operum, *et epulemur* in congratulatione,

[1]) Legerim *sudore suo*, nisi infra recurreret *sanguine suo*. — [2]) *manducamus... epulemus* cod.

quia viriditas Spiritus Sancti in ipso refloruit; *quia hic filius meus* quem creavi, *mortuus fuerat*, quoniam scientiam Dei non habebat, *et revixit* revertendo ad me; *perierat* in memoria justitiae, quia saturitatem vitae non habuit, *et inventus est* in via justitiae. *Et coeperunt epulari* [1]) in congratulatione inventae perditae ovis.

Erat autem filius ejus senior in agro, scilicet qui bonam scientiam in cultura supernae haereditatis habet. *Et cum veniret*, vias suas considerando, *et propinquaret* per bonam conjunctionem *domui*, id est mansioni virtutum, *audivit* ad superna ascendendo *symphoniam*, scilicet gaudium supernae visionis, *et chorum*, videlicet decorem et gloriam in quibus Deo servitur. *Et vocavit* per meditationem *unum de servis*, scilicet solam fidem; *et interrogavit* per inquisitionem, *quae haec essent* de gratia Dei, quae illum suscitasset.

Isque, scilicet fides, *dixit illi*, respondendo cogitationi ipsius: *Frater tuus* in agnitione qua Deum scit, *venit* in eo quod rectum iter fecit, *et occidit pater tuus vitulum saginatum*, id est ille a quo creatus es, iteravit passionem Filii sui qui pinguedinem vitae attulit, *quia salvum* in bono rumore *illum recepit*, et amplexatus est.

Indignatus est autem, scilicet admiratus est quod Deus de tanto malo tantum bonum fecisset, *et nolebat intrare* in receptione patris sui, quia poenitentiam necessariam non habebat, ut gaudium super eum velut super uno peccatore fieret.

Pater ergo illius egressus, in eo quod Deus admonitionem in illum misit, *coepit rogare illum*, ut in bono permaneret. *At ille respondens* in cogitationibus suis *dixit patri suo* Deo: *Ecce tot annis*, id est in mensuris et moderationibus, *servio tibi* in bonis *et nunquam mandatum tuum praeterivi* illud negando, ut frater meus; *et nunquam dedisti mihi haedum*, scilicet non permisit, *ut* in parte peccatorum *cum amicis meis*, videlicet cum virtutibus, *epularer*, id est tantum rumorem de bonis actibus meis haberem, ut iste frater meus de conversione sua. *Sed postquam filius tuus hic*, qui per te creatus est, *qui devoravit substantiam suam cum meretricibus*, scilicet qui praecepta tua abjecit, negligendo opera illa quae [2]) animae ipsius necessaria fuerunt, et dissipavit ea cum subsannationibus insaniae suae, *venit*, rectum iter faciens, *occidisti illi vitulum saginatum*, id est unxisti eum passione Filii tui in pinguedine vitae.

At ipse, scilicet Deus *dixit ei* in admonitione: *Fili*, scilicet bona scientia, *tu semper* in felicitate *mecum es*, et non deseris me, *et omnia mea tua sunt*, videlicet omnia bona habes, quia ego bonus sum. *Epulari autem* in congratulatione viriditatis Spiritus Sancti, *et gaudere oportebat*, quia mala scientia ad bonum se converterat. Necesse est enim ut mala scientia ad bonum redeat, ubi omnia bona patris laudantur, et magnificantur in omni creatura; sicut vir praeliator qui superat inimicum, et inimicus postea erit amicus illius necessitate compulsus, quoniam ei resistere non poterit, et ideo victus in militia sua laudandus est. *Quia frater tuus mortuus erat* in nequitia sua, *et revixit*, in agnitione Dei, suimet in causis suis recordatus; *perierat* in aestimatione deceptionis, *et inventus est* in vera luce.

[1]) *Epulare* cod. — [2]) *praecepta tua negligendo opera illa abjecit* id.

II.

Alio modo.

Homo quidam, scilicet Deus, *habuit duos filios*, videlicet angelos et hominem. *Et dixit adolescentior ex illis*, scilicet homo, *patri* Deo: *Pater da mihi portionem*, scilicet possibilitatem, *substantiae*, videlicet perfectionis in opere *quae me contingit* ex natura, ut illud perficiam. *Et divisit illis substantiam*, ut operari possent.

Et non post multos dies quia homo parvum tempus in Paradiso [1]) fuit, *congregatis omnibus* voluntatibus suis, *adolescentior filius peregre profectus est,* id est de Paradiso expulsus, *in regionem longinquam,* videlicet in mundum, *et ibi dissipavit substantiam suam*, id est opera sua, *vivendo luxuriose.*

Et postquam omnia consummasset, scilicet postquam omnia opera sua deturpasset, *facta est fames valuda*, quia saturitatem non habebat, *in regione illa*, videlicet in mundo, ubi verum Deum non colebant, *et ipse coepit egere* in idolis. *Et abiit* per avia, et *adhaesit uni civium*, id est Diabolo *regionis illius*, mundi, *et misit illum* suggestione in *villam suam*, scilicet in legem suam, *ut pasceret porcos,* videlicet ut nutriret confusionibus et turpitudinibus concupiscentias suas. *Et cupiebat implere ventrem suum,* id est conprehensionem totius spiritus sui, *de siliquis*, scilicet vitiis, *quas porci manducabant*, videlicet concupiscientiae vitiorum, *et nemo illi dabat,* quia Deus ad mala se non conjungit, nec Diabolus ullam saturitatem alicujus boni in eis dare potest.

In se autem reversus, ita quod recordatus est a quo creatus esset, cum Deus Abrahae circumcisionem dedit, *dixit: Quanti mercenarii in domo patris mei,* qui Deum pro superna mercede colebant, velut justi qui ante circumcisionem fuerunt, ut Noe, Enoch, Abel et caeteri similes, *abundant panibus*, id est justitia. *Ego autem hic fame porco*, quia nullam saturitatem vitae habeo. *Surgam* a cultura idolorum, *et ibo* per circumcisionem *ad patrem meum, et dicam ei,* ipsum colendo: *Pater, peccavi in coelum*, quia solem, lunam et stellas adoravi, *et coram te*, ubi te deserui; *jam non sum dignus vocari filius tuus*, sicut illi qui te colendo sciebant, *fac me sicut unum de mercenariis tuis*, scilicet similem illis qui vitam aeternam promerentur.

Et surgens a cultura daemoniorum, *venit* in montem Sina, *ad Patrem suum*, per Moysen, Legem suscipiens. *Cum autem adhuc longe esset*, in Lege, quia Lex hominem ad vitam reducere non potuit, *vidit illum pater ipsius*, ubi prophetas misit, loquentes de incarnatione Filii Dei, *et misericordia motus est*, ubi Gabriel Angelus Christum Mariae Virgini nuntiavit. *Et accurrens* in ipsa salutatione Mariae *cecidit super collum ejus*, ubi coelestis Pater misit Verbum in Jacob, et cecidit in Israel, *in collum* fortitudinis in Judaea, ubi Spiritus Sanctus supervenit in Mariam in conceptione ipsius, *et osculatus est eum* ab osculo oris sui [2]) in nativitate Filii sui.

[1]) *paradyso, paradysus* constanter apud Hildegardem. — [2]) in cod. marg. *ut in canticis.*

Dixitque ei filius, scilicet homo: *Pater, peccavi in coelum*, in superiori creatura siderum, in cultura idolorum, *et coram te*, te negando, *jam non sum dignus*, quia transgressor sum, *vocari filius tuus*. Sed de mercennariis silet, quia de transacto opere suo nullam mercedem sperat, se tantum in gratiam Dei ponens.

Dixit autem pater ad servos suos, apostolos, ubi a Christo vocati sunt: *Cito* nihil tardantes, *proferte stolam primam*, scilicet vestem quam Adam in Paradiso perdidit, *et induite illum* novum hominem, *et date annulum*, videlicet fidem *in manu ejus*, ut fidem operibus impleat, *et calciamenta in pedes*, scilicet mortificationem carnis in praeparatione Evangelii. *Et adducite vitulum saginatum*, quando Filius Dei, qui pascua vitae credentibus attulit, ad Caipham et ad Pilatum adductus est, *et occidite*, ubi crucifixus est, *et manducemus*, ubi in passione sua attritus est, *et epulemur* [1]) in resurrectione ipsius: *quia hic filius meus*, scilicet homo *mortuus erat*, scilicet innocentiam quam in coelestibus habuit, perdiderat, *et revixit* in agnitione Dei; *perierat*, quia cibum vitae non habebat, *et inventus est* in gemitu poenitentiae. *Et coeperunt epulari*, ubi apostoli confortati sunt, cum Spiritus Sanctus in igneis linguis super eos venit.

Erat autem filius ejus senior, id est angeli qui ante hominem creati sunt, *in agro*, scilicet in coelesti cultura. *Et cum veniret* per supernam missionem, *et appropinquaret* [2]) *domui*, scilicet cum ad homines in majori dilectione quam prius fecissent, descenderent, *audivit symphoniam*, videlicet rumorem bonae laudis, ita quod apostoli faciebant prodigia et signa magna in populo [3]), *et chorum*, id est completionem justitiae. *Et vocavit unum de servis*, scilicet unitatem prophetiae, *et interrogavit*, quaerens scilicet mystica prophetarum, *quae haec essent*, mira quae videret. *Isque dixit illi* per oracula prophetarum: *Frater tuus*, scilicet homo, *venit* ad poenitentiam, *et occidit pater tuus* Deus *vitulum saginatum*, videlicet tradidit pro eo Filium suum, quia salvum illum recepit, de diabolica potestate ereptum.

Indignatus est autem, id est admiratus est stupendo, quomodo haec fieri possent, *et nolebat intrare*, quia passione Christi non indigent, nec gaudio quod super uno peccatore poenitente fit.

Pater ergo illius egressus, in ostensione voluntatis misericordiae suae, *coepit rogare illum*, ubi angelos misit in salutem populi per admonitionem Spiritus Sancti in reaedificatione Ecclesiae, cum angeli ad necessitates hominum mittuntur. *At ille respondens*, scilicet ruminantes sciscitatione Dei, *dixit patri suo*: *Ecce tot annis*, id est omni tempore ex quo creatus sum, *servio tibi*, conjunxi me servituti tuae, *et nunquam dedisti mihi haedum*, scilicet dedisti mihi ullam partem poenitentiae in gratia in qua peccata fratris mei redemisti, [4]) *ut cum amicis meis*, videlicet hujusmodi signis et mirabilibus ac virtutibus *epularer*, id est novum gaudium in nova symphonia haberem. *Sed postquam filius tuus hic*, qui creatura tua est, *qui devoravit*, id est consummavit *substantiam suam cum meretricibus*, scilicet perficiendo opera sua cum gulosis vitiis, *venit*, id est ad te rediit in poenitentia, *occidisti illi vitulum saginatum*, cum ostendisti ei effusionem sanguinis Filii tui, qui pinguedinem vitae credentibus attulit.

[1]) *epulemus* et mox *epulare*, sed infra *epularer*; sic variat cod. — [2]) *propinquaret* ib. — [3]) Act. apost. V, 12. — [4]) *fratris tui*, id est hominis juxta allegoriam.

At ipse Deus *dixit illi* in admonitione: *Fili, tu semper mecum es* in puritate et sanctitate, faciem meam continue inspiciendo, quia homo dum in mortali corpore est, faciem meam videre non poterit, *et omnia mea*, scilicet miracula illa, quae in fratre tuo perfeci, *tua sunt*, quoniam tu inter me et hominem internuncius semper eris. *Epulari autem*, quia in sanguine Filii mei redemptus, et in effusione Spiritus Sancti homo confortatus est, *et gaudere oportebat*, in resurrectione perditi hominis, *quia frater tuus*, homo *mortuus erat* in coelestibus et in bona scientia, *et revixit*, in agnitione Dei et in radice justitiae; *perierat*, quia ante oculos Dei cibo vitae carendo clarus non apparuit, *et inventus est* in Christo per gemitum poenitentiae, redemptus sanguine ipsius [1]).

XIII.

In Dominica Resurrectionis.

I.

Maria Magdalene, [2]) id est vetus Testamentum, quod velut peccatrix in operibus erat, sed poenitens in significatione, *et Maria Jacobi*, scilicet humanitas Salvatoris, quae justitiam plantavit, *et Salome*, expiratio Spiritus Sancti, quae per totum orbem Evangelium notum fecit, *emerunt* in desiderio *aromata*, scilicet diversa signa et virtutes, videlicet vetus Testamentum, signando ut in ariete, prophetando ut David, et videndo ut Ezechiel, et humanitas Salvatoris testimonium Dei clamans, et expiratio Spiritus Sancti magnas virtutes ostendens, *ut venientes ungerent* amplectendo *Jesum*, Deum et Salvatorem.

Et valde mane, bonum incipientes, *una Sabbatorum*, scilicet uno desiderio, ut in bonis operibus Deum videant, *veniunt currendo* viam mandatorum Dei *ad monumentum*, ita ut se cum vitiis mortificent, *orto jam sole*, id est apparente clarissimo opere sanctitatis.

Et dicebant ad invicem, se exhortando vetus et novum Testamentum: *Quis revolvet nobis*, id est quis nos adjuvet, nisi Deus, quia vetus Lex carnalem copulam praecipit, et in novo Testamento expiratio Spiritus Sancti exhortando dicit, ut ab his abstineamus nos, et hoc facere non possimus, nisi Dei adjutorio: *lapidem*, scilicet pondus carnis, *ab ostio*, ubi semen est seminandi, de quo dictum est: « Crescite et multiplicamini et replete terram; [3]) » *monumentum*, videlicet mortificationis. Nam nec vetus, nec novum Testamentum praeceptum virginibus dedit, sed expiratio Spiritus Sancti illud exhortando instituit, ut scriptum est: « De virginibus praeceptum Domini non habeo. [4]) »

Et respicientes in recta fide, *viderunt* cognoscendo *revolutum*, id est *ablatum lapidem*, scilicet pondus carnis. *Erat quippe magnus valde*, quia pondus carnis in

[1]) Vide infra *Visionem ad Guibertum Gemblacensem*, ubi tertia exponitur allegoria magis priscis Patribus consentanea. — [2]) Marc. XVI, 1-7. — [3]) Genes, I, 28. — [4]) I Cor. VII, 25.

tanto pondere est, quod homini impossibile esset illud de se projicere et auferre, nisi per adjutorium Dei, ut dictum est: « Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum,[1] » quia Diabolus habet fiduciam « ut influat Jordanis in os ejus.[2] » Iste inimicus in virginibus et continentibus superabitur, et erit fornicatio scabellum pedum.

Et introeuntes per castitatem *monumentum*, scilicet mortificationem carnis, ubi se homines propter Deum mortificant, *viderunt* abrenuntiatione sui, *juvenem*, id est virilem fortitudinem, quae in virginitate et in continentia est, ita quod homo hoc quod in carne est dimittit, et hoc in spiritu aggreditur quod in carne non est, manens in castitate sine macula et sine ruga, *sedentem* ante tribunal Dei, *in dextris* potestatis Dei, ut dictum est: « Sede a dextris meis; » *coopertum* in circumcinctione, *stola*, scilicet prima veste innocentiae, *candida* in candore virginitatis, *et obstupuerunt* de irrisione Diaboli et de strepitu mundi.

Qui dixit illis exhortando: *Nolite expavescere*, id est ne terreamini, quia Salvator majorem potestatem in vobis habet quam fragilitas carnis vestrae sit. *Jesum quaeritis* in impossibilitate et in impotentia carnis vestrae, *Nazarenum*, qui in carne vestra sanctificabitur, *crucifixum*, et in vobis crucifigitur, ut scriptum est: « Vere languores nostros portavit,[3] » quoniam pro nobis passus est, *surrexit* in sanctitate vestra « ad currendam viam, et a summo coelo egressio ejus,[4] » *non est hic*, in tali infirmitate et instabilitate, ut vos estis. *Ecce locus*, id est aestimatio vacua est, *ubi positus erat*, scilicet ubi dubietas mentis vestrae putavit eum in impossibilitate habere, quia potens est vobis succurrere. *Sed ite* in celeri itinere, *dicite* annuntiando *discipulis* ejus, videlicet praeceptis, *et Petro*, scilicet ligaturae in qua ligati estis in angustia carnis, *quia praecedet vos* occurrendo in claris operibus vestris, *in Galilaeam*, cum malum transitis et bonum facitis. *Ibi eum videbitis*, auxiliantem, inspirantem et bona exempla ostendentem, *sicut dixit vobis*, scilicet sicut ejus incarnatio vobis demonstravit.

II.

Alio modo.

Maria Magdalene, scilicet scientia boni et mali, ita quod scientia mali est quasi peccatrix, et scientia boni velut poenitens per significationem; *et Maria Jacobi*, scilicet rationalitas quae sancta est, *et Salome*, id est proprietas totius gustus carnis, *emerunt* in hoc quod voluntatem suam dimittunt, et faciunt quod nolunt, *aromata*, videlicet suavissima dona virtutum, *ut venientes* properando, *ungerent* in charitate cognoscentes, *Jesum*, id est Deum.

Et valde mane properant, ante quam radix mali oriatur, *una* festivitate *sabbatorum*, scilicet Judaei veniunt requirendo *ad monumentum*, id est ad bonum desiderium in rationalitate, *orto jam solo*, videlicet ante ortum calorem et aestum carnalium desideriorum.

Et dicebant conferendo *invicem*, scientia, rationalitas et gustus: *Quis* angelorum

[1] Ps. CIX. 3. — [2] Job. XL, 18. — [3] Is. LIII, 4. — [4] Ps. XVIII, 7.

vel hominum, *revolvet*, id est auferet nobis tendentibus ad carnalia, *lapidem*, scilicet duritiam illam quod bona opera facere nolumus, *ab ostio* videlicet clausura *monumenti*, scilicet boni desiderii.

Et respicientes gratiam Dei, *viderunt revolutum*, id est ablatum *lapidem*, id est duritiam, ita ut postea gaudium in bono habeant. *Erat quippe magnus valde*, quia duritia haec tanta est, ut homo eam sine gratia Dei amovere non possit.

Et introeuntes, quieta mente *in monumentum* ad bonum desiderium, *viderunt juvenem*, id est aliam vitam, *sedentem*, scilicet colentem, *in dextris*, scilicet in circuitu potestatis Dei, *coopertum*, videlicet tectum *stola candida*, id est coelesti desiderio; *et obstupuerunt* propter aliam vitam quam incipiunt, quia homines sunt.

Qui dixit illis, eos in novitate alterius vitae consolando: *Nolite expavescere*, respiciendo ad illa quae in carnalibus dimisistis. *Jesum quaeritis*, videndo ad ipsum, *Nazarenum* qui vos sanctos faciet, *crucifixum*, ita ut vobis crucifixus sit in carnalibus desideriis, ut per bona desideria bona opera facere possitis, *surrexit, non est hic*, quia modo in vobis non est sepultus, ut prius erat. *Ecce locus* inquietudinis mentis vestrae, *ubi positus erat*, putantes quia justa et sancta opera facere non possetis. *Sed ite* bono rumore, *dicite* annuntiantes *discipulis ejus*, id est vestigiis et exemplis ejus, *et Petro*, quoniam nunc duri ad voluntatem nostram estis, *quia praecedet vos* praeparando vobis aeternam mansionem, *in Galilaeam* transeundo ad vitam. *Ibi eum videbitis* in invocatione illa: « Venite, benedicti Patris mei,[1] » sicut dixit vobis per prophetas et per seipsum et per Scripturas.

XIV.

In Dominica secunda post Pascha

I.

Ego[2] Verbum Patris, *sum pastor*, scilicet creator *bonus* creaturarum, quia omnes de me procedunt, et ego eas omnes in plenitudine pasco. *Bonus pastor animam suam*, scilicet vitam, qua omnia suscitavit, *dat* ponendo in corporali forma *pro ovibus suis*, id est electis.

Mercenarius, videlicet Diabolus, qui post ruinam se ovibus in fallacia conjunxit, *et qui non est pastor*, quia oves decipit, *cujus non sunt oves propriae*, quoniam eas nec fecit, nec redemit, *videt* in astutia sua *lupum*, scilicet rationalitatem, cum rationalitas in malis hominibus lupus facta est, quoniam in scientia boni et mali Domino contradicit, *venientem* in temeritate. Sed cum Deus hoc diutius tolerare non vult, ille *dimittit oves* fortiori Deo, ut scriptum est: « Cum fortis armatus custodit atrium suum[3] », *et fugit*, nil plus audendo. *Et lupus*, id est rationalitas in lupanares[4] mores versa, *rapit* bonam scientiam, *et dispergit oves* dissipando eas in perversitate. *Mercenarius autem fugit* a veritate, *quia mercenarius est*, ubi se

[1]) Matth. XXV, 34. — [2]) Joan. XI, 14. — [3]) Luc. XI, 21. — [4]) *lupanares*, audax epithetum.

sanctitati cum dolo et fraude conjunxerat, *et non pertinet ad eum de ovibus*, quia nulla bona vult.

Ego qui omnia feci, *sum pastor bonus, et cognosco* [*oves*] [1]) *meas*, scilicet omnes electos qui in me manent, et creaturas, quia de me processerunt, *et cognoscunt me meae*, quoniam omnes ad me aspiciunt postulando et gustando omnia necessaria. *Sicut novit me* in humanitate *Pater*, id est Divinitas, *et ego agnosco Patrem*, scilicet Divinitatem, *et animam meam*, videlicet vitam qua eas suscitavi, *pono* in humano corpore *pro ovibus meis*.

Et alias oves, quae errant in fide et in multis vitiis, *habeo* reservatas ad poenitentiam; *quae non sunt ex hoc ovili*, quia me bonis operibus nondum tetigerunt, sed contradixerunt, *et illas oportet me adducere*, quoniam reservati sunt ad vitam, in qua illis clamabo, quia eos feci, *et vocem meam* in vera incarnatione *audient*, quia de me processerunt. *Et fiet unum ovile*, videlicet una congregatio in fide, *et unus pastor*, scilicet Deus in omnibus et super omnia benedictus.

II.

Alio modo.

Ego, quae fundamentum sum virtutum, *sum pastor*, id est fides, *bonus*, scilicet utilis. *Bonus pastor*, videlicet fides, *animam suam*, id est vocem *dat*, scilicet emittit, *pro ovibus suis*, videlicet virtutibus.

Mercenarius, id est infidelitas, *et qui non est pastor*, scilicet diversus error, *cujus non sunt oves*, videlicet virtutes propriae, quoniam ei non sunt innatae, *videt lupum*, id est periculum animarum, *venientem* in errore, *et dimittit oves*, scilicet abjiciendo virtutes, quibus se per deceptionem conjunxerat, *et fugit* se subtrahendo in adjutorie, quia possibilitatem adjuvandi in bono non habet. *Et lupus*, scilicet periculum animarum, *rapit* fructuositatem [2]) virtutum, *et dispergit*, videlicet contristat *oves*. *Mercenarius autem fugit*, ubi in bonis sonat, sed bona non habet, *quia mercenarius est*, mendacium habens, quoniam illi bona alligata non sunt. *Et non pertinet ad eum* sanctitate *de ovibus*, id est virtutibus.

Ego sum pastor bonus in magna utilitate, *et cognosco oves meas*, virtutes quae de me natae sunt, *et cognoscunt me meae*, quia de me venerunt. *Sicut novit me* in ostensione *Pater*, id est aeternitas, *et ego agnosco Patrem*, quia aeternitatem ostendo, *et animam meam*, scilicet sonum, *pono* in dulcedine *pro ovibus meis*, quia occido inimicos qui illos destruere volunt. [3])

Et alias oves, scilicet virtutes *habeo* in observatione, *quae non sunt ex hoc ovili*, quia in his virtutibus notae non sunt, *et illas oportet me adducere*, quando inimici eos destruere volunt: illis clamabo, ut in magno auxilio et in novis miraculis veniant, *et vocem meam* in admonitione per omnia, in multis signis *audient* percipiendo. *Et fiet unum ovile*, id est una militia in Deo, *et unus pastor*, scilicet una fides Judaeorum et Christianorum.

[1]) *oves* om. cod. — [2]) *fructuositate* cod. — [3]) *nolunt* ib.

XV.

In Ascensione Domini.

I.

Recumbentibus undecim discipulis, [1]) id est dormitantibus prophetis et sapientibus, quasi in dubitatione, quia nondum duodenarium numerum habebant in incarnatione Domini, *apparuit illis* in ostensione Jesus, scilicet signa, ut in Abraham in ariete, et ut in Jacob per angelum, *et exprobravit* flagellationibus *incredulitatem illorum* in ignorantia, *et duritiam*, scilicet tenebrositatem [2]) *cordis*, scilicet scientiae, *quia his* signis et prodigiis, *qui viderant eum* demonstrando *resurrexisse* venturum in humanitate, *non crediderunt* pleniter.

Et dixit, scilicet signa, *eis* prophetis et sapientibus: *Euntes* vos dilatando in inspiratione Spiritus Sancti, *in mundum universum* totius orbis, *praedicate* fructificantes secundum latitudinem arborum, *evangelium,* Deum ostendendo *omni creaturae* gustanti bonum in natura sua, scilicet homini. *Qui crediderit* audiendo vos in apertione cordis, *et baptizatus fuerit*, perfusus benedictionibus, *salvus erit* in salute. *Qui vero non crediderit*, ita ut semetipsum in incredulitatem infidelitatis ducat, *condemnabitur* in maledictione. *Signa autem*, scilicet exempla *eos qui crediderint* vobis, *haec sequentur*, [3]) id est habebunt in vobis. *In nomine meo*, scilicet in ostensione *daemonia*, scilicet pseudoprophetas *ejicient* fugando, *linguis loquentur novis,* id est in exquisitione quasi coelaturas in prophetis et Scripturis facient. *Serpentes* videlicet deceptiones fallacium, *tollent*, ut etiam fallax serpens sublatus est. *Et si mortiferum* dubitationis *quid biberint* in incredulitate, *non eis nocebit*, in reversione ad poenitentiam. *Super aegros*, qui cum idolis versantur, *manus* in verbo et in opere veritatis, *imponent* dicendo, *et bene habebunt*, justitiam Dei ostendendo.

Et dominus quidem Jesus, videlicet signa miraculorum, *postquam locutus est eis*, ubi haec miracula in prophetia impleta sunt, *assumptus est in coelum*. Christus veraciter ostensus est in incarnatione, ut praedictus fuerat, *et sedet* Deus manifestatus, *a dextris Dei*, quia coelum et terram in majestate comprehendit.

Illi autem profecti in prophetia, *praedicaverunt ubique*, Deum ostendendo in Scripturis, *Deo cooperante* in corpore Christi per humanitatem, *et sermonem* scilicet dona Spiritus Sancti *confirmante* in virtutibus, *sequentibus signis*, in multis miraculis.

1) **Marc. XVI, 14-20.** — 2) ***tenebrositate*** **cod.** — 3) ***haec sunt*** **id.**

II.

Alio modo.

Recumbentibus undecim discipulis, [1]) videlicet illis in pigritia jacentibus, qui ad perfectionem nondum surrexerunt, quia Deum sciunt, sed se erigere non audent, unde et beatitudine carent, *apparuit* in ostensione, *illis Jesus*, id est timor Domini, *et exprobravit* incutiendo *incredulitatem illorum*, scilicet poenas, *et duritiam cordis*, id est gehennam ignis, *quia his* demonstrationibus, *qui viderant eum resurrexisse*, quoniam sciunt quod Deus timendus est, *non crediderunt* fidem adhibendo. *Et dixit eis* timor Domini: *Euntes* de immunditia ad munditiam, *praedicate* aperiendo *evangelium*, id est bonitatem, *omni creaturae*, scilicet justitiae Dei. *Qui crediderit*, mala dimittendo, et *baptizatus fuerit*, bona incipiendo, *salvus erit*, id est amicus Deo appellabitur. *Qui vero non crediderit*, scilicet qui se ad malum reducit, *condemnabitur*, videlicet inimicus Dei est. *Signa autem*, scilicet laus, *eos qui crediderunt*, id est qui mala dimiserunt, bona aedificando, *haec sequentur* Deum amantes. *In nomine meo daemonia*, scilicet nociva *ejicient* expellendo, *linguis loquentur novis*, ubi novi erunt in moribus, *serpentes tollent*, quia diabolicas artes repellent; *et si mortiferum quid biberint*, [2]) id est si malo communicaverint, *non eis nocebit*. quia per poenitentiam in bono resurgent. [3]) *Super aegros*, scilicet infirma et debilia, *manus*, id est fortia facta, *imponent* ea requirendo, *et bene habebunt* in remuneratione resurrectionis.

Et Dominus quidem Jesus, scilicet timor Domini, *postquam locutus est eis*, cum victoriam perficeret, *assumptus est in coelum*, ubi bona desideria ad Deum ascendunt, *et sedet a dextris Dei*, quia quietem in virtutibus Deum timentibus parat.

Illi autem qui in pigritia prius jacuerant, *profecti* ad bonam famam, *praedicaverant ubique*, diffamantes [4]) probitatem virtutum, *Deo cooperante*, timore Domini adjuvante in martyrio Christi, *et sermonem*, scilicet bona exempla *confirmante*, id est dante, *sequentibus signis*, scilicet sacris remunerationibus in vita aeterna.

XVI.

In Inventione sanctae Crucis.

I.

Erat homo [5]), id est pseudopropheta *ex Pharisaeis*, scilicet de justis prophetis venientes, *Nicodemus nomine*, videlicet incesti, [6]) ut Balaam et alii similes, *princeps*, habentes quidem nomen sapientiae. *Judaeorum*, Deum verbis intueri volentes absque opere.

Hic venit ad Jesum, Deum quidem cognoscentes, *nocte* in nocturna scientia, *et*

[1]) Marc. XVI, 14-20. — [2]) *biberunt* cod. — [3]) *resurget* cod. — [4]) idest *divulgantes*. — [5]) Joann. III, 1 - 15. — [6]) *incesti*, me fugit etymon cum allegoria. An legendum *scelesti*?

dixit ei cogitando, *Rabbi* omnium, *scimus* in intellectu nostro, *quia a Deo venisti magister,* id est quod Deus es. *Nemo enim potest haec signa facere quae tu facis,* quia hanc possibilitatem nullus habet, scilicet omnia facere, *nisi fuerit Deus cum eo,* id est nisi Deus. Nam coelum, solem, lunam, et alia signa, quae in superioribus constituta et posita sunt, quis posset facere, nisi Deus quem nullus hominum in corpore manens videre potest?

Respondit Jesus, id est responsum a Spiritu Sancto acceperunt; *et dixit ei* per quaedam signa: *Amen, amen dico tibi* in veritate: *Nisi quis natus fuerit denuo,* quia coelestis vita quae videri non potest, plus proderit quam vita ista quae videri potest, *non potest videre regnum Dei,* quoniam in hoc saeculo regnum Dei ab hominibus videri non potest.

Dicit ad eum Nicodemus, pseudo prophetae: *Quomodo potest homo nasci,* id est quae prosperitas est in illa invisibili vita, *cum sit senex,* scilicet cum haec visibilis vita tam parum valeat? *Numquid potest,* scilicet est possibile ut vita illa descendat *in ventrem matris* suae, quia haec visibilis vita praecedit, et coelestis vita subsequitur, *iterum introire* ad primum initium et renasci, [1]) videlicet ut alia vita fiat?

Respondit Jesus opinioni illorum: *Amen, amen dico tibi* in vera ostensione: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua,* quia omnis creatura circuitum habet in aqua, ita ut absque aqua non fit, nec vivat, *et Spiritu,* quoniam cum Spiritus Domini ferebatur super aquas, [2]) apparuit quod Spiritus Domini aquam efflavit et vivificavit; unde et spiritus hominis in eo ad vitam resuscitatur in baptismo; *non potest introire in regnum Dei,* videlicet quia solus homo est in ariditate a primo ortu propter inobedientiam Adae. *Quod natum est de carne, caro est,* quia caro carnem educit, et homo est, *et quod natum est de spiritu, spiritus est,* [3]) ubi in aqua suspirabit et aliam vitam videbit. *Non mireris* in incredulitate, *quia dixi tibi* ut vitam habeatis, *oportet vos* [4]) *nasci denuo,* quia ut tabes reducitur ad sanguinem, sic etiam homo reducetur in aqua ad Spiritum Sanctum.

Spiritus ubi vult per justitiam, *spirat* sonando, *et vocem ejus,* scilicet volatum *audis,* intelligendo et sentiendo, *et nescis unde veniat,* quoniam nullus hominum illum videt, nec itinera ejus scit; *aut quo vadat,* ita ut aliam vitam comprehendat, aut corporaliter videri queat. *Sic est omnis,* videlicet vita uniuscujusque creaturae moventis se invisibilis: *qui natus est ex Spiritu,* quia quidquid, vivit prius invisibilite resuscitatur ad vitam, quam se corporaliter moveat, unde natum quasi suscitatum ex Spiritu dicitur.

Respondit Nicodemus, scilicet pseudoprophetae, *et ait illi sic* cogitando: *Quomodo* [possunt] *haec fieri,* scilicet ut invisibili vitae magis credendum sit quam visibili? *Respondit Jesus,* videlicet Deus, *et dixit ei: Tu es magister* in praecellenti persona *in Israel,* quasi sanctorum, *et haec ignoras?* sed veritatem nescitis. *Amen, amen dico tibi, quia quod scimus, loquimur,* ita quod ego sum in scientia loquendi *et quod vidimus* in scientia videndi, *testamur* affirmando, *et testimonium nostrum non accipitis,* ita ut ostensionem utriusque attestationis nesciatis. *Si*

[1]) *et nasci* cod. — [2]) Gen. I, 2. — [3]) *de Spiritu Sancto est* cod. — [5]) id. om. *oportet vos.*

terrena, id est visibilia quae vos estis, *dixi vobis* demonstrando, *et non creditis* ea nesciendo, *quomodo si dixero vobis coelestia,* quae videre non potestis *credetis?* id est quomodo scire poteritis quod ego sum? *Et nemo ascendit in coelum,* id est nulla tenebrosa scientia ascensum habet in coelum, *nisi qui de coelo descendit,* scilicet quod intinctum est [1]) illo quod vita aedificavit in clara forma, *Filius hominis qui est in coelo,* quia homines animas de coelo accipiunt, quae ad coelum per bona opera redeunt, cum etiam membra Filii Dei sunt.

Et sicut Moyses, scilicet Scriptura, quae de Spiritu Sancto sumpta est, *exaltavit,* [2]) id est ostendit denudatum in exaltatione salutis, *serpentem,* scilicet nequitiam hominum, *in deserto,* scilicet de perditione mortis, *ita exaltari oportet* in erectione *Filium hominis,* quando spiraculum vitae in homines ad vitam mittitur, ut [3]) credentes salventur, *ut omnis* anima, *qui credit in ipso* homine, *non pereat* adnullata, sed ut salventur qui in Deum credunt, *sed habeat vitam aeternam,* scilicet ut vita cognoscatur, quae in superioribus videtur, quia corpus per quod vita cognoscitur, arescit, et vita in Deo manet.

II.

Alio modo.

Erat, id est cognitum est, *homo,* scilicet malum, *ex Pharisaeis,* scilicet de recto, quia malum de bono cognoscitur. *Nicodemus nomine,* quod est nihil, quia per illud ea quae sunt bona et justa cognoscuntur et probantur.

Hic venit ad Jesum, videlicet ad summum bonum, *nocte,* scilicet in odio et in invidia, *et dixit ei* tentando: *Rabbi,* quia omnia disponis, *scimus* videndo, *quia a Deo venisti magister,* ita ut nulla potestas sit praeter te. *Nemo enim potest haec signa facere quae tu facis,* id est nulli potestas, victoria et opera famulantur, *nisi fuerit Deus cum eo,* nisi tibi soli qui Deus es.

Respondit Jesus, et dixit ei per ostensionem: *Amen, amen dico tibi* in vera demonstratione: *Nisi quis natus fuerit denuo,* id est nisi creatura exerceat opus suum vivificatione illa quae vacua esse non debet, quod tu non facis, quia nihil es, *non potest videre regnum Dei,* quoniam ad vivificationem illam non exsurget quae omnia implet, quia quaeque terrena et caduca creatura in ortu initii sui renascendo resurgit.

Dicit ad eum Nicodemus, scilicet malum quod nihil est: *Quomodo potest homo nasci?* id est, quali modo valet creatura se in opere suo exercere, *cum sit senex,* scilicet cum tibi sit inobediens? *Numquid potest in ventrem matris suae iterum introire,* ita ut iterum audiat illud primum Fiat, et aliam sphaeram assumat, *et nasci,* ubi: Dixit [4]) et facta sunt?

Respondit Jesus, summum bonum: *Amen, amen dico tibi* quae scire non vis: *Nisi quis renatus fuerit,* id est nulla forma creaturarum ambulat, nec stat, nec videri potest, nisi creata et vivificata, *ex aqua* incrementi *et spiritu* vivificationis, *non potest introire in regnum Dei,* id est, nisi rota quae vita est, eam circum-

[1]) Nescio an legendum *instinctum* vel *instructum* est, in hac obscuritate vox via tentatur. — [2]) *exaltavit* om. cod. — [3]) *in credentes* cod. — [4]) *dixisti* cod. Ps. XXXII. 9.

ducat, non vivit, quia et animalia et aliae creaturae cum formantur, in abdito nata dici possunt; cum vero aerem tetigerint, vel incrementum viriditatis aut vim fortitudinis, renata dicuntur. *Quod natum est*, productum est *de carne*, *caro est*, nihil sciens, quia forma indiget, rota scilicet vita, [1]) *et quod natum est de spiritu, spiritus est*, vel aere vel incremento vivificatum, quoniam rota quae vita est, tota potestas est. *Non mireris*, quod tu solum es, nec vitam [2]) desideras, *quia dixi tibi*: *Oportet vos nasci denuo*, id est vitam confiteri, quoniam ego vita sum, [3]) et omnes creaturae per me vivunt.

Spiritus ubi vult, id est ubi novit sic esse debere, *spirat* vivificando, quia rota vitae quam tango. nec stat, nec vadit, nec volat sine me; *et vocem ejus*, scilicet vivificationem *audis* sentiendo, *et non scis unde veniat*, quaeque vivificans, *aut quo vadat*, vivificata immutans, quia omnia invisibiliter continet. Sic est omnis qui natus est ex Spiritu, quia talis est mea potestas, quam tu nescis, nec scire vis in vita.

Respondit Nicodemus, scilicet nihilum, *et ait illi* dubietatem inferendo: *Quomodo possunt haec fieri?* ita quod non palpetur, nec videtur, nisi mendacium sit. *Respondit Jesus et dixit ei* resistendo: *Tu es magister*, id est faber, qui omnia limas *in Israel* quae limanda sunt, *et haec ignoras*, quia quid est quod limas, nisi quod nescitur? Quod autem scis, scire non cupis, et illa quaeris quae ignoras, quae scire non poteris. *Amen, amen dico tibi*, *quia quod scimus*, *loquimur*; quae ergo scio, et profero ad vitam; *et quod vidimus*, *testamur* in forma ostendendo, *et testimonium nostrum non accipitis*, quia quod invisibile est, adest mihi, quae [4]) omnia tu non vides. *Si terrena dixi vobis et non creditis*, id est si terrenam formam quae videri non potest, nescis, *quomodo si dixero vobis coelestia, credetis*? quia quod invisibile est, non intelligis; quoniam cum ascendere vis, caput non habes; cum autem sedere vis, pedes non habes. Vultum enim creaturae nescis, nec iter spiritus cognoscis.

Et nemo ascendit in coelum, id est nulla creatura crescentium creaturarum crescit, nisi viriditas ejus eam contineat, *nisi qui de coelo descendit*, ad formam informata, quia etiam nulla forma esse potest, *nisi* de me sit, *filius hominis qui est in coelo*; quoniam creaturae primum invisibiliter formari incipiunt, et de me vitam sumunt, quia viror eorum sum.

Et sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, id est sicut aqua fumum suum sursum mittit de imo, quia cum mobilis fumus aquae ascendit, aqua quae videtur forma est, *ita exaltari oportet filium hominis*, scilicet ita etiam ascendit de me vigor et viriditas ad confortationem caeterarum creaturarum, *ut omnis qui credit*, *in ipso*, videlicet ut cuncta creatura quae in vigore et in viriditate sua constat, *non pereat*, id est ne diffluat, quia vita unde creaturae vivunt, invisibilis est, quia ita credenda est, *sed habeat vitam aeternam*, quia unaquaeque putredo abjicienda est, et quod manet, tenendum. Tu malum solum es, [5]) nec vitam vis, sed vitam negas. Qui autem vitam confitetur, in vita est.

[1]) *vitae* suspicaberis, nihil muto, ob sequentia: *rota quae vita est.* — [2]) *nec vita desideres tu solum est.* sic cod. — [3]) Joan. XIV, 6. — [4]) f. *quia.* — [5]) *solus et* cod. apogr.

III.

Alio modo.

Erat homo, id est peccator, *ex Pharisaeis*, scilicet a multis operibus, *Nicodemus nomine*, id est praevaricator, *princeps Judaeorum*, videlicet mala sua confitentium.

Hic venit ad Jesum, scilicet ad poenitentiam, *nocte* in dubitatione, *et dixit ei: Rabbi*, quia modum poenitentiae temperas, *scimus quia a Deo venisti magister*, ita ut a Deo sis, et non ab alio. *Nemo enim potest haec signa facere quae tu facis*, ita ut peccatores ad vitam reducas, *nisi fuerit Deus cum eo*, nisi per Spiritum Sanctum.

Respondit Jesus et dixit ei, qui ad Deum reverti vult: *Amen, amen dico tibi* sine dubio: *Nisi quis natus fuerit denuo*, ita ut novus in conversione peccata dimittendo fiat, *non potest videre regnum Dei*, si in malo perseveraverit.

Dicit ad eum Nicodemus, scilicet praevaricator: *Quomodo potest homo nasci*, id est novus fieri in sanctitate, *cum sit senex*, scilicet inveteratus in peccatis. *Numquid potest in ventrem*, videlicet in comprehensionem, *matris suae*, id est innocentiae, *iterum introire*, videlicet angustias pro peccatis suis habere, *et nasci*, id est peccata dimittere?

Respondit Jesus: Amen dico tibi, hoc demonstrans: *Nisi quis renatus fuerit*, veterem hominem abjiciens, *ex aqua* poenitendo gemitibus et lacrimis, ita ut mala devitet, *et spiritu* compunctionis ad vitam, ut bona faciat, *non potest introire in regnum Dei*, ut consors Christi efficiatur. *Quod natum est de carne*, in putredine peccatorum, *caro est*, in peccatis jacens sine lavatione poenitentiae: *et quod natum est de spiritu*, excitatum ad poenitentiam inspiratione Spiritus Sancti, *spiritus est*, scilicet ea sapit quae ad vitam sunt, cum poenitet. *Non mireris*, videlicet durum tibi non sit, *quia dixi tibi: Oportet vos nasci denuo*, id est per compunctionem et poenitentiam renovari ad vitam.

Spiritus, scilicet Sanctus *ubi vult*, *spirat*, in compunctione lacrimarum, *et vocem ejus audis* in confessione peccatoris, *et nescis unde veniat*, per gratiam ad cor peccatoris eum admonendo, *aut quo vadat* eum confortando, ut in bonis perseveret. Sic est omnis reductus ad vitam, qui natus est ex Spiritu, per poenitentiam ad vitam resurgens.

Respondit Nicodemus, id est praevaricator, duritiam deponens, *et ait illi*: *Quomodo possunt haec fieri*, ut qui multis peccatis noxius est, innocens de peccatis fiat? *Respondit Jesus*, id est poenitentia, *et dixit ei* confortando et exhortando peccatorem: *Tu es magister*, quia compunctionem habebis, *in Israel*, sursum in gemitibus suspirans, *et haec ignoras*, quod vitam habeas peccata tua confitendo?

Amen, amen dico tibi, quia quod scimus, loquimur, homines per confessionem ad vitam resurgere, *et quod vidimus*, *testamur*, ita quod multam gloriam deinde consequentur, *et testimonium nostrum non accipitis*, si in dubietate perseverare vultis, nihil vobis proderit. *Si terrena dixi vobis*, id est ut peccata vestra dimittatis, *et non creditis*, ut sic ad vitam resurgatis, *quomodo si vobis dixero coelestia*, quia ma-

gnam remunerationem habebitis, cum omnia vestra propter Deum relinquitis, *credetis,* supernam mercedam vos habituros? *Et nemo ascendit in coelum*, ut coelestia desideret, *nisi qui de coelo descendit*, per suspiria cordis ostendens quod absconsum et occultum erat in corde suo, *filius hominis*, scilicet in hoc se hominem per poenitentiam demonstrans, qui est in coelo, quia gemitus primum in occulto cordis incipit, et tandem homines ad invisibilem contemplationem, quae in coelo est, perducit.

Et sicut Moyses, id est compunctio cordis *exaltavit* sursum erigendo *serpentem*, id est ariditatem cordis, *in deserto* de vitiis illos qui in peccatis sunt, quia compunctio ad vitam trahit, *ita exaltari oportet*, id est resurgere etiam illum a terrenis in quibus jacet, *filius hominis*, quia non multa delinquit, *ut omnis qui credit in ipso*, ita ut putet se poenitentia non indigere, quia non multum peccat, sed sicut peccatores ad vitam poenitentes resurgunt, ita etiam illi qui se putant non peccare, pro hac eadem causa poenitentiam faciant, *non pereat* sine poenitentia, seu in negligentia, vel in falsa fiducia, *sed habeat vitam aeternam*, cum simul per gratiam Dei ad vitam resurgant.

XVII.

In feria V post II Dominicam Quadragesimae.

I.

Homo quidam, [1]) qui designat homines in terra conversantes, *erat dives valde,* ostendens sapientes et prudentes, qui in sapientia sua extolluntur, et in timore et in honore Dei torpent, nec in se aspiciunt, se homines cognoscentes. *Et induebatur purpura*, id est circumdantur honore quem homines eis exhibent, *et bysso* id est rumore de quo gaudent, *et epulabatur quotidie*, scilicet ut requirant quotidiana officia voluntatis suae, *splendide*, videlicet sine timore Domini.

Et erat quidam mendicus, id est idiotae et simplices, qui in gustu animarum suarum gemunt, ita quod sapientiam et prudentiam libenter haberent, sed ad illam ascendere non possunt, *nomine Lazarus*, ita quod sunt [2]), *qui jacebat*, in sensibus suis prostrati, ad *januam ejus*, id est ad apertum sensum sapientium praelatorum, *ulceribus plenus*, scilicet miseris desideriis, quae pauperes spiritu in desiderio habent, ubique circumdati; *cupiens saturari,* videlicet repleri, *de micis*, id est minimis donis sapientiae, *quae cadebant*, scilicet excedebant mensuram donorum, sicut fragmenta illa quae superfuerunt his qui manducaverant, *de mensa,* id est de comprehensione quam homo in intellectu suo comprehendit, *divitis*, id est superexcedentis culmen prudentiae, *et nemo*, videlicet nec superflua voluntas eorum, nec stulta sciscitatio ipsorum, quasi nihilum sint, *illi dabat* dona sapientiae, quam inaniter quaerebant. *Sed et canes*, id est pauper humanitas, *veniebant* in mentem ipsorum, *et lingebant* admonendo *ulcera ejus*, scilicet miserum desiderium eorum, ita

[1]) Luc. XVI, 19-31. — [2]) Nescio annon aliquid exciderit, dein *quia jacebat* cod.

ut nec altius, nec profundius quidquam in aestimatione sua discernere possint quam Deus velit.

Factum est autem, inspirante Deo, *ut moreretur* in mortificatione illa *mendicus*, quia [1]) se pauperes et simplices idiotae ita humiliant, ut eis sufficiant omnia in humili scientia, quam [2]) Deus eis donaverit, ut scriptum est: « Beati mortui, qui in Domino moriuntur, » *et portaretur*, id est exaltaretur, *ab angelis*, id est a sanctis virtutibus, in *sinum*, in susceptione *Abrahae*, sanctitatis sanctorum Patrum.

Mortuus est autem de omni gaudio et laeta vita, ita ut nec cum Deo, nec cum hominibus gaudium habeant, *et dives*, illi qui in sapientia sua se injuste extollunt, ut Origenes, [3]) *et sepultus est*, remanens in magno taedio, *in inferno*, scilicet in desperatione sine fiducia totius spei.

Elevans autem aspiciendo *oculos suos*, scientiam suam, *cum esset in tormentis*, id est in afflictione spiritus sui, quia sine consolatione sunt, *vidit* in scientia ipsorum *Abraham*, id est sanctitatem et gloriam sanctorum; *a longe*, alieni a spe, *et Lazarum*, videlicet pauperem spiritu, *in sinu ejus*, scilicet in comprehensione et in amplexione gaudiorum Evangelii et prophetarum, et illorum qui haec in operibus complent.

Et ipse clamans erumpendo cum lacrimis, *dixit*: *Pater Abraham*, o sanctitas et gloria sanctorum, quae non gemitus [4]) procurare debes, *miserere mei* subveniendo nobis, *et mitte*, id est sinite *Lazarum*, id est hanc paupertatem spiritus cum aliqua consolatione ad nos fluere, *ut intinguat* in suavi unctione *extremum*, id est minimum, *digiti sui*, scilicet operis sui, *in aquam*, videlicet in sapientia consolationis, *ut refrigeret* in suavissimo temperamento, *linguam meam*, superexcedentis sermonis quem locutus sum; *quia crucior*, ubi constricta est anima mea, *in hac flamma*, id est in ardenti ardore, quia nescio quid facere possim.

Et dixit respondendo, *illi* clarae sapientiae, *Abraham*, gloria sanctorum: *Fili*, creati [5]) a Deo, *recordare* respiciendo, *quia recepisti* habendo *bona* per pinguedinem *in vita tua*, id est in omnibus causis quas incoepistis, *et Lazarus*, paupertas humilitatis, *similiter* e contrario *mala*, scilicet dolorem et tristitiam. *Nunc autem hic consolatur*, quia suaves in Deo erant, modo gaudium in fine habent; *tu vero cruciaris* in constrictione, per dubietatem, quoniam altiora volunt quam habere possunt.

Et in his omnibus praedictis causis, *inter nos* qui humilitatem in scientia nostra secuti sumus, *et vos* qui in scientia vestra superbiam habuistis, *chaos magnum*, id est obscuritas mysteriorum Dei, *firmatum est*, scilicet constat, *ut hi* simplices propter Deum, *qui volunt* tentando, *hinc* a nobis simplicibus, *transire* sine constitutione Dei *ad vos*, id est ad vestras claras mentes, *non possunt* sapere quod in eorum elatione non est, *neque inde* a vobis elatis sapientibus, *huc transmeare* ad nos propter Deum idiotas, ita ut utrumque pleniter habeatis, videlicet elationem mentis vestrae, et paupertatem nostram in simplicitate, quia omnia a Deo juste ordinata sunt. Nam sol splendorem suum lunae non dat, nec luna claritatem suam soli, nec sol, nec luna splendores suos stellis, nec stellae claritates suas soli aut

[1]) *qua se* cod. apogr. — [2]) *quae Deus* cod. Mox Apoc. XIV. 13. — [3]) In meo apographo legitur liquido *ut oriencs*, ubi nil extrico, nisi inexpectatum nomen *Origenis*. — [4]) *nos genitos* sic cod. aut apogr. An quid arcani latet? — [5]) *creati* ibid. nec puta legendum *create*.

lunae. Sic majores magnitudinem suam in gaudio minoribus non dant, nec minores paupertatem suam majoribus, nec isti suam pusillis, nec pusilli in hos utrosque dona sua dividunt, ut scriptum est: « Ignis in conspectu ejus exardescet. [1]) »

Et ait, id est elati sapientes: *Rogo ergo* suppliciter *te, pater,* qui es gloria sanctorum, *ut mittas,* scilicet ostendas, *eum,* id est paupertatem, quae coelestis est, *in domum,* videlicet in potestatem *patris mei,* scilicet corporum nostrorum, ita ut tanta signa nobis cernentibus fiant, ut credamus quia Deus sic ad bonum nos cogat. Nam quidam dicunt: Utinam sic creati essemus, ut bonum semper faceremus, et malum negligere possimus!

Habeo enim quinque fratres, id est quinque sensus, *ut testetur illis,* in signis, *ne et ipsi veniant* per temeritatem *in locum hunc,* scilicet in constitutionem *tormentorum,* id est cruciamentorum, ut caveant ne in elatione cadant, sicut et nos cecidimus.

Et ait illi (elatis sapientibus) *Abraham,* gloria [2]) sanctorum: *Habent Moysen,* id est humanitatem Salvatoris, *et prophetas,* scilicet Scripturas, *audiant illos* cum scientia et fide.

At ille (elati sapientes) *dixit: Non* facias ita, *pater,* qui [3]) procurabis nos, *Abraham,* gloria sanctorum, *sed si quis* hominum *ex mortuis,* id est de absconso miraculo illo, quod sic creati essemus, ut cum mala facere vellemus, hoc perficere non possemus, et cum bonum vellemus, quod hoc possemus, *ierit* in istis signis et fama, *ad eos* injuste sapientes, *poenitentiam agent,* id est a malo se continebunt.

Ait autem illi (elatis sapientibus): *Si Moysen,* scilicet humanitatem Salvatoris, *et prophetas,* id est Scripturas, *non audiunt* in scientia et fide, *neque si quis* hominum *ex mortuis,* de non factis signis, videlicet quae nondum apparuerunt, *resurrexerit,* id est claresceret, *credent,* id est ad ullum usum nec lucem, nec tenebras intelligent, quoniam si homines ita creati essent, ut nec malum, nec bonum facere possint, quasi ligna essent, quae in aestate sunt florida, et in hieme arida, et sic ad imaginem et similitudinem Dei facti non essent, neque quinque sensus corporis haberent, nec Deum in laudibus scirent, nec Diabolum devitarent.

II.

Alio modo.

Homo quidam, scilicet voluptas in homine, *erat dives valde* in vicissitudine pinguedinis propriae voluntatis, *et induebatur,* id est iniit, *purpura,* scilicet gustum peccati, *et bysso,* videlicet deliciis, *et epulabatur* multiplicans [4]) *quotidie* unumquodque vitium, *splendide* ante faciem cordis sui.

Et erat quidam mendicus, scilicet suspirium ad Deum, *nomine Lazarus,* id est gemens, *qui jacebat* in quiete manens, *ad januam,* ad aperta vitia ejus voluptatis, *ulceribus plenus,* scilicet stultitia, ita ut nec bonum nec malum perfecte intelligat, praeter amorem carnis, *cupiens saturari,* ut sibi permitteretur, *de micis,* minima

[1]) Ps. XLIX, 3 — [2]) *gloriam* cod. — [3]) fortasse *quae* in apogr. — [4]) *multiplicat* cod.

culpa, ut vel minimum peccatum liceret eam facere sine periculo, *quae cadebant*, id est supersunt, ita ut voluptas de eis non curet, *de mensa*, de latitudine, *divitis*, id est voluptatis, *et nemo illi dabat*, quia in incoeptione sua non invenit hoc sibi licere, nec per voluptatem habere potuit ad saturitatem, *sed et canes*, id est oblivio Dei, quod homo Deum obliviscitur, *veniebant* in concussione. *et lingebant*, perfundunt, *ulcera ejus*, stultitiam quae Deum in amore carnis non intelligit, sed demulcet et dubiam facit mentem hominis.

Factum est autem adjutorio Dei, *ut moreretur*, id est deficeret, *mendicus*, scilicet suspirium quod fuit in dubio, ita ut omne dubium ab eo recederet, *et portaretur ab angelis*, id est a coelesti desiderio, *in sinum*, scilicet in gustum *Abrahae*, videlicet spei. *Mortuus est autem* deficiendo *et dives* scilicet voluptas, *et sepultus est*, id est suffocatus, *in inferno*, videlicet in timore Domini, quia timor Domini est quasi infernus voluptatis:

Elevans autem sursum erigendo *oculos suos*, scientiam suam, *cum esset in tormentis*, id est in constrictione, *vidit Abraham*, scilicet spem *a longe*, videlicet aliene,[1]) *et Lazarum* qui gemit in corde suo ad Deum, *in sinu*, id est in gustu *ejus* spei.

Et ipse clamans ejulando, *dixit* orans: *Pater Abraham*, id est, o paterna spes, *miserere*, parce mihi, *et mitte*, concede *Lazarum* gementem ad Deum, *ut intinguat*, scilicet saporem tribuat, *extremum* parvissimum *digiti sui*, causae suae, *in aquam* in suavi blandimento, *ut refrigeret*, ita ut aliquam laetitiam habeam, *linguam meam*, videlicet opera quae per eam feci, *quia crucior*, deprimor, *in hac flamma* scilicet in pondere illo quod [2]) Deum timeo.

Et dixit respondendo *illi* voluptati *Abraham* spes: *Fili*, natus in carne, *recordare* respiciendo *quia recepisti* (habundabas) *bona*, id est dulcedinem *in vita tua*, videlicet in operibus voluntatis tuae, *et Lazarus* gemens, *similiter* e contra *mala*, omnem dolorem propter amorem Dei. *Nunc autem* hoc tempore *hic consolatur*, quia claritatem fiduciae habet, *tu vero cruciaris*, id est in terrore concuteris.

Et in his omnibus certaminibus, *inter nos*, qui ad me spem pertinent, *et vos* qui ad voluptatem spectatis, *chaos magnum*, id est tempestas vitiorum, *firmatum est*, id est statutum, *ut hi* qui ad Deum gemunt, *qui volunt* respiciendo ad consensum, *hinc* de spe quam ad Deum habent, *transire*, id est descendere, sicut anima corpori aliquando consentit, *ad vos*, qui in concussionibus et in terroribus carnis vestrae estis, *non possint* prae justitia, quoniam virtutes vitiis non cummunicant, *neque inde*, id est a cruciatibus illis in quibus in vitiis cruciamini, *huc* ad illos qui in spe ad Deum gaudent, *transmeare*, quoniam vitia virtutibus non commiscentur.

Et ait voluptas tremens: *Rogo* enim *te*, *pater*, qui spem designas, *ut mittas* parcendo nobis, *eum*, id est suspirium ad Deum, *in domum*, scilicet in mansionem *Patris mei*, videlicet cupiditatis, ita ut magno terrore perterrita, a concupiscentiis suis resipiscat. *Habeo enim quinque fratres*, id est societates, videlicet quinque sensus corporis qui mihi associati sunt, *ut testetur*, id est ut ostendat illis terrorem aliquem per quem terreantur,[3]) ut ab ardore concupiscentiarum resipi-

[1]) *aliene*, vox dubia in apographo. — [2]) Fort. *quo*. — [3]) *terreant* cod.

scant, quia si aliquis homo ex mortuis resurgeret homines terrerentur, *ut etiam* hoc modo socii mei, quinque sensus corporis, in terrore excutiantur, *ne et ipsi veniant* has passiones pati, *in locum hunc tormentorum*, ubi nos in timore Domini maxime cruciamur, quia non licet nobis facere quod libenter faceremus.

Et ait illi Abraham: Habent Moysen, scilicet ablutionem baptismi, *et prophetas*, scilicet dona Spiritus Sancti, *audiant illos*, divina praecepta perficiendo. *At ille* scilicet voluptas *dixit: Non*, id est noli eos sic constringere, *pater Abraham, sed si quis de* virtutibus *ex mortuis*, id est de inaudito et absconso miraculo, quasi tonitruo repentini signi in suspirio, *ierit* in motu exterrentis concussionis, in praecipiti fletu, *ad eos*, scilicet ad societates quinque sensuum, *poenitentiam agent*, id est abstinebunt se a malo, ita ut illud non perficiant. Quasi dicat, quia ego opera illa quae libenter facerem ita exercere non possum ut vellem; quinque sensus qui sunt in corpore meo saltem ita exterreantur et coerceantur aliquo inopinato opere, ut eos peccare non libeat.

Ait autem spes *illi* voluptati: *Si Moysen*, scilicet ablutionem baptismi, *et prophetas*, id est dona Spiritus Sancti *non audiunt* consentiendo justitiae et sanctitati, *neque si quis* de virtutibus *ex mortuis* in aliquibus inauditis signis, in fletu et planctu, *resurrexerit*, id est eos concutere vellet, *credent*; scilicet quicquam proficeret; sed sicut funes Samsonem non ligabant, sed rumpebantur, sic nec isti terrores suspirii hos ad poenitentiam concuterent, sed in vanum evanescerent.

XVIII.

In Dominica III post Pentecosten.

I.

Homo quidam, scilicet Adam [1]) *fecit*, id est lucratus est, *coenam magnam*, videlicet hunc caducum mundum, quandoque finiendum, quod coena designat, *et vocavit multos*, scilicet illos qui de se nascituri erant. *Et misit* admonendo *servum suum*, id est creaturam, quae ei in servitute subjecta fuit, *hora coenae*, scilicet in tempore mundi, *dicere* ostendendo, *invitatis*, scilicet humano generi, quod ad culturam mundi invitatum erat, *ut venirent* per ostensionem suam in studio, desiderio, et voluntate, sicut et ipse laborando, plantando, tangendo, omniaque cum viriditate et utilitate fructuum, obedientiam ei exhibebant, quoniam ipse primus fuit, cui Deus ea subjecerat: *quia jam parata sunt omnia*, quae vobis necessaria sunt, in nobis invenitis, et ideo nobiscum in obedientia estote, sicut et nos Creatori nostro obedimus.

Et coeperunt in incoeptione operis *simul omnes* homines *excusare* de obedientia, ne ita in statu suo Deo ut creati erant, obedirent, sicut aliae creaturae in statu suo permanent.

Primus scilicet, qui primum contraria fecerunt, *dixit* in scientia sua, *illi* creaturae: *Villam*, id est possibilitatem *emi*, scilicet sudore laboris possedi, *et neces-*

[1]) *Adam* om. cod. sine quo nomine nulla lux in caeteris. Luc. XIV, 16 - 24.

se habeo, videlicet abstinere non possum, *exire* operando, *et videre illam*, ut considerem quid facere possim. *Rogo te* in suspirio, *habe me excusatum* in gemitu, cum tamen suspirant, quod pejus faciunt quoniam caetera creatura ei ostendat.

Et alter, qui deinde saecularem disciplinam statuerunt, *dixit* in scientia sua: *Juga boum*, scilicet ritus sacrificiorum *emi* possidendo, *quinque*, in quinque sensibus, in quibus haec superbe incoeperunt, *et eo probare illa*, quasi haec omnia de se ipsis statuerent, et non de Deo. *Rogo te* suppliciter, *habe me* [1]) *excusatum*, in timore tamen renitentem.

Et alius, qui libere volunt vivere, *dixit*: *Uxorem*, id est superflua libertas, *duxi*, videlicet attraxi secundum carnalia desideria filios gignere, *et ideo* sufficit nobis in hoc, [2]) *non possum venire*, id est tam parva facere et colere, ut elementa et caeterae creaturae faciunt et colunt, sed creatura serviat vobis, [3]) ut vult. Nec rogant se excusari, quoniam videntur creaturam augere.

Et reversus contrarie *servus*, scilicet creatura, in alio modo faciens contraria cum omnibus hominibus quam Adam faceret, quia Adam in stultitia peccavit, filii autem ejus in astutia; *nuntiavit haec* ostendendo, quia homo statum suum servare nollet, *domino suo* Adae. Unde scriptum est. « Plangent super se omnes tribus? [4]) »

Tunc iratus, id est exterritus, *paterfamilias* scilicet Adam, cum tremore, quia haec in spiritu futura praevidit, et etiam vidit quod mundus in filiis suis ita non proficeret et cresceret, sicut cum ipso, *dixit servo suo*, videlicet creaturae: *Exi cito*, id est floresce et plantare, *in plateas*, id est in circulum terrae, *et vicos*, id est silvulas *civitatis*, magnarum silvarum, *et pauperes*, scilicet deserta loca, *ac debiles*, videlicet arida, *caecos* inhabitabilia, *et claudos*, relicta, *introduc huc* in orbem ad aspectum hominum, et ad utilitatem eorum, ut omnes populi veniant, et videant quid eis utile in his sit, ita tamen ut ad aliquid valeant.

Et ait obediendo *servus*, id est creatura: *Domine*, quia tibi servire debeo, *factum est*, id est disposui, *ut imperasti*, scilicet et desiderium tuum aedificant, [5]) *et adhuc locus est*, quia adhuc terra virtutem habet quam proferet, cum indurabitur et tangetur opere, vinum proferens, quoniam terra ante diluvium fragilis et tenera erat, post diluvium autem indurata et confortata est.

Et ait dominus, scilicet Adam *servo*, id est creaturae: *Exi* cum servitute *in vias*, id est in omnem circuitum et ambitum operum hominum, *et plateas*, scilicet in inflexionem herbarum, *et compelle intrare*, scilicet constringe terram se aperire, ut germinet in omnibus, viriditate et fructu, ac etiam vi fortissimi succi, scilicet vini, quia vitis magis est herba quam arbor, et ut herba in terra plantatur, et nutritur, *ut impleatur*, id est ut plena sit *domus mea*, scilicet venter totius comprehensionis, quam in mundo comprehendo. [6]) *Dico autem* in assertione *vobis* omnibus creaturis, *quod nemo virorum illorum*, id est virilium virium, *qui vocati sunt*, scilicet qui cum creaturis conversantur, *gustabit* tangendo in gustu tactus, *coenam meam*, videlicet mundum hoc modo ut creatura, ita ut obediat sicut mi-

[1]) *me* om. cod. — [2]) Fort. cod. *in hac.* — [3]) *nobis* cod. — [4]) Apoc. XVIII, 9. — [5]) Fort. *ut desiderium tuum aedificent.* — [6]) *comprehendendo* cod.

hi obedivit, et eis tam facile fructum afferat, ut mihi fecit, quia ego in stultitia praevaricatus sum, ipsi autem in rebellione.

II.

Alio modo.

Homo quidam, scilicet ille qui plenus desiderii voluptatum est, *fecit coenam magnam*, id est magnas delicias in fine temporis, in quo stabilis esse non potest, videlicet aut per potentiam Dei abscisus, aut corporaliter moriturus. *Et vocavit multos*, nutum faciendo pluribus et pluribus in vanitate.

Et misit in sono *servum suum*, id est vanitatem, *hora coenae*, videlicet in tempore deliciarum voluptatis, *dicere* admonendo *invitatis*, scilicet illis qui sibi similes fuerunt, *ut venirent* currendo, *quia jam parata sunt omnia*, id est quod omnem plenitudinem cupiditatum suarum invenient.

Et coeperunt simul omnes concussi, *excusare* in angustiis, cum homo in corde suo angustiatur, cogitans quid facere possit.

Primus, id est initium, cum homo ad aliquid intendit, *dixit* sapienter illi vanitati: *Villam*, id est incoeptionem *emi*, scilicet cum diligentia exquisivi, *et necesse habeo*, quia sic oportet fieri, *exire* excutiendo, *et videre illam* perscrutando quem finem habeat, quomodo hanc causam perficere possim. *Rogo* in precibus *te*, qui mihi vana suggeris, *habe* in secreto *me excusatum*, ne prodas me, quia me a vanis continere volo.

Et alter, opera faciens, *dixit*: *Juga*, id est ligaturas *boum* in labore sudantium *emi*, scilicet adhaesi mihi in *quinque*, videlicet videndo, audiendo, et undique circumeundo, hac et illac intellectum et voluntatem ostendendo, *et eo probare illa*, id est utrum bonum an malum opus meum sit. *Rogo te* humiliter, *habe me excusatum*, in pavore mihimetipsi resistentem.

Et alius, opera ad perfectum ducendo, *dixit* in scientia sua: *Uxorem*, id est ignem concupiscentiae, *duxi*, scilicet misi in carnem meam, ita ut concupiscentiam in me sentiam, *et ideo non possum venire* cum salute mea ad voluptatem deliciarum, sed me oportet fugere, ne peream. Nec quaerit excusari, quia publice vult ista de se projicere.

Et reversus in amaritudine molestiae *servus*, scilicet vanitas, *nuntiavit haec* enarrando *domino suo*, qui plenus desiderii voluptatum erat. *Tunc iratus* in terrore *paterfamilias*, scilicet dulce desiderium voluptatis, *dixit servo suo* vanitati: *Exi cito*, id est illico, *in plateas*, scilicet in communem populum, *et vicos*, videlicet impotentes civitatis plus quam potentum, *et pauperes* armatos, *ac debiles* ministros armatorum, *caecos* id est pauperes, *et claudos* scilicet pauperiores, *introduc huc*, videlicet affer eos ad me, quoniam aliquem in his invenio mihi consentientem.

Et ait servus vanitas: *Domine*, quia tibi servio, *factum est ut imperasti*, scilicet temperamentum, *et adhuc locus est* voluntati tuae, quia sapientes et scientes ad te nondum venerunt. *Et ait dominus*, desiderium voluptatis, *servo*, id est vanitati: *Exi*, te dilatando *in vias*, id est in sapientes, *et plateas*, scilicet in impletos san-

ctitate, *et compelle*, videlicet constringe admonendo, *intrare* ad me, ita ut mihi, consentiant, *ut impleatur*, id est ut plena [1]) sit *domus mea* scilicet desiderium meum. *Dico autem*, videlicet annuntio vobis qui mecum militatis, *quod nemo virorum illorum*, scilicet nulla vis, *qui vocati sunt*, id est qui vocationem meam contempserunt, nec mihi consentire voluerunt, *gustabit* tangendo. *coenam meam*, id est delicias meas, in ulla dulcedine et suavitate mearum concupiscentiarum, sed in amaritudine et dolore eos usque in finem exercebo.

XIX.

In nativitate Sancti Joannis Baptistae.

I.

Elisabeth, [2]) id est Abel, Noe et Enoch, et aliorum justorum, qui ante Legem erant, *impletum est* ad perfectum *tempus*, id est desiderium *pariendi*, scilicet bona opera facere, *et peperit* producendo *filium*, videlicet circumcisionem, primum signum sanctitatis.

Et audierunt, *vicini* scilicet alieni, sed tamen in bonis propinqui, *et cognati ejus*, id est eis adhaerentes in eadem gente, *quia magnificavit* per laudem, *Dominus*, scilicet Deus in hac novitate,[3]) *misericordiam suam*, videlicet signum sanctitatis *cum illa*, scilicet prioribus sanctis, *et congratulabantur ei*, justitia eis data est in circumcisione.

Et factum est magnum sacramentum *in die octavo*, scilicet in incarnatione Domini, quae de circumcisione orta est; *venerunt* qui in Lege erant, *circumcidere puerum*, id est volentes veterem Legem dare, *et vocabant eum nomine* in circumcisione *patris sui*, id est veteris Legis, *Zachariam*, ita quod volebant eum habere ut alium hominem de viro et muliere natum.

Et respondens mater ejus, vetus justitia, quae ante Legem erat, *dixit* exhortando: *Nequaquam* appellabitur circumcisus, *sed vocabitur Joannes*, scilicet donum donantis Dei. [4])

Et dixerunt in veteri Lege *ad illam*, scilicet ad illos qui ante Legem fuerunt: *Quia nemo*, id est nullum invenimus *in cognatione tua*, videlicet in sanctitate illa qua sanctificata es, et in qua nos sanctificati sumus, *qui vocetur* hoc nomine novae gratiae.

Innuebant autem patri ejus, id est scrutabantur prophetiam quae in veteri Lege erat, *quem vellet vocari eum*, scilicet quae illa causa incarnationis Domini esset.

Et postulans quaerendo *pugillarem*, omnes involutiones Scripturarum, *scripsit dicens: Joannes est nomen ejus*, quia invenerunt quod nomen ejus esset donum salvationis humani generis. *Et mirati sunt* in stupore *universi*, scilicet omnis creatura obstupuit in his.

[1]) *plenum sit* id. — [2]) Luc. I, 57 - 68. — [3]) f. *nativitate*. — [4]) sive *gratia* Dei, ut infra plenius.

Apertum est autem illico, id est reservata est, *os ejus,* id est prophetiae manifestatio, *et lingua ejus*, videlicet justitia Ecclesiae, *et loquebatur benedicens Deum,* eum laudando in humanitate.

Et factus est timor super omnes vicinos eorum, ita ut omnes nati de hominibus stuperent et tremerent, *et super omnia montana,* id est super altitudinem *Judaeae,* scilicet veteris institutionis, *divulgabantur omnia verba haec*, circumducta ut rota, quatenus haec intelligerent.

Et posuerunt omnes novos sensus et intellectus in nova Lege, *qui audierant* bona intentione *in corde suo dicentes*, scilicet in bonis desideriis: *Quis putas puer iste erit?* in nova Lege, quia non est de mundo. *Etenim manus Domini*, videlicet virtus et opus Dei *erat cum illo* in miraculis.

Et Zacharias pater ejus, scilicet prophetia quae in veteri Lege fuit, *impletus est Spiritu Sancto,* velut balsamo sudante in veritate, *et prophetavit dicens* in vera ostensione:

Benedictus in sanctitate *Dominus Deus Israel*, id est verae circumcisionis, *quia visitavit* corporaliter, *et fecit redemptionem* in refrigerio et plenitudine *plebis suae*, videlicet Ecclesiae.

II.

Alio modo.

Elisabeth, id est humilitatis mentis, *impletum est* in perfectione, *tempus pariendi*, id est in processura operum humiliari, *et peperit filium*, scilicet quod produxit sancta opera.

Et audierunt vicini, id est angeli, et *cognati ejus*, videlicet alii sancti, *quia magnificavit Dominus* in ampliatione virtutum *misericordiam suam cum illa,* [1]) scilicet in inspiratione virtutum *et congratulabantur ei,* quia bonum fructum perfecit.

Et factum est in die octava, id est in fine operis, vel in morte hominum, *venerunt* angeli et sancti *circumcidere* (scilicet auferre putredinem carnis, [2]) *puerum*, scilicet bona opera sacrificando, *et vocabant eum nomine patris sui*, videlicet Dei de quo exierunt, *Zachariam,* id est sanctitas. [3])

Et respondens mater ejus, videlicet humilitas mentis, *dixit: Nequaquam* de meritis meis opera mea laudanda sunt, *sed vocabitur Joannes*, seu [4]) de gratia Dei.

Et dixerunt ad illam humilitatem mentis, *quia nemo est in cognatione tua*, id est non est aliud inventum in sanctis operibus tuis, *qui vocetur hoc nomine*, scilicet nisi ut sancta anima voceris.

Innuebant autem patri ejus, ita ut permittant in judicium Dei, *quem vellet vocari eum*, scilicet quod meritum illi dare velit.

Et postulans, id est ostendens *pugillarem*, scilicet in scientia boni et mali, quod rectum iter fecerit, *scripsit dicens* in recto judicio: *Joannes est nomen ejus*, ita ut per gratiam Dei sancta anima in bonis operibus sit. *Et mirati sunt* in meritis illius *universi*, id est omnis turba sanctorum.

[1]) *illo* cod. — [2]) *cineris* id. — [3]) in cod. ex ambiguo apogr. *sanitas*. — [4]) *des* cod.

Apertum est autem illico, scilicet manifestata est, *os ejus*, videlicet laus Patris *et lingua ejus*, id est rationalitas, *et loquebatur benedicens Deum*, magnificando eum.

Et factus est timor stuporis in nova concinnantia, quia in hoc quod ignotum est, homo primum stupet, *super omnes vicinos eorum*, scilicet angelos, *et super omnia montana Judaeae*, id est super omnem sanctitatem videntium [1]), *divulgabantur omnia verba haec*, videlicet omnia sancta opera.

Et posuerunt notando *omnes* qui audierant haec intelligendo, *in corde suo*, gaudium et suspirium propter divinam gratiam, *dicentes: Quis putas* cogitando *puer iste erit* in sanctitate? Hoc est: O quam felix et quam sancta anima ista in operibus suis est! *Etenim manus Domini*, id est divinum auxilium *erat cum illo*, in fulgente luce et opere.

Et Zacharias pater ejus, id est Deus, *impletus est Spiritu Sancto*, scilicet in laude sanctitatis illius, *et prophetavit dicens:*

Benedictus Dominus Deus Israel in sanctitate, *qui visitavit* inspiratione *et fecit* in magnificentia *redemptionem*, scilicet ereptionem, *plebis suae*, videlicet animae illius de peccatis, propter bona quibus eum semper inspexit.

XX

In Dominica IV post Pentecosten.

I.

Cum turbae, [2]) id est materia creaturarum, *irruerent*, scilicet properarent *in Jesum* ad Deum, *ut audirent verbum Dei*, videlicet sonum illum, ubi Deus dixit Fiat. *Et ipse* Deus *stabat* quasi ad operandum *secus stagnum Genesareth*, ubi Spiritus Domini ferebatur super aquas.

Et vidit duas naves, videlicet elementa et caeteras creaturas, *stantes secus stagnum*, quoniam de aqua sunt quasi volatiles temperatae, *piscatores autem*, id est officia creaturarum *descenderant* obediendo, *et lavabant* exercendo *retia*, id est opera.

Ascendens autem in providentia sua *in unam navim*, scilicet creaturam, *quae erat Simonis*, scilicet hominis, *rogavit eum* ostendendo, *ut a terra*, videlicet ab aliis creaturis *reduceret pusillum*, ita ut homo in dignitate aliis praelatus esset. *Et sedens* in majestate, *docebat* ordinando, *de navicula*, id est in rationalitate quam homini dederat, *turbas*.

Ut cessavit autem loqui, id est cum creaturas creasset, *dixit ad Simonem*, scilicet ad hominem: *Duc in altum*, id est esto praecellens in creaturis, *et laxate retia vestra*, scilicet facite opera *in capturam*, videlicet ad utilitatem.

Et respondens Simon, *dixit illi*: *Praeceptor*, id est Creator, *per totam noctem laborantes*, scilicet in ignorantia permanens, *nihil cepimus*, ita ut inutilis essem: *in*

[1]) fort. *videntium Deum*. — [2]) Luc. V, 1 - 11.

verbo autem tuo, videlicet in honore scientiae boni et mali, *laxabo rete*, volo operari, ita ut sciam malum, quia non sufficit mihi me scire bonum.

Et cum haec fecissent, ita ut homo divinum praeceptum in Paradiso transgressus sit, *concluserunt* apprehendendo *piscium multitudinem copiosam*, id est vitiorum et dolorum. [1]) *Rumpebatur autem rete eorum*, scilicet ita ut dirupta [2]) sit Lex, quam Deus homini dederat.

Et annuerunt sociis, id est adjunxerunt sibi ad servitium et adjutorium, *qui erant in alia navi*, videlicet creaturas quae in alia forma et natura sunt quam homo sit, *ut venirent* in servitio, *et adjuvarent eos* necessitate. *Et venerunt, et impleverunt* in magnis periculis et doloribus *ambas naviculas*, id est seipsos, *ita ut pene mergerentur*, id est ut vix subsisterent provenientibus [3]) malis.

Quod cum videret Simon Petrus sentiendo, *procidit ad genua Jesu*, ita ut ad multas aerumnas projectus, rediret ad recordationem Dei, quia per illum creatus erat, *dicens* in suspiriis et gemitibus: *Exi a me*, scilicet justum est, ut recedas a me, quia peregrinus sum a te; *quia homo peccator sum, Domine*, ita ut jam « non sim dignus vocari filius tuus. » [4])

Stupor enim in tristitia *circumdederat eum*, id est apprehenderat, *et omnes qui cum illo erant*, scilicet omnia elementa et creaturas, *in captura piscium*, id est in apprehensione dolorum et miseriarum, *quam ceperant*, quibus involuti erant.

Similiter autem Jacobum, id est patriarchas, *et Joannem*, scilicet *prophetas*, *filios Zebedaei*, videlicet qui erant filii aedificationis in Lege, *qui erant socii Simonis* in scientia Adae. *Et ait ad Simonem*, videlicet ad hominem *Jesus*, Deus, per prophetas et Legem: *Noli timere*, quia non abjicieris propter injustitiam et tristitiam in quibus jaces. *Ex hoc jam eris homines capiens*, ita ut propter bona opera quae facturus eris, in comprehensionem [5]) coelestis Jerusalem verteris.

Et subductis ad terram navibus, sic ut genus et genus [6]) hominum, cum elementis et caeteris creaturis in terrenis versarentur, usque dum Deum in humano corpore viderent, *relictis omnibus*, scilicet veteri Lege et haeresi ac propria causa in peccatis, *secuti sunt illum* in fide et Evangelio pacis.

II.

Alio modo.

Cum turbae Scripturarum *irruerent* demonstrando *in Jesum*, id est Deum, *ut audirent* in studio *verbum Dei*, ita ut eum incarnandum scirent et ostenderent, *et ipse stabat secus stagnum Genesareth*, id est omnia opera Dei firmata fuerunt et sunt Spiritu Sancto.

Et vidit in praedestinatione sua *duas naves*, quia cum Deus esset et homo propter hominem fieret, *stantes secus stagnum* cum fortitudine Spiritus Sancti, *pi-*

1) In tota et copiosissima *piscis symbolici* allegoria, nil simile reperies. Veterum tamen interpretationes novit Hildegardis, ut intra notatur. — 2) *dirumpta* cod. — 3) *pervenientibus* apogr. — 4) Luc. XV, 21. — 5) *in comprehensione* cod. — 6) *et genus*, sic duplicat id.

scalores autem, id est Divinitas [1]) *descenderant* in circumcisione, et *lavabant* ostendendo *retia*, id est Legem.

Ascendens autem, cum venit plenitudo temporis, *in unam navim*, ita ut Verbum Patris corpus indueret, *quae erat Simonis*, id est humanum, *rogavit eum*, ubi Pater Filium miserat, *ut a terra reduceret pusillum*, scilicet ut homines doctrina sua moneret, ut a terrenis plusquam prius se submoverent. *Et sedens docebat* admonendo, *de navicula*, scilicet in humano corpore, *turbas*, ubi ostendit eis Scripturas.

Ut autem cessavit loqui, ubi Pater Filium ad passionem tradidit, *dixit ad Simonem*, scilicet ad Filium qui humanum corpus induerat: *Duc in altum*, id est in profunditatem Evangelii, *et laxate retia vestra*, scilicet legem Evangelii, *in capturam*, videlicet ad convertendum populos.

Et respondens Simon, scilicet Filius Dei, *dixit illi* Patri: *Praeceptor*, qui me in mundum misisti, *per totam noctem laborantes*, id est tenebrosa scientia veteris Legis desudans, *nihil cepimus*, scilicet nihil profeci in incredulitate eorum, *in verbo autem tuo*, id est in praecepto tuo *laxabo rete*, scilicet perficiam praecepta Evangelii in gentibus.

Et cum haec fecisset, id est cum discipulos suos ad Evangelium convertisset, *concluserunt piscium*, videlicet coelestium [2]) desideriorum *multitudinem copiosam. Rumpebatur autem*, id est quaedam dimiserunt, *rete eorum*, ita ut omnia implere non possent.

Et annuerunt clamando *sociis*, id est Deo Patri, *qui erant in alia navi*, quia Deus erat, *ut venirent* per adjutorium, *et adjuvarent eos* succurrendo eis. *Et venerunt et impleverunt ambas naviculas*, dum homines crediderunt Christum verum Deum et hominem esse, *ita ut pene mergerentur*, scilicet ad sufficientiam illam, ut etiam plus cogitare de Deo periculosum esset.

Quod cum videret Simon Petrus, scilicet incarnatus Filius, *procidit*, humiliando gratias egit Patri, *ad genua Jesu*, videlicet ad majestatem Patris, *dicens: Exi a me*, ubi dicebat: « Pater major me est [3]) » *quia homo peccator sum, Domine*, et ubi dixit: « In manus tuas commendo spiritum meum. » [4])

Stupor enim circumdederat, eos scilicet obedientia, ubi obediens erat Patri, *et omnes qui cum illo erant in captura piscium quam ceperant*, id est et reliquos omnes qui in coelesti desiderio erant.

Similiter autem Jacobum, qui erant in plantatione bonorum operum, *et Joannem*, videlicet qui etiam fuerunt in perfectione eorum, *filios Zebedaei*, scilicet filiorum regni, *qui erant socii Simonis*, videlicet humanitatis Filii Dei. *Et ait ad Simonem*, id est ad Filium *Jesus*, scilicet Pater: *Noli timere*, quia omnia perficies, *ex hoc jam eris homines capiens*, eos per fidem comprehendendo, ut scriptum est: « Dixit Dominus Domino meo sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. [5]) »

Et subductis ad terram navibus, ubi fideles omnia terrena dimiserunt, *relictis*

[1]) En nova iterum et inexpectata interpretatio *Piscatorum*, sed neque puulo post alia deerit insolentior. — [2]) *coelestiorum* cod. saltem in apographo meo. Sed vide rursus inauditos pisces Hildegardianos. — [3]) Joann. XIV, 18. — [4]) Luc. XXIII, 46. — [5]) Ps. CIX, 1.

omnibus, quia voluntates suas et seipsos reliquerunt, *secuti sunt illum*, ubi praeceptis Dei subjecti sunt.

III.

Alio modo.

Cum turbae, id est virtutes, *irruerent*, scilicet currerent *in Jesum*, videlicet ad fortitudinem, *ut audirent verbum Dei*, id est ut ab ipsa docerentur, ita ut in ea aedificarent, *et ipse stabat secus stagnum Genesareth*, quia permanebat in igne Spiritus Sancti.

Et vidit duas naves, videlicet conversionem et salvationem, *stantes secus stagnum*, id est in stabilitate Spiritus Sancti; *piscatores autem*, scilicet scrutatores, sciscitatores bonorum, *descenderant* se ipsos relinquendo, *et lavabant retia*, ita ut dimitterent voluntates suas.

Ascendens autem fortitudo, *in unam navem*, id est in conversionem, *quae erat Simonis*, scilicet justorum, *rogavit eum* ostendendo, *ut a terra reduceret pusillum*, videlicet ut voluptatem carnis dimitterent, et a peccatis cessarent, *et sedens docebat de navicula turbas*, id est hortabatur in conversione virtutes.

Ut autem cessavit loqui in admonitione, ita ut in eis delectata sit, *dixit ad Simonem*, scilicet ad justos: *Duc in altum*, id est ascendite, *et laxate retia vestra* de virtute in virtutem *in capturam*, id est in amplexionem charitatis.

Et respondens Simon, id est justi, *dixit illi* in angustia: *Praeceptor*, cui obediendum est, *per totam noctem laborantes*, scilicet per nocturnas insidias Diaboli, *nihil cepimus*, quia eum superare non possumus: *in verbo autem tuo*, videlicet in gratia tua, *laxabo rete*, cum ad virtutes ibimus.

Et cum haec fecissent, scilicet haec incipientibus, *concluserunt piscium*, videlicet bonorum operum *multitudinem copiosam* in doctrina sua. *Rumpebatur autem rete eorum*, cum plus vellent quam in mentibus et voluntatibus suis capere possent.

Et annuerunt gemendo *sociis*, id est cooperatoribus suis, *qui erant in alia navi*, scilicet in salvatione, ita quod in praelio victoriae erant, et salvati sunt, *ut venirent et adjuvarent eos*, ita ut et ipsi adjutorio eorum victores existant. *Et venerunt et impleverunt ambas naviculas*, quoniam ita victoriosi erunt, ut fide et opere in conversione sua ad salvationem aspiciant, *ita ut pene mergerentur*, sic tamen ut aliquando a Diabolo fatigentur.

Quod cum videret Simon Petrus, scilicet justi, *procidit ad genua Jesu, dicens*, cum se prosternunt ad Deum: *Exi a me*, quia non sumus digni cum Deo esse, *quia peccator sum, Domine*, quoniam in tam magna contaminatione sumus.

Stupor enim, scilicet timor et tremor, *circumdederat eum* in honore, *et omnes qui cum illo erant*, videlicet socios ejusdem conversionis, *in captura piscium quam ceperant*, id est in doctrina conversionis suae, quomodo illam [1]) implerent.

[1]) *quomodo illa impleret.* cod.

Similiter autem Jacobum, id est rationalitatem, *et Joannem*, scilicet scientiam, *filios Zebedaei*, qui a Deo sunt, *quia erant socii Simonis*, ita ut sint in assiduitate justorum. *Et ait ad Simonem Jesus: Noli timere* pavendo ex hoc, id est ex hac fatigatione et passione; *jam eris homines capiens*, ubi eritis columna nubis et exemplum hominibus. *Et subductis ad terram navibus*, quoniam conversionem et salvationem in omnibus operibus terrenarum causarum habent, *relictis omnibus*, quia dubietatem et tristitiam abjiciunt, *secuti sunt illum*, quia vertunt ea in gaudium, in fortitudine cum Deo perseverantes.

XXI.

In Dominica IX post Pentecosten.

I.

Cum appropinquaret Jesus, [1]) id est Deus, *Jerusalem*, scilicet ad creationem illam, ut creaturas creare vellet, *videns civitatem*, videlicet hominem, *flevit super illam*, ubi intima dilectione hominem ad imaginem et similitudinem suam fecit, *dicens: Quia si cognovisses et tu*, quae ego scio, praecaveres tibi mortem, quia si aliud quam me quaesieris, peribis, cum dixit: « Ex omni ligno Paradisi comede, de ligno autem scientiae boni et mali ne comedas. [2]) » *Et quidem in hac die tua*, in qua habes scientiam boni, *quae ad pacem tibi:* quae [3]) in magnis honoribus tibi sunt, nunc *autem abscondita sunt ab oculis tuis*,quia nescis, si praeceptum meum transgressus fueris, quod morte morieris.

Quia venient dies in te, quos tu putas dies tuos [4]) esse, sed non tibi sunt, cum gustaveris quia morte morieris, *et circumdabunt te* in aerumnis, ut validus ventus, *et coangustabunt undique* in exilio, ita ut a Deo alienus sis, *et ad terram prosternent te*, ita ut ad terram de Paradiso educant te, *et filios tuos*, scilicet de te natos, *qui in te sunt*, videlicet in visceribus tuis, *et non relinquent lapidem*, id est ullam scientiam *super lapidem*, scilicet ullum sensum, *eo quod non cognoveris tempus visitationis tuae*, videlicet primum diem honoris tui, unde de vitio in vitium semper errabis.

Et ingressus in templum, quia cum omnes hi dolores in homine impleti sunt, Deus homo factus est, et hominem templum suum fecit. *Coepit ejicere vendentes in illo*, ita ut auferret incredulitatem ab eo, *et ementes*, id est illicitas cupiditates, *dicens illis* [5]) ostendendo: *Scriptum est* in vera demonstratione, *quia domus mea*, scilicet homo *domus orationis est*, quia in eo castitas et sanctitas esse debent. [6]) *Vos autem*, qui perversi estis, *fecistis illam speluncam latronum*, quoniam fraus et mendacium a Diabolo factum est. *Et erat docens quotidie in templo* recta judicia sapientiae et honoris in homine.

[1]) Luc. XIX, 41-47. — [2]) Genes. II, 16, 17. — [3]) *Quia* cod. et mox *nec autem*. — [4]) *tuos* om. in cod. sed requiritur. — [5]) *dicens illi* ibid. — [6]) *deberet* ib. cf. Is. LVI, 7. Jerem. VII, 11.

II.

Alio modo.

Cum appropinquaret, id est cum venit plenitudo temporis, in quo misit Deus Filium suum, *Jesus*, scilicet Filius Dei, *Jerusalem*, ita ut homines eum viderent incarnatum, *videns civitatem*, videlicet omnem aedificationem veteris Legis ab Abel usque ad se, *flevit*, ita ut educeret fontem sapientiae, *super illam*, scilicet super omnes litteras et institutiones ejus, *dicens: Quia si cognovisses et tu* quae ego, quia tu quae es in tenebrosa suasione Diaboli, non cognoscis me, quia nunquam vidisti me, *et quidem in hac die tua*, quoniam nunc habes Legem in plenitudine voluntatis tuae, *quae ad pacem tibi*, id est ut tibi placet, *nunc autem abscondita sunt*, ita ut te lateant, *ab oculis tuis*, scilicet scientiam tuam.

Quia venient dies in te, videlicet alii in transmutatione et claritate, *et circumdabunt te* doctores novi Testamenti doctrina sua, ut Gregorius, Ambrosius, Augustinus, Hieronymus, et alii similes, *et coangustabunt te undique*, scilicet revertendo in spiritalem significationem, *et ad terram prosternent te*, id est culturam tuam in sacrificio arietum et tuorum abstergent ab elatione, et ad humilitatem prosternent, *et filios tuos qui in te sunt*, scilicet carnales institutiones in spiritali intellectu ad hnmilitatem ducent. *Et non relinquent lapidem*, id est nullam litteram, [1]) nec ullam culturam tuam, *super lapidem*, nisi mutetur; *eo quod non cognoveris tempus visitationis tuae*, quia scire noluisti primum diem in quo omnes creaturae fulminabunt, ita ut aliud lumen in filiis tuis fulgeat.

Et ingressus in templum, id est Evangelium in verbo Dei, *coepit ejicere vendentes in illo*, avaritiam, *et ementes*, scilicet idola et alias spurcitias, quas homines pro Deo habebant, *dicens illis* in doctrina sua: *Scriptum est* in spiritali transmutatione et interpretatione, *quia domus mea*, id est aedificatio revelationis, *domus orationis est*, scilicet veritatis, quia nec coelum, nec terra alium Deum praeter me ostendunt, sed aedificatio mea in qua me invenietis, ostendit vobis veritatem. *Vos autem* incredulitate vestra *fecistis illam speluncam latronum*, scilicet propriam voluntatem vestram et spurcitias Diaboli in latrociniis, non credentes meam incarnationem. *Et erat docens quotidie* in templo: quia ipse Filius Dei in ista apparitione novae aedificationis et interpretationis antiquae Legis ad spiritalem intellectum procedit usque in finem in Ecclesia.

III.

Alio modo.

Cum appropinquaret inclinando se *Jesus*, id est admonitio Spiritus Sancti, *Jerusalem*, scilicet ad hominem plenum vitiis et spurcitiis, *videns civitatem*, videli-

[1]) Additur absque sensu, quem capiam, in cod. *nec ista unum*. f. leg. *nec etiam unam*.

cet aedificationem salvationis, ita ut homo de peccatis ad justitiam convertatur, *flevit super illam*, intima dilectione compassus, *dicens* per admonitionem: *Quia si cognovisses et tu*, ut ego, in quibus periculis esses, prae angustiis, ut torcular te comprimeres, et ut molendinum te hac et illac verteres. *Et quidem in hac die tua* quae[1]) diem putas, ubi plena es vitiis et spurcitiis, *quae ad pacem tibi*, quoniam pugnas Diaboli pro pace habes, et vulnera pro gaudiis, atque immunditiam pro munditia, *nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis*, id est de scientia cordis tui.

Quia venient dies in te, ubi rutilans lux in te descendet, quae poenitentia est, *et circumdabunt te* cum lacrimis fletuum, *et coangustabunt te undique* cum suspiriis, *et ad terram prosternent te*, ita ut ad terram projiciant te dicentem: Ego peccator sum, *et filios tuos* qui in te sunt, ita ut etiam omnes nequitias quae de te natae sunt, ad nihilum redigant. *Et non relinquent lapidem super lapidem*, quia poenitentia ita penetrabit te, ut nullum vitium, nec ullam spurcitiam dimittat, [2]) quin omnia a te abstergat: *eo quod non cognoveris tempus visitationis tuae*, id est quoniam in oblivione habuisti quod sancta anima esses.

Et ingressus in templum, ita ut admonitio Spiritus Sancti ingrediatur in cor hominis, *coepit ejicere vendentes in illo*, scilicet fugat superbiam a corde hominis illius, *et ementes*, videlicet illos qui libidinem per scorta sibi attraxerunt, *dicens illis: Scriptum est*, id est firmatum est, *quia domus mea*, cor hominis *domus orationis est*, videlicet cultura angelorum et exemplum sanctorum hic erit. *Vos autem* in iniquitate vestra *fecistis illam speluncam latronum*, quia olim lupanar fuit in suggestione Diaboli. *Et erat docens quotidie in templo*, ita ut aperte facta sit laus angelorum et gaudium populorum in homine illo.

XXII.

In Dominica XI. post Pentecosten.

I.

Exiens Jesus[3]) nascendo *de finibus Tyri*, id est de genere Judaeorum, *venit per Sidonem*, scilicet per prophetas, *ad mare Galilaeae*, videlicet ad turbas populorum, qui in multis hac et illac versabantur, *inter medios fines*, scilicet angeli et hominis, *Decapoleos*, videlicet novem ordines angelorum et decimus hominis.

Et adducunt ei, scilicet prophetia, *surdum*, id est vetus Testamentum, quod eum non audivit, *et mutum*, quia spiritalia non loquebatur, *et deprecabantur eum* in ostensionibus suis, *ut imponat ei manum*, scilicet ut super eum poneret opus veritatis.

Et apprehendens in incarnatione sua *eum*. scilicet vetus Testamentum, *de turba* sacrificiorum arietum et taurorum, *seorsum*, videlicet in justitia[4]) Spiritus Sancti et Evangelii, *misit digitos suos*, id est dona Spiritus Sancti *in auriculas*, ita ut alium

[1]) *quae* cod. ambigue, sed nihil muto. — [2]) *dimittent* cod. apogr. — [3]) Marc. VII, 31 37. — [4]) *justitia*, ita librarius meus scripserat, sed voce expuncta, superscripsit *mistica* (?).

auditum adeptus sit quam prius haberet, *et expuens* inspirando, *tetigit* per admonitionem *linguam ejus*, ubi Legi dedit aperta verba ad cognoscendum et proferendum Patrem et Filium et Spiritum Sanctum. *Et suspiciens in coelum*, ubi sancta humanitas in coelo effulsit, *ingemuit*, ita ut rationalitas Legem in spiritalia everteret, *et ait illi* per admonitionem: *Effeta, quod est adaperire*, id est aperi cor tuum radicitus in veritatem Evangelii.

Et statim apertae sunt aures ejus ad auditum fidei, *et solutum est vinculum linguae ejus*, ut ligatura illa quae Legem mutam fecerat, quoniam sine misericordia erat, soluta est in verba Evangelii, *et loquebatur recte* fidem praedicando, et quod in poenitentia restituta sit.

Et praecepit illis, ne cui dicerent, ita quod Legi ablata est superbia et rumor quem prius habebant, dum justiores quam essent videri voluerunt.

Quanto autem eis praecipiebat, id est quanto se humiliabant, praecepta Dei sequendo, *tanto magis plus praedicabant*, ubi eis magnum gaudium venit, quia homo ubique de Deo adjutorium habuit, ita ut cum justus esset, se humiliaret, et cum caderet, poenitentiam requireret, *et eo amplius admirabantur* nova miracula quae apparuerunt, *dicentes: Bene omnia fecit*, veterem Legem in spiritalem intellectum vertendo, *et surdos fecit audire*, ubi obscura et latens prophetia in novum auditum aperta est, *et mutos loqui*, sciendo, videndo et praedicando quod Christus Deus et homo est, justus in justitia.

II.

Alio modo.

Exiens Jesus, scilicet Deus *de finibus Tyri*, id est de peccatis hominum, quia cum homo ad peccata declinat, Deus ab eo exit, *venit per Sidonem*, videlicet admonitionem Spiritus, *ad mare*, scilicet ad inquietudines tentationum, *Galilaeae*, quas homo transire debet, ita ut peccata dimittat, et ea pertranseat, *inter medios fines Decapoleos*, ita ut recte incedens in decimum chorum perveniat, et centesima ovis fiat.

Et adducunt sacerdotes per confessionem et suspiria, *ei*, scilicet Deo, *surdum*, videlicet hominem, qui praecepta Dei non audit, sed praevaricatur, *et mutum*, qui justitiam non loquitur, sed mendacium, *et deprecabantur eum* per orationes et suspiria, *ut imponat ei manum*, scilicet ut Deus in adjutorio opus suum illi inducat.

Et apprehendens eum[1]) sibi adtrahendo, *de turba seorsum*, ubi comprehensio charitatis Dei illum[2]) tollit de consuetudine peccatorum, *misit digitos suos in auriculas*, quia per dona Spiritus Sancti aures cordis ei aperuit, *et expuens tetigit linguam ejus*, quia suavissimum gustum per rationalitatem animae illius Deus illi dat. *Et suspiciens in coelum ingemuit*, quia per clamorem illius Deus se incarna-

[1]) *eum* om. cod. [2]) *illos* cod. contra seriem.

tum ostendit, *et ait illi*, sic dicens: *Effeta, quod est adaperire* « quoniam remittuntur tibi peccata, [1]) » quia ad me clamas, et me cognoscis.

Et statim apertae sunt aures ejus, quia omnes sordes animae illius absterguntur, quoniam Deum audivit, *et solutum est vinculum linguae ejus*, ubi implexio malae consuetudinis ab illo aufertur, ita ut novus homo fiat, *et loquebatur recte* dicendo justitiam Dei.

Et praecepit illis, ne cui dicerent, quia Deus non vult ut Diabolo per superbiam aliquod responsum det, quid de se factum sit, ita si diceret: Modo sanctus sum. *Quanto autem eis praecipiebat* se humiliare, *tanto magis plus praedicabant*, non in superbia, sed in humilitate, gaudium animae illius de laude in laudem, de gaudio in gaudium, *et eo amplius admirabantur*, quia domus Dei in illo paratur, semper miracula faciens, *dicentes: Bene omnia fecit*, justum de injusto, illum de malo ad bonum convertendo, *et surdos fecit audire et mutos loqui*, quia Deus illum novum hominem fecit, et aliam vitam in eo quam prius habuisset.

XXIII.

In Dominica X post Pentecosten.

I.

Duo homines [2]) sunt duae generationes ab Adam usque ad novissimum diem: nam isti sunt a nativitate mundi, ut Samson, illi autem a nativitate superflui in pinguedine carnis, ut Goliath. *Ascendebant* in cogitationibus suis, sursum volando *in templum*, scilicet ad conspectum Dei, *ut orarent*, id est ut Deum confiterentur. *Unus Pharisaeus*, qui designat illos qui a nativitate mundi sunt, ita ut non sint in pinguedine carnis, et hi sunt saepe duri et immites, et putant se bonos esse, et non sunt, quoniam continentiam istam de viva aqua non hauserunt, sed a nativitate sua; *et alter* in alia vicissitudine *Publicanus* in pinguedine carnis, ita ut gustum peccati, quem in concupiscentia habuerint, etiam operibus impleant.

Pharisaeus stans, quia vitia eos ad humilitatem non constringunt, *haec apud se*, id est in semetipso *oravit*, quia gloriatur de innocentia, velut eam adorat, et in alium non aspiciat, nec adjutorio alterius qui eum consoletur, indigeat: *Deus*, qui omnia fecisti, *gratias ago tibi*, id est benedico tibi, *quia non sum sicut caeteri hominum*, scilicet quia non indigeo ut plangam et lugeam, quoniam gustum peccati non habeo, velut alii qui in pinguedine carnis sunt, *raptores* per desiderium alienae rei, *injusti* in immundis cogitationibus, *adulteri*, cum alienum peccatum perficiunt, *velut etiam hic* [3]) *Publicanus*, qui nunquam in pinguedine naturae suae saturari potest.

Jejuno, id est abstraho me a peccato, *bis* scilicet ut etiam alium non polluam, *in sabbato*, videlicet in vita mea; *decimas do*, scilicet castitatem fero, *omnium quae possideo*, id est de omni sensu et corpore meo.

[1]) Matth. IX, 2. — [2]) Luc. XVIII. 10 - 14. — [3]) *hic* om. cod.

Et Publicanus, qui in pinguedine carnis peccati, *a longe*, id est in longinqua regione peccatorum, *stans* in otio bonorum operum, *nolebat* prae angustia timoris Domini *oculos suos*, id est scientiam suam *ad coelum*, scilicet ad sanctitatem *levare*, videlicet erigere, *sed percutiebat* in constrictione *pectus suum*, id est cor suum, *dicens* in confessione: *Deus*, qui omnia creasti, *propitius esto*, qui et gratiam et potestatem in hoc habes, *mihi peccatori*, faciens ut a peccatis meis cessem, ut dictum est: « Delicta juventutis meae et ignorantias meas ne memineris [1]) » quia a peccato me continere non possum.

Amen dico vobis, ita quod haec a Deo dicit: *Descendit hic*, cum homo se humiliat, ut se peccatorem cognoscat, et peccata sua dimittat, *justificatus*, quia Dominum suum confitetur, et peccata sua pro servo et non pro domino habet, *in domum suam*, ita ut in corpore suo recta itinera in confessione fidei faciat: *ab illo*, quoniam in divino aspectu gratiam Dei habent. *Quia omnis qui se exaltat*, ita ut per superbiam se sanctum dicat, *humiliabitur*, id est mendax est, quia Deum non requirit, et ideo a Deo et ab hominibus saepe relinquitur, quoniam qui in messe gaudet, multotiens decipitur, quia ubi homo non laborat, mercedem non recipit, sed in aestimatione sua decipitur; *et qui se humiliat*, scilicet qui scrutatur peccata sua, requirens ubi animam suam vulneraverit, et ita in suspirio se prosternit, *exaltabitur* clamans ad Deum, ita ut omnes creaturas sibi in adjutorium invocet, quae eum suscipiunt et ad Deum deferunt, in hoc quod dictum est: « Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris. [2]) »

II.

Alio modo.

Duo homines duos honores significant, scilicet scientiam boni et mali; *ascendebant*, ut ignis et fumus, quia nec ignis sine fumo, nec fumus sine igne, *in templum*, scilicet in figuram humani corporis in quo opus Dei latet, *ut orarent*, videlicet ut Deum mutuo confiterentur, quia bonum malum et malum bonum aliquando opprimit, et tamen unum Deum confitentur: *unus Pharisaeus*, id est bona scientia, *et alter* in alia vice *Publicanus*, scilicet mala scientia. [3])

Pharisaeus stans sine irrisione, nolens malo communicare, *haec apud se* conscia sibi *orabat*, confitendo Deum: *Deus* omnium, *gratias*, id est laudes *ago tibi*, scilicet tibi dico, *quia non sum* in siscitatione, nec in duplicitate simulationis, *sicut caeteri hominum*, videlicet alia vitia, *raptores*, quia dona tua non abjicio, sed laudo, *injusti*, quoniam judicia tua non damno, sed amplector, *adulteri*, quia institutiones tuas non supergredior, sed eas libenter disco, *velut etiam hic Publicanus*, id est sicut hypocritae faciunt.

Jejuno, scilicet abscido *bis* bilinguem loquelam, *in sabbato*, videlicet a sanctuario tuo; *decimas do*, id est in decem praeceptis laudem offero, qui unus Deus est, [4]) *omnium quae possideo*, scilicet de omni circulo intellectus mei in quo te scio.

[1]) Ps. XXIV, 7. — [2]) Ezech. XXXIII, 11. — [3]) Contra quam expectatur, ut supra de divite et Lazaro. — [4]) Malim *laudem offero tibi qui unus Deus es.*

Et Publicanus a longe in exilio *stans* fiducialiter aedificando, *nolebat nec oculos suos*, scilicet quod sapit, *ad coelum*, videlicet ad patrocinium divini adjutorii *levare*, id est erigere, sed *percutiebat*, scilicet conterebat *pectus suum*, videlicet vim intellectus sui, *dicens: Deus*, creator omnium, *propitius esto*, scilicet tu scis me, et ideo si vis, potes me convertere, *mihi peccatori*, a contrarietate mea ad te ipsum.

Amen dico vobis, scilicet scientia Dei, *descendit* confitendo *hic*, videlicet mala scientia, *justificatus* in hoc quod Deus altior sit quam ipsa perpetrare [1]) possit, *in domum suam*, ita ut ad se in bona scientia revertatur, et Deum confiteatur, *ab illo*, scilicet a corpore suo.

Quia omnis qui se exaltat, id est qui plus ascendunt quam in scientia possunt, *humiliabitur*, quoniam pusilli et pauperes erunt, *et qui se humiliat, exaltabitur*, scilicet qui se Deo subjecerit, coelum et terra illum suscipiunt et honorant.

XXIV.

In Dominica prima Adventus. [2])

I.

Erunt signa [3]), id est multa prodigia, *in sole et luna et stellis*, ita quod inusitata signa dabunt, alio scilicet modo quam constituta essent, et alio modo quam hominibus consueta [4]) forent, *et in terris pressura gentium*, quoniam ut superiora in alium modum vertentur, sic et inferiora, scilicet ut laetitia hominum in angustiam vertetur, [5]) et profectus in defectum, *prae confusione sonitus maris et fluctuum*. Ab aqua enim viriditas et vita creaturarum sustentatur, quia ipsa super terram et sub terra est. Nam « Spiritus Domini ferebatur super aquam, [6]) » et eam quasi viventem fecit. Unde cum homines mala opera faciunt, aer et aqua tanguntur; et aqua ea ad solem, lunam et ad stellas profert, quoniam haec de aqua lucent, et sic sidera ista inconsuetis terroribus homines secundum opera eorum concutiunt, *prae confusione*, quia aquae simul fusae sunt a Spiritu Sancto, *sonitus maris et fluctuum*, quoniam haec sonitum plangendo emittunt propter perversa opera hominum. *Arescentibus hominibus*, quia laetitia hominum in ariditatem et in tristitiam vertetur, *prae timore* istorum prodigiorum *et expectatione*, quoniam majora futura credunt, *quae superveniunt universo orbi*, omni mundo, quia hominibus fides, spes et consolatio tunc deficiet. *Nam virtutes coelorum*, scilicet Angeli *movebuntur* ad judicium et in indignationem, quoniam homines jam Dominum retrorsum abjecerunt. Unde angeli eis indignantur, sicut et ante incarnationem Domini fecerunt.

Et tunc videbunt in judicio *Filium hominis*, Christum, *venientem in nube* blanda et terribili, *cum potestate magna* humanitatis *et majestate* Divinitatis. *His autem* signis quae praedicta sunt, *fieri incipientibus*, quando jam emergunt, *respi-*

[1]) fort. *pervenire*. — [2]) In margine cod. notatur *Littera*, et recte. Infra enim evolvitur allegoria triplex. — [3]) Luc. XX, 25 - 33. — [4]) *consueti* cod. — [5]) *vertatur* cod. — [6]) Genes. I, 2.

cite ad Deum; *et levate capita vestra*, sine pudore nihil timentes: *quoniam appropinquat redemptio vestra*, aerumnis [1]) quas patimini.

Et dixit illis similitudinem in comparatione: *Videte ficulneam*, quia in terra illa abundant, *et omnes arbores. Cum producunt jam ex se fructum*, scilicet cum primum flores emittunt, *scitis* ex consuetudine, *quoniam prope est aestas* in mutatione aeris. *Ita et vos cum videritis haec fieri*, videlicet signa et prodigia quae praedicta sunt, *scitote quia prope est regnum Dei* ad retributionem justorum: *Amen dico vobis* omnibus hominibus: *Non praeteribit* consummata *generatio haec* populorum, scilicet homines non deficient super terram, *donec omnia fiant* impleta. *Coelum*, videlicet nubes et superiora quae homines vident, *et terra* in qua homines habitant, *transibunt*, mutata de instabilitate in meliorem et stabiliorem statum; *verba autem mea*, quae in his omnibus vobis dixi, [2]) *non transibunt*, ita ut in alium statum mutentur quam dicta sint, quia omnia pro certo implebuntur.

II.

Allegoria.

Erunt signa [3]), id est portenta *in sole*, scilicet in Christo, ita ut errantes humanitati Salvatoris resistant, *et luna*, videlicet in Ecclesia, cum haeretici Ecclesiam impugnare conabuntur, *et stellis*, id est in sacerdotibus, doctoribus et spiritali populo, cum a veritate ad falsitatem declinabunt, *et in terris*, scilicet in saeculari populo, *pressura gentium*, videlicet diversarum nationum, ita ut errores unius gentis et provinciae alteram gentem et provinciam inficiant, et evertant ad infidelitatem, *prae confusione*, quam emittet *sonitus* impudice sonantis *maris*, id est Antichristi, qui multas tempestates errorum educet, *et fluctuum*, scilicet haereticorum ministrorum ipsius, qui per universum orbem mendaciis et deceptionibus suis discurrent. *Arescentibus hominibus* in tristitia et dubitatione, *prae timore*, cum dubitant et timent in qua fide salvari possint, *et expectatione*, cum dubitando praestolantur jussionem et judicium Dei, *quae superveniet* opprimendo *universo orbi*, scilicet omni creaturae. *Nam virtutes coelorum*, videlicet episcopi et majores in Ecclesia, qui velut columnae, omnia instituta et secreta Ecclesiae, quae ad coelos pertinent, fortiter sustentare deberent, *movebuntur* in timore et dubitatione, ita ut se subtrahant, non audentes aperte defendere et loqui justitiam et ea quae ad Deum respiciunt.

Et tunc in his omnibus *videbunt*, et visu et intellectu *Filium hominis*, scilicet Christum, *venientem in nube*, videlicet in mentibus fidelium, qui multas passiones et tribulationes pro Christo et veritate in *martyrio* patientur, *cum potestate magna* sanctae incarnationis *et majestate* Divinitatis, ita ut fideles Antichristum abnegantes, ipsum verum Deum et hominem cognoscant. *His autem* passionibus *fieri incipientibus, respicite et levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra. Et dixit illis similitudinem* in comparatione.

[1]) f. *in aerumnis*. — [2]) *dixit* cod. — [3]) In marg. cod. *Allegoria*, uti supra *Littera*.

Videte ficulneam, scilicet praelatos, qui et dulciter corripere et blande delinire subditos debent, quemadmodum et ficulnea dulcem et amarum fructum profert, *et alias arbores,* videlicet alios homines. *Cum producunt jam ex se fructum* justitiae, *scitis quoniam prope est aestas*, calor in ardore et donis Spiritus Sancti. *Ita et vos*, cum videritis haec fieri, scilicet martyrium et tribulationes sanctorum, et fructus bonorum operum, *scitote quia prope est regnum Dei,* videlicet praemium supernae beatitudinis. *Amen dico vobis* in certitudine, *non praeteribit generatio haec* hominum, *donec omnia fiant,* et portenta et signa et passiones sanctorum. *Coelum,* id est occulta, *et terra,* scilicet aperta in his omnibus praedictis causis, quae temporaliter sciri et videri possunt ab hominibus, *transibunt*, ita ut ad finem perducantur; *verba autem mea,* videlicet omnia quae vobis ad salutem vestram dico, *non transibunt,* ita ut ad finem perducantur, quasi non fuerint, sed in aeternitate permanebunt, fideles homines ad supernam gloriam perducentes. [1])

III.

Alio modo.

Erunt signa, id est prodigia *in sole,* qui sunt hi homines, qui in virtutibus suis ostendunt, quod ante et post et praeter Deum nihil sit, et qui ita divini sunt, ut supra humanum modum sit, [2]) et ut ita in amore Dei ardeant, ut in hoc aliis hominibus excellentiores sint, [3]) ut Samson; *et luna,* quod sunt virgines et continentes, qui ostendunt quia humanitas Salvatoris sine peccato et macula sit; *et stellis,* quod sunt boni saeculares, qui ostendunt quod gratia Dei coelestis sit, per quam ipsi in eleemosynis et sanctissimo opere inveniuntur; *et in terris,* scilicet in humanis sensibus, qui se ad caduca et terrena inclinant; *pressura,* videlicet error et insania, quae nec Deum cognoscit, nec mundum in honestate habet, *gentium,* id est diversorum populorum, *prae confusione,* scilicet contradictione *sonitus* pessimi rumoris *maris* principum in mundo, *et fluctuum,* videlicet minorum, pusillorum et pauperum. *Arescentibus hominibus*, quia nec virtutes, nec gaudium vitae habent, *prae timore*, ita ut nec mortem sciant, *et expectatione* fallacium aestimationum, *quae perveniunt* inopinate *universo orbi,* scilicet hominibus in mundo viventibus, ita ut quidam sibi vitam, quidam mortem secundum aestimationem irrisionum suarum deputent. *Nam virtutes*, scilicet justitia et salvatio *coelorum*, quia semper ad coelestia tendunt, *movebuntur* in tristitia, quoniam tunc nec locum, nec quietem in hominibus inveniunt. [4])

Et tunc videbunt in prophetia et miraculis *Filium hominis,* scilicet Christum *venientem* in rumore in mundum, *in nube*, videlicet in mentibus hominum et in umbra prophetiae, *cum potestate magna* miraculorum et mysteriorum *et majestate* tacti [5]) per Divinitatem.

His autem fieri incipientibus, scilicet malis quae per schismata et incredulitates

[1]) i. e. *perducentia.* — [2]) f. *sint.* — [3]) *sunt* cod. Samson libenter ab Hildegarde laudatur. — [4]) f. *invenient.* — [5]) *tacti* sic cod. haud sine ambiguitate.

in infidelibus erunt, et etiam in signis miraculorum Dei, quae tunc in fidelibus fient, *respicite* cognoscendo, *et levate* in fortitudine *capita vestra*, scilicet fidem ad Deum, *quoniam appropinquat* in salvatione *redemptio vestra*, ita quod videbitis solem justitiae, cum in martyrio vestro malo resistitis, sic ad eum pervenientes.

Et dixit illis similitudinem in comparatione: *Videte* acuta intentione *ficulneam*, id est amaritudinem martyrii et angustiarum, quia haec patientes postea consolabuntur, ut ficulnea quae primum ingratum, et postea dulcem fructum profert, *et omnes arbores*, scilicet caeteras virtutes, quae signis et prodigiis secuntur.[1]) *Cum producunt* in ostensione *jam ex se* ipsis *fructum*, id est martyrium et postea signa, *scitis*, in cordibus vestris, *quoniam prope est aestas*, videlicet calor Spiritus Sancti et plenitudo sanctitatis in anima et corpore. *Ita et vos, cum videritis* certa ostensione *haec fieri*, ita ut hae amaritudines virtutibus resistant, et virtutes illis, sic tamen ut virtutes victoriam habeant, ut in alio Evangelio scriptum est: « Regnum coelorum vim patitur;[2])» *scitote quia prope est*, quod schismata et alia mala jam diu non durabunt, sed tunc cito finientur, *regnum Dei*, quia perseverantes in bonis ad illud pervenient. *Amen dico vobis* omnibus: *Non praeteribit* de tenebris ad lucem, de caducis ad aeterna, *generatio haec*, scilicet homines, *donec omnia fiant* praelia ista, quae praedixit[3]) in virtutibus et in vitiis, scilicet usque dum omnia vitia per virtutes ita excribrentur[4]) et perscrutentur, ut se plus erigere non valeant, et ut etiam Diabolus per virtutes ita superetur, quod nihil amplius insanire possit. *Coelum*, scilicet desideria illa quae ad coelum modo tendunt, ita quod homines terrena propter Deum dimittunt, *et terra*, scilicet terrenae concupiscentiae, ubi homines in saecularibus delinquunt, *transibunt*, quia desideria ista et haec concupiscentiae jam tunc in novissimo die temporaliter esse desinent, quoniam tunc aeterna aderunt; *verba autem mea*, scilicet homines qui per Verbum Patris creati sunt, non transibunt, quia semper in aeternitate erunt, ita ut bonis praemia et malis poenae debeantur.

IV.

Alio modo.

Erunt signa, scilicet miracula *in sole,* videlicet in fide, *et luna,* id est scientia hominis, *et stellis*, scilicet in intellectu ejus, *et in terris*, videlicet in terrenis causis, *pressura*. id est oppressiones *gentium,* scilicet carnalium concupiscentiarum, *prae confusione*, videlicet gustu carnis, *sonitus*, id est concupiscentiae, *maris* voluptatis saeculi, *et fluctuum,* scilicet lasciviae. *Arescentibus hominibus* in dubitatione prae timore pavoris, ita ut nec Deum, nec Diabolum discernere sciant, *et expectatione,* id est inspectione, *quae superveniunt* supercadentes *universo orbi*, scilicet super circuitum animae et corporis, ubi comprehensa est omnis sensualitas.

1) *secuntur* sic cod. vix integer. — 2) Matth. XI, 12. — 3) f. praedixi. — 4) *excribentur* cod.

Nam virtutes, scilicet rationalitas, fides, spes, charitas et caeterae vires animae, *coelorum*, quia coelestes sunt, *movebuntur* prae tempestatibus quae in ambitu corporis sunt, euntes et redeuntes, quasi rotae quas Ezechiel vidit.

Et tunc videbunt veraci signo *Filium hominis*, scilicet jam natas in homine virtutes, *venientem in nube*, videlicet in pupillam scientiae, *cum potestate magna* omnes tenebras deprimendo, *et majestate*, cum bonum malum vincit. *His autem* licitis et illicitis, bonis et malis, *fieri incipientibus*, ita ut cursum suum perficiant, *respicite* intuendo, *et levate* cum gaudio *capita vestra*, id est coelestem harmoniam, *quoniam appropinquat* in vicino *redemptio vestra*, ut a malis operibus fugiatis.

Et dixit illis similitudinem in comparatione: *Videte ficulneam*, in qua per malum cognoscentes bonum, quia cum in malo scandalizati fueritis, ad bonum vertitis vos, *et omnes arbores*, id est omnem lasciviam, quae se in diversa spargit. *Cum producunt* aperiendo conscientias suas, *jam ex se*, ubi prius sordebant, *fructum*, scilicet gemitum et lacrimosam vocem poenitendo, quia mali fuerunt, *scitis* gustando *quia prope est aestas*, scilicet ardor Spiritus Sancti, qui flores virtutum producit. *Ita et vos*, qui me intelligere vultis, *cum videritis* in certitudine *haec fieri*, ita ut ea in intellectu vestro habeatis, *scitote quia prope est*, ita quod tangit vos, *regnum Dei*, scilicet praemium coelorum. *Amen dico vobis* credentibus, *non praeteribit*, ita ut cesset esse, *generatio haec*, scilicet virtutum et vitiorum, *donec omnia fiant*, id est donec [1]) omnia praelia sua perficiant, ita ut virtutes vincant et vitia succumbant. *Coelum*, scilicet coelestes causae quae in hominibus torpent, *et terra*, videlicet terrenae causae, quae etiam in fatuitate sunt, *transibunt*, id est deficient in errantibus mentibus hominum, qui ita impediti sunt, ut neutrum efficaciter perficiant; *verba autem mea*, recte peracta praelia quae malum vincunt, *non transibunt*, videlicet non deridebuntur in vanitate, sed supernum praemium habebunt, ut scriptum est: « Fulgebunt justi sicut sol. [2]) »

XXV.

In Dedicatione Ecclesiae.

I.

Egressus Jesus, [3]) scilicet Deus, quando per Verbum suum omnia creata sunt, *perambulabat*, id est disponebat et componebat in visione sua creaturas, *Jericho*, scilicet caduci mundi.

Et ecce vir, quia virtus et justitia adhuc in ipso fuit, *nomine Zachaeus*, quia primum bonus in justitia erat, sed justitiam illam per zizania compressit, iterum per Christum in rectitudine reaedificavit. [4]) *Et hic erat princeps publicanorum*, id est caput injustitiae, quia eam incipit, *et ipse dives*, quoniam in potestate ipsius bonum et malum fuit.

[1]) *dum* cod. — [2]) Matth. XIII, 43. — [3]) Luc. XIX. 1-10. — [4]) *reaedificans* cod.

Et quaerebat, id est sciscitabatur, *videre* in sua scientia *Jesum*, scilicet Deum *quis esset* in potentia sua, quando bonum et malum scire volebat, *et non poterat prae turba* bonum perfecte comprehendere, vallatus insidiis Diaboli, *quia statura pusillus erat*, videlicet in mensura humanitatis quantum ad Deum.

Et praecurrens in potentia sua et supra sensum suum, plusquam deberet, *ascendit* superbe *in arborem*, in qua seipsum decepit, ita ut etiam genus suum creaturam postea pro Deo coleret; *sycomorum*, scilicet temeritatis, ubi Adam in stultitia morum a Sion secessit, *ut videret illum*, quoniam in scientia boni et mali similis Deo esse voluit, *quia inde* [1]) *erat transiturus*, quoniam potestas Dei utrumque, scilicet bonum et malum dijudicat, quod est transitus.

Et cum venisset Deus, in plenitudine temporis, *ad locum*, scilicet ad praedestinatum illud, quod Filium suum incarnatum voluit, *suspiciens* in humanitate *Jesus*, id est Salvator, Filius Dei, *vidit illum*, carne indutus, *et dixit ad eum* vocando hominem, quando eum salvare volebat, et a potestate Diaboli liberare: *Zachaee*, tu justificari debes, quia incarnatus sum, et ideo *festinans* in poenitentia *descende* de superbia, *quia hodie*, cum incarnatus sum in mundo, *in domo tua*, id est in carne quam assumpsi de Virgine, [2]) oportet in voluntate Patris mei me manere amodo in incarnatione.

Et festinans in poenitentia ablutionis peccatorum, *descendit* de superbia, dimittens voluptatem suam, et voluptatem carnis suae, atque idola quae colebat, [3]) *et excepit illum*, scilicet Christum cum ostensione novi hominis, qui secundum Deum creatus est, *gaudens* in laetitia de remissione [4]) peccatorum.

Et cum viderent in mala voluntate sua *omnes*, scilicet illi qui veteri Lege tabescebant, et hypocritae fuerunt, *murmurabant* in cordibus suis, *dicentes quod ad hominem peccatorem divertisset*, magis in dilectione et gratia, et quod peccatores ita diligeret, ut etiam de homine peccatore nasceretur, cum sine peccato esset [5])

Stans autem a cursu peccatorum suorum *Zachaeus*, id est ille qui jam in justitia repertus, coepit bona operari, *dixit ad Dominum*, in poenitentia contra voluntatem carnis suae: *Ecce dimidium*, id est medietatem voluntatis meae, scilicet *bonorum meorum*, quae injuste pro bonis habebam in mala consuetudine et in voluptate carnis atque in idolis, *Domine* Salvator, *do*, id est dimitto ea, quasi illa tibi offeram, sequens vestigia tua, *pauperibus*, ita ut beatus fiam cum his qui pauperes spiritu sunt, implens Evangelium. Dimidium autem hoc modo do, *quia* in reliqua parte adhuc sentiam quod homo sim et cinis, per omnia coelestis esse non [6]) possim, manens in corpore. *Et si quid* in ulla causa *aliquem hominum defraudavi* phantasticis ac diabolicis artibus, *reddo*, scilicet restituam ea, me puniens, *quadruplum*, videlicet bona scientia, sapientia. humilitate et charitate.

Ait Jesus ad eum, qui peccata sua sic deserit: *quia hodie*, in tempore hoc, cum

[1]) *idem* cod. — [2]) Corruptus locus habet in codice insulsa: Virgine, *quem homo de carnali copula nata sicut et tu oportet.* — [3]) *colebant* ibid. — [4]) *laetitia remissionem peccatorum* cod. [5]) Recte hic notatur in cod. manu saec. XVII: « Alius interpres addit, intelligendum illum locum esse de homine peccatore, scilicet de peccato Adae, non quod Maria peccatrix fuit, quam Augustinus et alii doctores excipiunt, quando de peccatoribus loquuntur. » — [6]) *non* om. cod.

Filius Dei pro salute hominum natus est, *salus* novae redemptionis *domui huic*, id est hominibus qui in corporibus, velut in domibus suis vivunt, *facta est* in forma sanctae incarnationis, ubi Verbum Patris caro factum est, *eo quod ipse* qui salutem et remissionem peccatorum suorum consequitur, *filius sit Abrahae*, videtur haeres coelestis regni cum Filio Dei. *Venit enim Filius hominis*, scilicet Christus *quaerere* in humanitate sua, *et salvum facere* in sanguine suo et in sanctitate, *quod perierat* per Diabolum, videlicet hominem, ut ipse per Filium Dei redemptus, Creatorem suum cognosceret.

II.

Alio modo.

Egressus Jesus, scilicet Filius Dei, venit in admonitione Spiritus Sancti, *perambulabat*, scilicet gratia sua perfudit, *Jericho*, id est in bonis operibus deficientes. *Et ecce vir*, videlicet ille qui se fortem in nequitia facit, *nomine*, id est invocatione *Zachaeus*, praevaricationis [1]) praeceptorum Dei, sed tamen post, per gratiam Dei, justificandus, *et hic erat princeps* in superfluitate *publicanorum*, scilicet voluptatis carnis, quae verecundiam non habet, *et ipse dives*, scilicet frequens in studio vitiorum.

Et quaerebat studendo *videre*, id est contradicere *Jesum quis esset*, sic apud se homo ille tractans, quid Deo obsit, vel quid eum laedat, si ipse carnaliter vivat. *Et non poterat prae turba* iniquitatis, quia *statura* horum cogitationum *pusillus erat*, quoniam tales perversae contradictiones non praevalent adversus Deum, sed ad nihilum in opinione sua redigentur. *Et praecurrens* properando in hac voluntate sua, *ascendit* se erigens [2]) *in arborem*, scilicet in altitudinem casus per dulcedinem voluptatis suae, *sycomorum*, ubi se per malam suggestionem a coelestibus avertit, *ut videret illum*, scilicet ita quod tamen non vult ut Deus ipsum pro hujusmodi excessibus derelinquat, *quia inde erat transiturus*, quoniam Deus bene novit quod homo de fragili materia creatus est.

Et cum venisset Filius Dei *ad locum*, id est eum vidisset conversationem illius malam esse, *suspiciens* gratia sua *Jesus* Christus, *vidit illum*, ita ut per misericordiam suam illum nollet derelinquere, et *dixit ad eum* vocatione sua: *Zachaee*, qui prius praevaricator eras, sed modo justificaberis, *festinans* poenitendo, *descende*, id est humiliare, ut a peccatis tuis abluaris, *quia hodie*, cum te requiro, *in domo tua*, scilicet corde tuo, *oportet*, si salvari desideras, *me manere*, id est in te glorificabor sancta mansione.

Et festinans poenitendo, *descendit*, quia homo ille per humilitatem peccata sua dimittere incipit, *et excepit illum* in suspirio suo, *gaudens* in lacrimis salvationis.

Et cum viderent omnes, scilicet turba malorum suorum, *murmurabant* circumeundo [3]) in illum, *dicentes* in seipsis per indignationem, *quod ad hominem pec-*

[1]) f. *praevaricatoris*. — [2]) *in* om. cod. — [3]) *circuendo* cod, fere ut supra.

catorem divertisset, ita quod nec justum, nec dignum esset, ut Deus illum susciperet, quoniam multa mala perpetrasset.

Stans autem in victoria stabilis *Zachaeus*, a transgressione justificatus, *dixit ad Dominum* poenitendo et confitendo peccata sua: *Ecce dimidium,* id est medietatem *bonorum meorum,* scilicet vitae meae, quia pleniter perfectus esse non possum, dum in fragili carne vivo, *Domine* Deus, *do pauperibus*, ita quod me pusillum et pauperem facio, confidens quod in poenitentia suscipias me, *et si quid in aliquo aliquem defraudavi,* ita ut eum, et etiam me ipsum ad malum perduxerim, *reddo quadruplum,* me ipsum contra voluntatem meam vincendo, et malam consuetudinem meam dimittendo, et postea bonum opus perficiendo, et sic in eo usque in finem perseverando.

Ait Jesus in admonitione Spiritus Sancti *ad eum*, in poenitentia illum suscipiendo: *Quia hodie*, ubi poenitentiam egit, *salus* in passione redemptionis omnium *domui huic*, scilicet cordi tuo et animae tuae *facta est*, quia victor Diaboli extitit *eo quod ipse*, qui sic salvatus est, *filius sit* per redemptionem *Abrahae*, aeterni regni in simplicitate columbae. *Venit enim* natus in mundo *Filius hominis,* qui est sacerdos secundum ordinem Melchisedech, *quaerere*, ita ut viventes hostias in publicanis et peccatoribus suscipiat, *et salvum facere* eos qui [1]) convertuntur ad vitam per poenitentiam, *quod perierat* in maculis peccatorum suorum, ante quam mundarentur. [2])

XXVI.

In Dominica VIII post Pentecosten.

I.

Homo quidam, [3]) qui hominem creavit, qui Deus et homo est, *erat dives*, ita ut ei in plenitudine boni nihil deesset: *qui habebat villicum,* scilicet Adam, cui Paradisum et omnes creaturas commiserat. *Et hic diffamatus est apud illum,* in angelis scilicet, quia Deus opera nostra in ipsis et in aliis creaturis videt; *quasi dissipasset bona illius*, id est quasi honorem Dei, quem nemo dividere potest, in seipsum dividere vellet, ut serpens dixit: « Eritis sicut Dii, » [4]) quod est: Deus fecit vos secundum ipsum, unde dii estis. Et idem et homines se quasi deos in idolis postea fecerunt.

Et vocavit illum, ubi dixit: « Ubi es? » [5]) quando divinum praeceptum transgressus est. *Et ait illi*: *Quid hoc audio de te?* ubi iterum dixit: « Quis enim indicavit tibi quod nudus esses, [6]) nisi quod de ligno de quo praeceperam tibi ne comederes,

[1]) *eos* ante *qui* om. cod. — [2]) Huc usque prima series. — [3]) In codice majore Wisbadensi, hujus et sequentis evangelii expositio extra locum ponitur ab initio totius commentarii, sub illo titulo: *Expositio evangeliorum per Hildegardem exposita.* De legitima illarum glossarum serie haud puto curandum esse, cum singulae fuerint, ut videtur, fortuito casu et pro re nata collectae a monialibus coaevis, quarum esse videtur titulus supra positus, qui perinde ac superior epigraphe p. 245, ipsam aetatem sapit *Hildegardis,* ob nudam et simplicem nominis nuncupationem. Cf. Luc. XVI, 1-9. — [4]) Genes. III, 5. — [5]) Ibid. V. 9. — [6]) Ibid. V. 11.

comedisti? » *Redde rationem villicationis tuae*, quia secundum opera tua judicaberis, et terram viventium dimittes. *Jam enim non poteris villicare*, quia te excusare non potes, quin malum operatus sis. Et ideo « maledicta terra in opere tuo. In laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitae tuae, spinas et tribulos germinabit tibi, et comedes herbas terrae. In sudore vultus tui vesceris pane » [1]) tuo, quoniam tu etiam malum et amarum opus primum incoepisti. Et fecit eis tunicas pellicias, ejecitque Adam.

Ait autem villicus, scilicet Adam, cui Deus Paradisum et omnes creaturas commiserat, *intra se*, videlicet in conscientia sua, cum jam de Paradiso miserabiliter egrederetur: *Quid faciam, quia dominus meus*, scilicet Deus *aufert a me villicationem*, id est honorem illum qui mihi in Paradiso datus est in innocentia, expellens me, quia praeceptum ejus transgressus sum? *Fodere non valeo*, id est non possum facere ut deinceps creaturas ita mihi cum obedientia subjiciam, ut in Paradiso mihi subjectae fuerunt, quamvis non valeam oblivisci honoris illius, qui mihi in ipso datus est; *mendicare erubesco*, ita ut subjectis mihi creaturis luctu et ejulatu supplicem. *Scio* in sensibilitate animae meae *quid faciam, ut cum amotus fuero a villicatione*, scilicet cum perdidero honorem, quem in Paradiso habebam, *recipiant me* hae creaturae, quae mihi prius subjectae fuerunt, *in domos suas*, scilicet in cohabitationes ipsarum, [2]) ut simul in terra vivamus et commoremur.

Convocatis itaque singulis debitoribus domini sui, id est postquam expulsus est Adam, convocavit per injunctionem subjectionis unamquamque creaturam, quae de natura sua servitium debebat Deo. *Dicebat primo*, id est volatilibus et caeteris hujus mundi creaturis, quae prius quam homo creatae fuerunt: *Quantum debes domino meo*, scilicet quantum debes servire in potentia naturae tuae, illi qui Creator meus est? *At ille*, id est creatura *dixit* potentiam naturae suae: *Centum cados olei*, videlicet superabundantiam plenitudinis locorum in excellentia olei, quoniam et prope terram inferius et in nubibus superius volamus, sicut etiam oleum caeteros liquores superenatat. *Dixitque illi* creaturae, Adam scilicet ad volatilia: *Accipe cautionem tuam*, id est suscipe hanc naturam volatus tui, *et sede*, scilicet descende ad me *cito*, quia celeriter volas, *scribe quinquaginta*, videlicet gyra circulos volatus tui, et medietatem possibilitatis ejusdem volatus dimitte, et esto mecum in medio aeris, me contingens, qui habeo quinque sensus corporis.

Deinde alii [3]) *dixit*, scilicet pecoribus: *Tu vero*, scilicet pecora et alia similia, quae super terram ambulatis, *quantum debes* servitii in natura tua? *Qui ait*, videlicet pecora: *Centum coros*, id est plenitudinem circuitus *tritici*, scilicet terrae in optimo fructu, quia pascua nostra de terrenis [4]) sumimus. Ait illi creaturae Adam: *Accipe litteras tuas*, id est suscipe circuitus naturae tuae, in qua super terram vadis, *et scribe octoginta*, scilicet, gyra circulos itineris tui, ne ultra quam necesse sit progrediaris, secundum quod ego homo tibi in potestate Dei jubeo per quinque sensus corporis mei, per quos tres creaturas circumeo, [5]) scilicet sidera, aerem et terram, quod octo sunt, quia et ego in octo beatitudinibus laborare debeo. [6])

[1]) Genes. IV. 17, 18, 19, 21. — [2]) *ipsorum* cod. — [3]) *alio* cod. — [4]) *de terrena* id. — [5]) *circueo* cod. cf. p. 317. — [6]) Eccle. XI, 2 cum libero respectu ad obscuram Ambrosii interpretationem.

Et laudavit dominus villicum iniquitatis, scilicet in hoc laudavit Adam, quod quandoque ad coelestia se erecturus esset, quia praescivit quod idem intellectus, qui Adam ad hoc ut se ad peccata declinaret perduxit, iterum eum ad Dominum cognoscendum reducturus foret. Quamvis tunc villicus iniquitatis esset, ita scilicet quia prius in Paradiso villicus, in innocentia justitiae fuit; cum autem praeceptum Dei transgressus est, factus est villicus peccati in iniquitate, quoniam praeceptum Dei neglexit. Laudavit eum, quia prudenter fecisset, quoniam cum se a luce per inobedientiam avertisset, quod se tunc aliis creaturis in tenebris, scilicet in mundo, nullam aliam consolationem habens, adjunxit. *Quia filii hujus saeculi,* scilicet homines, *prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt,* quia Adam cum gaudium perdidit, prudenter lacrimas peregrinationis sibi adtraxit, et de Paradiso expulsus, se aliis creaturis in necessitate prudenter etiam adjunxit. Et pro hoc homines prudentiores filiis lucis, scilicet perditis angelis, qui in luce claritatis et veritatis creati sunt, apparent, quia cum illi coelestem gloriam perderent, se ad gratiam Dei requirendam in nulla felicitate adjunxerunt, nec inclinaverunt, sed ita obdurati in tenebris inextinguibilibus infelicitatis remanserunt. Et hoc modo homines prudentiores illis in generatione sua sunt, id est in filiis suis, qui in hoc saeculo generant et generantur, cum etiam et hic bene et male operari possunt.

Et ego, scilicet Christus, *vobis* hominibus *dico: Facite vobis amicos,* angelos bonos et homines, in justitia et veritate, *ita ut vos* in bonis operibus diligant, et hoc *de mammona iniquitatis,* scilicet de opere pravitatis et peccati, *ut cum defeceritis,* videlicet cum corporales vires ita in vobis defecerint, ut de hoc mundo transire debeatis, *recipiant vos* cum bono rumore et laude remunerationis ante Deum, quos in hoc saeculo de infidelitate ad fidem et de peccato ad justitiam adduxistis, et hoc *in aeterna tabernacula,* scilicet ut ipsi cum superna mercede vobis occurrant, et vos recipiant in coelestem et in indeficientem patriam, quam in Adam perdidistis.

II.

Item alio modo.

Homo quidam, scilicet ille qui hominem ad imaginem et similitudinem suam fecit, *erat dives,* in coelo et in terra, nullam indigentiam habens, *qui habebat villicum,* scilicet voluntatem hominis sub potestate sua; quae voluntas hominem educit et inducit, juxta id quod sibi placet. *Et hic diffamatus est apud illum,* quia malus rumor ab illa exivit tam apud homines quam apud Deum, cum illa se ad malum declinavit, *quasi dissipasset bona illius,* ita ut parvi pendisset praecepta in voluptate hujus saeculi.

Et vocavit illum, scilicet voluntatem hominis in baptismo et in praeceptis Evangelii. *Et ait illi* in admonitione Spiritus Sancti: *Quid hoc audio de te?* id est, quare erigit se malus rumor de te, ita ut malum et nequitiam plus quam bonum

colas? *Redde rationem villicationis tuae,* id est tuae voluntatis in qua malum operatus es; *jam enim non poteris villicare,* scilicet voluntatem tuam in turpibus actibus adimplere, ut prius fecisti.

Ait autem villicus, videlicet voluntas hominis intra se, quia oportet ut se jam in alium et meliorem modum mutet. *Quid faciam* modo in aliis operibus, *quia dominus meus,* cui servire debui et non feci, *aufert a me villicationem* in cultura concupiscentiarum mearum? *Fodere non valeo,* id est parva et etiam minima praecepta quaerere et implere, cum prius magna non observarem; *mendicare erubesco*, ut alias vias quaeram quam prius in consuetudine mea haberem. *Scio* in rationalitate *quid faciam,* quia initium incoeptionis boni tam velox iter in rationalitate habet, ut etiam necessarium sit quod homo in depressione se contineat, ut Paulo apostolo contigit, *ut cum amotus fuero* per divinam inspirationem *a villicatione,* scilicet a mala consuetudine mea, *recipiant me* boni et justi homines *in domos suas,* id est in consortium suum, qui etiam prius peccaverunt, et postea poenitentiam egerunt.

Convocatis itaque in admonitione boni consilii *singulis debitoribus domini sui,* qui ita peccaverant, sicut et ipse in transgressione praeceptorum Dei, *dicebat primo,* scilicet illi qui fidem quae fundamentum bonorum operum est, abnegaverat, ita quod et in Deo peccaverat, nec proximum suum dilexerat: *Quantum debes domino meo,* in quibus peccasti contra praecepta Dei? *At ille dixit* in compunctione: *Centum cados olei,* quia supra modum peccavi, cum Dominum non colui, nec ei debitum honorem exhibui, unde *cados,* scilicet praecepta *olei,* videlicet misericordiae non perfeci. *Dixitque illi* inspiratio divina: *Accipe,* scilicet disce *cautionem tuam,* videlicet aliam consuetudinem in operibus tuis, *et scribe,* id est comprime voluptates tuas, *cito* et festinanter scribe *quinquaginta,* scilicet crede quod in quinque sensibus tuis Deo serviens, remissionem peccatorum recipies, [1]) cum emendabis quod prius in eis peccasti.

Deinde alii [2]) *dixit* in admonitione: *Tu vero* qui majora corporalia peccata fecisti, *quantum debes* persolvere [3]) peccata tua in poenitentia? *Qui ait* poenitendo: *Centum coros tritici,* id est plenitudinem et superfluitatem malorum operum, velut pessimorum circulorum in tritico Legis, cum in pinguedine corporis transgressor ipsius factus fui. *Ait illi* voluntati Deus per supernam inspirationem: *Accipe* in bono consilio *litteras tuas,* id est opera tua quae fecisti, *et scribe octoginta,* videlicet crede quod in octava beatitudine salvaberis, si persecutionem et tribulationem propter justitiam pati volueris; quia in quatuor elementis peccasti, in quarta vigilia requiret te Deus, cum in octava beatitudine salvus eris.

Et laudavit dominus villicum iniquitatis, quia conversionem ejus angelis et sanctis animabus ostendit, cum ipse a prava consuetudine sua se abstinuit, in qua prius villicus iniquitatis, cum in peccatis delectabatur, erat.

[1]) *recipiens* cod. — [2]) *alio* id. Iterum ut supra: — [3]) *persolvere* uno verbo in cod. et recte, nisi jam loquela recentior inoleverit more gallico: *pour payer*.

III.

Vel alio modo.

Villicus iniquitatis sacerdos intelligi potest, quoniam ei peccata in confessionem hominum committuntur, ut ea procuret, cum ea in poenitentia remittit et abstergit. Itaque laudavit eum Dominus, quia prudenter fecisset, quia cum voluntas hominis prius a bono se avertisset, tandem in aliam viam ad bonum se prudenter convertit, quatenus Dominum suum inveniret. *Quia filii hujus saeculi,* id est peccatores in saeculo conversantes, *prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt*, quia cum peccatores peccata sua in poenitentia deflent et dimittunt, in hoc prudentiores malis angelis qui in luce creati sunt, et qui mala hominibus persuadent, efficiuntur, cum tota progenie sua poenitentium, quoniam cum peccatores de malis actibus poenitentiam faciunt, ita ut de poenitentia sua gloriam accipiant, mali angeli qui eos persuasionibus suis ad nequitias illas perduxerunt, confusionem inde tenent, quia ipsi nullam poenitentiam de ruina sua habere quaerunt. Et ego qui peccatoribus remissionem peccatorum suorum facio, vobis poenitentibus dico. *Facite vobis amicos,* id est virtutes *de mammona,* videlicet de pullulatione *iniquitatis,* id est vitiorum, ita ut virtutes in poenitentia vobis adjungatis, ac ardentem concupiscentiam vitiorum dimittatis, *ut cum defeceritis* in vitiis, ita ut amplius peccare non velitis, recipiant vos poenitentes et renovatos in bono *in aeterna tabernacula,* ad pascua vitae, ubi nullus defectus est protectionis et plenitudinis aeternorum gaudiorum.

XXVII.

In Dominica quarta Quadragesimae.

I.

Abiit Jesus trans mare Galilaeae,[1]) id est, in passione sua per angustiam et tribulationem mundi istius, *quod est Tiberiadis,* scilicet justae et summae regionis ad quam omne genus humanum inclinatur, et ad quam se tendebat, cum a mortuis resurrexisset. *Et sequebatur eum,* scilicet vestigia ipsius, *maxima multitudo* credentium, quibus erat cor unum et anima una, *quia videbant* et in fide ac visu oculorum *signa,* ubi Spiritus Sanctus in igneis linguis super credentes descendit, et alia multa miracula, *quae* Christus *faciebat* per discipulos suos et alios fideles, *super his qui infirmabantur,* ubi desuper gratiam suam misit ad istos, qui prius infirmi in fide erant, ita quod postea in baptismo sanati sunt.

Subiit ergo, id est blande intravit cum legalibus praeceptis et novis testimo-

[1]) Joan. V, 1 - 14. Hic tandem multa recepit Hildegardis ex purioribus fontibus et Patribus insignioribus, nec leviter recessit ab allegoriis quas ventilavit supra p. 302, 303.

niis *in montem Jesus*, scilicet in sanctificatione Ecclesiae, quae in toto mundo excelsa apparet, *et ibi sedebat*, regnans in honore et decore, *cum discipulis suis*, videlicet cum omnibus qui in eum crediderunt et credunt.

Erat autem proximum, id est in assidua frequentatione propinquitatis, *pascha*, scilicet communio corporis et sanguinis Christi, innocentis Agni, *dies festus Judaeorum*, id est incipiens et lucens, bonus et magnus ac praeclarus ardor fidei ac bonorum operum, in cordibus credentium et peccata sua confitentium.

Cum sublevasset ergo in gloria honoris *oculos*, id est intentionem scientiae in Ecclesia, *Jesus* Salvator, *et vidisset* per misericordiam suam, *quia multitudo maxima* credentium *venit ad eum* per baptismum et martyrium ac per alia bona exempla, *dicit* per inspirationem suam *ad Philippum*, scilicet ad simplicia legalia praecepta veteris Legis: *Unde*, id est, de quibus legalibus factis vel praeceptis antiquorum sacrificiorum *ememus*, scilicet provocabimus aut ostendemus *panes*, videlicet justos et sanctos homines in operibus suis, *ut manducent hi*, de quibus exemplum credulitatis et sanctitatis trahant?

Hoc autem dicebat Jesus *tentans eum*, id est, perscrutans et discutiens in significationibus praecepta veteris Legis. *Ipse enim sciebat quid esset facturus*, in hoc quod multas virtutes et significationes educturus esset in salutem credentium, sicut etiam praefiguratum est in ariete in spinis pendente.

Respondit ei Christo *Philippus: Ducentorum denariorum panes*, scilicet tota summa praemiorum vitae, quae et in prophetis et in veteri Lege justis et sanctis hominibus promissa est, *non sufficiunt eis*, id est, his qui vestigia tua in Ecclesia secuntur, *ut unusquisque*, qui baptisma susceperunt, *modicum quid* virtutis et exempli in significationibus *accipiat;* scilicet in mentem suam colligat, quoniam ipsi multo majora habere volunt, de virtute in virtutem euntes.

Dicit ei unus, in unitate fidei probati, *ex discipulis ejus*, qui vestigia Christi fide et opere subsecuti erant, *Andreas*, fortissimi credentes in virtuosis viribus, *frater Simonis Petri*, scilicet fratres Christi, fortissimi lapides effecti, cum voluntatem ejus ubique in divinis praeceptis adimplerent.

Est puer, pueri in operibus suis, *unus hic*, hi scilicet unitatem fidei in Ecclesia devotissime complectentes, *qui habet quinque panes hordeaceos*, ita ut sicut in quinque sensibus suis justissimi et sanctissimi homines in hordeo angustam et arctam viam diligentes, *et duos pisces*, videlicet qui Christum verum Deum et hominem in pura et perspicaci conversatione spiritalis vitae imitantur, ut monachi et virgines, saeculo perfecte renuntiantes. *Sed haec*, scilicet opera discretionis et conversationis saecularium abjectionum, *quid sunt inter tantos*, qui in Ecclesia laborant? quia nondum eis istae virtutes sufficiunt, sed in ultimo tempore multo majores vires in prophetia et in passionibus sanctorum surgent, cum etiam multo majora mala eos ut triticum excribrabunt.

Dixit ergo Jesus sequentibus se: *Facite homines discumbere*, id est ordinate credentibus rectam et bonam quietem in praeceptis meis in Ecclesia. *Erat autem fenum multum*, id est adhuc erant plurimae irrisiones in cultura infidelitatis, quas homines prius in judaismo et in paganismo viderant, *in loco*, scilicet in con-

suetudine populi. *Discubuerunt ergo,* iidem ordinabant se in Ecclesia, *viri,* id est praecellentes virtutes in hominibus feliciter praeordinatis [1]) ad vitam, *quasi quinque millia,* qui in quinque sensibus credentium innumerabilem abundantiam bonorum operum proferunt.

Accepit ergo panes Jesus, scilicet cum justos et sanctos homines in virtutibus per legalia praecepta ad gratiam suam contraxit. *Et cum gratias egisset,* idem cum per gratiam suam dona sua ostendisset, *distribuit discumbentibus,* cum eos in exemplum credentibus dedit et proposuit, ubi se in humilitate pro Christi nomine quasi ad terram prostraverunt. *Similiter* in inspiratione sua, *et ex piscibus,* scilicet illorum qui angelicum ordinem, ut monachi et virgines, adierunt, qui velut maximum exemplum contemptus mundi fidelibus sunt, *quantum volebant,* videlicet quantum quaerit desiderium Ecclesiae in sancta conversatione.

Ut autem impleti sunt omnes in Ecclesia cum ordinibus suis, *dixit discipulis suis* Jesus, qui capaces fuerunt sensu et intellectu, ut doctores Ecclesiarum: *Colligite,* id est reservate et instruite *quae superaverant fragmenta,* scilicet qui simpliciores in Ecclesia sunt et simpliciter vivunt, ita ut putent quaeque parva et minima sibi ad salutem sufficere, et in hoc velut fragmenta, pusillanimes et quasi abjecti videntur, sed vos instruite eos in lenitate verborum, *ne pereant* in negligentia oblivionis, sed facite ut ipsi fructum centuplum afferant.

Collegerunt ergo, id est doctores etiam instruxerunt divinis praeceptis eos qui in Ecclesia simpliciter in pusillanimitate incedebant, nec se ad altiora tollere audebant, ut quidam saeculares qui simpliciter vivunt, *et impleverunt duodecim cophinos fragmentorum,* ita quod perfecerunt praedicatores et verba apostolorum, cum tam simplices quam pusillanimes, quasi fragmenta, etiam ad fidem illam perduxerunt, quam apostoli docuerant, ubi.[2]) « in omnem terram exivit sonus eorum. » *Ex quinque panibus hordeaceis,* scilicet qui in quinque sensibus suis justissimi homines existentes, arctam viam in hordeaceis panibus apprehendunt, *quae superfuerunt his qui manducaverant,* ita quod isti in saeculo viventes, timent fortia et majora cibaria vitae cum sanctioribus hominibus, qui viam mandatorum Dei fortiter currunt, aggredi, sed simplicitatis suae contenti, in humilitate vitam ducunt.

Illi ergo homines, qui Christum in fide per baptismum et per multas alias virtutes in Ecclesia colunt, *cum vidissent* in bona scientia, in bono intellectu ac in bono gustu dulcedinis virtutum, *quod fecerat Jesus* in humanitate, in passione ac in donis Spiritus Sancti, *signum* per prophetiam et Evangelium, velut de expositoribus, *dicebant* aperta voce in laudibus credulitatis: *Quia hic est vere propheta,* qui omnes prophetas in semetipso complevit, *qui venturus est* proficiendo in miraculis suis, in plenitudine temporis, *in mundum,* ut omnia opera ipsius, quae ante multa tempora praedicta sunt futura, implerentur, quae patrabit usque ad novissimum diem, cum mundus in cursu suo complebitur.

[1]) Codex, notante librario meo, habet *perordinati.* — [2]) Ps. XVIII, 3.

II.

Alio modo.

Abiit in admonitione Spiritus Sancti, *Jesus* Salvator *trans mare*, ultra putredinem vitiorum in mutatione eorum,[1]) *Galilaeae,* scilicet cum homo dimittit malum et incipit bonum, *quod est Tiberiadis*, videlicet cum ad amorem coelestium, quo omnes virtutes tendunt, suspirat.

Et sequebatur eum in bono rumore *maxima multitudo* virtutum, *quia videbant* sanctam intentionem, *signa,* id est conversionem illius hominis, *quae faciebat* in sanctam admonitionem *super his qui infirmabantur,* ubi comprimit vitia, cum eos ad bonum convertit, ita quod peccator conversus laudabilis homo sit.

Subiit ergo, consilians et adjuvans in admonitione Spiritus Sancti, *in montem* scilicet in hanc celsitudinem, ut homo in virtutibus renovetur, *Jesus et ibi sedebat* in mansione requiei, *cum discipulis suis*, videlicet virtutibus. *Erat autem proximum,* id est in propinquitate *pascha*, videlicet gaudium, *dies* illuminationis, *festus* scilicet laetus, *Judaeorum*, id est perspicuitatem in eo quod homo peccata sua confitetur.

Cum sublevasset ergo in laude felicitatis *oculos,* id est beatam scientiam *Jesus* Salvator, *et vidisset* in exquisitione, *quia multitudo maxima* virtutum *venit ad eum*, clara opera per gratiam suam in homine illo faciens, et ad ipsum tendens, *dicit* in admonitione sua *ad Philippum*, scilicet ad innocentiam: *Unde ememus*, id est requiremus *panes*, videlicet constrictiones, [2]) *ut manducent hi,* scilicet ut permaneant in virtutibus. *Hoc autem dicebat Jesus tentans,* id est temperans et componens *eum*, scilicet innocentiam. *Ipse enim sciebat* in secretis suis *quid esset facturus* in homine illo, quomodo eum elevaret et deprimeret, ne supra modum ascenderet in altum, et ne supra modum descenderet in abyssum, quia Deus scit quid homo perficere possit.

Respondit ei Salvatori *Philippus*, innocentia: *Ducentorum denariorum panes,* id est in altitudinem et in profunditatem tendentium in plenitudine supernorum praemiorum constrictiones, *non sufficiunt eis* in cordibus suis, *ut unusquisque illorum modicum quid* temperamenti *accipiat* per discretionem.

Dicit ei unus, scilicet unanimitas, *ex discipulis ejus*, id est de virtutibus, *Andreas*, videlicet constantia fratrum, quod est *consors* [3]) *Simonis Petri*, id est fortissimae fortitudinis. *Est puer*, scilicet initium, *unus hic*, id est bonum quod omnes fideles appetere debent, *qui habet quinque panes hordeaceos,* videlicet in quinque sensibus suis contrictiones fortissimarum repressionum, ubi homo malam consuetudinem dimittit, et se ad quasque virtutes dirigit, *et duos* in Deo et in homine *pisces*, videlicet spiritale desiderium, ubi homo terrena contemnit, et ad coelestia toto annisu mentis et corporis tendit. *Sed haec*, eaedem istae

[1]) *in imitatione eorum* apogr. an ex codice? — [2]) *constructiones* sic cod. f. mutilus, sed mox *constrictionis*, nec magis vox perspicua est. — [3]) *consors* id est *frater,* quod f. excidit.

constrictiones et appetitus spiritualium desideriorum, *quid sunt inter tantos?* scilicet inter tantas virtutes, quia homo ille tam forte et tam praeceps desiderium habet ad Deum, quod etiam vix in humilitate ista constringitur, ut se hominem esse et similem hominibus cognoscat.

Dixit ergo virtutibus *Jesus* Salvator in admonitione Spiritus Sancti: *Facite* corripiendo et comprimendo vestra constrictione *homines*, id est eos qui homines sunt, sed tamen supra homines virtutum ascensu sine mensura discretionis esse volunt, *discumbere*, scilicet discretionem cum humilitate tenere, ita ne modum suum excedentes, in deterius cadant.

Erat autem fenum multum, scilicet humanae tentationes in praesumptione et in irrisione, *in loco* ubi debebant scire et intelligere se fragiles homines esse. *Discubuerunt ergo*, constricti et compressi in humilitate divinis flagellis et castigationibus, *viri* in terrenis ac in coelestibus probati, *numero* beatitudinis *quasi quinque millia*, id est quinque sensibus suis abundantiam coelestis militiae tenentes, et bene compositi in virtutibus.

Accepit ergo panes Jesus, id est suscepit constrictiones hominis illius, quibus eum humiliavit, ne se incongrue exaltaret, *et cum gratias egisset*, videlicet cum gratiam suam ad haec extendisset, *distribuit discumbentibus*, id est divisit in humilitate et discretione illis qui secrete et bene constrinxerant, ac sibimetipsis modum temperamenti imposuerant. *Similiter et ex piscibus*, scilicet spiritalibus desideriis et perspicuis considerationibus, in quibus homines moderate et temperanter ea considerant, quae circa eos sunt, *quantum volebant*, videlicet secundum mensuram illam quam pati possunt.

Ut autem impleti sunt, discretione et recta mensura bene compositi, *dixit discipulis suis*, quod est virtutibus, quoniam eum ubique amplectuntur: *Colligite*, id est, notate et recondite *quae superaverunt*, scilicet quae residua fuerunt bona opera, ita quod quasi importabilia videbantur hominibus, et etiam majora quam putarent se pati posse, *fragmenta*, videlicet passiones et constrictiones tam animae quam corporis, quibus se virtuosi homines ad virtutes coercere contenderunt, et vix eas perficere potuerunt, *ne pereant*, in laude scilicet, ne laude careant coram Deo et hominibus,

Collegerunt ergo, id est notabant et reservabant constrictiones istas, *et impleverunt duodecim cophinos fagmentorum*, videlicet perfecerunt et ad plenitudinem sacramentorum perduxerunt decem talenta, et duo in fidelibus servis quibus data sunt praecepta Legis et Evangelii adimplere, quae sibi per implexiones mysteriorum cohaerent, cum in fragmentis passionum et constrictionum se fideles ita constringunt, ut nihil ab eis negligatur, *ex quinque panibus hordeaceis*, cum quinque sensibus suis constrictiones fortissimae depressionis sibi fideles imponunt, *quae superfuerunt* in abundantia constrictionis, *his qui manducaverant*, videlicet qui corpus suum in servitutem redegerunt, et carnem suam cum vitiis et concupiscentiis crucifixerunt, cum intrinsecus in cordibus suis multas passiones sustinerent.

Illi ergo homines, qui humanum intellectum dimiserant, et ad divinum se in

aliis virtutibus contulerant, *cum vidissent* in oculo bonae voluntatis *quod fecerat* in illis, qui cum toto annisu per fortissimas virtutes imitantur, *signum*, scilicet eos ita sub potestate sua continens, ne per intemperantiam ad proclivia declinarent, *dicebant* in suspirio et gemitu cordium suorum. *Quia hic est vere propheta*, sciens omnia quae necessaria sunt ad salutem animarum hominum, *qui venturus est*, in initio boni, cum homo primum incipit bonum operari, et in consummatione ejus, cum illud ad bonum finem perducit, ita ut laus et gratiarum actio inde ad Deum per homines proferatur, *in mundum*, scilicet inter homines saeculorum.

Trithemius haud pauciores quam octo et octoginta Hildegardis homilias in Evangelia recenset, quas de more suo non numeravit, nisi postquam omnes sub oculis habuerit et diligenter evolverit. Vix igitur tertia pars ad nos usque pervenerit, neque ullas ullibi latere scio. Damnum nonnihil sustulerit, si quis existimaverit Trithemio tot fuisse homilias, quot sunt in idem evangelium variae expositiones: quo quidem calculo recepto, fere in superioribus paginis tibi erunt sexaginta commentarii, argumento certe distincti et diversissimi. — Ad methodum hujusce expositionis quod attinet, si quis prae oculis habet, aut unquam manu trivit Walafridi Strabonis *Glossam* quam dicunt *ordinariam*, exemplar utique considerare penes illum erit, quod nisi fallor, docta Hildegardis non neglexerit. Ordinaria sane solemnisque erat in monasteriis Glossa Straboniana, neque peregrina fuit Rhenanis monialibus, quum maxime in his regionibus eruditum et eximium Walafridi opus multis et tritis abundet exemplaribus, quae adhuc supersunt, post bellorum germanicorum excidia, tantopere libris et bibliothecis infesta.

NOVAE
HILDEGARDIS VEL AD HILDEGARDEM
EPISTOLAE

I.

Wibertus monachus Hildegardi. 1)

Effusis in honorem Hildegardis laudibus, Wibertus addit monita de necessaria humilitatis tutela; doceri optat quomodo se in visionibus habeat Hildegardis; tum pro se preces postulat, commendatque suas XXXVIII quaestiones, ut cito solvantur, ac nomine Gemblacensium valedicit.

Excellentis et meriti et nominis cum reverentia mihi nominandae Christi famulae, Hildegardi, frater Wibertus, Gemblacensium fratrum ultimus, a sponso virginum cum ipsis in aeterna beatitudine accipere coronam gloriae.

Insolita et omnibus pene saeculis hactenus inaudita Spiritus Sancti munera tibi, o mater venerabilis, praerogata, nos, ad quoscumque scripta tua veniunt, considerantes, auctori muneris ex muneribus gratias agimus: eo quod etsi illa, peccatis nostris obstantibus, immediate percipere non mereamur, per te tamen, cui sicut vasi mundo infusa sunt, dum his redundas et distillas, frequenter hauriamus. 2) Vere enim ubera tua meliora nobis vino, fragrantia unguentis 3) optimis, dum de contemplationum cellariis, in quae rex aeternus te, ut sponsam, saepe

1) Neque ultimum, neque levissimum Hildegardis opus est epistolarum commercium, quod cum plerisque aevi sui viris praestantissimis intercessit, de quo ipsa, ut de summo negotio, testimonium facit ab initio libri *Vitae meritorum*, caeteris operibus addens *responsa et admonitiones tam minorum quam majorum plurimarum personarum*. Novas tantum huc epistolas adduximus, de quibus in prooemio hujus tomi opportunum erit et commodum historicas et chronologicas praemittere notitias. Priores litterae oriuntur ex maiore cod. Visbadensi: prima epistola inscribitur in catalogo codd. sub num. 239.

2) Erit qui malit *haurimus*. At Gemblacensis belga prolixus non semper in contortis periodis seriem justam tenet. — 3) *fraglantia unguentis*: cod. Cf. Cant. I. 1, 2, et seq.

introducit, ad exteriora regrediens visionum sanctarum, quas revelata facie inter amplexus sponsi tui specularis, participes nos ex scriptis faciendo, in odore unguentorum tuorum alacriter currentes, post te nos trahis. Quis enim vel visiones ipsas, vel visionum expositionem legens, non in his delectetur, sicut in omnibus divitiis? Et degustans quam suavis sit doctrina tua catholica et sana, non statim super te exclamet: « Favus distillans labia tua, mel et lac sub lingua tua: emissiones tuae paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus? » [1]) Vere, mater sancta, juxta promissum Domini: « Flumina de ventre tuo fluunt nobis aquae vivae, » [2]) dum ad laetificandam civitatem Dei, quae est Ecclesia, facta es in ea « fons hortorum puteus aquarum viventium, quae fluunt impetu de Libano. » [3]) De Libano sane: quia non a te sunt, per te fluunt nobis de Libano: de monte scilicet, cunctis candidato, et conferto virtutibus; de monte, quem Pater non solum super colles, sed et super summorum vertices montium elevavit; [4]) de monte coagulato et pingui, qui te quoque inter caeteros montes, unde nobis auxilium venit, de superioribus benedictionum suarum inundationibus affluenter rigare non desinit.

Nempe post illam, per cuius partum salutem omnimodo assequimur, singularis inter mulieres gratia tua, quoniam et si Mariae, sororis Aaron et Moysi, vel Debborae seu Judith, aliqua vel cantica vel prophetiae in Scripturis inveniuntur, tu multo maiori in hac parte affluentia Spiritus irrorata, in visionum seu revelationum Domini mysteriis summis, contemplatoribus, ut temperanter loquar, nobis coaequanda videris. Et o mirandam indesinenter et praedicandam circa genus humanum benigni pietatem Redemptoris, qui per eum quo mors intraverat sexum, in matre ipsius vita restituitur! Et de qua manu pestifer potus perditionis illatus nobis fuerat, de hac eadem manu in te salutaribus doctrinis antidotus recuperationis nobis refunditur.

Ut autem te non petulanter, sed reverenter, de cautela et perseverantia sanctitatis commoneam (nam de profectu non indiges, quae jam fastigium perfectionis ascendisti), memento, mater, quia thesaurum tuum adhuc portas in vase fragili; et recole, quoniam non vimina vel arundines, quae facili impulsu reflectuntur, sed maximae et annosae arbores a ventis interdum eradicantur. Respice David, considera Petrum, et noli altum sapere, sed time. [5]) Et quanto major es, humilia te in omnibus, non ut quam non habes, sed ut quam habes, gratia tibi in finem integra [6]) conservetur. Scito in itinere pleno laqueis, pleno scandalis, nunquam deesse pericula; et caute, donec pervenias, incede. Nunquam, donec ratiocinatio, quae de talentis tibi creditis coram creditore [7]) ponenda est, fuerit terminata, secura sis. Et de acceptis, quasi de propriis, noli gloriari, nisi, sicut scriptum est, « qui gloriatur, in Domino glorietur. [8]) » Et licet virtus seu fortitudo pessima, quae in lumbis vel in umbilico ventris Leviathan esse describitur, [9]) iam tibi timenda non sit, eo quod caput maligni, id est principalem luxuriae suggestionem ca-

1) Cant. IV, 11-13. — 2) Joan. VII, 38. — 3) Cant. IV, 15. — 4) Is. II. 2, 14. Ps. LXVII. 17. Ps. CXX, 1 etc. — 5) Rom. XI, 20. Pergit W. *et quando major et humilia te omnibus.* — 6) *integram* W. — 7) *conditore* W. — 8) I. Cor. I, 31. — 9) Job. XL, 11.

stitatis pede obtriveris, reduc tamen ad memoriam ex Apocalypsi, quoniam cauda draconis non solum glebas terrae verrit, sed et tertiam partem stellarum coeli post se trahit. [1]) De quibusdam equis ibi legitur, quod non solum in ore, sed et in caudis potestatem nocendi habeant. Nam « caudae, inquit, eorum similes serpentibus, et in his nocent. » Propterea, mater sancta, ut quae jam caput antiqui serpentis evasisti, ne a cauda feriaris, et quantum potes cum Dei protectione, calcaneum, id est vitae exitum, ab eius tuere versutiis. Nec metuo, tametsi ita loquar, ne me praesumptionis redarguas, tum quia non ex temeritate docere, sed ex devotione quam habeo erga te, monere intendo; tum quia, occasione non nacta [2]) tecum confabulandi, immoratus sum. Et haec quidem pro parte tua.

Caeterum pro mea, qui infixus sum in limo profundi, et cuius putruerunt et corruptae sunt cicatrices a facie insipientiae meae, [3]) per dulcedinem omnipotentis Dei precor, ut me inter familiares tuos computare digneris, et memoris tui semper meminere [4]) non abnuas; et levans puras manus in oratione, obsecro immensam benignitatem pii Redemptoris, ut de praeteritis malis meis veniam, de praesentibus emendationem, et de futuris cautelam mihi conferre non moretur. Quia vero monachus claustralis sum, nec mihi occasio vel facultas ad te commeandi ulla porrigitur, ut de his quae ex te scire cuperem, ore ad os tecum conferam, oro ut ea quae tibi per praesentium latricem familiariter suggero, vigilanter digneris intendere; et tam pro his, quam et pro aliis necessitatibus meis, manifestationem Spiritus ad utilitatem exposcens, quid super his mihi agendum sit, non cuncteris significare.

Rogo etiam ut interrogationibus meis scriptis tuis respondere non graveris. Scire enim cupimus, ego et multi mecum, an verum sit quod apud nos de te fama dispersit, quamvis id mihi facile persuaderi [5]) non possit, videlicet quod postquam visiones tuae, te jubente et indicante, a notariis scripto exceptae fuerint, a memoria tua elabantur, adeo ut quid dixeris omnino non recolas. Scire etiam desideramus, utrum easdem visiones latino dictes eloquio, aut te illas teutonice proferente, alius has in latinum transferat. Scire et hoc nihilominus affectamus, utrum elementa litterarum ab infantia didiceris, et divinas Scripturas studio lectionis, an sola unctione magistra, quae quos vult de omnibus docet, compereris.

Quia ergo faciem tuam, mi [6]) domina, divina, ut credo, luce resplendentem praesentialiter intueri nequeo, fac me saltem per litteras audire vocem tuam, quia vox tua dulcis est mihi; ut vel mihi sic aliquid memoriale tui habeam, in quo velut in speculo reddita imagine, effigies mihi tuae sanctitatis reluceat, et tam arctiori quam frequentiori memoria pectori meo insideat.

Dominus ad honorem et fructum Ecclesiae suae praesentiam sanctitatis tuae prolixiori tempore, reverenda mater, incolumem conservare dignetur. Amen.

Salutant te Dominus Abbas [7]) et prior noster, cum tota sibi commissa matre

1) Apoc. XII, 4. — 2) Haesi, et adhuc haereo, legens in codicis apographo: *occasione non acta tecum confabulando.* — 3) Ps. LXVII, 3: XXXVII, 6. — 4) lege *meminisse.* — 5) *persuadi* W. — 6) *mi domina,* sic cod. An ob morem Hldegardis quae se virum dicere solet? — 7) Gemblacensis tunc abbas erat Joannes ab anno 1159 ad 1188, cui successit ipse Guibertus usque ad a. 1206.

Gemblacensi ecclesia, pro salute tua Deo supplicantes, et hoc ipsum vicissim a te pro ipsis fieri obsecrantes. Saluto te praecordialius ego, qui hanc tibi scripsi epistolam, et multi alii mecum, et ipsi orationum tuarum suffragia exposcentes. Vale in Christo, Domina mihi semper charissima.

II.

Hildegardis de modo visitationis suae. [1]

Guiberto respondet Hildegardis, ac premisso humili sui ipsius respectu, et considerata hominis lubriea fragilitate, repetit ab infantia seriem perpetuam visionum, modumque et rationem revelationis seu *visitationis suae* exponit, et quo sermone, quali memori intellectu, quali etiam cum infirmitate se habeat, comminiscitur.

A. 1171.

Haec verba non a me, nec ab alio homine dico: sed ut ea in superna visione accepi, profero. O serve Dei, per speculum fidei, in qua Deum cognoscendo intendis, et, o fili Dei, per formationem hominis, in quem Deus miracula sua constituit et signavit; quia sicut speculum in quo quodcumque videntur, vasi suo imponitur, ita rationalis anima corpori velut fictili vasi immittitur; quatenus per ipsam corpus videndo regatur, et ut anima per fidem coelestia contempletur, audi quod indeficiens lumen dicit:

Homo coelestis et terrestris est: per bonam quidem scientiam rationalis animae, coelestis; et per malam, fragilis et tenebrosus; et quanto se in bono cognoscit, tanto amplius Deum diligit. Nam si vultum suum in speculo sordidatum et pulvere sparsum aspexerit, mundare et tergere studet: ita etiam si se peccasse et varietati vanitatum se implicitum esse intellexerit, gemat; quoniam in bona scientia se pollutum scit, et cum psalmista plangat, dicens: *Filia Babilonis misera,* [2] *beatus qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuisti nobis. Beatus qui tenebit et allidet parvulos tuos ad petram.* [3]

Quod est: Humana concupiscentia per spumam serpentis est confusa. Ipsa etiam pauper et egena est, quoniam in speculativa scientia honorifica opinione caret: scilicet, quod gloriam aeternae vitae, quam per bonam scientiam gustat, adeo quaerendo non desiderat. Beatus autem ille est, qui tenebit hoc, quod a Deo vivit, et cujus scientia eum docet, quia Deus eum creaverit et redemerit; et qui propter liberationem hanc, qua Deus ipsum liberavit, omnem malam consuetudinem peccatorum suorum conterit, et omnem miseriam et paupertatem, quam in coelestibus divitiis habet, supra petram illam, quae firmamentum beatitudinis est, projicit. Nam cum homo lutulentam [4] putredinem se habere scit, et nequaquam a gustu peccatorum se continere valet, nigerrimae aves [5] eum totum sordidant; sed tunc ipse per rationalem animam, quam nec videt, nec cognoscit, in Deum

[1] Epist. 240 in Catal. codd. W. — [2] Huc usque W. locum integriorem requirit sequens commentarius. — [3] Ps. CXXXI, 8. 9. — [4] *litulentam*: W. — [5] f. respicit vitam S. Bened. cap. II. lib. II. Dialog. S. Gregorii *Patrol.* XLVI col. 132: « Tentator adfuit, nam nigra parvaque avis, quae volgo merola nominatur, circa ejus faciem volitare coepit. »

credendo confidat. Et licet homo se sic esse et in infinita vita vivere sciat, se tamen continere non potest, quin frequenter peccet; et ideo, o quam mirabilis et lamentabilis vox est, quod Deus talia fictilia vasa quandoque miraculis suis stellata facit, cum tamen ipsa non valeant peccata deserere, nisi quantum per gratiam Dei ipsis prohibetur. Petrus namque securus non fuit, qui Filium Dei se numquam negaturum ardenter promisit; sic nec alii multi sancti, qui in peccatis ceciderunt, qui tamen postea utiliores et perfectiores facti sunt, quam fuissent, si non cecidissent.

O serve fidelis, ego paupercula feminea forma, in vera visione haec verba iterum dico tibi. Si Deo placeret, ut corpus meum sicut et animam in hac visione levaret, timor tamen ex mente et ex corde meo non recederet, [1]) quia me hominem esse scio, quamvis ab infantia mea inclusa sim. Multi autem sapientes miraculis ita confusi sunt, ut plurima secreta aperirent: sed propter vanam gloriam, illa sibimetipsis ascripserunt, et ideo ceciderunt. Sed qui in ascensione animae sapientiam a Deo hauserunt, et se pro nihilo computabant, hi columnae coeli facti sunt. Sicut et in Paulo contigit, qui caeteros discipulos praedicando praecessit; et tamen se quasi pro nihilo habebat. Joannes quoque evangelista miti humilitate plenus erat, quapropter de Divinitate multa hauriebat.

Et unde hoc esset, si ego paupercula me non cognoscerem? Deus ubi vult, ad gloriam nominis sui, et non terreni hominis, operatur. Ego quidem semper trementem timorem habeo; quoniam nullam securitatem ullius possibilitatis in me scio; sed manus meas ad Deum porrigo, quatenus velut penna, quae omni gravedine virium caret, et quae per ventum volat, ab ipso sustinear: nec ea quae video, perfecte scire possum, quandiu in corporali officio sum et in anima invisibili [2]), quoniam in his duobus homini defectus est.

Ab infantia autem mea, ossibus et nervis et venis meis nondum confortata [3]), visionem hanc in anima mea usque ad praesens tempus semper video, cum jam plus quam septuaginta annorum sim, et anima mea, prout Deus voluerit, in hac visione, sursum in altitudinem firmamenti, et in vicissitudinem diversi aeris ascendit, atque inter diversos populos se dilatat, quamvis in longinquis regionibus et locis a me remoti sint. Et quoniam haec tali modo in anima mea video, idcirco etiam secundum vicissitudinem nubium et aliarum creaturarum ea conspicio. Ista autem nec exterioribus auribus audio, nec cogitationibus cordis mei, nec ulla collatione quinque sensuum meorum percipio; sed tantum in anima mea, apertis exterioribus oculis, ita ut nunquam in eis defectum extasis passa sim, sed vigilanter die ac nocte illa video. Et assidue infirmitatibus constringor, et gravibus doloribus multociens ita implicata sum, ut mihi mortem inferre minentur; sed Deus usque adhuc me suscitavit.

Lumen igitur quod video, locale non est, sed multo et multo nube [4]) quae solem portat, lucidior est; nec altitudinem, nec longitudinem, nec latitudinem in eo considerare valeo, et illud *Umbra viventis lucis* mihi nominatur. Et ut sol, luna et stellae in aquis apparent, ita scripturae, sermones, virtutes, et quaedam opera hominum formata mihi in illo resplendent.

[1]) *recederent* W. — [2]) *invisibilis* W. — [3]) *confortatas* W. — [4]) *nubi* W.

Quicquid autem in hac visione videro seu didicero, hujus memoriam per longum tempus habeo; ita quod quando [1]) illud viderim et audierim, recordor, et simul video, audio, scio, et quasi in momento hoc quod scio, disco; quod autem non video, illud nescio, quia indocta sum; sed tantum litteras in simplicitate legere instructa sum. Et ea quae scribo in visione, video et audio; nec alia verba pono, quam illa quae audio et latinis verbis non limatis ea profero, [2]) quemadmodum illa in visione audio: quoniam sicut philosophi scribunt, scribere in hac visione non doceor; et verba in visione ista non sunt, sicut verba quae ab ore hominis sonant, sed sicut flamma coruscans, et ut nubes in aere puro mota.

Huius quoque luminis formam nullo modo cognoscere valeo, sicut nec sphaeram [3]) solis perfecte intueri possum. In eodem lumine aliam lucem, quae *Lux vivens* mihi nominata est, interdum et non frequenter video; et quando, et quomodo illam videam, proferre non valeo; atque interim dum illam video, omnis tristitia et omnis angustia a me aufertur, ita ut tunc velut mores simplicis puellae et non vetulae mulieris habeam. [4])

Sed et prae assidua infirmitate, quam patior aliquando, taedium habeo verba et visiones quae mihi ibi ostenduntur proferre: sed tamen cum anima mea gustando illa videt, in alios mores ita convertor, quod, ut supra dixi, omnem dolorem et tribulationem oblivioni trado. Et quae tunc in eadem visione video, et audio, haec anima mea quasi ex fonte haurit; sed illa tamen plena et inexhausta manet. Anima autem mea nulla hora caret praefato lumine, quod umbra viventis luminis vocatur, et illud video, velut in lucida nube firmamentum absque stellis inspiciam, et in ipso video quae frequenter loquor, et quae interrogantibus de fulgore praedictae viventis lucis respondeo.

In duobus itaque modis, scilicet corporis et animae, me ipsam nescio, et me quasi pro nihilo computo, atque in Deum vivum intendo, et omnia haec illi relinquo, quatenus ipse qui nec finem, nec initium habet, in omnibus istis a malo me conservet. Unde et tu, qui haec verba quaeris, cum omnibus illis qui ipsa fideliter audire desiderant, pro me ora, ut in servitute Dei permaneam.

Sed et tu, o fili Dei, qui illum in fide quaeris, et qui ab ipso petis ut te salvet, attende aquilam a duabus alis suis ad nubem volantem, [5]) quae tamen si in una laeditur, super terram residet, nec se levare potest, cum se libenter ad volandum elevaret: sic etiam homo cum duabus alis rationalitatis, scilicet cum scientia boni et mali volat, ita ut dextera [6]) ala scientia bona sit, et sinistra scientia mala est, et mala bonae ministrat, bonaqne per malam acuitur et regitur, et in cunctis per illam sapiens efficitur. O chare fili Dei, Deus alas scientiae tuae ad recta itinera elevet, ita quod si peccatum ex gustu lambis, quoniam sic natus es, quod sine peccato esse non possis, operando tamen illud non comedas, et tunc bene volas. Nam coelestis harmonia de homine sic faciente, Deo cantat, illum laudans, quia cinerosus homo Deum tantum diligit, quod propter Deum se ipsum

1) *aliquando* W. — 2) Nondum mihi pervenerat haec epistola, quando p. 2 superiore, in nota 2, latinum sermonem Hildegardi vindicare studebam, id quod nunc extra omne dubium est. 3) *speram* solet scribere Hildegardis. — 4) Vix alibi Hildegardis retulit luculentius animae suae arcana. — 5) Apocal. XII. 4. — 6) *dextra* W.

ex toto contemnit. Hoc modo, o probe miles, in certamine hoc esto, quatenus in coelesti harmonia esse possis, et ut tibi a Deo dicatur: Tu es ex filiis Israel, quia per oculos cancelli et per studium coelestis desiderii, in montem excelsum aspicis. Sed et omnes, qui in litteris tuis mihi transmissis notati sunt, per Spiritum Sanctum ita regantur, ut in libro vitae scribantur.

III.

Hildegardis ad monachos Cistellenses. [1])

Post gravissimas querelas de schismaticorum insania, sine charitate viventium, matrem repudiantium « pro tortuosa muliere, plena rugis et nigredine, plena vipereis moribus ac stridentibus dentibus horribili, » (Cf. Edd.) visionem novam aggreditur, ut hortetur ad exercendum cum Diabolis certamen.

Circa annum 1172.

Ego fons vivus.......... existimantes. Heu! Heu! filii Israel, in primo ortu vestro nonne [2]) constituit vos sicut mysticum donum Dei, quoniam mitissimus Pater voluit in vestro angelico Ordine antiquum serpentem superare, qui pessimum morbum praesumptionis, velut putridum cadaver, in se ipso evomuit? O pulchri flores, et socii angelorum, quare comeditis cibos serpentis, videlicet in alterutrum quaerentes torpentem et furentem [3]) societatem magnorum schismatum, quasi mortiferum scelus? Et cur ascenditis inquietos mores [4]) frequentis interrogationis, et investigationem multarum vanitatum, non discernentes unicuique homini datum suum, secundum mensuram suam? Ambulate convenientia et aperta itinera, sine volante vento sparsionis. Sed vos ubicumque vanum montem invenitis, illum apprehenditis, et eum confirmatis sine mora, et in eo fabricatis, ab eo non cessantes; sed in vanum in ipso laboratis, sicut et inutilis faber, qui inutile vas componit, quod stare non potest, quia instabile est. Nunc ergo, o filioli mei, apprehendite pulchram matrem vestram, scilicet amicam meam charitatem, et amplectimini eam.

Dico autem vobis: Quidam in velocibus equis sedentes, et pretiosis et fortibus armis armati fulgentes, ad Occidentem se verterunt, ut contra illos pugnarent qui ab Occidente veniebant. Ad dexteram eorum vallis erat multae longitudinis; velut profunda via erat; et ad sinistram eorum, silva magna et alta, tota in ramis suis nive perfusa. De qua plurimi homines, parvi et inermes, exeuntes, ut armatos illos viderent, in silvam multo pavore fugerunt, dicentes: Wach! qui

[2]) In Codd. Catal. epist. 258. In Edd. ep. 144, mutila et etiam in media periodo suspensa est ad haec verba absona; *non constituit vos sic mysticum et aureum.* Subditur in Edd. *Reliqua desiderantur, abscissis e ms. codice tribus sequentibus foliis.* Quibus quidem foliis feliciter supplevit codex Wisbadensis. Respondet Hildegardis monachis Cistellensibus, ab ea rescire desiderantibus quid in Ordine suo minus Deo placeat. Cf. *Patrol.* col. 580, 581.

[3]) *non contituit* W. cum edd. quod liceat emendare.

[4]) *torpentem et ferentem* W. Sed quorsum haec? Pertinere videntur ad schismata germanica sub Friderico Barbato, in quibus torpor et furor simul grassabantur. Quo etiam fortasse spectat visio mox fuse enarrata.

[5]) Nil mirum, si legeris *montes,* ob sequentia.

sunt isti? [1]) Sed ut ipsi eisdem armatis terrorem incuterent, magnos strepitus et sonitus in eadem silva faciebant. Unde quidam eorumdem armatorum indignati, gladios suos extrahentes, eos ad feriendum vibrabant. Et facta est vox ex alto dicens: Convertite gladios vestros in vaginas, usque ad tempus temporum eradicationis. Et illi gladios suos in vaginas remiserunt. Et ecce quidam alii, toto corpore nudi, in equis sedentes, circa pectus et circa ventrem modico panno tantum obtecti, venerunt. Quos ut illi qui in silva erant viderunt, ad ipsos cucurrerunt, et equos eorum per collum et per caudas capientes, sed et ipsos nudos per crura et per pedes eorum tenentes, magnos saltus et cachinnos in lusibus suis cum illis et illi cum istis faciebant, dicentes: O socii, nobiscum ludite. Deinde quidam illorum armatorum, armis suis fatigati, ad vallem hanc quae iuxta ipsos erat, diverterunt; et de equis descendentes, et arma sua quae multo fulgore radiabant exuentes, ea deposuerunt. Et ita in otio in eadem valle sedentes, dixerunt: Quis potest cum his parvulis semper pugnare? Sinamus ergo eos ludere. Quod ut idem parvuli homines in silva euntes viderunt, ad ipsos cucurrerunt, et ludos suos circa eos faciebant. Sed isti nec cum illis ludebant, nec eos a se discedere cogebant; sed tantum armis suis depositis, in otio sedebant, ludos istos inspicientes. Et iterum sonuit vox ex alto dicens: Isti qui arma sua deposuerunt, non debent vocari principales magistri in palatio regis, quia fatigati sunt ad praelium.

Nunc, o filii mei, attendite, intellectus iste est ad vos. Nam boni et utiles praelati et caeteri qui saecularia contemnunt, in veloci cursu bonorum operum, cum diligenti custodia armati, sedent, ut contra Diabolum pugnent. Ad dexteram eorum est via rectitudinis, et ad sinistram inquietudo multarum vicissitudinum, de quibus multa vitia procedunt; quae eosdem armatos multociens territa fugiunt, et multociens eis terrorem suum in insania sua incutiunt. Unde quidam eorum indignati, cum injuriam sibi illatam patienter sufferre nolunt, se ad vindictam praeparant; sed divina inspiratio eos monet, ut quiescant, usquedum Deus per gratiam suam easdem injurias eradicet. Et sic a commotione vindictae suae cessant. [2]) Et quidam alii qui terrena despexisse videntur, in vanum hoc modo se curare ostendunt, cum nudi a bonis operibus sint, quamvis se in simulatione tegant: quapropter et vitia illa eos derident, et cum eis in magna irrisione ludos suos exercent. Sed et quidam praedictorum praelatorum et caeterorum, qui terrena omnino despexisse debuerant, taedio fatigantur, et in recto itinere diligentiam bonae custodiae deserunt, et negligenter vacantes, dicunt quod cum vitiis illis semper pugnare non possint. Unde et eadem vitia eis illudunt; sed tamen ipsi nec illa pleniter suscipiunt, nec omnino a se ire faciunt: sed in torpore negligentiae sedent. Quapropter, ut aperte ostenditur, nec utiles magistri, nec utiles pugnatores coram Deo sunt, quia ad salutem suam in taedio torpescunt.

Intellectus iste, o sectatores tunicae meae, ad vos tendit. O spiritales populi, qui dicitis vos bene et recte incedere, cur non imitamini opera Agni, qui fuit mansuetus, mitis, humilis, castus et obediens praecepto Patris sui, et patiens ad sacrificium corporis sui pro nobis. Surgite ergo, sicut vos primum plantavit mysticum donum Dei ad consortium angelorum. Vos enim interdum nescitis quid facitis,

[1]) *Qii sicut isti*: W. — [2]) *cessat* W.

constrictiones et appetitus spiritualium desideriorum, *quid sunt inter tantos*? scilicet inter tantas virtutes, quia homo ille tam forte et tam praeceps desiderium habet ad Deum, quod etiam vix in humilitate ista constringitur, ut se hominem esse et similem hominibus cognoscat.

Dixit ergo virtutibus *Jesus* Salvator in admonitione Spiritus Sancti: *Facite* corripiendo et comprimendo vestra constrictione *homines*, id est eos qui homines sunt, sed tamen supra homines virtutum ascensu sine mensura discretionis esse volunt, *discumbere*, scilicet discretionem cum humilitate tenere, ita ne modum suum excedentes, in deterius cadant.

Erat autem fenum multum, scilicet humanae tentationes in praesumptione et in irrisione, *in loco* ubi debebant scire et intelligere se fragiles homines esse. *Discubuerunt ergo*, constricti et compressi in humilitate divinis flagellis et castigationibus, *viri* in terrenis ac in coelestibus probati, *numero* beatitudinis *quasi quinque millia*, id est quinque sensibus suis abundantiam coelestis militiae tenentes, et bene compositi in virtutibus.

Accepit ergo panes Jesus, id est suscepit constrictiones hominis illius, quibus eum humiliavit, ne se incongrue exaltaret, *et cum gratias egisset*, videlicet cum gratiam suam ad haec extendisset, *distribuit discumbentibus*, id est divisit in humilitate et discretione illis qui secrete et bene constrinxerant, ac sibimetipsis modum temperamenti imposuerant. *Similiter et ex piscibus*, scilicet spiritalibus desideriis et perspicuis considerationibus, in quibus homines moderate et temperanter ea considerant, quae circa eos sunt, *quantum volebant*, videlicet secundum mensuram illam quam pati possunt.

Ut autem impleti sunt, discretione et recta mensura bene compositi, *dixit discipulis suis*, quod est virtutibus, quoniam eum ubique amplectuntur: *Colligite*, id est, notate et recondite *quae superaverunt*, scilicet quae residua fuerunt bona opera, ita quod quasi importabilia videbantur hominibus, et etiam majora quam putarent se pati posse, *fragmenta*, videlicet passiones et constrictiones tam animae quam corporis, quibus se virtuosi homines ad virtutes coercere contenderunt, et vix eas perficere potuerunt, *ne pereant*, in laude scilicet, ne laude careant coram Deo et hominibus,

Collegerunt ergo, id est notabant et reservabant constrictiones istas, *et impleverunt duodecim cophinos fagmentorum*, videlicet perfecerunt et ad plenitudinem sacramentorum perduxerunt decem talenta, et duo in fidelibus servis quibus data sunt praecepta Legis et Evangelii adimplere, quae sibi per implexiones mysteriorum cohaerent, cum in fragmentis passionum et constrictionum se fideles ita constringunt, ut nihil ab eis negligatur, *ex quinque panibus hordeaceis*, cum quinque sensibus suis constrictiones fortissimae depressionis sibi fideles imponunt, *quae superfuerunt* in abundantia constrictionis, *his qui manducaverant*, videlicet qui corpus suum in servitutem redegerunt, et carnem suam cum vitiis et concupiscentiis crucifixerunt, cum intrinsecus in cordibus suis multas passiones sustinerent.

Illi ergo homines, qui humanum intellectum dimiserant, et ad divinum se in

aliis virtutibus contulerant, *cum vidissent* in oculo bonae voluntatis *quod fecerat* in illis, qui cum toto annisu per fortissimas virtutes imitantur, *signum*, scilicet eos ita sub potestate sua continens, ne per intemperantiam ad proclivia declinarent, *dicebant* in suspirio et gemitu cordium suorum. *Quia hic est vere propheta*, sciens omnia quae necessaria sunt ad salutem animarum hominum, *qui venturus est*, in initio boni, cum homo primum incipit bonum operari, et in consummatione ejus, cum illud ad bonum finem perducit, ita ut laus et gratiarum actio inde ad Deum per homines proferatur, *in mundum*, scilicet inter homines saeculorum.

Trithemius haud pauciores quam octo et octoginta Hildegardis homilias in Evangelia recenset, quas de more suo non numeravit, nisi postquam omnes sub oculis habuerit et diligenter evolverit. Vix igitur tertia pars ad nos usque pervenerit, neque ullas ullibi latere scio. Damnum nonnihil sustulerit, si quis existimaverit Trithemio tot fuisse homilias, quot sunt in idem evangelium variae expositiones: quo quidem calculo recepto, fere in superioribus paginis tibi erunt sexaginta commentarii, argumento certe distincti et diversissimi. — Ad methodum hujusce expositionis quod attinet, si quis prae oculis habet, aut unquam manu trivit Walafridi Strabonis *Glossam* quam dicunt *ordinariam*, exemplar utique considerare penes illum erit, quod nisi fallor, docta Hildegardis non neglexerit. Ordinaria sane solemnisque erat in monasteriis Glossa Straboniana, neque peregrina fuit Rhenanis monialibus, quum maxime in his regionibus eruditum et eximium Walafridi opus multis et tritis abundet exemplaribus, quae adhuc supersunt, post bellorum germanicorum excidia, tantopere libris et bibliothecis infesta.

NOVAE
HILDEGARDIS VEL AD HILDEGARDEM
EPISTOLAE

I.

Wibertus monachus Hildegardi. [1]

Effusis in honorem Hildegardis laudibus, Wibertus addit monita de necessaria humilitatis tutela; doceri optat quomodo se in visionibus habeat Hildegardis; tum pro se preces postulat, commendatque suas XXXVIII quaestiones, ut cito solvantur, ac nomine Gemblacensium valedicit.

Excellentis et meriti et nominis cum reverentia mihi nominandae Christi famulae, Hildegardi, frater Wibertus, Gemblacensium fratrum ultimus, a sponso virginum cum ipsis in aeterna beatitudine accipere coronam gloriae.

Insolita et omnibus pene saeculis hactenus inaudita Spiritus Sancti munera tibi, o mater venerabilis, praerogata, nos, ad quoscumque scripta tua veniunt, considerantes, auctori muneris ex muneribus gratias agimus: eo quod etsi illa, peccatis nostris obstantibus, immediate percipere non mereamur, per te tamen, cui sicut vasi mundo infusa sunt, dum his redundas et distillas, frequenter hauriamus. [2]) Vere enim ubera tua meliora nobis vino, fragrantia unguentis [3]) optimis, dum de contemplationum cellariis, in quae rex aeternus te, ut sponsam, saepe

[1]) Neque ultimum, neque levissimum Hildegardis opus est epistolarum commercium, quod cum plerisque aevi sui viris praestantissimis intercessit, de quo ipsa, ut de summo negotio, testimonium facit ab initio libri *Vitae meritorum*, caeteris operibus addens *responsa et admonitiones tam minorum quam majorum plurimarum personarum*. Novas tantum huc epistolas adduximus, de quibus in prooemio hujus tomi opportunum erit et commodum historicas et chronologicas praemittere notitias. Priores litterae oriuntur ex maiore cod. Visbadensi: prima epistola inscribitur in catalogo codd. sub num. 239.

[2]) Erit qui malit *haurimus*. At Gemblacensis belga prolixus non semper in contortis periodis seriem justam tenet. — [3]) *fraglantia unguentis*: cod. Cf. Cant. I. 1, 2, et seq.

introducit, ad exteriora regrediens visionum sanctarum, quas revelata facie inter amplexus sponsi tui specularis, participes nos ex scriptis faciendo, in odore unguentorum tuorum alacriter currentes, post te nos trahis. Quis enim vel visiones ipsas, vel visionum expositionem legens, non in his delectetur, sicut in omnibus divitiis? Et degustans quam suavis sit doctrina tua catholica et sana, non statim super te exclamet: « Favus distillans labia tua, mel et lac sub lingua tua: emissiones tuae paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus? » [1]) Vere, mater sancta, juxta promissum Domini: « Flumina de ventre tuo fluunt nobis aquae vivae, » [2]) dum ad laetificandam civitatem Dei, quae est Ecclesia, facta es in ea « fons hortorum puteus aquarum viventium, quae fluunt impetu de Libano. » [3]) De Libano sane: quia non a te sunt, per te fluunt nobis de Libano: de monte scilicet, cunctis candidato, et conferto virtutibus; de monte, quem Pater non solum super colles, sed et super summorum vertices montium elevavit; [4]) de monte coagulato et pingui, qui te quoque inter caeteros montes, unde nobis auxilium venit, de superioribus benedictionum suarum inundationibus affluenter rigare non desinit.

Nempe post illam, per cuius partum salutem omnimodo assequimur, singularis inter mulieres gratia tua, quoniam et si Mariae, sororis Aaron et Moysi, vel Debborae seu Judith, aliqua vel cantica vel prophetiae in Scripturis inveniuntur, tu multo maiori in hac parte affluentia Spiritus irrorata, in visionum seu revelationum Domini mysteriis summis, contemplatoribus, ut temperanter loquar, nobis coaequanda videris. Et o mirandam indesinenter et praedicandam circa genus humanum benigni pietatem Redemptoris, qui per eum quo mors intraverat sexum, in matre ipsius vita restituitur! Et de qua manu pestifer potus perditionis illatus nobis fuerat, de hac eadem manu in te salutaribus doctrinis antidotus recuperationis nobis refunditur.

Ut autem te non petulanter, sed reverenter, de cautela et perseverantia sanctitatis commoneam (nam de profectu non indiges, quae jam fastigium perfectionis ascendisti), memento, mater, quia thesaurum tuum adhuc portas in vase fragili; et recole, quoniam non vimina vel arundines, quae facili impulsu reflectuntur, sed maximae et annosae arbores a ventis interdum eradicantur. Respice David, considera Petrum, et noli altum sapere, sed time. [5]) Et quanto major es, humilia te in omnibus, non ut quam non habes, sed ut quam habes, gratia tibi in finem integra [6]) conservetur. Scito in itinere pleno laqueis, pleno scandalis, nunquam deesse pericula; et caute, donec pervenias, incede. Nunquam, donec ratiocinatio, quae de talentis tibi creditis coram creditore [7]) ponenda est, fuerit terminata, secura sis. Et de acceptis, quasi de propriis, noli gloriari, nisi, sicut scriptum est, « qui gloriatur, in Domino glorietur. [8]) » Et licet virtus seu fortitudo pessima, quae in lumbis vel in umbilico ventris Leviathan esse describitur, [9]) iam tibi timenda non sit, eo quod caput maligni, id est principalem luxuriae suggestionem ca-

[1]) Cant. IV, 11-13. — [2]) Joan. VII, 38. — [3]) Cant. IV, 15. — [4]) Is. II. 2, 14. Ps. LXVII. 17. Ps. CXX, 1 etc. — [5]) Rom. XI, 20. Pergit W. *et quando major et humilia te omnibus.* — [6]) *integram* W. — [7]) *conditore* W. — [8]) I. Cor. I, 31. — [9]) Job. XL, 11.

stitatis pede obtriveris, reduc tamen ad memoriam ex Apocalypsi, quoniam cauda draconis non solum glebas terrae verrit, sed et tertiam partem stellarum coeli post se trahit. [1]) De quibusdam equis ibi legitur, quod non solum in ore, sed et in caudis potestatem nocendi habeant. Nam « caudae, inquit, eorum similes serpentibus, et in his nocent. » Propterea, mater sancta, ut quae jam caput antiqui serpentis evasisti, ne a cauda feriaris, et quantum potes cum Dei protectione, calcaneum, id est vitae exitum, ab eius tuere versutiis. Nec metuo, tametsi ita loquar, ne me praesumptionis redarguas, tum quia non ex temeritate docere, sed ex devotione quam habeo erga te, monere intendo; tum quia, occasione non nacta [2]) tecum confabulandi, immoratus sum. Et haec quidem pro parte tua.

Caeterum pro mea, qui infixus sum in limo profundi, et cuius putruerunt et corruptae sunt cicatrices a facie insipientiae meae, [3]) per dulcedinem omnipotentis Dei precor, ut me inter familiares tuos computare digneris, et memoris tui semper meminere [4]) non abnuas; et levans puras manus in oratione, obsecro immensam benignitatem pii Redemptoris, ut de praeteritis malis meis veniam, de praesentibus emendationem, et de futuris cautelam mihi conferre non moretur. Quia vero monachus claustralis sum, nec mihi occasio vel facultas ad te commeandi ulla porrigitur, ut de his quae ex te scire cuperem, ore ad os tecum conferam, oro ut ea quae tibi per praesentium latricem familiariter suggero, vigilanter digneris intendere; et tam pro his, quam et pro aliis necessitatibus meis, manifestationem Spiritus ad utilitatem exposcens, quid super his mihi agendum sit, non cuncteris significare.

Rogo etiam ut interrogationibus meis scriptis tuis respondere non graveris. Scire enim cupimus, ego et multi mecum, an verum sit quod apud nos de te fama dispersit, quamvis id mihi facile persuaderi [5]) non possit, videlicet quod postquam visiones tuae, te jubente et indicante, a notariis scripto exceptae fuerint, a memoria tua elabantur, adeo ut quid dixeris omnino non recolas. Scire etiam desideramus, utrum easdem visiones latino dictes eloquio, aut te illas teutonice proferente, alius has in latinum transferat. Scire et hoc nihilominus affectamus, utrum elementa litterarum ab infantia didiceris, et divinas Scripturas studio lectionis, an sola unctione magistra, quae quos vult de omnibus docet, compereris.

Quia ergo faciem tuam, mi [6]) domina, divina, ut credo, luce resplendentem praesentialiter intueri nequeo, fac me saltem per litteras audire vocem tuam, quia vox tua dulcis est mihi; ut vel mihi sic aliquid memoriale tui habeam, in quo velut in speculo reddita imagine, effigies mihi tuae sanctitatis reluceat, et tam arctiori quam frequentiori memoria pectori meo insideat.

Dominus ad honorem et fructum Ecclesiae suae praesentiam sanctitatis tuae prolixiori tempore, reverenda mater, incolumem conservare dignetur. Amen.

Salutant te Dominus Abbas [7]) et prior noster, cum tota sibi commissa matre

1) Apoc. XII, 4. — 2) Haesi, et adhuc haereo, legens in codicis apographo: *occasione non acta tecum confabulando*. — 3) Ps. LXVII, 3: XXXVII, 6. — 4) lege *meminisse*. — 5) *persuadi* W. — 6) *mi domina*, sic cod. An ob morem Hildegardis quae se virum dicere solet? — 7) Gemblacensis tunc abbas erat Joannes ab anno 1159 ad 1188, cui successit ipse Guibertus usque ad a. 1206.

Gemblacensi ecclesia, pro salute tua Deo supplicantes, et hoc ipsum vicissim a te pro ipsis fieri obsecrantes. Saluto te praecordialius ego, qui hanc tibi scripsi epistolam, et multi alii mecum, et ipsi orationum tuarum suffragia exposcentes. Vale in Christo, Domina mihi semper charissima.

II.

Hildegardis de modo visitationis suae. [1])

Guiberto respondet Hildegardis, ac premisso humili sui ipsius respectu, et considerata hominis lubriea fragilitate, repetit ab infantia seriem perpetuam visionum, modumque et rationem revelationis seu *visitationis suae* exponit, et quo sermone, quali memori intellectu, quali etiam cum infirmitate se habeat, comminiseitur.

A. 1171.

Haec verba non a me, nec ab alio homine dico: sed ut ea in superna visione accepi, profero. O serve Dei, per speculum fidei, in qua Deum cognoscendo intendis, et, o fili Dei, per formationem hominis, in quem Deus miracula sua constituit et signavit; quia sicut speculum in quo quodcumque videntur, vasi suo imponitur, ita rationalis anima corpori velut fictili vasi immittitur; quatenus per ipsam corpus videndo regatur, et ut anima per fidem coelestia contempletur, audi quod indeficiens lumen dicit:

Homo coelestis et terrestris est: per bonam quidem scientiam rationalis animae, coelestis; et per malam, fragilis et tenebrosus; et quanto se in bono cognoscit, tanto amplius Deum diligit. Nam si vultum suum in speculo sordidatum et pulvere sparsum aspexerit, mundare et tergere studet: ita etiam si se peccasse et varietati vanitatum se implicitum esse intellexerit, gemat; quoniam in bona scientia se pollutum scit, et cum psalmista plangat, dicens: *Filia Babilonis misera,* [2]) *beatus qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuisti nobis. Beatus qui tenebit et allidet parvulos tuos ad petram.* [3])

Quod est: Humana concupiscentia per spumam serpentis est confusa. Ipsa etiam pauper et egena est, quoniam in speculativa scientia honorifica opinione caret: scilicet, quod gloriam aeternae vitae, quam per bonam scientiam gustat, adeo quaerendo non desiderat. Beatus autem ille est, qui tenebit hoc, quod a Deo vivit, et cujus scientia eum docet, quia Deus cum creaverit et redemerit; et qui propter liberationem hanc, qua Deus ipsum liberavit, omnem malam consuetudinem peccatorum suorum conterit, et omnem miseriam et paupertatem, quam in coelestibus divitiis habet, supra petram illam, quae firmamentum beatitudinis est, projicit. Nam cum homo lutulentam [4]) putredinem se habere scit, et nequaquam a gustu peccatorum se continere valet, nigerrimae aves [5]) eum totum sordidant; sed tunc ipse per rationalem animam, quam nec videt, nec cognoscit, in Deum

[1]) Epist. 240 in Catal. codd. W. — [2]) Huc usque W. locum integriorem requirit sequens commentarius. — [3]) Ps. CXXXI, 8. 9. — [4]) *litulentam*: W. — [5]) f. respicit vitam S. Bened. cap. II. lib. II. Dialog. S. Gregorii *Patrol.* XLVI col. 132: « Tentator adfuit, nam nigra parvaque avis, quae volgo merola nominatur, circa ejus faciem volitare coepit. »

credendo confidat. Et licet homo se sic esse et in infinita vita vivere sciat, se tamen continere non potest, quin frequenter peccet; et ideo, o quam mirabilis et lamentabilis vox est, quod Deus talia fictilia vasa quandoque miraculis suis stellata facit, cum tamen ipsa non valeant peccata deserere, nisi quantum per gratiam Dei ipsis prohibetur. Petrus namque securus non fuit, qui Filium Dei se numquam negaturum ardenter promisit; sic nec alii multi sancti, qui in peccatis ceciderunt, qui tamen postea utiliores et perfectiores facti sunt, quam fuissent, si non cecidissent.

O serve fidelis, ego paupercula feminea forma, in vera visione haec verba iterum dico tibi. Si Deo placeret, ut corpus meum sicut et animam in hac visione levaret, timor tamen ex mente et ex corde meo non recederet, [1]) quia me hominem esse scio, quamvis ab infantia mea inclusa sim. Multi autem sapientes miraculis ita confusi sunt, ut plurima secreta aperirent: sed propter vanam gloriam, illa sibimetipsis ascripserunt, et ideo ceciderunt. Sed qui in ascensione animae sapientiam a Deo hauserunt, et se pro nihilo computabant, hi columnae coeli facti sunt. Sicut et in Paulo contigit, qui caeteros discipulos praedicando praecessit; et tamen se quasi pro nihilo habebat. Joannes quoque evangelista miti humilitate plenus erat, quapropter de Divinitate multa hauriebat.

Et unde hoc esset, si ego paupercula me non cognoscerem? Deus ubi vult, ad gloriam nominis sui, et non terreni hominis, operatur. Ego quidem semper trementem timorem habeo; quoniam nullam securitatem ullius possibilitatis in me scio; sed manus meas ad Deum porrigo, quatenus velut penna, quae omni gravedine virium caret, et quae per ventum volat, ab ipso sustinear: nec ea quae video, perfecte scire possum, quandiu in corporali officio sum et in anima invisibili [2]), quoniam in his duobus homini defectus est.

Ab infantia autem mea, ossibus et nervis et venis meis nondum confortata [3]), visionem hanc in anima mea usque ad praesens tempus semper video, cum jam plus quam septuaginta annorum sim, et anima mea, prout Deus voluerit, in hac visione, sursum in altitudinem firmamenti, et in vicissitudinem diversi aeris ascendit, atque inter diversos populos se dilatat, quamvis in longinquis regionibus et locis a me remoti sint. Et quoniam haec tali modo in anima mea video, idcirco etiam secundum vicissitudinem nubium et aliarum creaturarum ea conspicio. Ista autem nec exterioribus auribus audio, nec cogitationibus cordis mei, nec ulla collatione quinque sensuum meorum percipio; sed tantum in anima mea, apertis exterioribus oculis, ita ut nunquam in eis defectum extasis passa sim, sed vigilanter die ac nocte illa video. Et assidue infirmitatibus constringor, et gravibus doloribus multociens ita implicata sum, ut mihi mortem inferre minentur; sed Deus usque adhuc me suscitavit.

Lumen igitur quod video, locale non est, sed multo et multo nube [4]) quae solem portat, lucidior est; nec altitudinem, nec longitudinem, nec latitudinem in eo considerare valeo, et illud *Umbra viventis lucis* mihi nominatur. Et ut sol, luna et stellae in aquis apparent, ita scripturae, sermones, virtutes, et quaedam opera hominum formata mihi in illo resplendent.

[1]) *recederent* W. — [2]) *invisibilis* W. — [3]) *confortatas* W. — [4]) *nubi* W.

Quicquid autem in hac visione videro seu didicero, hujus memoriam per longum tempus habeo; ita quod quando [1]) illud viderim et audierim, recordor, et simul video, audio, scio, et quasi in momento hoc quod scio, disco; quod autem non video, illud nescio, quia indocta sum; sed tantum litteras in simplicitate legere instructa sum. Et ea quae scribo in visione, video et audio; nec alia verba pono, quam illa quae audio et latinis verbis non limatis ea profero, [2]) quemadmodum illa in visione audio: quoniam sicut philosophi scribunt, scribere in hac visione non doceor; et verba in visione ista non sunt, sicut verba quae ab ore hominis sonant, sed sicut flamma coruscans, et ut nubes in aere puro mota.

Huius quoque luminis formam nullo modo cognoscere valeo, sicut nec sphaeram [3]) solis perfecte intueri possum. In eodem lumine aliam lucem, quae *Lux vivens* mihi nominata est, interdum et non frequenter video; et quando, et quomodo illam videam, proferre non valeo; atque interim dum illam video, omnis tristitia et omnis angustia a me aufertur, ita ut tunc velut mores simplicis puellae et non vetulae mulieris habeam. [4])

Sed et prae assidua infirmitate, quam patior aliquando, taedium habeo verba et visiones quae mihi ibi ostenduntur proferre: sed tamen cum anima mea gustando illa videt, in alios mores ita convertor, quod, ut supra dixi, omnem dolorem et tribulationem oblivioni trado. Et quae tunc in eadem visione video, et audio, haec anima mea quasi ex fonte haurit; sed illa tamen plena et inexhausta manet. Anima autem mea nulla hora caret praefato lumine, quod umbra viventis luminis vocatur, et illud video, velut in lucida nube firmamentum absque stellis inspiciam, et in ipso video quae frequenter loquor, et quae interrogantibus de fulgore praedictae viventis lucis respondeo.

In duobus itaque modis, scilicet corporis et animae, me ipsam nescio, et me quasi pro nihilo computo, atque in Deum vivum intendo, et omnia haec illi relinquo, quatenus ipse qui nec finem, nec initium habet, in omnibus istis a malo me conservet. Unde et tu, qui haec verba quaeris, cum omnibus illis qui ipsa fideliter audire desiderant, pro me ora, ut in servitute Dei permaneam.

Sed et tu, o fili Dei, qui illum in fide quaeris, et qui ab ipso petis ut te salvet, attende aquilam a duabus alis suis ad nubem volantem, [5]) quae tamen si in una laeditur, super terram residet, nec se levare potest, cum se libenter ad volandum elevaret: sic etiam homo cum duabus alis rationalitatis, scilicet cum scientia boni et mali volat, ita ut dextera [6]) ala scientia bona sit, et sinistra scientia mala est, et mala bonae ministrat, bonaqne per malam acuitur et regitur, et in cunctis per illam sapiens efficitur. O chare fili Dei, Deus alas scientiae tuae ad recta itinera elevet, ita quod si peccatum ex gustu lambis, quoniam sic natus es, quod sine peccato esse non possis, operando tamen illud non comedas, et tunc bene volas. Nam coelestis harmonia de homine sic faciente, Deo cantat, illum laudans, quia cinerosus homo Deum tantum diligit, quod propter Deum se ipsum

[1]) *aliquando* W. — [2]) Nondum mihi pervenerat haec epistola, quando p. 2 superiore, in nota 2, latinum sermonem Hildegardi vindicare studebam, id quod nunc extra omne dubium est. [3]) *speram* solet scribere Hildegardis. — [4]) Vix alibi Hildegardis retulit luculentius animae suae arcana. — [5]) Apocal. XII. 4. — [6]) *dextra* W.

ex toto contemnit. Hoc modo, o probe miles, in certamine hoc esto, quatenus in coelesti harmonia esse possis, et ut tibi a Deo dicatur: Tu es ex filiis Israel, quia per oculos cancelli et per studium coelestis desiderii, in montem excelsum aspicis. Sed et omnes, qui in litteris tuis mihi transmissis notati sunt, per Spiritum Sanctum ita regantur, ut in libro vitae scribantur.

III.

Hildegardis ad monachos Cistellenses. [1])

Post gravissimas querelas de schismaticorum insania, sine charitate viventium, matrem repudiantium « pro tortuosa muliere, plena rugis et nigredine, plena vipereis moribus ac stridentibus dentibus horribili, » (Cf. Edd.) visionem novam aggreditur, ut hortetur ad exercendum cum Diabolis certamen.

Circa annum 1172.

Ego fons vivus.......... existimantes. Heu! Heu! filii Israel, in primo ortu vestro nonne [2]) constituit vos sicut mysticum donum Dei, quoniam mitissimus Pater voluit in vestro angelico Ordine antiquum serpentem superare, qui pessimum morbum praesumptionis, velut putridum cadaver, in se ipso evomuit? O pulchri flores, et socii angelorum, quare comeditis cibos serpentis, videlicet in alterutrum quaerentes torpentem et furentem [3]) societatem magnorum schismatum, quasi mortiferum scelus? Et cur ascenditis inquietos mores [4]) frequentis interrogationis, et investigationem multarum vanitatum, non discernentes unicuique homini datum suum, secundum mensuram suam? Ambulate convenientia et aperta itinera, sine volante vento sparsionis. Sed vos ubicumque vanum montem invenitis, illum apprehenditis, et eum confirmatis sine mora, et in eo fabricatis, ab eo non cessantes; sed in vanum in ipso laboratis, sicut et inutilis faber, qui inutile vas componit, quod stare non potest, quia instabile est. Nunc ergo, o filioli mei, apprehendite pulchram matrem vestram, scilicet amicam meam charitatem, et amplectimini eam.

Dico autem vobis: Quidam in velocibus equis sedentes, et pretiosis et fortibus armis armati fulgentes, ad Occidentem se verterunt, ut contra illos pugnarent qui ab Occidente veniebant. Ad dexteram eorum vallis erat multae longitudinis; velut profunda via erat; et ad sinistram eorum, silva magna et alta, tota in ramis suis nive perfusa. De qua plurimi homines, parvi et inermes, exeuntes, ut armatos illos viderent, in silvam multo pavore fugerunt, dicentes: Wach! qui

[2]) In Codd. Catal. epist. 258. In Edd. ep. 144, mutila et etiam in media periodo suspensa est ad haec verba absona; *non constituit vos sic mysticum et aureum.* Subditur in Edd. *Reliqua desiderantur, abscissis e ms. codice tribus sequentibus foliis:.* Quibus quidem foliis feliciter supplevit codex Wisbadensis. Respondet Hildegardis monachis Cistellensibus, ab ea rescire desiderantibus quid in Ordine suo minus Deo placeat. Cf. *Patrol.* col. 580, 581.

[3]) *non contituit* W. cum edd. quod liceat emendare.

[4]) *torpentem et ferentem* W. Sed quorsum haec? Pertinere videntur ad schismata germanica sub Friderico Barbato, in quibus torpor et furor simul grassabantur. Quo etiam fortasse spectat visio mox fuse enarrata.

[5]) Nil mirum, si legeris *montes,* ob sequentia.

sunt isti? [1]) Sed ut ipsi eisdem armatis terrorem incuterent, magnos strepitus et sonitus in eadem silva faciebant. Unde quidam eorumdem armatorum indignati, gladios suos extrahentes, eos ad feriendum vibrabant. Et facta est vox ex alto dicens: Convertite gladios vestros in vaginas, usque ad tempus temporum eradicationis. Et illi gladios suos in vaginas remiserunt. Et ecce quidam alii, toto corpore nudi, in equis sedentes, circa pectus et circa ventrem modico panno tantum obtecti, venerunt. Quos ut illi qui in silva erant viderunt, ad ipsos cucurrerunt, et equos eorum per collum et per caudas capientes, sed et ipsos nudos per crura et per pedes eorum tenentes, magnos saltus et cachinnos in lusibus suis cum illis et illi cum istis faciebant, dicentes: O socii, nobiscum ludite. Deinde quidam illorum armatorum, armis suis fatigati, ad vallem hanc quae iuxta ipsos erat, diverterunt; et de equis descendentes, et arma sua quae multo fulgore radiabant exuentes, ea deposuerunt. Et ita in otio in eadem valle sedentes, dixerunt: Quis potest cum his parvulis semper pugnare? Sinamus ergo eos ludere. Quod ut idem parvuli homines in silva euntes viderunt, ad ipsos cucurrerunt, et ludos suos circa eos faciebant. Sed isti nec cum illis ludebant, nec eos a se discedere cogebant; sed tantum armis suis depositis, in otio sedebant, ludos istos inspicientes. Et iterum sonuit vox ex alto dicens: Isti qui arma sua deposuerunt, non debent vocari principales magistri in palatio regis, quia fatigati sunt ad praelium.

Nunc, o filii mei, attendite, intellectus iste est ad vos. Nam boni et utiles praelati et caeteri qui saecularia contemnunt, in veloci cursu bonorum operum, cum diligenti custodia armati, sedent, ut contra Diabolum pugnent. Ad dexteram eorum est via rectitudinis, et ad sinistram inquietudo multarum vicissitudinum, de quibus multa vitia procedunt; quae eosdem armatos multociens territa fugiunt, et multociens eis terrorem suum in insania sua incutiunt. Unde quidam eorum indignati, cum injuriam sibi illatam patienter sufferre nolunt, se ad vindictam praeparant; sed divina inspiratio eos monet, ut quiescant, usquedum Deus per gratiam suam easdem injurias eradicet. Et sic a commotione vindictae suae cessant. [2]) Et quidam alii qui terrena despexisse videntur, in vanum hoc modo se curare ostendunt, cum nudi a bonis operibus sint, quamvis se in simulatione tegant: quapropter et vitia illa eos derident, et cum eis in magna irrisione ludos suos exercent. Sed et quidam praedictorum praelatorum et caeterorum, qui terrena omnino despexisse debuerant, taedio fatigantur, et in recto itinere diligentiam bonae custodiae deserunt, et negligenter vacantes, dicunt quod cum vitiis illis semper pugnare non possint. Unde et eadem vitia eis illudunt; sed tamen ipsi nec illa pleniter suscipiunt, nec omnino a se ire faciunt: sed in torpore negligentiae sedent. Quapropter, ut aperte ostenditur, nec utiles magistri, nec utiles pugnatores coram Deo sunt, quia ad salutem suam in taedio torpescunt.

Intellectus iste, o sectatores tunicae meae, ad vos tendit. O spiritales populi, qui dicitis vos bene et recte incedere, cur non imitamini opera Agni, qui fuit mansuetus, mitis, humilis, castus et obediens praecepto Patris sui, et patiens ad sacrificium corporis sui pro nobis. Surgite ergo, sicut vos primum plantavit mysticum donum Dei ad consortium angelorum. Vos enim interdum nescitis quid facitis,

[1]) *Qii sicut isti*: W. — [2]) *cessat* W.

volentes montem ascendere, quem apprehendere non potestis, unde etiam interdum ruitis in vallem, quia incipitis quod perficere non potestis. Sed et in mente vestra inquieti estis, volentes sancti esse, ubi non sunt merita, nec merces boni et recti operis. Quapropter estis sicut alieni, qui volunt habere quod non possunt capere. Convalescite ergo, et confortate corda vestra, et currite vias Dei, quoniam merces dabitur illi qui operatur, non illi qui opus quaerit, quasi illud videat in speculo, unde etiam decipitur in aestimatione sua.

IV.

Quidam Sacerdotes Hildegardi. [1])

Post humile exordium, monita et preces modestissime postulant.

Hildegardi Dominae et matri de coenobio beati Roberti venerandae ac diligendae A. E. H. heu! solo nomine sacerdotes cum caeteris societatis suae fratribus, sub defensione beati Martini [2]) degentibus, sincerissimum utriusque hominis affectum cum visceribus intimae devotionis.

Quia, o electa et dilecta sanctitatis famula, et mater plurimorum sanctitatem sequentium charissima, de te plura audivimus, quae odorem vitae multis conferunt, et ideo ad almitatem tuam confugimus, ea quae Dei sunt a te sitibundo corde postulantes. Nos enim qui a pueritia ad servitutem Dei consecramur, quatenus etiam sacris ordinibus divini officii Creatori nostro fideliter serviamus, cum ad sacerdotium pervenerimus, ubi digne et irreprehensibiliter vivere deberemus, ea quae spiritus sunt, saepius negligimus, et ea quae carnis sunt, facimus. Nam cum populo Dei deberemus esse oculus contemplationis, auris obeditionis, nasus discretionis, os veritatis, manus justae operationis, et pes in via rectitudinis, et exemplum virtutum, illi magis odor mortis et scandalum offensionis sumus quam petra soliditatis. Unde et multa mala invenerunt nos, quoniam a sanctuario Domini, ut ita dicamus, in lutum foeditatis cadimus. Tu autem, o pia mater, et conscia [3]) secretorum Dei, audi nos, te obnixe et humiliter deprecantes, ut verba divinae admonitionis ad nos proferas, nos corripias et admoneas: quia quamvis vel modicam scientiam Scripturarum habeamus, te tamen veram et mirabilem intelligentiam a summo Doctore et non ab homine accipientem, devotissime audire desideramus. Nunc Deus tibi infundat, quae pro nobis sitientibus devote effundas. Vale.

[1]) Epist. 259. in eodem Catal. — [2]) Monachi tres videntur abbatiae S. Martini Coloniensis ex quo aliam epistolam recepit Hildegardis, modestias ejusdem plenam, sub nomine cujusdam A, quem Maurini conjiciunt esse Adalardum, fortasse primum ex tribus suprascriptis. Cf, *Gall. christ.* III, p. 750. *Patrol.* ep, XLI, col. 207. — [3]) *conscientia* W.

V.

Ad Clericos diversi ordinis H. [1])

Monita spiritalia proferuntur ex ps. XLIX, II. et IV.

Fort eodem tempore.

Vox viventium alarum dicit: O qui estis sustentatio lapidum, et cingulum membrorum diversorum hominum, audite haec quae vobis dico: Currite vias planas ad officium sacrificiorum legis. Et membra vestra constrictionem habeant in lumbis vestris, sicut figura haec per mysticum donum Dei ostendit: « Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime. [2]) »

Divinitas enim inspexit simplicitatem morum in humili puella, et ibi requievit in suavissima castitate, quam non tetigit viriditas terrenarum [rerum], sed supernus calor in secreto suo. Tunc surrexit verus homo, quasi de sicca terra, quam non fregit aratrum, et cujus fructus non est seminatus, sed quae de calore solis produxit florem. Unde ipse potentissimo gladio accinctus est, id est pura et acuta vera justitia, quia ei non inierat aestuatio carnis in negligentia peccatorum. Sed ut filius est de patre, nobilis de nobili, rex de rege, et quisque de genere suo, sic sacerdotes de me constituti sunt, quemadmodum et pater substantiam suam filio suo tribuit, ut etiam dictum est: « Haereditas mea Israel est; » [3]) quod computatur ad summum sacerdotium de misericordia et gratia et veritate.

Istud testimonium est per me de vobis traditum, sicut vir praeliator, magnum exercitum habens, eum filio suo relinquit. Ideo sacerdotes imitentur patrem et dominum suum, ita ut sicut ille ambulavit, sic et ipsi ambulent in constrictione corporis sui. Sed si sacerdos habuerit crimen in putredine carnis, aut in petulantia gulae et lasciviae, illico surgat, et medicum requirat, et illud evomat, quasi venenum biberet, nec in se diutius velut domesticum suum teneat.

Ergo audite: Dominus quidam duas regiones habuit, videlicet alteram humidam, et alteram aridam. In humida enim multae vicissitudines diversarum negotiationum, quasi in Tharso, Tyro, Macedonia et in Aethiopia erant. In Tharso intelligite velociter currentes, et in unaquaque re crescentes, sed tamen valde laborantes. In Tyro [4]) autem, in angustia laborantes, et interdum in magna necessitate deficientes. In Macedonia vero, in siccitate aestuantes, sicut fructus ille qui modo procedit, modo deficit, ut et lupus ostendit, qui interdum devorat, interdum relinquit, interdum rapit, et interdum suffocat. In Aethiopia autem, furtive epulantes, et in venenosa tyrannide bacchantes, et in impudicitia ardentes. In arida vero regione erant locupletes homines, pulchritudinem herbarum et florum, quos homo non seminavit habentes, et in contemplatione Domini sui manentes: ubi etiam dulcissimus odor et suavissimus sonus fuit; sicut in Abel praefiguratum est, qui incoepit bene facere; et in Abraham, qui obedientiam ostendit; et in Moyse, qui instructionem animarum per instituta praecepta sacrificiorum dedit; et in Filio Dei, qui omnia bona complevit.

[1]) Ibid. epist. 260. — [2]) Ps. XLIV, 4. Mox f. *terrenorum*. — [3]) Is. XIX. 25. — [4]) *Thyro*: W.

Iste intellectus est ad mundum, qui in saeculari populo in nascentibus filiis crescit, et qui in spiritali populo decrescit, qui in semine suo deficit. Sed Deus principales magistros super communem populum elegit, ad instructionem animarum eorum. Et Filius Dei venit supernus magister, ut scriptum est: « Ecce apparebit Dominus super nubem candidam, et cum eo sanctorum millia, habens in vestimento et in femore suo scriptum: Rex regum et Dominus dominantium.[1]) »

Nam Filius Dei in innocentia simplicis puellae, quasi in nube apparuit, et tabernaculum suum in sole posuit, cum mens ejusdem Virginis mirabiliter illustrata est, ubi ipsa dicit: « Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. » [2]) Et ita surrexit in ea magna columna super omnia nascentia genera; cum Filius Dei tanquam sponsus processit de thalamo suo, natus de ipsa suavissima Virgine, quasi in dulci sono et in suavissimo desiderio, velut sponsus sponsam suam in mente sua sibi suaviter copulat. Unde et cum eo apparuerunt multae et admirandae virtutes, antiquam legalem institutionem in bonis operibus superexcellentes. Et sic in vestimento et in femore eius scriptum est: « Rex regum et Dominus dominantium, » quia caro eius suaviter sudavit de Virgine, et non de femore viri; [3]) ita ut super omnes creaturas ascendens, sicut rex qui hominibus imperat, quoniam peccatum illum non protulit, sed fortissima vis potentiae Divinitatis, quae omnes creaturas praescivit, antequam in mundo prodirent.

Unde et ipse membris suis administravit omnia instituta legis, velut bonus dispensator, qui populo sibi subiecto ostendit quid ipsi adesse vel deesse in necessitatibus suis debeat, ut scriptum est: « Reges eorum in virga ferrea, tanquam vas figuli confringes eos. [4]) » Nam in fortissima potentia Divinitatis vivus fons emicuit, qui purissima et constantissima legalia praecepta per semetipsum ostendit: sic imperans rectis justitiam in virga ferrea, et confringens ac statuens quaeque, secundum quod justum erat, quemadmodum figulus aliud vas frangit, [5]) et aliud facit.

Nunc audite, o imitatores mei: Ab initio saeculi populus meus praecessores et magistros habuit. Quare ergo profertis indignationem et audaciam et vicissitudinem in variis moribus et in multiloquio superbiae? quasi faciatis nova coelestia, et eburneam altitudinem montium, quae instrumenta ventus facile dispergit, et quae ab hominibus conculcantur? ita ut etiam auferatis animabus vestris decem mnas, et denarium illum, qui [6]) est retributio coelestis regni in rectis hominibus.

« Apprehendite autem disciplinam, » [7]) videlicet legalia et instituta praecepta in membris vestris, et tales in cogitationibus, in verbis, et in operibus vestris estote, ut mundi sitis velut holocaustum in sacerdotali officio, caventes ne venenosa verba sint in vobis in vanitate hujus saeculi, quia praevaricatio legis non expedit vobis. Sed fideles [8]) lumen portate in manibus vestris, ita ut omnis populus ad vos concurrat. Haec sunt praecepta legis, quasi mons magnus, super quem lumen positum non latet. Ideo habete disciplinam in cinctura lumborum vestrorum,

1) Apocal. XIX, 16. — 2) Luc. II, 38. — 3) *et de femore viri*, cod. nescio quo lapsu minime ferendo. — 4) Ps. II, 9. — 5) *fungit*: W. mox *praecessores*. — 6) sic W. — 7) Ps. II, 12. — 8) fort *fidele*.

per bona exempla lucentes caeteris populis, quia virgam regentis eos habetis. Unde etiam estote solliciti, « nequando irascatur Dominus, et pereatis de via justa, [1] » quoniam exemplo Filii Dei, ambulare debetis per viam bonorum operum, quae omnia prius in sacrificio vitulorum et agnorum praesignata de officio vestro. In veteri enim Testamento sacerdotes in lumbis suis non tabescebant, quia nullus in lumbis suis praecinctus eos praecesserat. Sed nunc sol justitiae effulsit. Ergo in illo ambulate, castitatem vestram servantes, quoniam non vitulus, non aries, nec victima agni pro vobis in ligno crucis suspensus est, sed pastor magnus et bonus pro vobis ad passionem crucis datus est. Illum imitamini in operibus vestris.

Irascimini autem adversus injustitiam et nolite peccare, [2] scilicet non odium, non invidiam, nec opprimentem pressuram habete in irrisione cordis vestri, quando videtis casum hominum propter stultitiam morum eorum: sed ungite illos in misericordia, et corripite eos in mansuetudine. Et nolite in aestimatione vestra culmen hoc habere, quasi sancti sitis propter tonsuram carnis vestrae, ubi dicitis in cordibus vestris: Nos elegit Dominus in sanctitate, nec ullus debet nos per culmen virtutis praecedere. Et quare dedignamini praeclaram faciem in illis qui tunicam meam amplexati sunt per circumcisionem mentis suae, et qui in ordinatione imitantur angelos, qui sunt [3] speculum vultus mei, ita ut ipsi eos subsequantur per mortificationem temporalis mundi? Angelus enim nuntiavit salutem omni populo. Sed et in Abraham et Jacob et in virga Aaron angeli salutem populi praenuntiaverunt. Quare ergo non possent, nec deberent imitatores angelorum et tunicae meae providere salutem populi, propter instantem necessitatem in necessitate positorum? Vos autem in militia sanctitatis estote, et in cubilibus vestris compungimini, [4] ita ut humilitas in vobis turrim cum fenestris virtutum bonorum operum et cum cavernis sanctae medicinae, unicuique secundum mensuram suam aedificet. Interiora etiam occulta vestra videant, quae opera in vobis sunt. Providete ergo sollicite, ut sanctitas in vobis aurum sit, et non plumbum, quia Jacob erectus est in culmine felicitatis, Esau autem constrictus in decessu elationis. Sic moretur mens vestra in duabus partibus spiritalis vitae. Nunc convalescite, et confortamini in omnibus bonis, ut non deficiatis.

VI.

Quidam Sacerdotes Hildegardi. [5]

De *Luce viventi*, ad mentem Hildegardis, potius inepte quam subtiliter disputatur.

Circa a. 1171.

Hildegardi magistrae de sancto Roberto in Pingis O. E. V. peccatores, nomine tenusque sacerdotes, et tota congregatio fratrum in Amerbach degentium, cum fulgentissima lampade ad aeternas nuptias intrare.

[1] Ps. II, 12. — [2] Ps. IV, 5. — [3] *qui sicut* W. — [4] Ps. IV, 6. — [5] In Catal Codd. W. Epist. 261.

Lux vivens, omnis boni operatrix, cui omnis anima vitalis, et ad decimum numerum praeelecta, sit cooperatrix, etsi eadem in sua puritate inveniatur, tamen iuxta sensum accipientium, a beatis differenter participatur. Nam sicut illa regalis aulae organa eo ardentius inflammantur, quo vicinius et quasi immediate fontem claritatis contemplantur, inferiora vero angelorum agmina quanto ab ipsa origine sunt remotiora, tanto differentius, tanto debilius ab illo principali lumine relucent: sic et spiritus incorporati, licet ad vitam sint praeordinati, alii abundantius, alii tenuius, impetu claritatis a majestate semper discurrente [1]), irradiantur, et ad illud beatificum principium consequendum distantissima mobilitate elevantur. Sunt enim quaedam animae in illud pelagus claritatis sic absorptae, ut aliud nihil videre [possint], aliud nihil sentire, quam praesentiam illius luminis omnia vivificantis sibi quae vivificantur. [2]) Quarum fulgore et caeterae animae, adhuc terrestri graves obscuritate, dum saepius reverberantur, ad receptaculum ipsius claritatis aptificantur, quo sibi ex ea subtilius notificantur.

Quia ergo tu, mater reverentissima, [3]) ad claritatem illam vicinius ascendisti, splendor a corde tuo erumpens, conscientias nostras illuminet, ita ut per radios tum ammonitionis, tum exhortationis, tum correptionis tenebrae nostrae imminuantur. [4]) Nam quia abundavit iniquitas et refriguit charitas per schismum Romanum, tenebras erroris patimur; et quoniam nubibus iniquitatis obstantibus, sol justitiae obscuratus est, luna quae est Ecclesia, ab ordine religionis multimodis exorbitavit. Verumtamen quia verba Christi non transeunt, sed permanent, [5]) et idem ipse testatur: « Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi, [6]) quamvis totus jam pene orbis tenebris erroris involutus sit, radius quidam antiquae gratiae, ne tota gens pereat, in vobis resplenduit. Ordo enim monachorum orbitat; ordo clericorum claudicat; ordo quoque sanctimonialium titubat; et cum spiritales religione hoc modo excedunt, saeculares institutam sibi a Domino legem omnino negligunt. Nam inter caetera facinora, quibus Dominum oblivioni tradunt, legitima conjugia derelinquunt, et aliena pro libitu suo sibi copulant; homicidia perpetrant, et inde magnos se fore existimant; ac quisque velut inertem se esse dicit, si his maculis immunis invenitur. Quapropter sacerdotes qui clamare et veritatem cum correptione loqui deberent, jam silere coguntur.

Nunc tu, o mater veneranda, quoniam ut in scripturis tuis legimus, commonitiones spiritalibus multociens direxisti, eas saecularibus quam intime rogamus ut dirigas, quia necesse est ut duris et crebris correptionibus inclamentur, qui correptiones aliquas vix dignantur. Speramus enim quod animos suos verbis tuis attentius inclinent, quoniam per divinam visionem et jussionem te loqui credunt et sciunt, quam verbis nostris quos in multis transgressoribus [7]) vacillare vident. Vale.

[1]) *discurrentes* W. — [2]) In toto illo de luce tenebroso excursu, multa caligo offendit. Nescio an legere praestet: *nihil videri, nihil sentiri, quam* praesentia illius luminis omnia vivificantis quae *vivificantur*, omisso *sibi*. Sed quid mox *aptificantur?* quid *notificantur?* — [3]) solita scriptura. [4]) *in muniantur*, si Superis placet, lego in meo apographo. Mox *schismum* sic W. — [5]) *si permanent* W. — [6]) Matth. XXVIII, 20. — [7]) fort. *transgressionibus*.

VII.

Ad saeculares homines diversorum populorum H. [1])

Hildegardis totam humanae salutis seriem ab origine mundi pandit, maxime ab occisione Abelis, multaque de homicidio exponit.

Eodem tempore.

O turbae hominum, nascentium et crescentium per divinam sapientiam, audite quod ego serena lux et factor omnium vobis dico: Vestra plantatio fuit in corde meo, in originali die omnis creaturae. Et cum creavi hominem, feci ei instrumentum quod Diabolus derisit. Hoc est, legem dedi ei, quam Diabolus per malum suum dejecit, quod malum non est mecum, qui sum plenum et potentissimum et sanctissimum bonum. Sed Deum decuit, ut per semetipsum tale et tam magnum opus faceret, quod multa et diversa opera operari posset, quod homo non est. [2]) Deus enim non est factus, nec creatus, nec vicissitudine temporum tactus: sed semper esse habet, quod rota nec initium nec finem habens designat. Ipse etiam nullum defectum habet, sed omnia viventia de dispositione ipsius procedunt, et ipse mortem superavit. Quomodo? Audi, o homo.

Malum cecidit fortissima vi Divinitatis, quae nunquam vivere incoepit, sed quae semper vivit. Cum enim vivens sphaera sensit, quia a Deo facta et creata fuit, malum arripuit, quod Deus qui est integer, destruxit: quia malum tantam fortitudinem habet, quod non deceret ut ullus illud superaret, nisi iste qui sine initio est. Ipse etiam malum per humerum suum superavit. Quomodo? Per hominem. Quid est hoc? Hominem misit in anima et corpore. In utroque magnum mysterium latuit. Nam virginitas hominem, scilicet maximum et pretiosissimum donum, in summo sacerdote eduxit, per quem Deus hoc malum pleniter destruxit.

O pulcherrimae formae hominum, quare in negligentia dormitis, cum vos in magna gloria Deus constituerit? Deus maximam legem vobis dedit, cum hominem in Paradisum posuit. Et eodem amore ipsum fecit, quo Filium suum hominem fieri voluit, ut malum illud superaret, quod se contra eum erexerit. Sic Deus voluit malum superare per suavissimam corporalem formam hominis, in quo Diabolus aestimavit victoriam suam habere. Unde etiam incoepit illi tentationibus suis illudere, ignorans quia per illum totus superaretur. Quapropter, o homines, non fatigemini in stultitia morum vestrorum, quasi legem non habeatis: quod non est. Nam ego legem vobis posui, ut non comederetis cibum sensibilis mali; sed vos praeceptum meum trangressi estis, et scientiam illam, quae vos in peregrinatione expulit, appetiistis.

Sed tu, homo, dices: Quare malum scio? In hoc contradicis mihi Creatori, sicut

[1]) In Catal. W. epist. 262. — [2]) *quod homo est;* W. Vereor ne aliquid exciderit.

et ille qui me voluit superare. Sed ego nolo malum, nec illud secreta mea tangit. In ipso autem oculi vestri obtenebrati sunt. Et cum malum scitis, cur illud facitis? Quomodo autem posset creatura mea esse vacua, sine utilitate? Unaquaequae enim creatura, quae non vivit in rationalitate, aut in sensibilitate, habet in se duo utilia et unum quod perit. Duo, scilicet alterum in pinguedine formae, et alterum in eius viriditate; et unum quod perit in ariditate. [1]) Sic etiam homo habet duo in se, videlicet animam et corpus: animam in virtutibus, corpus in operatione; scies etiam malum, quod est velut illud quod perit, aridum, alioquin factura non esset. Nam cum Adam praeceptum accepit, sciebat illud quod me non tetigit, et quod mihi contrarium et contra meum praeceptum fecit, esse negligendum. Sed cum illud concupivit habere, sciebat quidem illud, velut in optione, sed nondum in operatione, sicut et coelestes angeli malum esse sciunt, sed illud non faciunt. Cum Adam malum fecit in opere, scivit illud sensibiliter; et illud perfecit in gustu culpabiliter, unde in mortem cecidit, quam ille invenit qui se mihi primum opposuit, quapropter et de coelestibus in abjectionem corruit.

Sed tu, o homo, nescis in hoc quod dicis. Fallax enim deceptor decepit te, docens te contraria. Cum dedi vobis legem, non praecepi ut faceretis fornicationes, adulteria, homicidia, rapinas, incarcerationes, nec ut quemquam incarceraretis, quem non fecistis; sed jussi ut multiplicaremini in filiis vestris per rectam institutionem, et non per libidinem; et possideretis terram, in labore colentes eam, in frumento, et vino, et in aliis necessitatibus, quae ad necessitatem vestram pertinent. Quapropter debetis legem meam servare, et non destruere. Nam praecepi vobis, ut in recto amore, et non in venenoso adulterio filios amaretis; sed vos facitis, quasi liberi sitis perficere quaecumque volueritis, et exercere omne malum quod perpetrare potestis.

Quare ergo projicitis a vobis ligaturam legis vestrae, dicentes: Non est nobis institutum, ut habeamus et exerceamus constrictionem disciplinae, quasi coelestes simus. Saeculum enim non permittit nos coelestes esse, et etiam filii nostri, et agri, oves et boves, et alia pecora nostra, et caetera omnia quaecumque possideamus, ab hac intentione impediunt nos. Haec omnia dedit vobis Deus. Quare ergo obliviscimini illius, qui vos creavit, et qui haec omnia vobis dedit? Cum ipse vobis necessaria dat, interdum vobis ea dimittit, et interdum ea aufert.

Sed vos dicitis: Non est nostrum, ut bonam et constrictam vitam habeamus, sed est clericorum et aliorum [2]) spiritalium hominum. Ergo audite, qui non estis solliciti in his causis vestris. Vos magis omnibus istis spiritalibus ligati estis, cum Deus praecepit vobis ut sic vivatis, quomodo vobis praedictum est. Nam spiritales homines recusant habere legem hanc, quae vobis injuncta est. Unde liberi sunt, quia ligatura legis vestrae, quae vobis specialiter imposita est, ipsos non constringit. Sed ipsi osculantur me in amplexibus charitatis, quando saeculum propter me relinquunt, supra montem sanctificationis ascendentes, et sic chari filii erunt. Vos autem quasi servi estis per ligaturam legis vestrae, vobis specialiter impositae. Nunc ergo intelligite me, et legem vestram servate,

[1]) Cf. p. 337 in fine, ubi similia idem epistolae tempus arguunt. — [2]) *alium:* W.

ne cum Dominus vester venerit, conscientia vestra accuset vos, quia praecepta ipsius destruxeritis, quoniam in magna dilectione habiti estis, cum propter crimina vestra innocens Agnus in torcular crucis positus est.

Ergo, o filii chari, propter dilectissimam formationem vestram audite, et intelligite me. Sed et, o turba, quid insanis, quae per rabiem furoris tui me contemnis? Quid facis in tam criminosis criminibus per destructionem carnis, ut hominem similem tibi occidas? Hoc malum aestimatio primi perditi angeli invenit, qui me destruere voluit; sed hoc non potuit esse, quod ille sic posse fieri aestimabat. Sed quia Adam me cognovit et amavit, et praecepta mea in voluntate sua osculatus est, ea voluit observare, nisi quod Diabolus eum ad inobedientiam perduxit. Ideo oportuit ut illum de poena mortis liberarem, quoniam pessimus deceptor eum deceperat.

Nam idem Diabolus in omnibus his nullum bonum gustavit; sed in perverso [1]) visu superbiae ad Aquilonem aspexit, quia in omnibus aliis lateribus superiorum dispositionum me exterius inspiciens, cum indignatione dubitabat me esse in Aquilone, quoniam ibi potestatem meam quasi alam in turbine obtexeram: hoc praesignificans, quod eadem potestas mea debuit malum istud dejicere, quod ille cogitabat perficere: sic et idem in hac perversa voluntate sua dejectus est. Tunc tu, o malum homicidii, pertinaciter efferbuisti, illo consiliante.

Cum Diabolus hominem creatum vidit, coepit excribrare omne malum suum: homini blande inobedientiam quasi per opinionem persuasit, quoniam non vidit in illo tantam malitiam quantam in se: unde coepit illum dolose tangere, et ducere quasi ad utilem honorem, ut ipsi consentiret. Et sic homo consensit Diabolo. Tunc Diabolus gavisus est in semetipso, quod hominem superaverat, quia homo fecit quod ille voluit. Sed in homine tantum malum non erat quantum in Diabolo, quoniam Diabolus Deo invidit, et eum destruere voluit, et nullo consiliante, malum incoepit. Homo autem praeceptum Dei audivit, sed tantum similis [Deo] esse concupivit, et fallaci deceptore consiliante, Deo non obedivit.

Postea videns Diabolus originale bonum [2]) quod in Abel oriri coepit, qui bonitatem meam in operibus suis gustavit, acriter in semetipso infremuit, et homini homicidium persuasit, [3]) ut homo hominem destrueret, sicut et ille me destruere voluit, quod esse non potuit, quia fortitudinem meam nullus superare potest. Et ita, suadente Diabolo, facto homicidio, Diabolus gavisus in semetipso dicebat:

Wach! hominem de Paradiso mea fortitudine ejeci. Wach! etiam nunc hominem in terra mihi denuo servire facio. Nam instrumentum Altissimi ab alio instrumento sibi simili in homicidio dividitur. Ego enim Altissimum superare non valui, quoniam nec verticem, nec postremitatem in eo vidi, sed nunc habeo instrumenta illius, quae omnem voluntatem meam faciunt, tam se invicem occidendo, quam perficiendo omnem reliquam persuasionem meam. O quam magnam potestatem in istis habeo! quia quod ego in altitudine coeli facere non potui, hoc creatura ista in alia sibi simili, me instigante, facit. Et plus operatur quam ego operatus sum, quoniam quod ego volui, et non potui, hoc ista facit, cum altera

[1]) *in perversum* W. Respicere videtur visionem alibi magis quam in hoc loco relatam. — [2]) *bonum, vel donum,* W, adeo prima littera compli. catur. — [3]) *persuadit,* sic W.

alteram disperdit. Et ex his operibus magnum gaudium Diabolus in se habuit, quia Cain fratrem suum Abel occidit. Unde etiam gehenna justo judicio plus in igne tunc exarsit, quam ante idem homicidium faceret. Ego autem, qui sum acutissima lux, dico:

Ach! Ach! Ach! Ach homicidio, quod suadente Diabolo, exortum est, ut bonum opus dejiceret. O vae huic malo, ubi innocentia integritatem suam perdidit. Unde terra luget, quoniam sudor sanguinem bibit, ubi homo hominem occidit. Quapropter et coelum plangit, et etiam caetera elementa lugent, aspersa velut in colore sanguinis, quia in officiis suis subdita sunt hominibus, secundum quod causa et necessitas hominum postulat. O homicidae, in magnam ruinam caditis, quando per corporalem occisionem separatis hoc ab homine, quod in eo conjunxi. Nam cum homo malum hoc operatur, in temeritate operis sui, vox sanguinis illius, qui sic effusus est, ad superna ejulando in dolore ejusdem poenae volat. Ita quod elementa exterrita clamorem illum suscipiunt, et eum sursum deferunt, quoniam anima propter dolorem carnis occisi habitaculi sui tamdiu ejulat, quousque supernus judex in zelo suo clamorem ejus exaudiat.

Quapropter, o homines, audite quod dictum est: « Ecce vox sanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra [1] ». Anima maximum planctum dat in habitaculo corporis sui, cum senserit illud in occisione dejici. Sed animae sanctorum, quorum corpora propter nomen meum occiduntur, sic in dejectione corporis sui clamant: « Vindica, Domine, sanguinem nostrum qui effusus est. » [2] Et hunc clamorem cum coelesti militia ad coelestia deferunt, quia templum meum in eis destructum est. Anima autem illorum hominum, qui contumeliis et criminibus suis efficiunt ut corpora eorum occidantur, planctum suum ad elementa producunt; sed eum sursum ad coelestia secreta elevare non possunt, quoniam in malignitate sua se ipsos primum percutiunt, efficientes ut justo judicio iniquitatis suae ab alio occidantur.

Sed quocumque modo homo ab alio homine occidatur, Deus causam illam et secundum voluntatem percutientis, et secundum merita credentis juste examinat, quia homo ad imaginem et similitudinem Dei factus est. Vos autem qui in hoc homicidio fervetis, audite, o peregrini: in his velocibus criminibus in gehenna sepultura vestra esset, nisi quod immaculatus Agnus, qui pro redemptione mundi in cruce oblatus est, fixuram clavorum suorum et effusionem sanguinis sui inspicit. Nam propter ista crimina, quae ferventes in homicidio perpetratis, gavisus est superbus inimicus vester, existimans quia hominem sibi subjectum in sua potestate retinere possit. Sed cum Filius meus in mundum venit, idem Diabolus eum inter homines conversari videns, dixit:

Ecce alius Adam venit, et nescio unde sit. Nam primum Adam Deus de limo terrae creavit; sed nescio unde iste venerit. Mater ejus videt et scit eum filium suum, et eum amat, sed ego nescio de quo ipsum concepit, quia illam vitam in concipiendo habere ignoro. Caro enim illius in virginitate integra est. Unde sunt haec? Hominem enim in tam magna potestate mea habeo, ut nullus eum mihi

[1]) Gen. IV, 10. — [2]) Apocal. VI, 10.

auferre possit, quia fratrem suum occidit, et quoniam in omnibus aliis operibus suis voluntatem meam implevit: unde aestimo ut nullus eum mihi eripiat. Nam justo judicio eum habeo.

Sic ille antiquus hostis tamdiu dubitavit, quousque Filius meus, in cruce suspensus, ad infernum descendit, et ipsum fregit, ut hominem liberaret. Quomodo? In passione ejus sudor ipsius abstulit naufragium libidinis, quae pullulat in fervore sanguinis hominum, et tremor ipsius extersit peccata injustae copulationis eorum; et ligatura quam passus est, ligaturam quam inobedientia intulit hominibus, misericorditer dissolvit, atque cruor vulnerum eius crimina homicidarum detersit. Qui in cruce suspensus, amaritudinem poculi sumpsit, per quam amarissimam iram, cui omnia mala vitiorum adhaerent, extinxit; et ita in corpore mortem corporaliter gustavit, per quam universa instrumenta Diaboli pleniter destruxit, in quibus homo concupivit esse sicut Deus. Et sic in omnibus his signis cruciamentorum suorum, ad infernum descendit, et illum fregit, et potestatem antiqui hostis ligavit. Tunc idem Diabolus erubuit, quod tam fortem fortitudinem ignoraverat, quae ipsum tam fortiter in puteo inferni superare valuit. Et hoc modo fiducia eius, qua se hominem posse retinere putabat, omnino prostrata est. Et deinceps nullus homo in tam magnis criminibus sit, quin vulnera ejus curari possint, si ea per poenitentiam mundare curaverit.

Quapropter laus Deo sit! Nunc poenitens publicanus gaudeat, et poenitens peccator in vera laetitia partem habeat, quia omnia coelestia super ipsos gaudebunt, quando illum qui eos suis vulneribus de morte eripuit, videbunt: ita si ad coelestia se sursum volunt erigere, et mendacium illud fugere, quo[1]) propter mala desideria sua me spreverunt, ubi voluntatem meam non inspexerunt, sed semetipsos deceperunt. Nam si postea ad me respiciunt, et mala opera sua deserunt, in pura confessione sic dicentes: Peccavimus, Domine, omnis coelestis exercitus in redemptione eorum, quia poenitentiam fecerunt, gaudebit.

O filii carissimi, recordamini pii Creatoris vestri, qui vos redemit ab omnibus plagis criminum vestrorum, et qui vos in sanguine dilecti Filii sui mundavit a pessimo malo homicidii. O vae huic malo, quod homo [2]) operatus est propter ignominiam irae suae, quae socia mortis est. Nam et finis vester, qui facit dissolutionem corporis vestri, in magnis doloribus post omnes venas vestras vobis adhaeret. Hoc sentiens et ostendens in doloribus suis, quod Abel per homicidium corporalem vitam in doloribus finivit, cum animam ejus de habitaculo corporis sui frater ipsius per malum homicidii primum exire coegit. Nunc illis sit salus et redemptio in sanguine dilecti Filii mei, qui solliciti sunt currentes ad veram poenitentiam propter peccata sua.

[1]) *quod* W. — [2]) *quod eam operatus,* sic W.

VIII.

Volmarus [1] *praepositus sancti Roberti dilectae matri suae H.*

Dolet procul abesse Hildegardem, cujus opera ex ordine recenset, et cum libris confert saecularium magistrorum, ut quantum praestent, cum modestia profiteatur.

Post a. 1174?

Hildegardi, Dominae reverendae, matri dulcissimae, magistrae sanctissimae, et symmistae [2] Dei in coenobio beati Roberti veracissimae et probatissimae, V. filius ejus, licet indignus, omnisque concors grex puellarum ipsius, cum caeteris sibi adhaerentibus, et Deo ac sancto Roberto, quamvis tepide, famulantibus, in debita subjectione, in debita obeditione, et in affectu filiarum, debita dilectione ab uberibus consolationis eius in praesenti saeculo ita consolari, ut coelestis patriae participes efficiantur post huius incolatum exilii.

Quamvis, o mater dulcissima, quotidie carneis oculis te videamus, carneis auribus te audiamus, tibique quotidie, ut justum est, devote adhaereamus, et Spiritum Sanctum per te nobis loqui intelligamus, absentiam tuam, [3] quod non sine lacrimis proferre possumus, aliquando tamen prout Deo placuerit, nobis incumbere non dubitamus, cum te jam [4] amodo carnalibus oculis non videbimus. Non est homo qui vivet, et non videat mortem. Tunc enim major erit moeror et miseria nostra, quam nunc sit laetitia. Ubi tunc responsa [5] de universis casibus suis quaerentium? Ubi tunc nova interpretatio Scripturarum? Ubi tunc vox inauditae melodiae? et vox inauditae linguae? Ubi tunc novi et inauditi sermones in festis Sanctorum? [6] Ubi tunc ostensio de animabus defunctorum? [7] Ubi tunc manifestatio praeteritorum, praesentium, futurorum? [8] Ubi tunc expositio naturarum diversarum creaturarum, [9] divina dante gratia, cum suavissimis et cum humillimis moribus, et cum materna affectione circa omnes, affluentibns visceribus [quae] in te novimus!

O quanta divina miseratio in donis suis est! O inanes curae hominum! O vanitas vanitatum! Quare plurimi per difficultates viarum in longinquis regionibus mundi doctrinas diversorum inaniter praetentant? Quare siti, inedia, algore afflicti, per litigiosam declamationem disputationum, per vigilias nocturnalium horarum, profunditate, immo aenigmatibus sententiarum insudant? Certe, certe

[1] In Catal. epist. 263. Volmarus ille idem facile fuit quam frater ejusdem nominis, de cujus opera, etiam in conscribendis epistolis suis, Hildegardis paulo infra congratulatur. Immo socium fuisse se operis Volmarus nonne prodit occulte, cum *symmistam* vocat Hildegardem? — [2] *simistae*, W. — [3] Aberat forte ob iter Turonense. — [4] *te eam* W. — [5] *responsam* W. Novam habeto recensionem variorum Hildegardis operum. Ex ordine enim sequuntur *Epistolae, Homiliae in evangelia, Cantica,* etiam *Lingua ignota*. — [6] Nobis quoque dolendum est et quaerendum: Ubi *novi et inauditi Sermones* de sanctis? — [7] Innuitur, uti reor, *liber vitae meritorum*. — [8] Infra non deerunt ex his nonnulla vaticinia. — [9] Respectu ad libros *divinorum operum*, et *subtilitatum diversarum naturarum*, tum *simplicis medicinae* etc.

scimus, quia quod haec omnia non simplici oculo intentionis, sed vel causa simoniacae pravitatis perferunt, ideo parum aut nihil proficiendo minime propositum comprehendunt: immo scintillam Spiritus Dei in ipsis per contumaciam, qua aliquid ipsis videntur esse, prorsus extinguunt; ita quod ad erubescentiam modernorum scholasticorum, scientia desuper sibi [1]) data abutentium, spiritus prophetiae et visionis in organo massae fragilioris, absque amminiculo instrumenti exterioris resuscitatus, talia proferat, quae nulla possint capere ratione, quoniam quae vult, instruit, et ubi vult, spirat. Unde et hic manifestissime hoc impletum videtur esse, quod Deus stulta et infirma mundi, ut sapientes et fortia confundat, dicitur elegisse.

Proferimus quidem talia, non ut vel, mater dilectissima, moti faece livoris propter tantum donum, tuae simplicitati prae studio exercitatis collatum, derogemus, nec ut idem nos qui specialiter tui sumus, et qui frequenter tecum manemus, et vocem tuam sedulo audimus, inani gloria gloriari quaeramus, [sed] ut illorum laboris sedulitatem prae castitate bonitatis et pietatis, ad subtilitatem verae doctrinae investigandam et adipiscendam, parum valere demonstremus: quia frustra doctor foris movet labra, nisi sit intus spiritus, qui auditorum informet corda. Plura enim virtutum insignia, plura miraculorum Dei et Sancti Spiritus in te apparent opera, quae nos dicere possimus aut velimus. Nam et aliorum est te laudare et praedicare, nostrum autem te mirari, venerari et diligere. Quoniam autem haec omnia ipsius rei experimento melius nobis cognovisti, et quia pauca ad intelligentiam plurium sufficiunt, sapienti plura dicere omittimus, et Deo qui omnia potest, grates referimus, qui te nobis dedit, et qui te ad gloriam nominis sui et ad salutem multorum Spiritu suo illuminavit, ipsum humiliter et obnixe deprecantes, quatenus sanitatem corporis et corroborationem mentis tibi conferat, ita ut donum suum quod in te effudit, ad aedificationem totius Ecclesiae abundanter distribuat.

IX.

Hildegardi Conventus fratrum de domo in Moguntia. [2])

Monachi Moguntini in coenobio S. Martini petunt ut Hildegardis scripta de Catharis ad illos transmittantur.

Post a. 1163.

Domnae charissimae, matrique sanctissimae, ac Christi famulae, et magistrae sororum in coenobio beati Roberti in Pingis, Hildegardi, totus conventus fratrum de sancto Martino, in domo Dei cum consensu ambulare, et in hac valle lacrimarum sponso virginum complacere.

[1]) *tibi* W. — [2]) In catal. codd. mss. Wisbad. epist. 265, ex cod. majori,

Quia justum est, ut in causis nostris voluntatem Dei inspiciamus, ad clementiam pietatis vestrae confugimus: in qua insolitum et inauditum temporibus nostris divinum donum, quo vos Deus respexit, ac mirabiliter ditavit, non ad usum nostri solius, sed multorum, Deo jubente, convertitis. Nos enim visis et auditis miraculis, quae Dominus per vos operatur, laudum praeconia, quamvis indigna, ei offerimus. Sed quia multociens Deum negligimus, multis tribulationibus atterimur, infinitis calamitatibus afficimur, innumeris angustiis subjicimur, et ne omnimodis desperantes pereamus, sicut necessarium, ita justum est, ut ad eos qui Deum toto corde diligunt, et optimam partem cum Maria elegerunt, confugiamus, et eorum consilium et auxilium quaeramus.

A veridicis siquidem personis relatum est nobis, quod quaedam de errore Catharorum [1]) scripseritis, quemadmodum illa in visione secretorum Dei vidistis; quae ut nobis transmittatis, omni devotione expetimus; quoniam divinae ostensioni et responso magis credimus, quam humano. Sanctis itaque orationibus vestris nos commendamus, petentes ut quidquid vobis sponsus vester Dominus Jesus de his revelare dignabitur, nobis bona voluntate, sicut vos decet, scribi faciatis. Valete.

X.

Hildegardis de Catharis. [2])

Praestabilita quadam chronotaxi, expositoque Isaiae loco, invehitur in Pseudocatharos, quorum describit mores et errores, conversationem damnat et detestatur.

a. 1163.

Mense Julio praesentis anni, qui est millesimus centesimus sexagesimus tertius [3]) Dominicae incarnationis, aspiciens a longe, vidi in umbra verae visionis, sub altare, quod est ante oculos Dei, et etiam vidi sub thronum Dei. Et vidi quod viginti quatuor seniores, qui in circuitu sedis sedent, vitreum mare quod in conspectu sedis est, movebant, et dixerunt:

[1]) Vetus Manichaeorum colluvies tunc temporis erupit in Catharos illos et Albigenses qui paulo post, omnes Gallias funestare aggressi sunt. Favente Germanico schismate Frederici Ahenobarbi adversus Alexandrum III, non mirum eos usque ad Rhenana littora pullulasse, tamque Hildegardis vaticinia quam Moguntinorum monachorum formidinem excitavisse. Ad tempora quae Hildegardis infra satis accurate recenset, facile spectant quae aliunde referuntur, scilicet zizaniam seminavisse Petrum de Bruis circa initium XII saeculi, Henricum apostatam monachum in medio saeculo errores propalavisse, damnatos quidem in concilio Lateranensi, a. 1179, sed crebrescentes obstinatius per Longobardium, Galliam, Flandriam, unde invasit dioecesim Coloniensem, quibus obstitit S. Hildegardis cum Elisabeth Schonaugiensi. Cf. inter alia Acta. SS. April. t. II, p. 562, t. III. p. 686, 687. Nominis etymon aliis graecum est, aliis germanicum aut flandricum.

[2]) In cod. eod. Wiesbaden. epist 266 in eodem catalog.

[3]) ab illo anno 1163, paulo infra respicitur ad annos 1149 et 1105, in quo temporis spatio recte dicitur Catharorum venenum fuisse sparsum. Sed ob seriem harum epistolarum vereor ne legendum sit *septuagesimus tertius*

Moveamus vanas fundationes illorum, qui injustitiam suam pro justitia ponere volunt; et moveamus scintillas ardentis injustitiae illorum, qui dicunt se populum regere, et non regunt; atque moveamus fistulas varietatis squalidorum morum et deauratas chordas illusorum et schismata schismatum.

Antiquus enim leo rugit, volens in medio praedictarum scintillarum ardentis injustitiae volare: sed hoc modo non erit.

Advocemus Antiquum, in quo omnia genera nascentium et omnes creaturae dinumeratae sunt; et inspiciamus gladium, qui in ore loquentis apparuit; et videamus in quo bilibres tritici et hordei sint; atque consideremus tubam, quae ante primum vae canit.

Et per juramentum istorum, et per virtutem illius qui in throno sedet, collum antiqui leonis vinciamus, et freno eum constringamus, ne ante tempora temporum, et dimidium temporis, et ante quadraginta menses, mare post mulierem in desertum fugientem emittat. [1])

Nam viginti et tres anni ac quatuor menses sunt, [2]) quod a perversis operibus hominum, quae ab ore nigrae bestiae efflantur, quatuor venti per quatuor angulos angulorum in magnam ruinam moti sunt, cum eadem opera supra eos ascendebant: ita quod in Oriente vicissitudo squalidorum morum efflata est; et in Occidente blasphemia et oblivio Dei in sanctos ejus, per famam vituli et per culturam idolorum sanctum sacrificium cruciando; [3]) et in Austro odiosorum vitiorum, atque in Septentrionem phylacteria vestimentorum secundum tortuosum serpentem dilatata, quae cum omnibus praedictis malis postea supervenientibus contaminata sunt.

Sed tamen sexaginta anni sunt atque viginti et quatuor menses, [4]) quod antiquus serpens cum phylacteriis vestimentorum populos deludere coepit.

Nunc autem innumerabiles sancti Dei, qui sub altare sunt, voces suas elevant, clamantes quod aspersio corporalis cineris eorum per iniquitatem populorum violata sit; unde de sono ipsorum ventus flat, qui miracula nunc facit.

Sed qui supra nigrum equum sedit, sibilos contrarii venti illac illac [5]) errando emittit, sed non praevalebit.

Et iterum antiquus draco contra sanctos in iracundia surgit, supra pennas ventorum se elevando, et dicit: « Quid est hoc? illud quod est: et similes [6]) eorum constituerunt, ego destruam. »

Et responsum illi dant: « *Quis mensus est pugillo aquas, et coelos palmo ponderavit? Quis appendit tribus digitis molem terrae, et libravit in pondere montes et colles in statera?* [7]) Nam nos in statera Dei mensi sumus, in quo omnia facimus, per igneam scintillam, quae ad faciem ejus lucet. Tu autem in oculo tuo ignem ad urendum habes, et ex ipso flammam educis, fere usque ad locum primae constitutionis tuae. Et hoc contra Deum, et contra coelos, et contra omnes qui in coelo habitant, facies. Sed non adhuc. Cum vero Deus coelos palmo ponderavit,

[1]) Respectu ad Apocal. XII, 6. — [2]) Scilicet a. 1139 circa medium. — [3]) *Cruciando* vox lectu ambigua in cod. et apogr. — [4]) ab a. 1163 reflectitur ad a. 1101, fere ad ipsa Hildegardis incunabula. — [5]) *illa, illa* cod. — [6]) fort. *et quod simis.* — [7]) Is. XL, 12.

tunc ardens mons super collum tuum cadet, atque omnis fortitudo tua omnino destruetur.

Sed de throno canticum novum tunc dabitur, ac oculi qui undique omnia videndo et intuendo aspicient.... [1]) Tu vero in voracissimo gutture tuo tempus vorandi nondum habes, unde per thronum Dei et per omnia indumenta ejus conjuratus, ab hac insania tua cessa. »

Vos autem, populi et gentes, audite Spiritum vobis dicentem: Antiquus serpens per medium vestri in auricula sua turres [2]) facit; scilicet cum illis qui Sadducaeis similes sunt, et similes illis qui Baal Deum nominant, et justum Deum non cognoscunt, ita quod arte deceptuosi spiritus, eis interdum quasi scintilla apparet, videlicet aut nigra, aut turbida, aut lucida et localis, quae mox evanescit, et hoc diabolicum et deceptuosum est: quoniam deceptuosi spiritus quatuor elementis et omnibus viribus eorum se similes interdum faciunt, quia primum hominem superaverunt.

Quod autem a Deo est, ibi sapientia et prophetia est, ac occulta ostensio in alienis rebus quae ad hominem non pertinent, quia Deus incomprehensibilis est. Isti autem homines, de quibus Diabolus in auricula sua turres facit, similes cancro sunt, qui ante et retro incedit; et similes scorpionibus, qui cum ignitis caudis in occulto vos figunt, ac pessimo veneno crudelis infidelitatis vos interimunt, quos Diabolus velut quibusdam divinis praeceptis interdum invadit, quae sua voluntate quaerunt, quoniam imago Dei sunt; et hoc ideo facit, ut eos tanto facilius postmodum illudendo decipiat.

Hi etiam similes quibusdam magnis volucribus sunt, qui propria ova sua dispergendo abjiciunt. Et dicunt: Projiciamus hoc a nobis, quia venenosum est.

Hi sunt qui prima principia negant, scilicet quod Deus omnia creavit, et ea germinando et crescendo procedere jussit.

Hi sunt qui Dominicum principium negant, scilicet quod ante antiquitatem dierum apparuit, quoniam Verbum Dei homo fieri debuit. [3])

Hi sunt vobis pejores Judaeis, [4]) qui caecos oculos modo habent ad videndam igneam formam, qua in sancta Divinitate nunc homo splendet, qui tamen post longum tempus aestimabunt se videre justum, quousque Deus illum igneo flagello percusserit, in quem considerabant. [5])

Hi sunt etiam sulphurei montes igne mixti cum nequissima bestia, quae os suum contra Deum aperiat, et contra coelum, et contra omnia quae [6]) in coelo sunt.

Et sunt etiam viscera ejusdem incongruentis bestiae, quae excipit et expuit pessimam immunditiam, et praecedunt eam, amplectendo spurcitiam ac nequitiam omnium malorum per viam errantium, sicut prophetae Dominum prophetaverunt, in via salutis, eum ostendentes cum omnibus virtutibus justitiae, quae digitus Dei

[1]) Suspenta serie, aliquid f. exciderit. —
[2]) *turres* dubia vox apogr. sed infra recurrit.
[3]) Quod sane non sensu Scoti Cathari intelligebant. — [4]) *Judaei* W. — [5]) Vix omnia integra sunt, sane obscura, ut quae spectant ad futura Antichristi tempora. — [6]) *omnes quae* W.

inspiravit et docuit: sicut et Diabolus blasphemia et nequitia et mendacio omnium malorum istos imbuendo replet.

Nam antiquo serpenti in initio ruinae suae, clavis quam se habere putavit, dejecit: sed nunc in semetipso deputat, quod haec nequissimae bestiae clavis ejus sit, ita quod cum ea omnem voluntatem suam perficiant. Sed in illa omnis fortitudo ipsius omnino conteretur.

Nunc vos, populi, qui purissimam fidem habetis, Deum suspicientes, audite vocem illius qui erat, et qui est, et qui venturus est, vobis dicentem: Audite verba sacerdotum, qui justitiam meam tenent et servant, et in quorum auribus haec verba mea tonabunt, et qui etiam haec verba in nomine meo ad vos dicent. Atque cum clamantibus vocibus, eorum praefatum immundum et profanum populum a vobis projicite; et cum asperis et duris verbis eos cruciate, et eos omnino in expulsionem ducite, atque in infelices catervas et speluncas eos ex toto effugate, quia volunt vos seducere.

Et hoc etiam idcirco facite, ne sitis a Deo anathematizati, et ne pax a vobis fugiat, quoniam magistri et sacerdotes, reges et duces et principes coram Deo vocari non potestis, quandiu istis habitacula vobiscum datis: quia civitates et villae vestrae destruentur, et praedia vestra propter hos criminosos homines diripientur, si vobiscum permanserint.

Nunc laus Deo sit, qui super thronum sedet, et abyssos intuetur, et qui omnes coelos in dominatione sua tenet.

Et Spiritus Dei dicit: Qui verba ista audire et intelligere neglexerit, nec eis credere voluerit, gladius Verbi Dei cum magna tribulatione illum occidet.

Et mox in eadem visione audivi terrentem vocem ad me dicentem: Haec quae vidisti et audisti, scribe, et ea sacerdotibus Ecclesiae, qui purissima fide Deum colunt, celeriter transmitte, ut illa ubique in circuitu suo populis praedicent, ita ut ab his diabolicis artibus se observent, ne inter eos radicem ponant et pereant.

Sed ego, paupercula forma, deinde plurimis diebus infirmitate oppressa, langui, ita quod super pedes meos pleniter stare non potui, quousque haec scripturae commendassem.

XI.

PROOEMIUM VITAE S. DISIBODI. 1)

Exordium accipitur ab angelorum perditorum ruina, tum describitur salutis oeconomia sub patriarchis, deinde sub Evangelio; commendantur consilia monachis et virginibus data; memorantur Ecclesiae persecutiones; deflentur novissima tempora, quibus emendandis jubet inserviat scripta vita S. Disibodi episcopi.

a. 1170 - 1173.

Congregationi sancti Disibodi Hildegardis.

I.

Cum creaturae per jussionem Dei processerunt, plurimae stellae, quae innumerabiles in lumine tunc fuerunt, cum illo qui Lucifer erat, ceciderunt, et nox mortis illis cadentibus praeparata est. Sed planetae, scilicet angeli justitiae, qui flamma ignis sunt, cum Deo perstiterunt, [2]) et inextinguibili igni, qui vita est ministrabant. Tyrus vero flammam habet, quam ventus movet; ita quod eadem flamma flagrando apparet. Sic in voce verbum est, et verbum auditur. Et ignis flammam habet, et Deo laus est. Et ventus flammam movet, et Deo laus est. Et in voce verbum est, et Deo laus est. Atque verbum auditur, et Deo laus est. [3])

Quapropter et omnis creatura laus Dei est. Qui non timet, non amat; et qui non laudat, non operatur. Et timor ignis est, et charitas ut flamma se dilatat.

Et sic creatura laus est, et homo opus est. Si autem creatura non esset, homo operari nesciret. Sed creatura in jussione Dei processit, et consilium hoc in Deo fuit, quod hominem ad imaginem et similitudinem suam fecit.

Nam cum cadentes stellae Deum non laudaverunt, nec opera ejus narraverunt, nox mortis ipsis scripta est, quia vitam neglexerunt, et opera Dei noluerunt; unde etiam ad nihilum computati sunt.

Tunc Deus magnum hoc consilium in semetipso habuit, quod fortitudini suae nulla adversitas credentium praetulerit; atque praevidit, quod in feminea natura opus tale facturus erat, quod nec angeli, nec homo, nec ulla alia creatura ad finem perducere possit.

[1]) Ex eod. cod. epist. 282 in catal. — Ignota aut neglecta hactenus fuit prolixa praefatio ad Acta S. Disibodi. quae tam Bollandiano collegio quam nostro Mabillonio displicuere. Hujus autem prooemii ipsa caligine tetrica id saltem efficitur, ut totius opus, quale editum est, ex eodem ore credatur effusum: ac frustra timuere Bollandiani, ne spuria tantum et apocrypha ad nos pervenerint. Superest quaerendum utrum Hildegardis historiam texere voluerit, an potius homelitico more loca communia exponere in die festo, jubentibus fratribus, quae postmodum temere inscripta fuerint *Vita S. Disibodi*. Quae prodiit primum apud Surium in die 8 Julii, tum integrius in Act. SS. Julii t. II, p. 581, tandem in Parisiensi *Patrolog.* t. CXCVII col. 1095. — [2]) *praestiterunt* apogr. — [3]) Exordium, sapit cantilenam caeteris mox edendis similem.

Cum enim Deus hominem plasmaret, cadentes angeli cum fallaci opinione hominem adierunt, sicut et ipsi fallaces erant, et sic homo mortalis factus est.

II.

Tunc Deus in Abel planetas praevidit, qui cum ipso perstiterunt: [1]) quod est laus angelorum et hominum; et in ipso fundamentum sacerdotalis officii et templi sui posuit, quapropter et mors illum in corpore occidit; sed de Abel usque ad haec, omnes filii hominum quasi lac sugentes, in recta scientia dormitabant.

Noe autem arcam jussione Dei aedificavit, in qua Deus praesignavit, quod hominem in partem laudis suae, quemadmodum angelos, servaverat.

Abraham vero magnum caput obedientiae fuit, quae collum antiqui serpentis per circumcisionem vulneravit; per quem Deus ipsum confudit, quia homini moechiam infuderat: quam Virgo contrivit, quando unicornem in sinum suum collocavit, [2]) qui per antiquum consilium in utero Virginis carnem induit.

Moyses quoque Legem scripsit, quam obedientia per mortificationem carnis ostendit, in qua seductor qui ipsam vulneravit, confusus est, et ejus dolositas in qua hominem per superbiam deceperat, per mortificationem carnis fidelium finita est.

Sed et Abraham et Moyses, quasi duo planetae incarnationis Filii erant, quemadmodum et planetae velut flamma ignis sunt. Abraham enim Christum praevidit; Moyses sua opera in creaturis fecit, scilicet boves et oves atque hircos offerendo, et in oblationem carnis creaturae oblationem Filii Dei praesignando.

Hoc definitum est, quando Virgo in carnem cepit, et quando Deus eburneam turrim, sicut decuit, fecit, quod purum virginale opus est, in quo opus magni consilii perfectum est, videlicet quod Deus homo est. Nam quia mulier, audita. [3]) verba serpentis, totum mundum obumbravit, mors illam intravit. Et sicut infans debilis facta est, atque omnis creatura de imbecillitate illius in fortitudine et honestate sua debilitatem incurrit.

III.

Sed Deus magnum consilium in ipsa ordinavit: tanta videlicet miracula, quae nec angelus, nec homo, nec omnes creaturae capere possunt: scilicet, quod Virgo in lumine solis antiqui consilii casum mulieris in bonum mutavit; [4]) et hoc Deus ad confusionem Diaboli fecit. Qui feminam deceperat, ipso nesciente quid in illa venturum esset, sicut nec Deum recte cognovit: unde et ab omni felicitate repulsus est. [5])

[1]) *praestiterunt* W. Incipit obscura allegoria de planetis mysticis, quae apud Hildegardem nullibi comparet. — [2]) De unicorni cf. supra *Liber vitae meritorum* p. 222 Interim erit qui rhythmos consonantes passim agnoverit. — [3]) *audita* aut active, aut in nominativo absoluto. — [4]) in arduo apogr. scriptum est fere *iteravit*. — [5]) Ibid. sat liquido *sepultus est*.

Deus namque creaturas jussione sua officiales fecit, praecurrentes hominem, ut homini servirent. Hominem autem deinde creavit, et opera illi injunxit, ita ut si bonum elegerit, Deus illum juvabit; vel si malo consenserit, Diabolus ab Aquilone insidias illi ponet, [1] quoniam homo duabus alis, scientiae videlicet boni et mali, rationalis est.

Verbum autem sine voce non est: nec vox rationalis sine verbo. Vox interdum auditur, et nulla rationalitas in ea cognoscitur. Verbum autem omnia utilia et inutilia cum voce nuntiat: ita et rationalitas sine scientia non est, quemadmodum nec homo sine visceribus.

Sed dicendum est, quomodo homo operari incipiat. Primum enim lac sugit, deinde mollem cibum cum anhelitu in se trahit. In tertia autem aetate, dentibus comedit; et in scientia quod vult, sibi eligit, et quod non vult, sibi abstrahit, et tunc juvenis est. Et postea ad aetatem senectutis currit, ita quod medullae ipsius omni scientia plenae sunt, et deinde lac et duas priores aetates non sentit. sed mutata aetas ipsum imbuit, ita quod veritatem cognoscit.

Sic ante Diluvium lac fuit; in Noe autem, mollis cibus; in Abraham autem, dentium comestio et cibi electio; sed in Moyse omnia puerilia opera finiebantur, quando per oblationem carnalis creaturae veritatem praenunciavit, et Filium Dei tetigit, in quo omnia priora finiebantur, et in militia [2] mutabantur, cum ipse vir plenae aetatis sapientiam et veritatem docebat.

Sed aetas virginis interdum in lascivia est: scilicet in vanitate lasciviae currit, et si virgo est, illud multociens in motibus et in moribus suis ostendit; sicut etiam si virgo non est, illud plurimis signis celare non poterit. Si enim virgo coelum aspicit, ita quod mundum veraciter relinquit, Filium Dei imitatur, et Deum attendit, qui serpenti dixit, quod caput ipsius per mulierem conterendum esset, quia initium ipsius parvum fuit, quod Virgo conculcare debuit, illa videlicet quae Filium Dei genuit.

IV.

Nam et a Filio Dei novum saeculum per aquam recuperationis [3] ortum est; qui etiam duos planetas ad se collegit, qui incarnationem ipsius ornabant, scilicet virgines et monachos, qui ante nativitatem ejus non apparuerunt; sed in nativitate ipsius orti sunt, eum ostendentes, quemadmodum matutina stella solem.

Unde signa et miracula tunc plenius quam prius resplenduerunt, quoniam ipse per humanitatem suam terram tetigit; et quod vox prophetarum prius erat, hoc nunc Filius Dei per semetipsum plenius operabatur, sicut scriptum est: *Speciosus forma prae filiis hominum,* [4] et sicut ipse occultus Filius Dei occulte in mundum venit, ita etiam alienam naturam ad se collegit, videlicet quod homines mundum et pompam mundi relinquunt. Sed et quemadmodum stella diversis personis ipsum demonstravit, et ut de ipsis personis totus mundus illustrabatur, sic a

1) f. *ponit* W. — 2) An leg. *meliora?* — 3) *recuperationis* vix legitur in apogr. — 4) Ps. XLIV, 4.

virginibus et a monachis Ecclesia prius ornabatur, quapropter et omnes populi ipsos quasi angelos narrabant, sicut et de ipsis propheta clamaverat: *Qui sunt isti, qui ut nubes volant, et quasi columbae ad fenestras suas?* [1]) Et eodem Spiritu, quo istud probatum fuit, etiam dictum est: *Virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel.* [2])

Sic in omnibus creaturis, Filius Dei per significationes paulatim ostensus est, quoniam sapientia non est praeceps, sed diligentius praevidet, ne in omnibus ordinationibus suis defectus sit: quod stultus homo non facit, qui secundum quod repente cogitat, repente operatur; et ideo opus ejus multociens recte non cognoscitur. Quemadmodum etiam in primo angelo factum est, qui in aestimatione honoris sui, velut in ictu oculi, in tenebrosum locum cecidit, ubi omnia ornamenta sua perdidit, et nigro ac inextinguibili igni se tradidit.

V.

Praefati autem planetae, in significationibus suis, cum magno honore et reverentia conversationis suae, usque ad tempus cujusdam tyranni cucurrerunt, qui consilium antiqui serpentis osculari coepit. Et tunc muliebre tempus fere primo casui simile venit, ita ut omnis justitia secundum infirmitatem mulieris debilitata est, et hoc tali modo supra medietatem suam decurret. Sed elephans [3]) cum magnis aerumnis justitiam vocabit faciendam, ut aliud tempus surgat, et sic utile tempus probitatis [4]) bellorum et justitiae veniet.

Nunc autem ad ammonitionem populi hujus loci haec omnia dicta sunt: scilicet quomodo religio ipsius incoeperit, et quis status ejus nunc sit, et qualis futurus sit. Locus enim iste in ardente sole [5]) tanta fortitudine spiritalis populi exortus est, velut saeculo huic mortuus esset; et etiam in tanta simplicitate, quod saecularem populum cum charitate ad plenitudinem inspectoris Dei capere non potuerunt, unicuique secundum qualitatem illius non occurrentes, sed rigori conversionis suae inflexibiliter instantes. Prius in eum velut ignis fuerunt, et non in flamma circuierunt, et duri ad alium populum erant, quia coelum sicut aquilae inspiciebant. Postea ad meliorem partem acceleraverunt, et sicut cervus ad fontes aquarum, de virtute in virtutem ascendentes, cucurrerunt, et lumine charitatis Deo et hominibus lucebant. Et quoniam in ardore Dei ardebant, idcirco laus Dei in populo erant, quemadmodum planeta flamma ignis est.

Tunc populus eos velut nobilissimos lapides, scilicet topazium, smaragdum, saphirum, et hyacintum cum laude narrabant; quoniam in meliorem partem se paraverunt; et quia de virtute in virtutem ascenderunt, et se in charitate dilataverunt; et quoniam per activam vitam in hospitalitate et in eleemosynis, ad omnes et ad montem Sion aspiciebant, unde et omnibus filiae Sion nominati sunt.

Sed et in obedientia mortificationis carnis cum Abraham operabantur; et in

[1]) Is. LX, 8. — [2]) Is. VII, 14. — [3]) Ad Physiologum, uti supra de unicorni, transit allegoria, alludens ad elephantem lapsum, clamore socios vocantem. Mox cod. *justitiam vocabit faciem, ut*... sed quo intellectu? — [4]) An sensu *probationis?* — [5]) In apogr. *solea*, vel *stolas?* Cf. n. VI.

suavi odore regulae cum Moyse pompam saeculi relinquentes, propter humilitatem incarnationis Jesu Christi, se viles ad saeculum fecerunt. Sed postea pallida nubes vanae gloriae atque superbiae super ignem bonarum istorum ascendit, quemadmodum nubes solem obnubilat, ita ut vix videatur. Ideoque quaedam tempestates super eos venerunt, quae eos straverunt, sed iterum aliquantulum surrexerunt; sic videlicet quod propter pallidam nubem vanae gloriae atque superbiae, ignis ibi vix videbatur, qui est disciplinae et bona consuetudo regulae.

VI.

Unde etiam tam ad mores spiritalium quam ad mores saecularium destinabantur [1]) et hoc fere usque nunc; modo autem usque ad genua incurvati sunt, quoniam in utraque parte ordinationis sapientiae defectum habent. Coelum enim a laude recte ordinatum est, et terra justitiam operando recte constituta est. Coelum et terra sicut anima et corpus sunt; et terra desiderat quod non laudat, atque inter utrumque haec tali modo pugna est, quamvis instrumenta Dei sint. Corpus enim propter gustum carnis peccatum appetit, anima vero hoc undique prohibet, et tamen unum instrumentum Dei sunt.

Sed hi ad quos sermo iste est, pompam saeculi atque punctum conversationis suum unum esse dicunt; sed hoc in sapientia non est. Ipsi enim hoc ita esse volunt, sed ita esse omnino [2]) non potest. Quapropter usque ad genua incurvati sunt, velut Samaritani incurvabantur, qui legem habere voluerunt, et alienum Deum adoraverunt. Unde isti operibus his, velut pallida nubes, obnubilati sunt, ita quod ardens sol bonae intentionis regulae in eis non apparet; et ideo magnae tempestates injuriarum super ipsos cadunt: scilicet quod servi illorum sunt, quibus propter servitium Dei in honore dominari debuerunt, sed illis famulantur; quoniam ille ardentem solem in eis non videt. Homo enim factus est, et opera habet; virtutes autem laus sunt, et eas homo in Spiritu Sancto ad dexteram operatur; ad sinistram vero cum diabolica turba ad Aquilonem tendit.

VII.

Audite ergo: Ignominia quae virtutum inimica est, uno pede, simili pedi arietis, inter vos ambulat, ubi ad genua incurvati estis. Sed probum militem attendite, et illum imitamini; qui enim [3]) coram inimicis suis super genua ceciderit, gladio tamen se defendit, et ita multociens resumptis viribus, laudabiliter surgit.

Studete itaque, ut inimicos vestros gladio occidatis. Gladius enim vester est obedientia. Et regulae praeceptorum negligentia atque superbia et oblivio conversationis vestrae, a quibus hoc modo devicti estis, quod etiam vix super genua statis.

Attamen tempus pressurae et destructionis, videlicet ponderis illius, quo uva in torculari premitur, nondum venit. Sed tamen nunc vilissimum tempus est;

[1]) *destinabant* W. — [2]) *omnia* W. — [3]) *eum* apog.

quapropter ad priora tempora aspicite, et in quali honore fuissent, considerate, et ab inimicis vestris vos defendite, et Deus vos adjuvare non recusat.

Tempus enim bonae intentionis et conversationis quandoque veniet, et ad primam auroram aspicient, [1]) et saeculum pro amore tunc relinquent; ad Deum anhelabunt, et sic in bono perseverabunt.

Et tunc de ipsis clara voce populi in Spiritu Sancto dicetur: *Vox turturis audita est in terra nostra.* [2]) Quod est: Vox heremitarum et hujus mundi peregrinorum, tam fortiter in coelum aspicientium, quod arctam viam, quae ad coelum tendit, ire volunt. Et hi omnia transacta et praeterita, quae vel prospera vel adversa fuerunt, inspiciunt, quatenus praecaveant quomodo acerrimo accipitri se surripiant, quemadmodum columba ab isto fugit, cum ipsum in speculo aquae viderit.

Nunc iterum audite: Inter vos tamen aliquod lumen lucidum et igneum, sed cum vicissitudine; adhuc est lucidum quidem in bona voluntate, igneum vero in timore Domini, cum aliqua tamen stulta dispersione. Ab nigra autem foeditate, quae Deo et hominibus contraria est, et quae etiam cor Diaboli est, custodite vos, quia cum his qui in peccatis istis sunt, Diabolus in fortitudine omnis voluntatis suae jaculatur.

VIII.

Itaque ego, misera et paupercula forma, in mystica visione, qua ab infantia mea a Deo edocta sum, haec verba in magnis aegritudinibus vidi, et audivi, et ut ea in loca vestra viva voce proferrem, jussa sum. Sed vos ea non contemnite, neque abjicite, ne super terram moriamini; sed Spiritus Sanctus aedificium suum in vobis perficiat, et in bono fine vos finiri faciat; quia locus vester in ea benedictione est, qua eum Dominus de communi populo ad servitium suum congregavit; sicut ab initio fecit, cum semper aliquos populos sibi in haereditatem servavit. Ab ignominia quoque, [quae] in duobus pedibus inter vos ambulat, vos observate; quoniam si hoc erit. Deus periculosa vindicta vos occidet; quod vobis nondum accidit, et ideo etiam in omnibus periculis vestris defensionem ipsius habuistis; sed cum proprietate [3]) voluntatis vestrae pleniter operibus finitis, quasi Deus a vobis inspiciendus non sit, tunc detrimentum vobis occurret, et adversa quae praedicta sunt, vobis aderunt. In mystica [4]) quoque visione, ut Deus voluit, propter petitionem et jussionem praelatorum meorum, scilicet Helingeris abbatis cunctorumque fratrum, in monte beati Disibodi Deo famulantium, de vita et meritis ejusdem beati Patris aspiciebam, et post visiones *Libri vitae meritorum*, anno Dominicae incarnationis MCLXX, regnante Frederico Romanorum imperatore, sub pressura apostolicae sedis, fere per triennium in lecto aegritudinis jacens ex divinae pietate sapientiae, vocem de coelo, vigilans corpore et animo, sic dicentem audivi: Electus Dei Disibodus etc.

[1]) *aspiciet* W. in apogr. — [2]) Cant. II, 12. — [3]) *proprietatem* W. — [4]) Hic incipit edita vita, apud Bollandistas, et ibi ita fert codex in margine: *Vita Sci Dysibodi epi.*

XII.

AD VITAM S. RUPERTI EPILOGUS.

Praemissis tribus de S. Ruperto canticis, in sequentibus celebrantur hominis creatio et reparatio post lapsum; adducuntur cum B. Virgine chori virginum et viduarum, Jesum natum salutantes; interposita in Diabolum invectiva, revocatur S. Rupertus, ad poenitentiam ut peccatores provocentur: miscentur quaedam vaticinia et lamenta, et vae; memorata salutis oeconomia, postremo mysticis monitis carmen absolvitur.

Ad congregationem sororum suarum Hildegardis. [1])

I.

Et quia beatus Robertus, vere beatus et vere sanctus est, haec in coelesti harmonia audivi et didici:

O Hierusalem, aurea civitas, ornata regis purpura...

(vide infra inter carmina n. LXXV.)

O felix apparitio... O beatissime Roberte...

(Ibid. n. XXXVII, XXXVIII.)

Et iterum audivi vocem de coelo sic in alio modo dicentem:

Primus sonus ita permansit, ut a Deo exivit; usque dum ipse genus humanum in Virginis utero reparavit. Et idem sonus vita fuit, ita quod non transivit, sicut ventus transit. Ipse quoque in tam magna voce subruit, ut abyssum tangeret; sicut etiam in novissima die omne genus humanum ex potestate denuo suscitabit, ut in prima die ipse exivit. Hoc est Verbnm quod testificatur Joannes, per quod omnia facta sunt [2]) in formis suis.

Et cum Deus fecit hominem ad imaginem et similitudinem suam; [3]) et animalia,

[1]) S. Ruperti Ducis vitam ab Hildegarde scriptam cum laude ediderunt post Joannem Busaeum, Nicolaum Serrarum, Bollandistae (*Maii* t. III. die XV p. 565), ex quibus transiit ad *Patrolog.* Parisiensem t. CXCVII col. 1081. Nunc vero quae accedunt auctaria, ex cod. maj. Wisbadensi excipiuntur, ubi inscribuntur sub num. 264 inter epistolas. De quibus quid dicam, haereo. Opinarer scripta fuisse circa annum 1170-1173, quia n. V invenio plura quae profecto respiciunt ad exposita sub num. II, in prooemio ad vitam S. Disibodi, in illo tempore scriptam. Quae summatim si considerentur, videntur quoddam varium ac scenicum programma carminum, concionum et colloquiorum, quae extra chorum in festo titulari Bingenses virgines, duce Hildegardi, exstatico oestu percita, frequentare solebant. Certe praeludium est ad carmina quae mox, haud sine grata varietate, resonabunt. Hic enim plura id genus jam praemittuntur, quae frustra alibi quaesieris. Tum plura germanicum schisma, hisce temporibus flagrans, respiciunt; alia ad quaedam locorum et gentium singularia facinora, cuncta multis obsita tenebris, quas alii discutiant. Nostra vero incipiunt in ipso finis articulo et verbo, ubi edita absolvuntur, l. l. col. 1092.

[2]) Joan. I, 3. — [3]) Genes. I, 25.

bestiae et pisces hominibus adsunt [1]). Nam et angeli et spiritus beatorum coram Deo sunt.

Sed in hoc quod Verbum a Deo exivit, Deus Pater Filium nominavit, et Verbum a Deo genitum vita fuit. Et Verbum per quod omnia facta sunt, incarnatum est in mundo.

Sic Deus voluit hominem conjungi, quia hominem sibi similem fecit; unde idem Vivens dixit, quod in prima aetate operatus sit, quod sibi placuit.

Postea quum ad mediam perventum est, ruina patuit: quid deinde sequitur, absconsum est. [2])

Vae! Vae! O vir praeliator, surge, require in justis judiciis tuis unamquamque causam, ut sine ruina sint.

O Verbum Patris, tu lumen primae aurorae in circulo rotae es, omnia in divina vi operans.

O tu, praescientia Dei, omnia opera tua praevidisti, sicut voluisti, ita ut in medio potentiae tuae latuit, quia omnia praescivisti, et operatus es, quasi in similitudine rotae cuncta circumeuntis, [3]) quae initium non accepit, nec in fine prostrata est.

Cum illusor Diabolus hominem decepit, quem Deus formaverat, in Deo vis erat, quae ipsi placuit; quam antiquus serpens per omnia scrutinia sua non cognovit, nec gustavit: quae est pulchra forma Filii Dei, qui Diabolum in abyssum superavit, et spiraculum hominis ad se ipsum traxit, et ventrem Diaboli divisit, [4]) ita ut per propria vulnera sua hominem, qui viscera illius transierat, ab ipso liberaret, et de claustris inferni tolleret, et eum denuo cum pennis candidae nubis ornaret.

Unde o tu, homo, gaude, quia Deus te fecit sic, quod vexillum militiae sanctae Divinitatis es; et per te victoriam perpetravit, cum claustra inferni fregit.

Sed et in tua formatione, in medio lateris orbis terrae fluxit, ita quod omnis angelica militia te vidit, et valde admirata est. Et ita te signavit cum coelesti symphonia, in angelica victoria, ubi formas virtutum in certaminibus tuis perficias.

Gaude ergo, o homo, et noli per ignorantiam te in irrisionem seducere, quasi in magnis honoribus tuis non sis: quia Deus te talem fecit, ut omnia miracula sua plenissime in te operaretur.

Nam cum mortis nebula attracta est in feminea forma, ita quod Eva in dolore omnes filios nascentium hominum in semetipsa de gaudio produxit, ubi in exilium ivit, quia serpens illam deceperat, de quo malum susceperat: deinde per aliam femineam formam abstracta est. Deus enim in Antiquo dierum praeviderat quod Diabolus per mulierem vitam suffocare volebat; et ita in sapientia tam magnam turrim aedificavit, ut aliam vitam per aliam mulierem proferret in castitate innocentiae.

[1]) *hominum assunt.* cod. apographum. — [2]) In continua codicis serie haud in promptu est cantica secernere a glossa, aut versus in rhythmico opere dividere, quod solo fere cantu a soluto sermone distabat. — [3]) *circuieunte* W. — [4]) *divid it* W.

Unde, o Sapientia, coelum et angeli te adorant, atque omnis coelestis militia miratur de te, dicens:

Oi! Oi! De limo terrae omnia ornata miracula Dei surrexerunt, ita ut novus sol procederet, et novum lumen refulgeret, et novum carmen in nos sonaret.

Quapropter, o Sapientia, laus tibi sit, quia aliam mulierem invenisti, quam serpens deludere non potuit, quae est Virgo Maria, quia omne genus humanum coronavit, ut Diabolus modo hominem deludere non posset, ut prius fecerat. Eva enim in dolorem omnem fletum conceperat; in Maria autem gaudium, cythara et symphonia sonuit. Ipsa enim ad Filium suum sic de virginitate dixit:

II.

« O Fili dilectissime, quem genui [1]) in visceribus meis de vi circumeuntis rotae sanctae Divinitatis, quae me creavit, et omnia membra mea ordinavit, et in visceribus meis omne genus musicorum in omnibus floribus tonorum constituit, nunc me et te, o Fili dulcissime, multa turba virginum sequitur, quas per adjutorium tuum salvare dignare, dicentes: In Deo ambulamus, et omnes te sequimur, angelicum ordinem colentes. De terra sudavimus, et te ipsum, o Fili, sanctae desponsationis, amplectimur, unde:

O dulcissime amator... [2])

(inter cantilenas n. LXVIII).

Sed et illas, quae post carnalem copulam te in amantissimo amore sequuntur, ab omni incursu sibi insidiantium descendere dignare, ad te sic clamantes: [3])

O magne pater....

(ibid. n. II.)

Et iterum vox de coelo dicebat:

O factura Dei, quae es homo, in magna sanctitate aedificata es, quia sancta Divinitas in humilitate coelos penetravit.

O quam magna pietas est, quod in limo terrae Deitas claruit, et quod angeli Deo ministrantes Deum in humanitate vident.

Sed o quam mira res est, quod cinis in putredine, et in magna miseria vulnerum criminum suorum ad Deum aspicere non vult! Verbum autem Patris propter hominem caro factum est.

Unde omnes homines gaudent, et in lacrimabili voce crimina sua plangunt, ad illum se convertentes, qui sine peccato carnem idcirco induit, ut crimina eorum abstergeret.

Nunc autem vos, o dilectissimi, hunc nobilissimum juvenem amplectimini, et in magna reverentia illum amate, qui vos in sanguine suo lavit, et qui vobis poenitentiam peccatorum et medicinam vulnerum vestrorum ostendit.

[1]) *Quae genui* W in apogr. — [2]) In marg. W. *Symphonia virginum.*

III.

Iterumque vox de coelo sonabat:

O tu, vile scamnum, fuge, fuge! Arduae scalae fumum dabunt aromatum.

Vae, vae terrenae causae. Nam ipsa abscondet se, quia vivens oculus qui videt, in maxillam eam percutiet.

Spiritus gaudet: O, o! Felix terra super se plangit: Ach! ach! Ipsa habet in hoc tempore fenestralia loca per illusionem antiqui serpentis, sed tamen venit scissura veli templi.

O virgo ecclesia...
(Ibid. n. XLVIII.)
Nunc autem gaudeant...
(Ibid. n. XLIX.)
O orzchis [1]) ecclesiae...
(Ibid. n. L.)

IV.

Et iterum vocem audivi de coelo dicentem:

O vis aeternitatis...
(ibid. n. I.)
Et: O cruor sanguinis...
(ibid. n. VII.)
O pastor animarum... [2])
(ibid. n. VI.)

Nunc, Pater, tibi placeat, ut digneris tuos liberare de miseria et languoribus suis. Nam et quidam de terra surrexit, qui in alto sonuit, scilicet lucidissima stella clarissima voce ad homines clamavit, ut poenitentiam de injustis operibus suis facerent. Deus enim memor fuit, quod hominem per poenitentiam de malis suis in alium modum recreare voluit.

Unde coeli audiant, et terra tremat, quod Deus hominem poenitentem suscipit, et quod omnes angeli illum in laudibus recipientes venerantur.

Et ideo vae homini illi qui hominem peccatorem spernit, quoniam Filius Dei illum in sanguine suo redemit, et poenitentem recipit. Primum enim opus Verbi Dei in voce ejus ipsi occurrit, et ita factum est. Deinde idem Verbum parietes statuendi aedificii posuit, et ita mundus apparuit. Tunc oculus Dei formam hominis inspexit, et spiraculum vitae in illud misit, et scientia cor illius imbuit. Et sic coelum plenum fuit, atque oculos undique habuit, et Domino suo ministravit. [3])

Tunc ach! rugiens, sic apud se dixit: Vae, vae! omnis creatura Dei fulminat, et nulla mecum est.

Et ita de ore suo quasi nigrum mare flavit, (quia corporalis non fuit), et ad

[1]) *Orzchis*, sic cod. fortasse ex *Lingua ignota* Hildegardis; quae tamen vox non occurrit inter glossemata paulo inferius posita. — [2]) Hic potius appellatus S. Rupertus quam S. Disibodus.
[3]) Diabolus in scenam ruit, aliquo notatus dramatico signo quod excidit.

hominem misit. Tunc Verbum Dei vidit, quia facturam suam nebula tetigerat, et in integram terram, scilicet in nobilissimam Virginem venit, de qua carnem assumpsit. Et ita de homine nigrum mare abstersit, et antiquum serpentem confudit.

Unde, o frondens virga, in tua nobilitate stas, sicut aurora procedit.

Nunc gaude et laetare, et tuos debiles dignare a mala consuetudine liberare, atque manum tuam porrige ad erigendum nos.

Ave, generosa...
(*Cantilen. n. LVIII.*)

Nunc iterum Ave.

O virga ac diadema...
(*Ibid. n. LVI.*)

V.

Et iterum audivi vocem de coelo dicentem:

Ecce, o aurea vis, quam gloriosa es, quae in primo sono existi, ita ut omnia elementa vitam susciperent.

Et quae postea sanctitatem in Abel gustasti, ita ut innocentem sanguinem funderet.

Et quae deinde per Noe in arca nova miracula ostendisti, ita ut omnis terra denudata sit a creaturis quae in ipsa fuerunt.

Tu, Sapientia, novum succum de terra edidisti, et in Abraham nomen sanctae Trinitatis adorari fecisti, et illi circumcisionem quae incarnationem Domini nuntiaret dedisti.

O stella, in tua claritate speciosum forma prae fillis hominum ostendisti, ita quod Magi Filium Dei lactentem adorabant, et quod de facie ejus virtutes clarescebant, ubi omnes filios hominum denuo vocavit, quia omnia elementa et omnes filii hominum Verbum Dei in facie hominis videbant.

Audi ergo, o homo, et dic: Aemulationem deleo. Contradictionem autem habeo in me ipso. Vae, vae huic malo, in quo me condemnavi.

Unde, o Deus, qui hominem ad imaginem et similitudinem tuam fecisti, et in illo omnia bona perfecisti, et omne malum in ipso contrivisti, et claustra inferni confregisti, cui et plurimas animas abstulisti, in meritis harum virium tuarum libera fideles tuos, qui plenum officium voluntatis suae perfecerunt, sed tamen interdum ad te in fine aspexerunt.

Et:

O ignis spiritus
(*Cantilen. n. LIII.*)
O ignei spiritus
(*Ibid. n. LIV.*)

VI.

Nunc iterum, o filiae meae, audite, et haec verba a vivente luce percipite, nul-

lam partem illius fuscationis habete,[1]) et vos in omnibus a malo observate. Nam sibilus Diaboli veniet, et sibilus multarum tempestatum.

Sed et adhuc in aliquo tempore Chaldaei infirmabuntur. [2]) Graeci robustiores efficientur. Romani [3]) cum caeteris Romanis silebunt, ut ardens ignis qui cadat. Et Galli tirones fient.

Sed haec omnia non semper. Et pars transeuntis saeculi in tribus partibus currit, in quibus reges et duces diluvium inquietudinum sustinebunt.

Et rex surget, magnum praelium colens, et non est qui illum adjuvet, nisi millenarius armatus numerus illorum qui praeputium non habent. Et sic homines fatigabuntur.

Locum autem vestrum, o filiae meae, Deus non destruet. Sed illos qui in vanitate et negligentia mendicant, ab eo fugabit, atque schismata et terrores abjiciet.

Quidam autem caeci et claudi, eum absorbere volentes, non praevalebunt, quoniam scintilla scrutationis illos excribrabit.

Unde mentes vestras similes facite homini aspicienti in hortum, in quo flores et pomifera crescunt, ut odorem eorumdem florum naribus capiat, et ut de eisdem pomis comedat.

Odor enim florum est, quod homo a peccatis abstinendo, bonitatem justorum imitari desiderat; pomorum autem cibus, ubi homo alios sibi subjectos fideliter regit, et ubi in gratia Dei eleemosynas egentibus largitur; ideoque et vocem Domini sui sic dicentis sibi audire promeretur:

Hic homo per officium suum me tangit, et per largitionem eleemosynarum in misericordia me ungit.

Iste inter duas vias stat, quarum altera putrida est, altera per solem lucens. Sed putrida via est voluptas saeculi hujus, quam quisque fidelis fugere debet, ne in illa suffocetur.

Quod dum fecerit, sancti Deum laudando symphonizant, dicentes: Hic in putredine voluptatis saeculi homo non est.

Qui vero in via solaris lucis Deum timendo et amando aspexerit, vocem Domini sui sic audiet: *Euge, serve bone et fidelis!* Sed qui ad putridam viam deviaverit, nisi inde se eripiat, periculum maximarum calamitatum incurret.

Laus itaque sanguini Christi sit, qui lorica justitiae et omni armatura virtutum fideles suos induit! Sanguis enim Christi fideles in locum refrigerii restituit.

Et tu, o Jerusalem, gaude, quia in passione Filii Dei vere credentes suscipis.

Sed et tu, o aurora salvationis, in beatitudine rutilas, quia Jerusalem filios suos in gaudio conservat.

Quapropter et angeli [4]) de ipsis vociferantur in laudibus, dicentes: Nos de operibus vestris in torculari vindemiamus, et ideo vos in societate nostra habemus, quam [5]) Lucifer fugit, velut coluber qui se in cavernam suam abscondit.

Spiritus Sanctus itaque inspiravit quosdam homines inter quosdam populos, qui nondum erant fraudulenti. O, o, o!

[1]) *habente* W. — [2]) Inde vaticinia et graphica de variis gentibus oracula, quae nemo fastidiose despiciet. — [3]) *Romane*, vox dubia. — [4]) Novum canticum ordiri videtur. — [5]) *quod* W.

Postea posuit Deus sapientiam in aurora. Ach, ach, ach!

Et fecit instrumentum in semetipso, scilicet magnum montem justitiae. He, he he! Nunc justitia montis facta est via, velut umbra, per gulosam viam errantium.

Sed tu, o fortitudo montis, non tamen omnino tu tabesces, sed in alta fenestra surges, cum multae aquilae aspicient in te.

O magna res, quae in nullo constituto latuit, ita quod non est facta, nec creata ab ullo, sed in se ipsa permanet.

O vita, quae surrexisti in aurora, in qua magnus rex sapientiam, quae in antiquo apud virum sapientem fuit, misericorditer manifestavit, quia mulier per foramen antiqui perditoris mortem intravit.

O luctus! Ach moeror! He planctus, qui in muliere aedificati sunt!

O aurora, haec abluisti in forma feminae castae.

O feminea forma, soror Sapientiae, quam gloriosa es! Quoniam fortissima vita in te surrexit, quam mors nunquam suffocabit.

Te Sapientia erexit, ita quod omnes creaturae per te ornatae sunt, in meliorem partem quam in primo acciperent. Unde

O viridissima...
(Cantilen. n. LIX.)

Haec omnia Eva contempsit. Nunc autem laus sit Altissimo.

O virga mediatrix...
(ibid. n. LV.)

Quid est hoc?

O quam magnum...
(ibid. n. XVI.)

O tu illustrata...
(ibid. n. XI.)

Audi ergo, o homo, hoc miraculum:

Ave, Maria...
(ibid. n. XVII.)

Quid est hoc?

O clarissima...
(ibid. n. XVIII.)

Nunc aperuit...
(ibid. n. XII.)

Quia ergo...
(ibid. n. XIII.)

O quam pretiosa...
(idib. n. XX.)

VII.

Audiat terra, tremant elementa. Qua causa? Quoniam primum ortum hujus Virginis omnis creatura cum gaudio suscepit, ita quod coeli quasi aurora rutilabant, propter manifestationem virtutum, et propter claram fortitudinem, quae in illis emicuerunt: quia sol veritatis in ista Virgine omnem sanctificationem animarum expiravit.

Ergo, o filiae meae, audite me, fontem vivum, dicentem vobis: Sancta et electa viriditas in vobis sit, et non facultas Diaboli, quae Deum in turpibus vulneribus derelinquit.

Haec verba bonus oculus videt, et bona auris audit. Sed lapidea mens ea non percipit, quae Deum derelinquit, et Diabolum amplectitur, magnam turrim in inferno aedificans.

O bona et recta desideria! Quantam claritatem habetis, ubi dulcis odor vester ad Deum ascendit. Valde durum est humano generi contradicere voluptati terrenorum. Audiant ergo filiae meae verba haec:

Primum malum, in temeritate decipiens, opus hominis suffocavit per mulierem, montem turrium, in lamentationem expulsum, in quo formae rectae affectionis apparere debuerunt.

Nam inimicabilis [1]) raptor ac fallax suggestor venit, et involvit affectionem illam in nigredinem veteris criminis, et in foeditate pollutionis, ita ut munda esse non possit.

O, o, o creatura! Ach, ach, ach mundo! He, he, he contrariae voluptati, quae in mortem incurvata erat, cum de coelo abscissa est, et in infernum posita, ubi eam Diabolus evomuit, cum innocentiam suffocavit.

Sed Filius Dei relinquit hanc umbrosam voluptatem, quae non potuit per lumen transire; et venit per aliam viam, ubi non erat fallax natura, et ita per eam surrexit innocentia.

Et sic eduxit filios Adae, de contraria voluptate natos, trahens eos ad se ipsum, per vulnera infixorum clavorum in instrumento ligni, frangendo ligaturam eorum: alii ligati erant in catena gustus mali operis, atque in mammona iniquitatis, et in dulcedine peccati... [2])

Ideo, o filiae meae, debetis vos semper cruciare in memoriam ejusdem Filii mei, propter fallacem tyrannum. Inter vos etiam non crescant sputa amarae iracundiae, et flagrans mens superbiae, nec vanitas quae scindit honorem sanctificationis, ne a me cadatis. [3])

Sed gaudium vestrum sit in me, et coeleste regnum sit merces vestra, et pax sancta sit inter vos.

O filiae Jerusalem, magnus medicus et summum studium boni vult vos apprehendere, et non est qui possit vos ab illo separare:

Unde, o tortuose illusor, quomodo, aut quo vadis, in incongruentibus casibus? In terrorem cades.

[1]) Haesit librarius meus, licet peritus, frustra suspicatus *invincibilis*. Apud Hildegardem *inimicabilis* non est sine exemplo. Exinde aut paulo post, sensim sine sensu pergit canticum in ore B. V. Mariae, tum ipsius Christi, ac si deessent in quodam dramate nomina personarum. — [2]) fort. plura desiderantur. — [3]) *nec a me cadatis* W.

VIII.

Et ego, paupercula forma, in pondere gravis aegritudinis valde gravabor, quia Spiritus Domini me constrinxit, et ut filiabus loci istius verba ista dicerem, mihi praecepit:

« Num existimatis quod pro convivio ciborum et potuum, et per lasciviam morum regnum Dei accipiatis? Non. Regnum enim Dei per macerationem corporis et contritionem mentis accipietis.

Mensam quippe meam, cum fulgore coronae meae, coram vobis paravi, ut regia convivia supernae haereditatis super illam efferatis, et manna, et bestias silvarum, et volatilia et malagranata.

Sed hoc non facitis. Nam in altera parte, affertis mihi quosdam saeculares mores observationis legalis disciplinae, in altera autem, disciplinam legis eorum, qui sub conjugio juncti sunt, quae a vobis non quaero, quia non hortum istum, sed in vineam meam electam vos elegi.

Et ego per octo annos [1]) haec patiebar; sed per quinque annos sub silentio tacui; per tres autem annos intus et foris illos flagellavi, qui in fulgore coronae meae inhonorabant me. » Quae omnia sic intelligenda sunt.

Nullus fidelium existimet per ingluriem ventris, et per effusionem voluptatum suarum supernam gloriam adipisci; quoniam qui illam habere desiderant, attenuationem corporis et pusillanimitatem cordis in bona voluntate, et non in acerba malignitate, arripiant.

Mensa [2]) quippe mea, cum fulgore coronae meae coram vobis parata, ut regia convivia super illam afferatis, angelos illos, cum fulgore coronae, scilicet miraculorum Dei, quae in multis miraculis hominibus refulgent, ita quod in eis multa mirentur, quae beate viventibus ad beatitudinem parata sunt, designat: qui diligentissima et sanctissima opera hominum illorum, qui eos in angelico ordine imitantur, Creatori suo offerunt.

Angeli enim reliquias operum saecularium hominum, qui secundum carnalia desideria vivunt, Deo non offerunt; sed horum qui carnalia desideria relinquentes, corpora sua propter Deum ad terram prosternunt, et laudibus Dei, sicut angeli, semper insistunt.

Manna autem obedientiam ostendit, quam Deus homini imposuit, ut Deo obediat, et ut praelatis suis, qui [3]) a Deo sibi proponuntur, subditus sit, et quam caeteris etiam creaturis infixit, quatenus utilitati hominis inserviant. Deus enim hominem fecit, nec homo seipsum creavit, et ob hoc spiritalis populus, ut angeli, per obedientiam Deo servire debent: quem Lucifer dispersit, et homini inobedientiam demonstravit.

[1]) Sex et decem annos pressurae eo loco memorat Hildegardis, nisi potius omnia sint mystico sensu intelligenda. — [2]) nota periodum, a longinqua voce *designat* suspensam, immo usque ad ultimum punctum *offerunt*, producendam. — [3]) *quae adeo* W in apogr.

Sed bestiae silvarum indicant, quod hi qui saeculo renuntiaverunt, saeculum cum omnibus pompis abjiciant; et quod sicut hospites et peregrini illi sunt, ita ut quemadmodum bestiae homines, sic ipsi omnem consuetudinem et omne consortium saeculi fugiant. Velut veri heremitae fecerunt, qui se saeculo clauserunt, ne mors per fenestras oculorum suorum intraret.

Volatilia vero, praecepta beati Benedicti et aliorum catholicorum doctorum sunt, qui in Spiritu Sancto hauserunt, et per quae homines sic, ut carnales non sint, vivunt.

Mala autem granata amorem Dei in cordibus eorum declarant, [1]) qui praedicti bonis et sanctis operibus circumdati sunt, et qui diligentissimas virtutes orando et flendo ad se colligunt; et qui verba sanctorum lambunt, vitam eorum imitando.

Sed hoc, ad carnalia desideria et negligentiam respicientes, non facitis; cum in altera parte, quae ad saeculum tendit, mihi affertis carnalium voluptatum diversitates, secundum observationem juvencularum illarum, quae mundo studiose et diligenter, velut disciplinatae, [2]) deserviunt, ut praefatum est. In altera autem parte, convertentes vos ad constrictionem et ad placitum variorum studiorum illorum, qui carnalibus copulis frequenter insudant, quatenus amantes amantibus placeant, quod nec dicto, nec scripto, nec mandato a vobis postulo; quia spiritali copulae adhaesistis, nec ad oculum famulantes, carnali amplexioni vos subjecistis: ubi non in vanam et mox cadentem floriditatem putredinis mundi vos cooptavi, [3]) sed in vineam verae electionis et verae beatitudinis induxi vos, quatenus in summa electione mercedem laborum vestrorum recipiatis.

IX.

Nam et ego per octo annos tolerabam, quod vanitate [4]) infantium facere incoepistis; et quod deinde in eadem vanitate propter malam consuetudinem ejus lusistis; et quod postea in aliqua parte ejusdem vanitatis peccastis: quia vanitatem hanc quasi eam ignorarem, [5]) per quinque annos sub silentio dissimulavi. Sed cum deinde quaedam ex vobis in maxillam, cum quibusdam signis suis, me percuterent, manum meam levavi, et per tres annos intra et extra locum earum [6]) diversis doloribus eas castigavi, et etiam aperto signo pinguedinem peccati ibi percussi, ubi in pulchritudine desponsationis neglectum sustinui.

In zelo enim eo, [7]) qui primogenita Aegypti percussit, et qui Pharaonem in mari rubro submersit, qui in multis signis, quae illi ostendebam, me sprevit, surrexi, et quemdam hominem prostravi, ita ut quasdam poenas peccatorum suorum videret, quasdam etiam sentiret, frigore videlicet et igne permixtas; et hoc

[1]) *declarat* W. fort. in singulari fem. sumitur *malagranata*, ut gallice *la grenade*. — [2]) *disciplinato* W. — [3]) fort. *coaptavi* W. juxta apogr. [4]) *vanitatem* W, fort. bene. — [5]) Cod. mendose: *quasi eam ignorantem*. — [6]) W *eorum*, ac postea *eos*. — [7]) f. *meo* W. — Multa hic nos fugiunt, quae viventibus tunc et audientibus perspicua erant.

feci illis ad ostensionem exempli, qui [1]) in plurimis signis, quae eis videntibus et audientibus ostendi, me cognoscere noluerunt.

Homo autem ille, quem in zelo meo flagellavi, et caetera quae in habitatione ista sunt, caveant ne de via mea recedentes, ad priores transgressiones revertantur; ne in rubro mari suffocentur, quoniam priora pati amodo nolo. Necesse est enim ut in meliorem partem surgant, quia Deus vult ne legem suam relinquant.

Nunc igitur, o filiae meae, ante cucituram pressurae illius quam in spiritali populo faciam, qui tunicam meam scidit, et qui mortem meam divisit, et qui pactum meum quod cum ipso pepigi, reliquit, ad me illico surgite (renunciantes) genti [2]) peccatrici, quae in viis putredinis jacet, et quae per lasciviam vitiorum semper impudica est, et quae per nimietatem vitiorum mammas [3]) porcorum sugit. Unde dicat:

O Domine, qui homini cibum et vestimentum providisti, et dolores illius in sanguine Agni abluisti, aspice quod niger ventus nos deridet, et germina sanctitatis a nobis excutere vult; et illum de medio nostri abscide, quia nondum venit tempus plenitudinis schismatum, cum omnis terra vestimento consecrationis denudabitur.

Nunc ergo, o filiae, videte et audite, et hunc periculosum ventum fugite, et ad regem vestrum currite. Et cum hoc feceritis, de beatitudine illa, quod Cherubim et Seraphim atque omnis ordo coelestis militiae aspiciunt in vultu Dei, fluant benedictiones super locum istum et filias ejus, quasi imber temporaneus et serotinus, [4]) atque virtutes in eis multiplicentur, et divitiae terrarum. Sed et omnes qui tibi benedicunt, multiplicentur in benedictionibus.

Et Deus locum istum inspiciat, nec ejus obliviscatur. Crescite ergo et multiplicemini super montem sanctificationis, et per sanctissimum donum Dei. Unde qui voluerit vobis benedicere, terra repleat eum in benedictionibus; et qui voluerit vobis maledicere, sit ille maledictus, ex justo judicio. Vos namque estis speculum meum. Sed quod cogitatis in cordibus vestris, in me est, quod volo in vobis proficere. Quid est hoc? Hoc est quod justum est. Donum gratiae Dei perfundat vos, ut non superemini ab inimico. Ergo non derelinquite me.

[1]) *Quae in plurimis* W. — [2]) *Surgite quae* *nas* ibid. immani sphalmate. — [4]) Deuter. XI, 14.
genti peccatrici qui sic meum apogr. — [3]) *Man-*

XIII.

Epistola domnae Hildegardis, magistrae coenobii sancti Roberti Pingentis, de excellentia beati Martini episcopi. [1])

Ex visione colligitur S. Martinum esse aequiparandum insignioribus inter prophetas, apostolos, martyres, confessores, pontifices, virgines, coelestesque spiritus; unde porro salubria monita deducuntur; tum monialibus attribuuntur ostensa per visionem rosae, lilia, balsamum, pigmenta varia, Guiberto autem cervi imago ascripta exponitur; postremo judicia Dei graviter intentantur.

a. 1177.

I.

Omnibus, reverendam beatissimi pontificis Martini memoriam devote excolentibus, Hildegardis.

Anno ab incarnatione Domini Jesu Christi MCLXXVII, [2]) quum infra octavas ipsius, scilicet sancti Martini, divinae contemplationi, quantum Christi munere poteram, insisterem, vidi pulcherrimam imaginem quasi hominis, de qua maxima claritas aurei et ignei coloris procedens, laeta in circuitu suo, lucidissimum splendorem ex se reddebat. In eadem quoque claritate apparebant rosae et lilia, et omnia genera pigmentorum, et etiam cervus, elevatus capite et cornibus, quasi ad currendum expeditus, et quodam fumo, velut ex lignis clibani ardentibus progrediente, circumdatus.

Et in hac ipsa visione revelatum est mihi, quod imago illa, quam cernebam, beati Martini esset; et immensa claritas, quam ex se reddebat, merita et meritorum ipsius sancti praemia ostenderet, qui dum adhuc viveret in mundo, quidquid in coelo nunc obtinet, emeruit, exteriorem hominem suum disciplinariter in cunctis regens, humilique et sincera mentis intentione, sicut aquila, directis in solem obtutibus, et velut Cherubim et Seraphim occulta mysteria Divinitatis, sua interpolatione, semper contuentur, ita et ipse humanam frequenter transgrediens possibilitatem, in Deum vivum aciem mentis defatigabat.

[1]) Inde incipiunt epistolarum auctaria sive opuscula ex codd. mss. bibliothecae regiae Bruxellensis excepta, et asservata inter Guiberti Gemblacensis opera, quae sub numeris 5527-5534 continentur, scripta manu fere coaequali, saec. XIII. Encomium vero S. Martini exstat sub num. 5533, f. 142. Idem quoque habet cod. 1513 Bruxellensis. Opus facile aestimabitur aut exaratum fuisse aut expolitum ab ipso Gemblacensi, ex nonnulla operosae limae industria haud sine pulvisculo, neque id ipse omnino dissimulat, ut infra plus semel colligetur.

[2]) Hoc circiter anno 1177, aut paulo ante, Hildegardis jam grandaeva iter sacrum perfecit ad tumulum thaumaturgi Turonensis. « Verosimilius est, inquiunt Bollandistae, post annum 1173, ibidem (in Gallia) fuisse sanctam. » Cf. *Acta* Sept. t, III d. XVII, n. 182. Eo autem opportunior videtur a. 1177, quod mense maio exstinctum est schisma, victo tandem Frederico imperatore et sublatis tribus Antipapis, Octaviano Guidone et Ioanne de struma; de quo Alexandri III triumpho gratulabunda videtur prophetissa adiisse basilicam Turonensem.

Per aureum vero praedictae claritatis colorem, pulchritudinem ordinatissimae voluntatis ipsius sancti Patris significari intellexi, cujus constantia per omnia directus, tanto sapientissimae conversationis fulgore resplenduit, ut gratiam prophetici spiritus adeptus, multis et occulta revelaret, et ventura praenuntiaret, ac per hoc in societate prophetarum merito computatur.

Porro igneum ejusdem claritatis calorem, hoc in illo figurari cognovi, quod ardore Spiritus Sancti repletus, et zelo justitiae accensus, in praedicationis labore et idolatriae dejectione, devotissimum se Deo et infatigabilem athletam semper exhibuit; et ideo tanta post beatos apostolos suo tempore miraculorum gloria illustratus est, ut exinde eis dignissime conferatur.

In quo scilicet praedicationis ministerio, pauper, mitis, esuriens et sitiens justitiam, misericors, pacificus, mundicors, et pro obtectorum [1]) suorum peccatis, lugens semper inventus: tam multiplices pro destructione fanorum et ararum eversione, dum errantes et lumine veritatis privatas Deo animas conaretur reducere, ab idolatris retulit injurias, ut consortium martyrum nemo recte sentiens ei ex jure neget competere, nec ideo vel manum ejus palma vacuam, vel caput corona martyrii frustratum quisquam putaverit, quod ex passione non occubuit, et quod in sanguine non lavit stolam suam; quia apud Deum, a quo potius voluntas vel intentio quam opus pensatur, merito devoti affectus totiens martyr effectus est, quotiens, si carnifex adesset aut persecutor, liceret pro defensione veritatis vel propagatione christiani cultus animam ponere, paratus stetit.

Nunc tamen haec idcirco dixerim, quod omnino aut carnifex defuerit, aut persecutorem ad eum trucidandum impetus animi saepe non impulerit: sed quibusdam id in eum perpetrandi et facultas oblata est et voluntas mutata. Sicut hi: quorum alteri, dum rejecto pallio, nudam percussuro cervicem obtulisset, ferrum ei de manibus excussum non comparuit; alter, dum gladium altius ad ictum extulisset, resupinus ruit, consternatusque divino numine, veniam precabatur. Et hoc modo dum idola destrueret, velut praedicationis exequeretur officium, mortem saepius evasit, Deo nimirum in hoc utilitati suae providente, ut illius contra adversarios doctrina meritis et exemplis diutius armaretur.

II.

Cui ex divina largitate doctrinali cathedra praesidenti, ex praedicto praedicationis officio, plurimam spiritualis posteritatis sobolem propaganti digne illius magnificae promissionis sententia potest cooptari: *Semel juravi in sancto meo, semen ejus in aeternum manebit: et sedes ejus sicut sol in conspectu meo, et sicut luna perfecta in aeternum, et testis in coelo fidelis.* [2])

Vere testis fidelis, qui semper memor illius apostolici: *Quid habes quod non re-*

[1]) In codice notatur supra lineam *vel per*, dein legitur *obtrectatorum*; mox, ne quid excidisse timeas, refer *multiplices* ad *injurias*, interjacente longo illo verborum ambitu, quo solet Guibertus exspatiari. — [2]) Ps. LXXXVIII, 36, 37, 35.

cepisti? [1]) cum esset *oliva fructifera, et floreret ut palma, et sicut cedrus multiplicaretur, plantatus in domo Domini,* [2]) nihil ex successu praedicationis, nihil ex gratia virtutum, quibus mirandus habebatur, nihil ex gloria miraculorum, quae per manus ejus fiebant, sibi imputabat. Sed dum in admiratione aliquid cum eo ageretur, conversus retrorsum, ut rivus, universa sua fonti ex quo hauriebatur, ex integro refundebat, dicens humiliter cum caeteris, coelestium munerum participibus: *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* [3])

In eo autem ordine, qui in coelesti curia ex puritate inviolatae confessionis et ex officio sacerdotali, cum aliis confessoribus et sacerdotibus, et quasi specialis et haereditarius, collatus est, inter summos atque praecipuos inclytus haberi sine cunctatione pronuntiandus est, [4]) eo quod ab infantia divina magis gratia quam humano persuasus magisterio, obsistentibus licet parentibus, ad gremium sanctae matris Ecclesiae confugiens, in ejus quam semel suscepit, sanctae Trinitatis fide et confessione, verbo et opere, usque in finem firmissime permanserit: et duplici functus sacerdotio, ut in altari ecclesiae pro sua et omnium fidelium salute acceptum Patri [5]) ex memoria passionis Filii ejus offerret sacrificium, prius seipsum omni genere virtutum exercitatum, spirituale holocaustum in ara cordis, in spiritu humilitatis et animo contrito, eidem Deo quotidie immolaverit.

Audiens siquidem Scripturam monentem: *Immola Deo sacrificium laudis, et redde Altissimo vota tua,* et auctori Scripturae alacri devotione respondens: *In me sunt, Deus, vota tua, quae reddam, laudationes tibi,* [6]) prius in seipso ex mortificatione carnis suae pro suis, si quae erant, commissis, holocausta medullata, deinde pro totius delictis populi in ecclesia libamina corporis et sanguinis Agni immaculati Christi, qui tollit peccata mundi, offerebat Deo sacerdos iste, licet vivens inter peccatores, ab eis tamen sublimitate coelestis conversationis longe distans, electus plane et sanctificatus ab illo sacerdotum omnium consecratore, quem sanctificavit Pater et misit in mundum, ungens illum oleo laetitiae prae consortibus suis, ut esset sicut juravit illi, *sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech, sanctus,* [7]) *innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus,* utpote *inter mortuos liber, et excelsior coelis factus, quia suscitavit eum Deus a mortuis, et constituit ad dexteram suam in coelestibus supra omnem potestatem, principatum et virtutem et dominationem, et omne nomen quod nominatur,* non solum in hoc saeculo, sed in futuro, *ut in nomine Jesu flectatur omne genu coelestium, terrestrium, et infernorum, et sit in omnibus ipse principatum tenens Jesus Christus, Dominus noster.*

[1]) I Cor. IV, 7. — [2]) Ps. LII, 10; IX, 13; XCI, 13, 14. Supersedebimus ab his locis morose recolligendis, quae plena manu Guibertus subinde effundit, neque etiam parce detorta. — [3]) Ps. CXIII, I vel 9. — [4]) *praenuntiandus* cod. apogr. Similia tacitus emendo. — [5]) *pati* cod. in apogr. — [6]) Ps. XLIX, 14; LV, 12. — [7]) Ps. CIX, 4. Hebr. VII, 26. Ps. LXXVII, 6. Act. III, 15, Ephes. 1, 21. Phil. II, 10. Col. 1, 18. Haud immerito de Guiberto dictum est Scripturas cum *semper in ore, semper in manibus habuisse.*

III.

Nec a florido virginum idem beatus vir Martinus seclusus consortio, in illo grege, candida ex incorruptione serta gestante, ut ait Severus, qui omnia ejus intima optime noverat: « Agnum ducem ab omni integer labe comitavit, » [1]) quoniam qui in benedictionibus dulcedinis eum ita praevenit, ut a primis fere annis ad divinam potius servitutem quam ad saecularem militiam, sacra illustris ejus spiraret infantia: et ei decenni, invitis parentibus, ad Ecclesiam confugiendi affectum indidit: identidem ei et velle et posse contribuit, ut in ipsa militia quam correctissimus exercebat, adeo integrum ab his se vitiis, quibus illud hominum genus implicatur, observaret, ut jam illo tempore, non miles, sed monachus putaretur; et *abnegans impietatem et saecularia desideria*, [2]) immunem se a spurcitiis carnis custodiret.

Super quo, videlicet quod virgo in aevum permansit, si de mea dubitatur assertione, fas non est ut de fide illius speciosae et unicae sponsae Christi, in qua nec macula mendacii, nec duplicitatis ruga est, ab aliquo dubitetur. Quae in multis vel locis vel conventibus suis, hujusmodi de illo responsorium concinens: « Martinus, [3]) sacerdos Dei, cui post apostolos tantam gratiam Dominus contulit, ut tres mortuos suscitaret, et alias virtutes praeclaras ostenderet, inter alios confessores et martyres fulget, ut rosa, in Gallia; » de laude tandem integritatis ejus versum hunc subjungit: « Corpore quidem virgineo, blandum habebat eloquium, gravis erat in moribus, et intenta mente coelo suspensus. »

Et hanc eamdem assertionem dator ipse et custos tanti muneris evidenter approbavit, in eo quod memorabilem illam eleemosynam divisae chlamidis, tam sedulo tamque jucundo laudis praeconio, in medio angelorum, ea circumdatus, consistens, gloriabundus extulit, ut diceret: « Martinus adhuc catechumenus hac me veste contexit. » [4]) Qui procul dubio nunquam in eodem quem pauper acceperat habitu, apparere dignaretur, nec factum idem tanto favore prosequeretur, nisi Martinus, in ejus exhibitione, et animo et corpore impollutus inventus esset.

Nec dubitandum quin post agnitum tam clarum operis sui Christi testimonium, religione ferventiori de caetero immaculatum se ab hoc saeculo custodierit: cum statim baptismum assecutus, nec longo post relictis omnibus, monachus factus, ut ei placeret, cui se probaverat, altera jam idem spiritali militia exercendus, nunquam se deinceps terrenis negotiis omnino implicuisse credendus sit.

Unde non solum de hujus quam in eo commendamus, splendidae virginitatis centesimo fructu, quem Deo cultore fertilis ejus terra protulit, in illa coeli republica dives habetur et inclytus; sed et pro eo quod voluntarie sacrificans Deo,

[1]) Sulpit. Severi *ep. II, ad Aurel.* Patrol. XX col. 179 C. Paulo supra et mox infra, plura passim insperguntur ex *Vita* n. 2, 3. — [2]) Tit. II, 12. — [3]) Responsorii initium legitur in Breviario Romano post lect. I. nocturni in die festo; caetera in priscis Galliarum Breviariis manserunt. — [4]) Sulpitius Sever. in *Vita S. Martini* l. l.

omnibus mundi et oblectamentis et rebus spretis, Jesum secutus, spiritali se paupertate [1]) constrinxit. Et hic profecto in claritate nominis, et variis Spiritus Sancti distributionibus non dico centuplum, sed plusquam millies accepit; et tandem in illo regno beatitudinis, cum senatoribus coeli, dignitatem judiciariae sedis obtinuit. Quapropter, non ut quibusdam indiscretis rerum vel meritorum aestimatoribus videtur, ex incautae devotionis adulatione, sed prorsus ex solido dignae laudis praeconio, Martinus signipotens, fulgore virtutum ipsa reverberare astra et diversa multorum complesse unus [merita [2]) existimatur.]

IV.

Atque ideo et apostolis et prophetis, ut compar eorum, pace sanctorum omnium, consertus esse, ab Ecclesia reverenter decantatur. Quare enim non merito illis et par et consertus in coelis esse praedicaretur, qui executione laborum non segniorum, et in acceptatione spiritualium charismatum, etsi non cum primis, tamen primis pauperior non invenitur? An quia Christum corporaliter, ut apostoli, aut non vidit, aut non secutus est? Plane si *fidelis* [3]) *sermo, et omni acceptione dignus, beati oculi qui vident quae vos videtis.* Sed non minor [4]) reverentia suscipientibus: *Beati qui non viderunt et crediderunt.* Hinc est et illud quod cum Domino a quadam diceretur: *Beatus venter qui te portavit, et ubera quae suxisti*, ipse sic respondit: *Quin immo beati qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud.* Prophetae et apostoli de fonte illo gratiarum primi quidem biberunt, sed non totum ebiberunt, et quantam invenerunt, tantam in eo copiam sequentibus reliquerunt. Proinde quoniam fons ille plenus semper manet, et inexhaustus quolibet tempore, quisque divina evocatione ad hauriendum excessit, tanto plus procul dubio exinde hausit, quanto capacius fidei hautorium [5]) attulit. Unde et Martinus secundum mensuram fidei, quam ei Deus partitus fuerat, suis diebus, strenue Deo in adoptionis spiritu serviens, et de plenitudine illa hauriens, tam copiosa rigatione inundatus et fecundatus est, ut miraculis innumeris, tamquam ex apostolis unus, coruscaret; et ex praedicatione sua uberes Deo fructus referens, praeclara lucra, ut apostolatus sui signa ex conversione vel salute multorum ostenderet, [6]) et momentaneum illud, quod in effusione sanguinis aut ex qualibet corporis interemptione fit, martyrium, multiplici et diuturno laborum exercitio, quo seipsum quotidie [7]) nimia vigiliarum et abstinentiae seu frigorum afflictione cruciabat, compensaret.

Et quoniam Ecclesiae certissima fides est, sanctos omnes pro diversis piae conversationis qualitatibus vel graduum distinctionibus, inter illa supernorum

[1]) Huc inseruntur verba, quae vix ac ne vix quidem extrico: *quantum fere venia (*aut *venio) alius construxit.* Sic apographum. Et paulo post *millies tamen accipit et in etc.* — [2]) quaedam exciderunt. — [3]) I Tim. III, 1. Luc. X, 23; XI, 27. Joan. XX, 29. — [4]) *non minori reverentia suscipiendus* cod. — [5]) *Hautorium* sic cod. Similia, non idem tamen, mihi Cangius habet, ut *Hauritorium, Hausitorium, Haustrum.* — [6]) *lucra, si apostolatus... ostendere* sic cod. in apogr. — [7]) *quod diebus* cod. quo cum luctandum est, una cum sesquipedalibus Guiberti periodis.

spirituum agmina, retributionis suae praemia sortiri, nulli dubium esse debet. hunc tanti nominis virum, sacerdotali claritate rutilantem, fide et meritis, ut cantatur, egregium, pietate, misericordia, charitate ineffabilem, caeterarumque virtutum cultu gloriosum, non solum inter unum, sed inter complures eorumdem beatorum spirituum ordines, gaudiorum pro meritis habere consortia: et specialius cum ejus aulae coelestis primoribus, qui Seraphim, quod incendium sonat, appellantur, censeri, eo quod igne Spiritus Sancti succensus, maxime inter omnia bona sua, praedictae charitatis semper ardore flagraverit.

Inde fuit, quod data latenter sua pauperi, et alia quinque nummis comparata, brevi atque hispida indutus tunica, dum nudis pene brachiis mysteria conficeret, globus igneus apparuit super caput ejus; ita ut in sublime contendens, longius collum crinemque flamma produceret; et quod, ut in scriptis beati Gregorii Turonensis archiepiscopi invenitur, [1]) in similitudine ignis mire flammantis, post transitum suum, quibus Deus et ipse voluerunt, saepe ostensus est: hoc nimirum, ut digne credi potest, per tam insolitum et insigne miraculum significante ejus habitatore Spiritu Sancto, Martinum et decertantem cum hoc saeculo, incendio charitatis in Dei et erga proximum dilectione vehementer arsisse; et nunc in regno beatitudinis quiescentem, inter praeclaros illos spiritus, qui summo vel principali Conditoris sui amore fervent, praemii sui sortem possidere. Et hoc lucidus splendor ex charitate imaginis quam superius vidisse me dixi, praecedens declarat.

V.

Sed ut, quod in caeteris semper facio, hujus quoque sequentia visionis scire volentibus edisseram, rosae quae in eadem claritate apparuerunt, illarum hujus nostrae congregationis sororum intentiones designant; quae ut Christi sint, carnem suam cum vitiis et concupiscentiis crucifigentes, [2]) spiritu facta carnis ne moriantur, mortificant; et in hujus agone martyrii robuste denegant seipsas sibi, quum, ut corpus suum dignam Deo habitationem exhibeant, propter amorem castitatis peccata vasis fictilibus domestica summo nisu devitant.

Lilia vero illarum rectas exprimunt affectiones, quae in viriditate fortissimae fidei, et in puritate simplicis et piae intentionis, bona quae possunt, incipiunt, et ad affectum perducunt, et nulla petulantia carnalis voluptatis candorem incorruptionis, quae proximum Deo facit, interim ipso opitulante, obnubilari permittunt.

Porro balsamum illarum indicat devotionem, qua justitiam Dei semper esurientes, et studiose in servitute ejus laborantes, nec foetore vitiorum, fallente Diabolo, implicantur; nec propter sublimitatem continentiae in mente sua perniciose exaltantur, sed efficaciter audientes vocem Christi dicentis: *Discite a me quia mitis sum et humilis corde*, [3]) et odore unguentorum ejus tractae, juxta illud: *Unguentum effusum nomen tuum*, [4]) *ideo adolescentulae dilexerunt te*, gressibus correctionis vitae post ipsum currentes, ut possint dicere cum Apostolo: *Christi bo-*

[1]) Hic plura miscentur Gregorii Turon. Sulpicii Severi, Venantii Fortunati, quae si excutere lubet, videsis multa olim a me congesta in *Historia S. Leodegarii*, p. 15 sqq. — [2]) Galat. V. 24. — [3]) Matth. XI, 29. — [4]) Cant. I, 2. —

nus odor sumus, [1]) ad invitandas alias, quod gratissimum est Deo, spargunt et ipse odorem bonae opinionis, de sanctorum morum probitate fervescentes. [2])

Diversa autem pigmentorum genera multiplicia, [quae] quidem sunt ordinata, illarum studia insinuant, quae instar illius laudabilis et fortis mulieris, matris Machabaeorum, femineae cogitationi masculinum animum inserentes, sollicita meditatione divina eloquia ruminant, doceri per ea cupientes, quomodo et praeceptis Dei instructae, et exemplis priorum informatae, carnalibus desideriis resistant; et qualiter contra iram, odium, invidiam, superbiam, jactantiam, et acediam [3]), vel caetera infirmitatis animae vitia, ne vel per illa corrumpantur, vel si languent, quomodo sanentur, quasi quaedam pigmenta, diversarum salubria virtutum adhibeant antidota.

VI.

Cervus etiam, [4]) quemque praedicto modo in claritate ejusdem visionis conspexi, cujusdam servi Dei piam intentionem figurat, cujus anima ad ipsum vitae fontem sitiens, et in lumine ejus lumen intueri desiderans, in viis justitiae bona operando velociter currere concupiscit, sed in eis adhuc inquietudine quadam et dubietate debilitatur. Proinde quicumque sit, expedit ei ut cum caeteris fidelibus audiens divinae Scripturae consilium dicentis: *Confortate manus fatigatas, et genua debilia roborate. Qui pusillo animo estis,* [5]) *mente convalescite,* omni tempore vias suas cogitet, et eas a Deo petat dirigi, ut, illo pedes ejus tamquam cervorum perficiente, et dilatante gressus ejus, non infirmatis vestigiis, persequatur inimicos suos, et comprehendat illos, et non convertatur, donec deficiant. [6]) Cumque victor evaserit, Deo victoriae gloriam vel effectum ascribat, non sibi, cantans cum gratiarum actione: *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad praelium, et digitos meos ad bellum.* [7]) Et illud: *Praecinxisti me, Domine, virtute ad bellum, et supplantasti insurgentes in me subtus me,* et caetera hujusmodi.

Tali namque devotione, sub potenti manu Dei humiliatus, ab eo exaltari merebitur, et proficientur gressus ejus in semitis Dei, in tantum ut expeditus a trepidatione, et voce illa cujuslibet in titubatione dicentis: *Mei autem pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei,* [8]) a recta justorum semita non moveantur vestigia ipsius, et impleantur in eo quod in hac eadem visione de illo consequenter intuita sum. Vidi siquidem quod praedicta clarissima imago, intentionem ejus approbans, in dulcedine magnae dilectionis, illam complectebatur, et dicebat ad eum: « Tu me tangis in aliqua parte imitando, nec possum non diligere simplicem imitatorem meum, et propterea in via hac qua gradieris, firmabo super te oculos meos. » [9])

[1]) II Cor. II, 15. — [2]) *fervescentem* cod. Mox videtur om. *quae.* — [3]) *accidiam* cod. — [4]) Aut ego fallor, aut cervus ille typus est ipsius Guiberti, qui suspenso pede paulatim totus et alacer cum cervo currit, sed ne nimium exultet, postmodum aspera monita et tremenda de superbis exaggerat et de divinis judiciis. — [5]) Isaiae XXXV, 3, juxta Italam veterem, quae identidem adhuc usque ad Hildegardis aevum, fort. et serius perennat. — [6]) Cf. Ps. XVII, 38. — [7]) Ibid. 35, 40, — [8]) Ps. LXXII, 2. — [9]) Ps. XXXI, 8.

Cervus vero ille, ad tantae sponsionis gaudium, fragrantiam dulcis unguenti emittebat, quod significare intellexi, quoniam idem Dei famulus, memor divinae illius sententiae: *Sacrificium laudis honorificabit me, et illic iter est quo ostendam illi salutare Dei* [1]), orationum et laudum votis (utinam tam sedulo quam frequenter!) occupatus, desiderio cordis loquens Deo, cum Psalmista: *Dirigatur, Domine, oratio mea sicut incensum in conspectu tuo,* [2]) et recolens ab Apostolo dictum: *Si spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis,* [3]) etiam ipse in studio mortificationis membrorum suorum quae sunt super terram, interdum affligere se intendit.

Proinde noverit quicumque hujusmodi est, quoniam secundum quod in psalmo cantatur: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies,* [4]) carnis quoque afflictionem, quia per vigilias et abstinentiam vel coercetur a delectatione, vel punitur post delectationem, idem ipse Deus valde approbat; et homini ad Deum anhelanti, et ne per vitia defluat, ita se constringenti, benigne compatitur, et ei cito subvenit. Disciplina autem hujus proficuae afflictionis hoc inter caetera maxime homini exercitato per eam confert, ut carnalibus desideriis consopitis, de reliquo anima vipereis morsibus non connodatur: et quod deinceps sobrie, juste et pie vivere satagens, in columbinos et simplices mores convertatur.

VII.

Et in eadem visione audivi vocem sic dicentem: *Domine, Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra!* [5]) Et hanc vocem, et hoc in medio allatam perpendi, ut Dei omnipotentis, qui et terribilis in consiliis super filios hominum, et gloriosus in sanctis suis, justa quidem, sed incomprehensibilia numquam discutiantur, sed semper timeantur judicia, qui dissipat cogitationes malignorum, ne possint implere manus eorum quod coeperant; qui dispergit superbos furore suo, et respiciens omnem arrogantem humiliat, et conterit impios in loco suo; qui dicit regi, apostata; qui vocat duces impios, qui non accipit personas principum, qualibus in Evangelio loquitur: *Vae vobis divitibus, qui habetis consolationem vestram; vae vobis, caeci duces caecorum; vae vobis legisperitis, qui tulistis clavem scientiae, ipsi non introitis, et alios qui introibant, prohibuistis,* [6]) et caetera hujusmodi. Et e diverso, moerentes erigit sospitate, *solvit compeditos, illuminat et caecos,* medetur contritis corde, ad humilem et pauperculum et trementem sermones suos, respicit; qualibus autem dicit: Beati pauperes, mites, misericordes, insecutionem patientes, et multa in hunc modum. Et qui postremo de persecutoribus et adversariis defensores et magistros parat Ecclesiae suae; de peccatoribus et criminosis justos facit et sanctos, ut in Paulo, Zachaeo, Matthaeo, Maria Magdalena evidentissime probatum est, et aliis quam pluribus scelestis et publicanis, quos conversos in diebus carnis suae suscipiebat, et se sequi et convesci sibi, Pharisaeis murmurantibus et reprehendentibus, patiebatur; ut impleretur quod de

1) Ps. XLIX, 23. — 2) Ps. CXL, 2. — 3) Rom. VIII, 13. — 4) Ps. L, 19. — 5) Ps. VIII, 1. — 6) Luc. XII, 24; XI, 52. Matth. XXIII, 16. Ps. CXLV, 7 etc.

eo Simeon justus praedixerat: *Ecce hic positus est in ruinam et resurrectionem multorum in Israel, et in signum cui contradicetur,* [1]) et quod de se testatur ipse: *In judicium veni ego in hunc mundum, ut qui non vident, videant, et qui vident, caeci fiant.* [2])

Justissima ergo et tremenda severitas et diligenda benignitas Redemptoris nostri pronunciatur, qui et ad terrorem superbientium peccatores, a quibus longe est salus, et quibus multa debentur, flagella in ira dispergit, et ad laudem et gloriam mirabilis nominis sui et ad consolationem humilium, poenitenter praevenientes faciem ejus in confessione, nec in seipsis, sed in eo sperantes, misericordia [3]) circumdans, clementer suscipit. Nec solum vel Ecclesiae suae incorporandos, vel sanctis sociandos recipit; sed et de his aliquos, quasi aurum rude terrae obscuratum, in camino tentationis igne tribulationum diutina probatione conflans et examinans, in tantum roborat et expolit, ut eidem Ecclesiae maximum plerumque et fulcimentum et ornamentum ope virtutis et doctrinae praebeant, inter eos per indulgentiam computati, quos ab infantia usque ad finem ab omni criminum labe immunes divina clementia custodivit.

Dent itaque omnia opera ejus mirabili nomini Domini magnificentiam, qui universa juste solus ordinans, et obstinatos per judicium damnat, et resipiscentes per misericordiam reparat, et ambulantes in aequitate debitae retributionis et laudis bonis nunquam privans, gloriose per gratiam coronat.

VIII.

Cujus scilicet Dei et juste judicantis, et pie miserentis, beatus Martinus, ex ejus munere simplex et rectus imitator, et strenuus ex officio pastorali vicarius, ita se erga subjectos juxta tripartitae praedictae distinctionis rationem exercuit, ut et rebelles justitiae meritis ultionibus coerceret, et moerentes pro peccatis aperto pietatis sinu susceptos refoveret, et quos rectos corde et opere nosset, ex multa mentis mansuetudine et humilitate superiores sibi arbitrans, omni veneratione dignos censeret.

Et hoc cum tanta discretione, ut et ex inoffensa aequitatis qua dirigebatur norma, Deo ipsi placeret, et de sibi commissis, quos exemplo et verbo dirigebat, ad praemii sui cumulum, plurimum Domino fructum resignaret. Pro quibus omnibus inter summos coelestis aulae primores, multipliciter illum ab eodem Domino Deo munerari, nulli fidelium dubium esse debet.

Ista de magnitudine meritorum seu praemiorum beati Martini, quibus cum omnibus fere sanctorum choris commune aliquid habet, in claritate viventis et veri luminis mihi ostensa, suadente quodammodo charissimo ejus veneratore, vobis qui sedulo ipsius vel memoriam recolitis, vel patrocinia expetitis, breviter quantum ad rem tantam attinet, conscripsi, ad hoc videlicet, ut his incitati, alacrius et promptius conversationis ejus, in quibus poteritis, sequamini vestigia, quatenus et intercessionis ipsius ubi necesse erit, consequi valeatis suffragia, illo

[1]) Luc. II, 34. — [2]) Joan. IX, 39. — [3]) *misericordiam* cod.

vos semper adjuvante prae omnibus, qui dicit: *Ecce venio cito, et merces mea mecum est,* [1]) reddere cuique secundum opera sua, cui est honor et gloria in saecula saeculorum. Amen. [*Cf. infra epistolarum appendicem*]

XIV.

Hildegardi Guibertus Gemblacensis [2])

Missam prius epistolam memorat, cum quaestionibus quarum poscit et exspectat solutionem, et alia quaerit de Hildegardis visionibus, tum de libro *Scivias*, caeterisque ejusdem scriptis et se modestissime cum alio quodam commendat.

Circa mensem Augusti a. 1177.

Reverentissimae in Christo et matri et Dominae Hildegardi Wibertus, servorum Dei ultimus, venienti sponso inter sapientes virgines, ornata lampade, paratam inveniri.

Missis nuper litteris ad praesentiam tuae beatitudinis per sororem Idam, [3]) ego et qui in partibus nostris sunt amici tui, intenta spe praestolabamur super his de quibus quaesieramus, responsa dignationis tuae. Sed illa revertente ad nos, spem nostram non omnino quidem frustratam, sed ad cumulum gaudii consolationis nostrae dilatam esse, ex verbis ipsius comperimus. Retulit enim te, et litterarum nostrarum salutationem grataner accepisse, et seriem ipsarum saepius jussu tuo tibi recitatam intendisse diligenter, sed responsionem quarumdam quaestiuncularum mearum, quas vel litteris ipsi, vel viva voce ejusdem latricis [4]) earum tibi nobis aperiendas intimavi, distulisse, donec exorata Divinitas, quid super his respondendum esset, revelare dignaretur. Innotuit etiam nobis aliquibus ex ipsis quaestiunculis, statim ex facili respondere potuisse, sed propter illas quas tuo sensu determinare nolles, his ad praesens rescribere noluisse; verum id potius ordinasse, ut transacta solemnitate Assumptionis perpetuae Virginis, si secundum signum quod dederas, certum nuntium mitteremus, utrarumque nobis insimul responsio abs te dirigeretur.

His auditis, etsi ad modicum propter dilationem contristati sumus, tamen propter uberiorem laetitiae fructum, quem ex responsis tuae sanctitatis praescripta mulier nobis pollicebatur, affluenter exultavimus, gratias et supernae dispensationi et tuae benignitati humiliter exsolventes.

Interea cum instante praefata solemnitate, dum, quem ad reverendam tuae dulcedinis praesentiam possemus mittere, sollicite inquireremus, nec facile propter occupatum ex messe tempus quisquam occurreret, ecce improviso mutata voluntate et consilio, cum id antea prorsus renuisset, dominus Sigerus de Wau-

1) Apocal. XXII, 12. — 2) Ex eodem cod. Bruxellensi fol. 147. — 3) Excidit prior Guiberti epistola, in qua paulo ante miserat ad Hildegardem XXXVIII quaestiones, de quibus infra. Editis vero hisce quaestionibus hactenus praefixa est epistola tempore posterior, et quae ad alias Villarensium monachorum interrogationes pertinet. — 4) *ejusdem latius*, sic meum apogr.

ra, vir nobilis, amicorum tuorum apud nos consistentium praecipuus, directo nobis uno ex clientibus suis, indicavit se ipso die Assumptionis Matris Christi iter [1]) ad te pergendi inchoaturum, et meas, si scribere tibi vellem, litteras oblaturum.

Egi gratias pii amici benevolentiae, et maxime Deo, cujus nutu mihi gratis occurrebat, quod vix cum labore et sumptu per me solum persequerer; statimque in saepe dictae vigilia festivitatis, praesentem ad te adorsus sum scribere epistolam, plurimum deprecans, ut quod in priori oblivio quorumdam [2]) intercepit, nobis nunc cum illis quae in illa positae sunt quaestiunculis, reserare digneris: videlicet, utrum dormiens in somnis, an vigilans per excessum mentis, visiones tuas contempleris; et an revelatione divina, an ornatus causa, virginibus tuis coronas gestandas imposueris; et quid in ea, quam in ipsis esse audivimus, diversitas insinuet; quid etiam alicujus libri tui titulus, id est *Scivias*, scilicet *Sciens vias*, an aliud melius aliquid interpretari possit; et utrum alios aliquos libros conscripseris, per fidem quam Deo debes, exorata sis, quatenus haec mihi cum aliis quae in priori epistola interrogavi, enodare non graveris.

Salutant te officio meo [3]) amici tui, hic apud nos commanentes, nihilominus et in hac, sicut in anteriori epistola, ut apud Deum pro necessitatibus eorum intervenire digneris, deprecantes.

Maxime autem oro et obtestor, per nomen et amorem Jesu Christi, ut pro me exiguo servo tuo preces et vota ingemines, ut eo circa me misericordia Dei appareat gratiosior, quo mandatis ejus inobediens et factus inutilis, ego ipsi sum obligatior. Nam sensualitatem sequens, bestialiter hactenus vivo, ordine sacerdotis et habitum monachi sine puritate sacerdotali et obedientia vel humilitate monachili gerens, judicium majus incurro, psallens in choro, seu sacris altaribus assistens, plerumque turpia et noxia, semper autem otiosa revolvens; nec praesentissimam Dei majestatem, nec angelorum ejus aspectum plene revereor, in medio hostium praesertim spiritualium et periculosissimo loco constitutus, ut deses et torpidus, nec paro resistere, nec saltem arma attentare praesumo: decem millium talentorum debitor inconsulte securus, nec rationem quam judici inde positurus sum, nec vincula, nec carcerem exactoris, quae pigros manent, [4]) reformido.

Ora itaque Dei omnipotentis misericordiam, ut me salubri timore correptum, ipsa et tot et tanta pericula mea et intelligere et intellecta pertimescere compellat, pactum meum cum carne mea vel vita praesenti, male dulcoratum, aliqua medicinali amaritudine confectum dissolvat; coactum licet et compulsantem ad se faciat confugere, confugientemque aperto indulgentiae sinu suscipiat. Ora etiam, ut simul illum familiarem meum, de quo in superioribus litteris, suppresso nomine, te monui, ab ambitu terrenorum compescat, et ad superna appetenda gratia Sancti [5]) Spiritus accendat. Vale in Christo, mater reverenda.

[1]) *item ad te* cod. — [2]) *quaerendum* ib. — [3]) *offero meo* sic id. — [4]) *manet* ib. — [5]) *sui spiritus* ib.

XV.

Guiberto Hildegardis. [1]

Respondet Hildegardis superiori epistolae, charitatem egregie describit, Christi militem hortatur, monetque se solvendis quaestionibus allaborare, dolentem de obitu Praepositi S. Disibodi.

a. circiter 1177.

Guiberto monacho Hildegardis.

Charitas, quae cum abstinentia peccatorum fidem instituit, et castitatem cum patientia aedificat, columnae quae quatuor parietes [2] domus sustinet, similis est. Ipsa enim charitas plantavit hortum valde gloriosum, cum pretiosis aromatibus et nobilissimis floribus, rosis et liliis, [3] quae suavissimum odorem spirant, in quibus verus Salomon oculos suos pascere solebat.

Hortus iste virtutes sanctas designat, quas Deus, qui vera charitas est, in virga Jesse operatus est, Maria videlicet, quae in castitate floruit, et nobilissimum florem protulit. De flore vero isto vox turturis audita est, [4] quae virginalem naturam vocaret, [5] quam lilium significat, quod in suo stipite candidos flores cum fragrantia gratissimi odoris emittit, sicut et ipsa virginitas propter dulcissimum odorem bonae famae [6] in mundo honoratur.

Eremitae quoque, sive monachi, qui propter Christum saeculo renuntiaverunt, sine societate saecularis pompae vivere debent, sicut virgini [7] post votum sine omnium virorum memoria vivendum est, quia virgines et monachi inter angelicos ordines iidem sunt; quoniam sicut angeli nihil aliud quam faciem Dei inspicere desiderant, sic et ipsi, omnibus pompis saecularibus abjectis, Agnum Dei, Christum scilicet, crucem ejus bajulantes, sequuntur, in quibus propter verum contemptum saeculi, rutilantes flores passionis Dominicae generant.

Nunc, o fili Dei, in valle verae humilitatis positus, in quiete bona sine elatione ambula, quae revera [8] praecipiti monti assimilatur, difficilem et velut impossibilem ascensum vel descensum praebet, [9] praeter ipsum montem, confragrosum gradientibus, in cujus summitatis nimium periculosò culmine, nullum construi potest aedificium. Homo namque qui tentat altius ascendere quam possit, ille nomen sanctitatis absque securitate possidet; quia sine bonorum operum soliditate, per solam inanem et ineptam mentis laetitiam gloriatur. [1]

[1]) Sigerus de Waura, a Binga reversus, has Hildegardis litteras ad Guibertum retulit, Partem priorem jam plures ediderunt *(Patrol. l. l. col. 1039)*. Eam emendatam rescribere par erat cum posteriore appendicula, quam nobis servavit cod. Bruxellentis fol. 155. — [2]) *quatuor partes domus* edd. — [3]) *rosis et aliis qui,* mox *spirabant* edd. — [4]) Cant. II, 12. *vero* edd. om. — [5]) *vocavit* edd. — [6]) *bonae intentionis* edd. — [7]) *virgo* cod. Aliter edd. *Sicut virgo post votum sine memoria viri; quia virgines* etc. quod videtur recentior emendatio. — [8]) *in quiete ambula, sine elatione quae praecipiti monti assimilata.* edd. — [9]) Pergunt edd. *praebet innitentibus, et in cujus summitate nullum aedificium patet. Homo enim.* — [1]) edd. *possidet, quia solo nomine sine aedificio bonorum operum et quadam inepta laetitia mentis gloriatur. Tu enim.*

Tu autem gloriosissimum hortum, quem charitas plantavit, aspice, et numquam virtutem in vera humilitate et simplicitate cordis ad te collige: et licet inter homines, varias mentes et diversa studia habentes, constitutus sis, [1]) disce tamen quoniam longanimiter et patienter omnes nos divina bonitas tolerat. Fuge etiam inconstantiam pigri servi, qui hodie uni domino, cras alteri servit; et gladio verbi Dei viriliter accingere, exemplo fortissimorum militum, qui lectum veri Salomonis ambientes custodiunt; mentis quoque tuae sinceritatem, cum vigilantibus oculis, Deo omnipotenti, ne in dubio dormire incipias, iterum commenda. Et esto probus et dilectus agonista [2]) veri Salomonis, quem pro victoria quotidianae pugnae diligit et coronat. Spiritus Sanctus igne sui amoris te accendat, ut in amore servitii sui indeficiens perseveres, quatenus vivus lapis coelestis Jerusalem quandoque fieri merearis. [3])

De quaestionibus vero, quas mihi solvendas misisti, ad verum Lumen prospexi, obsecrans ut de rivulo vivi fontis ad bibendum ab ipso mihi daretur; quatenus aliquas solutiones rescriberem, [4]) quamvis infirmitate corporis mei usque adhuc laborem, et a lacrimis nedum temperare valeam, quoniam baculum consolationis meae non habeo. Cum tamen magnum gaudium de anima ipsius habeam, quoniam de mercede ejus secura sum, et licet tanto, ut dixi, solatio destituta, et disponendis monasterii nostri utilitatibus occupata sim, tamen quantum per gratiam Dei possum, in praefatis quaestionibus enodandis laboro.

XVI.

Hildegardi Guibertus Gemblacensis. [5])

Quomodo recepta Hildegardis epistola fuerit, quomodo lecta a Guiberto et cum multis communicata, singulis suam sententiam promentibus, fuse exponitur, quocumque tandem tempore fuerit epistola recepta.

Fort. a. 1177.

Serenissimo mihi semper affectu suscipiendae et dominae et matri meae H. G. suus, perennem et mentis et corporis a Deo salutarium nostrorum salutem obtinere.

In litteris, quas ad beatitudinis tuae dignationem primas direxi, cum quaedam abs te quaerenda vel tibi intimanda proponerem, super quibus rescriptum tuum desiderabam absolute pronuntiari, nullam mihi ad te proficiscendi aliquam spem [dixi] suppetere. [6]) Quod utique tam nude, hoc est sine alicujus honestae excusa-

[1]) *et licet inter varias hominum mentes constitutus sis* edd. — [2]) *dilectus miles* ib. — [3]) Caetera nova omnino sunt, quae omnia superiori epistolae satis apte respondent. Immo adhuc mutila videtur ep. XV. — [4]) Praeparavit igitur, nondum vero absolvit Hildegardis solutionem propositarum quaestionum, quae infra referentur. Operae pretium esset noscere diem obitus Praepositi Vulmari, de quo hic sancta dolet, ut exactius epistolae tempus statueretur, cf. num. XVII. — [5]) In cod. cod. Bruxell. f. 149 a tergo ad f. 152. — [6]) *Dixi* aut quid simile desideratur. —

tionis velamine animo non protulissem, si jam tunc aliquod propositum vel deliberationem expetendi te haberem, ne me pusillanimitatis, seu diffidentiae ipsa mea verba arguerent. Scio enim et certus sum [quod] quae impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum, cui protinus cum voluerit, subest posse. Proinde verba praedictae cunctationis, non quasi de opitulatione divina diffidens, quae etiam nescientibus saepe contulit perutile, sed incertus adhuc utrum hoc attentare mihi iter expediret. Multiplici namque experientiae magisterio edoctus sum, insipientium voluntatum mearum saepe Dominum benigna dispensatione [1]) obviando, male conantes impetus consumpsisse; et e contra, jacentem animi mei segnitiem, adhibitis argumentis quibusdam, me aliorsum nitente, ad utiliora revocando inflammasse.

Quod [2]), mater reverenda mihi, et ipsius gratia et tuis meritis, prae exultatione attonitus, confiteor accessisse. Nam me de te nihil expectando [3]) tractante, vel saltem aliquid cogitante, ipse qui abundantia pietatis suae et merita supplicum excedit ac vota, et nonnumquam adjicit quod oratio non praesumit, ita credo, mihi expedire sciens, visitandi tibi opportunissima simul et occasione et facultate oblata, ad hoc ut voluntatem indidit, et desiderium accendit. Et audi breviter quali rerum consequentia.

Communis amicus vir, dominus Sigerus, vir expectabilis genere, sed expectabilior evidentissima in Deum devotione, per quem secundas tibi nostras destinavì litteras, [4]) reversus a tua sanctitate, vix unam noctem sustinuit, et ecce sequenti diluculo, equo mihi per familiarem puerum, quo [5]) ad eum eveherer misso, me ad se accersivit. Sed eo ad horam non invento, rescriptum tuae dulcedinis per eum abs te mihi destinatum, a socia thori ejus, ferventissima Dei cultrice, Elizabeth, cum reverentia gratulabundus accepi. Suspicatusque [6]) quod verum erat, aliquid venerabile et magnificum in eo contineri, et ut totam animi mei fluctuationem aperiam, verens nimium ne furor divinus malis meis irritatus, aliquid in me exitii per os tuum vel ad praesens effunderet, vel minaretur in posterum, idem rescriptum tuum, non nisi oratione praemissa, legere praesumpsi.

Proinde proximam domui ingressus ecclesiam, chartam rescripti [7]) ejusdem super altare deposui, et procumbens oravi Spiritum Sanctum, ut et lectione ejus me dignum efficeret, et hebetudinem [8]) cordis mei ad capienda quae legissem, acueret, et si quid peccatis meis exigentibus immineret periculi, precibus sanctorum evadendi exitum ostenderet.

Deinde resumens illam, legensque bis vel ter in silentio, prae ammiratione dictorum quasi alteratus, et pene factus in extasi (nam super vires meas quae dicebantur, et magis vox Spiritus vel lingua angelica quam hominis videbatur) Patrem luminum, qui de tenebris dicit lumen splendescere, medullitus benedixi, qui tantis animam tuam implevit splendoribus, ut, sicut in epistola hac subtiliter discernis, gemino quodam ineffabili et interminabili lumine, altero jugiter, hoc est

[1]) *benigna dispensatione Domini* B cod.---[2]) *Quod et* cod. cum copula bis infra. — [3]) *expectanda* id. Mox plura recoluntur ex Missali memoriter. --- [4]) Nempe superiores sub num. XIV. — [5]) *quod* cod. --- [6]) *suspiratus* id. in apogr, --- [7]) *rescripsi* cod. --- [8]) *hebetitudinem* id. et iterum alibi.

sine interpolatione vicissitudinis, altero cunctis vicibus perfundaris. [1]) Nempe speciali praerogativa inter feminas nostri temporis, ad diffundendam salutarem laetitiam in corde tuo, signatum est lumen Dei super te. [2])

Vere, domina mea, singularis [3]) hac dumtaxat parte gloria tua. Nam excepta illius eminentia, de qua ortus est sol justitiae, qui in splendoribus sanctorum ex utero Patris ante luciferum genitus est, quae et ob hoc merito porta perpetuae lucis, marisque stella praefulgida nominatur, hac, inquam, excepta, a saeculo non est auditum, ut in alia aliqua sexus femineus, per quem mundo tenebrae mortis effusae sunt, majoris privilegio muneris insigniretur, tantisque irradiaretur fulgoribus.

Nihilominus et pro alio charismate, tibi coelitus collato, grates exsolvi munifico Salvatori, qui tantam in labiis tuis diffudit gratiam, ut verborum et doctrinae tuae stillicidiis, in quibusdam suis partibus irrigata area Ecclesiae, laetetur germinans, et condigno fructu respondens, Domino dante benignitatem, pro pluvia hac voluntaria, quam segregavit Deus haereditati suae, hymnum dicat nomini ejus, qui tuum quoque nomen ita magnificavit, ut non deficiat laus tua de ore hominum.

Postremo etiam tuae dulcedini, Deo te commendans, non ingratus extiti: quae me juxta cordis mei votum, ut ex verbis tuis apparebat, inter speciales amicos indignum et non merentem loco praecipuo collocare dignata es; adeo ut reserato mihi sacrario lucidissimi pectoris tui, modum et qualitatem illustrationum tuarum manifestius quam hactenus alicui, ut ab his qui scripta tua legent, innotesceres, aestimatur. [4]) Sed profecto petitionem meam et largitionem tuam in statera tua justa et non dolosa appendisti, aequum judicans ut oculo charitatis cubiculum panderes charitatis, et ad participium exultationis in arcanum illud jucundum induceres, non exploratorem, sed dilectorem gaudii tui, in me et hoc impletum iri volens, quia pulsanti aperitur. Quidni tunc exultaret in Domino cor meum, et os repleretur jubilo? quidni gauderent labia mea? cum specialiter mihi missa et corde volverem, et ore loquerer, et labiis pronuntiarem ea verba, quae nec ex te, nec ab ullo homine, sed in superna solummodo visione comperisses.

Interim tamen ex admiratione tui ad considerationem mei ipsius recurrens, non modica urebar verecundia, et prae timore concussa, palpitabant praecordia mea cum istinc et infirmitas conscientiae, et morum inconstantia, illinc me talia legente, publice audirentur verba tua, quibus moestum Dei vel servum vel filium, seu probum militem persalutabas. [5])

Parcat tibi omnipotens Deus, venerabilis mater: quid est quod imposuisti mihi, inepto et segni? Videris ergo quo spiritu ista protuleris. Nam in me, ubi apparent haec? Quae si quis alius profecto de me loqueretur, mendacium vel adulationem reputans, non sustinerem. Nunc autem tuis sermonibus, a superno, ut asseris, fonte manantibus, contradicere non audens, inter hoc quod audio et sentio de me,

[1]) Fateor hic non solum respici superiorem epistolam, sed aliam nondum editam, quae memoratur in vita Hildegardis, lib. III, n. 11. cod. — [4]) *aestimatur innotesceres* id. — [5]) *persaltabas* aperte apogr. Cf. *probum militem* in n. XV. *Patrol.* col. 93. — [2]) Ps. IV, 7. — [3]) *singulari*

ipso agonis patior discidium. Tamen quia te non velle, non posse mentiri credo, quomodolibet mea se habeant, fiat mihi secundum verbum tuum: videlicet, ut juvante Domino, strenuo famulatu servus, pia imitatione filius, et quia militia est vita hominis super terram, convalescens de infirmitate, et fortis factus in bello, adversus vitia et incentores eorum daemones, viriliter dimicando [1]) probatus Dei miles efficiar.

Ac ne tuum quoque in certamine mihi desit auxilium, ora eum qui alta a longe cognoscit, et humilia de prope respicit in coelo et in terra, ut nec aspero frangi, nec prospero eventu exaltari sinat cor meum; neque eleventur oculi mei, ut appetam ambulare in magnis aut in mirabilibus super me: sed faciat me humilem et pauperculum spiritu, et trementem ad sermones ejus, quatenus cum mansuetis terrae et misericorditer respiciendo [me] dignetur colligere.

Interea vergente in vesperum die, Dominus Sigerus ad domum regressus, viso me, gratiose et leniter subridens, injunctum abs te sibi salutationis officium mihi redhibuit; et comperto jam ad me litteras tuas pervenisse: « Obsecro, inquit, ut eas mihi romane exponatis, ne asino assimiler, qui vinum portat, et inde non gustat. »

Et cum id inexplebiliter efflagitaret, aegre obtinui, jam enim vespere erat, ut in crastinum differret. Cumque ei et pro modo meo, et pro voto suo, in re tam difficili, coram multis tam clericis quam laicis, satisfacere conarer, stupor apprehendit universos, et mirabantur, et gratias agebant sapientiae et Spiritui, qui per organum suum, os videlicet tuum, loquebatur. Eadem post ab aliis diversae dignitatis et aetatis personis, interpretationis difficultas mihi licet renuenti imposita est, et extorta.

Quid enim memorem, quam avide eamdem epistolam tuam audierunt, transcripserunt, legerunt, et quanta laude extulerunt, non solum singuli legentium, sed et complures Ecclesiae? Hinc est quod vir magni nominis et multae scientiae, domnus Rubertus, Vallis regiae quondam abbas, [2]) cum ei ipsa legeretur epistola, tacitus sedens, diligenter et crebro agitans caput, sic affectus, ut vix expectato fine, erumperet, cum gravitate tamen, et contestaretur non cujusquam esse, nisi Spiritus Sancti verba quae audisset.

« Nec opinor, inquit, vim et altitudinem quorumdam verborum, in hac epistola positorum, summos hujus temporis Franciae magistros, quantovis polleant acumine ingenii, ex integro posse consequi, nisi eo Spiritu quo dicta sunt revelante. Illi quidem arenti corde et crepantibus buccis perstrepunt, languentes circa quaestiones et pugnas, de quibus oriuntur rixae, non intelligentes de quibus loquuntur, vel de quibus affirmant; et laciniosis contentionum funibus et se et alios inexplicabiliter inretiunt. Haec autem beata, disciplinari assiduae, ut audio, infirmitatis verbere purgata, et in sui custodiam cohibita, mitis et humilis corde, unum illud quod solum est necessarium, id est beatae gloriam Trinitatis, in simplicitate purissimae mentis contemplans, de plenitudine illa intus haurit, quod ad sitientium [3]) relevandam sitim foras fundit. »

[1]) *dimica* cod. — [2]) Rubertus ille abbas Vallis Regiae videtur ignotus. — [3]) *ad sitiendum* cod.

Nec absona his alius quidam:[1] « Nil, ait, novum vel insuetum, animas hominum diversis Sancti Spiritus gratiis illustrari, cum dicat Apostolus: *Unusquisque proprium habet donum ex Deo, alius quidem sic, et alius vero sic.* [2]) Et alibi: *Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus, dividens singulis prout vult.* Sed sicut inter priora, illud demum novum enituit sanctificationis signum, de quo solemniter cantatur: « Ipse hodie apostolos Christus donans munere insolito, et cunctis inaudito [3]) saeculis, scilicet quod repente linguis igneis emicantibus, et per singulos sedentibus in ore eorum, omnium nota sunt linguarum genera, [4]) » sic, sic, procul dubio, et hoc novum illustrationis genus est, quo haec domina clarificatur; dum aliorum more divina cernentium, non dormiens, non in somnis, non stupens, ea quae sibi ostenduntur, percipit: sed mirum dictu! vigilans, ut ipsa perhibet, perenni quadam luce radiata, quae ei *Umbra viventis luminis* vocatur, semper compos et arbitra sui, et si quaedam in aenigmate, plura tamen puro intellectu, remotis speciebus mysticis, in veritate conspicatur, ita utrobique imperturbabilis, ut non interiori [5]) contemplatione ab exteriorum avocetur intuitu.

« Excedit hoc in ea quorumlibet illustrationem, quod verba quae in visione audit, dum his et fervescit et splendescit, geminum in illa ignis sortiuntur effectum, et quod in eo lumine, quo ab infantia semel clarificata, jugiter hactenus perfruitur exaltata et dilatata ejus anima, cum divinarum intelligentia Scripturarum, etsi non omnia, quaedam tamen hominum opera, quamvis longe a se distantium, intuetur, cum beatus e diverso testetur Gregorius, quia prophetiae spiritus prophetarum mentes non semper irradiat, comprobans hoc duobus Scripturae testimoniis: uno, quo requisitus Nathan a David de constructione templi, nunc concedit, nunc prohibet; quod utique si assidue adesset Spiritus, non faceret; altero, quod de Sunamite loquitur Elisaeus ad Ghiesi: *Dimitte et noli prohibere eam, anima enim ejus in amaritudine est, et Dominus celavit me, et non indicavit mihi.* [6])

« Et quoniam abyssus abyssum invocat, in divinarum altitudine revelationum, fit exinde adhuc in ea his omnibus supereminens illustrationis novitas, dum arcanum viventis, ut ipsa testatur, luminis raro licet ingressa, tota sibi a semetipsa immutari videtur, juxta illud: *Renovabitur sicut aquilae juventus tua,* [7]) et veluti repuellascere se sentiens, omnium sibi accidentium, scilicet infirmitatis, tristitiae, doloris, fractioris quoque aetatis, qua jam vergit in senium, funditus obliviscitur, et ineffabili quidem vel potius inaestimabili nobis, quia exsuperante sensum nostrum, sibi autem cognita symphonialis harmoniae dulcedine avocata, licet carne vigilans, in pace in idipsum mente dormit et quiescit.

« Inde est quod ad communem hominum consolationem ab illa interni concentus melodia regrediens, dulces in vocum etiam sono modos, quos in spirituali harmonia discit et retinet, memor Dei, et in reliquiis cogitationum hujusmodi diem festum agens, saepius resultando delectatur, eosdemque modulos communi humanae musicae instrumento gratiores, prosis ad laudem Dei et Sanctorum hono-

[1]) Guibertus videlicet, neque fallor. — [2]) I. Cor. VII, 7; XII, 4. — [3]) *inaudita* cod. — [4]) ex priscis Germaniae Breviariis. — [5]) *ut nunc interior* cod. Iterum revocatur epistola partim inedita, quae fortasse cum mutila ep. XV conflabatur. — [6]) IV. Reg. IV, 27. — [7]) Ps. CII, 5.

rem compositis, in Ecclesia publice decantari facit. [1]) Quis similia his unquam de alia quavis femina audivit?

« Quid quod liberalium artium ignara, nec cognoscens litterarum videlicet, nec [dictionum] differentias, nec consonantias casuum, figurarum, generum, numerorum, graduum, vel caeterorum hujusmodi sciens discernere, tanto doctrinae fulget privilegio, tantamque Scripturarum possidet intelligentiam, ut sicut de beatissimo legitur Martino, in solvendis earum quaestionibus prompta et facilis, et in communi confabulatione efficax et alacris habeatur, parata semper rationem reddere, de quibuscumque inquisita fuerit.

« Nec vero istud, ut licet, id est improbe et petulanter, facere consuevit; sed dum aliquid ab ea quaeritur, si habet in promptu quid respondeat, absque mora et typho, [2]) quod ei instillatur, quaerentibus refundit; si non, ab eo qui revelat mysteria, utili dilatione et humili devotione, unde incerta est, seu quod nescit, sibi aperiri deposcit; et cum ab ejus largitate, qui cum vult, et ubi vult, et quantum vult, aspirat, quod petit, accipit, copiam indultae sibi benedictionis absque invidia et retractione exigentibus secura communicat. In haec plane nobis lucet quod beatus dicit Gregorius, quia lege non stringitur donum Spiritus Sancti. Et mȩrito sane: quoniam, dum nec ab uno dividi [3]) per alterius amorem, nec legi alligari, velut potestati viri per copulam subjici patitur, in libertatem spiritus vocata, et illi uni suo, cui se probavit, cuique sanata corpore et spiritu placere desiderat, fidem servans, mulieres caeteras quae nuptialibus premuntur oneribus, supergreditur.

« Mulierem in Ecclesia docere non permittit Apostolus. Sed haec per assumptionem Spiritus ab hac conditione soluta, et per ejus magisterium erudita, corde in sapientia propria didicit experientia, quod scriptum est: *Beatus homo quem tu erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum.* [4]) Et si imperita sermone, sed non scientia, in doctrina sua sana, qua multos instruit, lac consolationis rudibus et vinum correptionis fortioribus, quasi duobus affluenter fundit uberibus. Sed quamvis eam interius unctio magistra doceat de omnibus, jubeatque, sicut in scriptis ejus invenitur, ut ea quae ei suggerit in occulto, fiducialiter ad instruendos auditores proferat in aperto, memor tamen et sexus et conditionis propriae, et maxime praedictae interdictionis, paret Spiritui, neque quem Spiritus mittit, obviat Apostolo, libris et sermonibus, fidei catholicae per omnia consonis, erudiens Ecclesiam, nec tamen more [5]) eorum qui declamatorie loqui solent ad populum, disserens in Ecclesia.

« Mulieres itidem capita velare jubet Apostolus, [6]) tum propter honestatem disciplinae, tum propter commendationem alicujus subjectionis debitae. Ista, etsi non ab omni, ab eo tamen quo nuptae obducuntur velamine expedita, muliebrem depressionem altitudine multa transcenderit; et non quorumlibet, sed summorum eminentiae [7]) comparata virorum, revelata facie gloriam Domini speculans, in eamdem transformatur imaginem, a claritate in claritatem, tamquam a Domini Spiritu.

[1]) Nota testimonium de publico usu canticorum infra editorum. — [2]) *typo* cod. — [3]) *divini* id. inepte. — [4]) Ps. XCIII, 12. — [5]) *in ore* apogr. — [6]) I. Cor. XI, 6. — [7]) *eminentia* cod.

« Quoniam bene a claritate in claritatem, cujus anima semper lucida vicariis quibusdam et gratis successibus a lumine quod, ut supra dictum est, *umbra viventis luminis* nominari audit, translata in ipsum lumen vitae, Deo gratulabunda loquitur: *Adimplebis me laetitia cum vultu tuo*; et: *Signatum est super me lumen vultus tui, Domine, quoniam apud te est fons vitae, et in lumine tuo videbo lumen.* [1]) Quia illustratione viventis scilicet luminis, quamvis raro, dum perfunditur, ut ex lectione litterarum ejus colligitur, tota a Deo mirabiliter alteratur: ut sicut perhibent qui eam familiariter noverunt, ex ipsa alteratione vel spiritualis vel corporeae fortitudinis, qua tunc vigere cernitur, torrens ille igneus ad horam in eam influere perhibetur, de quo cantatur: « *Subito factus est de coelo sonus, et tamquam spiritus* torrens, *replevit totam domum,* » [2]) et item: « Advenit ignis divinus non comburens, sed illuminans, nec consumens, sed lucens, et invenit corda discipulorum receptacula munda, et tribuit eis charismatum dona. [3]) » Tunc etenim animo alacrior, vultu ardentior, subtilior sensu, promptior sermone, et corpore agilior redditur; ita ut cum alio tempore numquam nisi ab una seu duabus sanctimonialibus sustentata procedat, eodem momento miro modo roborata, non sine magno intuentium stupore et gaudio, libere et absque amminiculo, quo libuerit. incedat.

« Sed quid mirum, si cum a majestate, cujus nutu moventur omnia, instinctum patitur, absque impetu et ipsa esse non valeat? Nonne tibi interim, et si non ea, aliqua tamen praerogativa posse videtur dicere, quod gestans in utero salutem nostram, illa Domina, super omnes feminas benedicta, per quam se reparatum exultat genus humanum, dicebat: « Filiae Hierusalem, quid me ammiramini, divinum est mysterium hoc quod cernitis. »

« Fertur adhuc de ipsa et aliud mirabile, quod se familiares ejus saepius expertos sub testimonio veritatis asserunt, quia dum ei scribere aliquid, vel ad ammonendos fideles et corrigenda aliqua in monasteriis, ubi necesse est, longe vel prope divinitus exire imperatur: si non quidem, quod absit, segnitie aut obstinatione, sed ut feminea formidine, seu virginali pudore aliquatenus parere distulerit, ne scilicet praesumptione quavis et spiritu suo agi dicatur, statim ei aegritudinis duplicatur flagellum, et fit signum tale in ea, ut prorsus obstruat os loquentium iniqua, quoniam subito tota sic obrigescit, ut non caro humana, sed lignum inflexibile corpus ejus videatur, nec ab hoc rigore, donec jussa compleat, relaxatur. »

Haec et similia, post lectas litteras tuas, cum auditores supra his attonitos cerneret, non aemulus, sed benevolus tuarum praedicator ille gloriarum, mater reverenda, de gratia tibi coelitus collata prosecutus est, eosdemque et in Dei laudem et tui ammirationem ferventiores effecit. In unam itaque universi convenientes sententiam, eumdem Dominum, qui in sanctis suis saepe est mirabilis, praedicabant in te, cujus munere, et gloria virginitatis, in medio fornacis Babylonicae inusta, refulges, et fonte vitae potata, dulcedinem mellis et butyri pinguedinem nobis esurientibus refundis.

[1]) Ps. XV, 10; IV, 7; XXXV, 10. — [2]) Act. Apost. II, 2. — [3]) Iterum subeunt Breviaria Allemanica.

Et de his quidem, quae in partibus nostris de te, mater sancta, multi multa loquuntur, ad praesens me ista commemorasse sufficiat, ne si in hac parte modum excessero, et ipse ab his qui cor meum non penetrant, verbis adulatoriis favorem tuum puter [1]) redimere, et tu eisdem laudibus vel gravata, vel territa, mihi indignando succenseas. Ut autem verum fatear, multo magis tibi expedit terreri, quam delectari, dum omnimodis constet, quod sine vita laudabili laudabile nomen habere velle, certissima damnatio sit. Proinde quoniam in omni agone christiano, vir summae perfectionis dicit: *Ego me non arbitror comprehendisse,* [2]) et item scriptum est: *Cum consummaverit, homo tunc incipit,* [3]) et quia secundum quemdam sapientem, laudes hominis, si verae sunt, praeconia sunt; si falsae, crimina: restat ut nemo quamvis nullius facinoris seu flagitii sibi conscius sit, superbiat, sed timeat quilibet in profectu positus, desideret et studeat major haberi opere quam nomine; non in se ruinose, sed in Domino solide glorietur, quia non qui se, sed quem Deus commendat, ille probatus est. [4]) Vale in Christo, mater venerabilis, meique et meorum tui memento in orationibus tuis.

XVII. — XVIII.

Hildegardi Guibertus Gemblacensis. [5])

Guibertus actum iter memorat, novum sperat, variasque mittit quaestiones XXXVIII, his litteris subjectas, inserto epistolio Villarensium.

a. 1178, in Quadragesima.

Sanctissimae matri et dominae suae Hildegardi, Wibertus filialem cum debita reverentia servitutem.

Autumnali tempore, a beatitudine tua regressus, priusquam in cubiculum genitricis meae, Gemblacensis videlicet ecclesiae, me referrem, ad Villarense coenobium, reverentissimos fratres, dominos meos visitatum diverti. Ubi saepius coram abbate [6]) et ipsis fratribus relecta [7]) epistola, quam mihi per dominum Sigerum nobilem virum transmiseras, et relatis rationibus quas mihi quaerenti de multis in tantillo temporis spatiolo, quo apud te die noctuque de ore tuo inhianter pendens manseram, in sapientia quae tibi data est, reddideras, eorum animos quaedam abs te sciscitandi ardor tantus accendit, ut secundum quod mente singuli movebantur, statim subscriptas quaestiones in unum compingerent, et mihi eas, quod familiarem tuum me scirent, tibi dirigendas, et a te enodandas, cum his brevissimis litteris imponerent.

[1]) *putet* cod. — [2]) Phil. III, 13. — [3]) Eccli. XVIII, 6. — [4]) II Cor. X, 18. — [5]) Ex eod. cod. Bruxell. f. 152, 153. — [6]) Insignis tunc abbas erat Utricus Allemannus. — [7]) *relicta* cod.

Hildegardi monachi Villarenses.

Virgini et famulae Christi, Hildegardi, fratres Villarensis monasterii.

O mater sanctissima, dilecta a Deo et hominibus, cujus amabilis et grata praesentia, cujus memoria in benedictione, quoniam per te et in te novum fecit Dominus super terram, in eo quod novo sanctificationis genere, non in doctis humanae sapientiae verbis, sed in doctrina spiritus, te mirabiliter illustravit, et spiritu intelligentiae replevit, ut per te incerta et occulta sapientiae suae fidelibus aperiret, reverentiae tuae pedibus advoluti, sanctitatem tuam affectuose rogamus, quatenus subjectarum quaestionum secreta, in charitate Jesu Christi petentibus, pro viribus quas dedit ipse, reserare digneris, ad dandam scientiam salutis nobis, qui sedemus in tenebris et umbra mortis, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.

Horum petitioni ipse quoque meam subjungens, obsecro te, dulcis et reverenda mater, ego servus et famulus tuus, idem [1]) una mecum non solum praedictis, sed et quam pluribus aliis fratribus supplicantibus, ut invocata in auxilium Divinitate, optatissimo nobis operi accingaris, et exercitium laboris toti Ecclesiae profuturi sine dilatione aggrediaris. Discretionis autem tuae erit, faciliores et olim a Patribus discussas secernere, et summatim perstringere, obscuriores vero et necdum ad liquidum propalatas, ut sunt illae de anima, et de differentia nativitatis Filii, et processione Spiritus Sancti, et caeterae in hunc modum, diu versando et revolvendo, ad notitiam etiam mediocrium in lucem producere, ut de bonis domus tuae edant pauperes et saturentur; et te dante eis materiam laudis, ad profectum tuum laudent Dominum; et ad gloriam nominis ejus, qui memoriam facit mirabilium suorum, et dat escam timentibus se, dicatur de illis: *Manducaverunt, et saturati sunt nimis, et desiderium attulit eis Dominus, non sunt fraudati a desiderio suo.* [2])

Nec semel [3]) contentus, iterum atque iterum moneo, precor, obsecro, ut super cujusque quaestionis solutione infatigabili Dominum oratione pulses, donec in sanctuarium ejus admissa, intelligas in novissimis eorum; indeque ad nos in claritate vultus egressa, fulgore revelationum Dei illumines tenebras ignorantiae nostrae.

Quia vero, sicut beatus testatur Gregorius, aliquando prophetae sancti, dum consolantur ex magno usu prophetandi, quaedam ex suo spiritu proferunt, et se haec ex prophetico Spiritu dicere suspicantur, summopere tibi cavendum est, ne dum magna polles gratia Spiritus, parva utaris discretione spirituum; et quicquid spiritui tuo visum fuerit, id statim imputes Spiritui Sancto, dicens: « Haec audivi et vidi in Spiritu, » nisi ipse, qui scrutatur etiam alta Dei, manifesta ostensione quid dicendum sit, tibi insinuet: quoniam juxta eum qui ait: *Dominus celavit me, et non indicavit mihi,* [4]) multo tutius et laudabilius est in tam obscuris et a sensu humano remotis rebus, humiliter ignorantiam confiteri, quam novum aliquid quod probabile non sit, inconsulte astruere.

[1]) *id quo una* cod. — [2]) Ps. LXXVII, 29. — [3]) *Nc semel* cod. — [4]) IV Reg. IV, 27.

Ne vero iterato eadem stylo repetere molestum sit, si quam earumdem quaestionum in aliquo operum tuorum solvisse te recolis, ubi solutio ipsa inveniri possit, indicare studeas, aut quod magis opto, hic ex integro, sicut in suo loco posita est, transcribere non negligas.

Nuper quoque jam, scilicet post Purificationem sanctae Mariae, cum denuo ad visendos filios tuos Sigerum et Anselmum, qui in Christi tirocinio exercentur, Villari devenissem, vehementer a fratribus exactus sum, utrum nec ne quaestiones de quibus agimus, adhuc ad te direxissem. Cumque me de inopia fidi portitoris excusare conarer, omni illi excusatione rejecta, ignaviae me radarguentes, acriter in me commoti sunt, quod tam diu distulissem. Interea illic me remorante, Petrus clericus de villa Monasterias, [1]) mihi notus, ab Hiesosolymis regrediens, et per domum tuam regressum habens, ex insperato litteras tuas nobis exhibuit, praedictos novicios dulci afflatu consolantes: sed amaritudinem animi tui, quae ex dolore mortis domini Vulmari, [2]) Praepositi tui, tibi inflicta est, lacrimabiliter subjungentes. Quibus lectis, etsi pro benignitate vel sedulitate, qua amicorum tuorum, longe licet positorum, studiosa es, gavisi sumus, contritionem tamen baculi, cui innitebaris, et destitutionem solatii domus tuae, non sine gemitu compassionis accepimus. Fecimus vero quod praeceperas, et facimus, amicum scilicet expatriantem pio missarum et orationum obsequio prosequentes, et omnes amicos vel familiares nostros, ut idem faciant, obsecrantes.

Deinde reversus ad Gemblacense monasterium, ex improviso audio referri a dicentibus domnum Abbatem [3]) nostrum ad sanctum Quirinum causa orationis proficisci parantem, et si facultas suppeteret, per te regredi disponentem. Verbum hoc auditui meo dedit gaudium et laetitiam; statim litteras istas explicui, hoc intendens, ut per comites itineris ejus eas tibi transmitterem. Sed cum nil tale sperarem, coronae exultationis meae etiam cumulus, ut ita dicam, superpositus est, dum nescio quo instinctu, ipso ordinante, socius itineris ejus assumptus, tibi eas praesentialiter per memetipsum de manu, ut dicitur, in manum certissime obiter porrecturum fiderem.

Questiones autem illae quas per me praedicti reverentissimi fratres sanctitati tuae absolvendas transmittunt, in hunc modum se habent. [4])

Cap. I. *Quomodo intelligendum est... etc.*

(Patrologiae tom. CXCVII, col. 1040 quaest. **I)**

II. *Quid est quod scriptum est...*

(Ibid. quaest. II.)

[1]) in cod. videtur scribi *monasterii: as.* — [2]) Cf. in epistola XV. — [3]) Idem est abbas Joannes qui diu rexit, saepe vexavit Gemblacum ab a. 1150 ad 1196. — [4]) Sequuntur XXXVIII quaestiones, quamvis XXXV numerentur in iudiculo, tribus numero carentibus; varietates vero tam in ordine quam in formulis notatu dignae sunt, et in primis nova argumenta quae occurrunt tam in quaestionibus 6, quam in responso ad quaest. XII, edd. VIII; quae nova sunt, tantum rescripta sunt ex cod. Lemniscis novae quaestiones insigniuntur, quibus fortasse responsio deest, quia Hildegardis eas solvere noluit. Aliae prorsus sunt quaestiones Villarensium infra positae, et aliae huc subjectae, nisi tamen duplicem quaestionum syllabum miserint Villarenses.

÷ III. *Quomodo intelligendum est:* « Fons ascendebat de terra, irrigans universam superficiem terrae. » (Gen. II. 6.)

IV. *Ante quam primus homo...*

(*Ibid. quaest. III*, col. 1041)

V. *Quo genere...*

(*Ibid. quaest. IV*).

VI. *Quales oculi...*

(*Ibid. quaest. VI*, col. 1042)

VII. *Quid est quod Dominus dixit*: Ecce Adam...

(*Ibid. quaest. V.*)

÷ VIII. *Quid est quod scriptum est:* Septuplum ultio dabitur de Cain; de Lamech autem septies septuagesies. »? (Genes. IV, 15.)

÷ IX *Cum Enoch et Elias in terreno Paradiso corporaliter translati esse credentur, numquid in loco tantae felicitatis, corporeo cibo et indumento egere credendi sunt?*

÷ X. *In qua parte terrarum credendum esset esse Paradisum?*

XI. *Quid est quod Dominus dicit ad Noe...*

(*Ibid. quaest. VII.*)

XII. *Qualia corpora...*

(*Ibid. quaest. VIII*, col. 1043)

Habent angeli naturalia corpora, [1]) sicut homines sua; et sunt animalia, sicut homines, immortalia tamen, quod nondum sunt homines; porro ipsa corpora mutant, et versant in forma et specie quas [2]) volunt, quando apparere volunt, densantes et solidantes ea, quantum volunt. Cum tamen in sui veritate prae subtilitate naturae suae impalpabilia sint, et nostris omnino inattingibilia visibus, an vero simplici spirituali substantia subsistentes, corpora cum opus est, sumunt, rursumque expleto officio ponunt, in eam de qua sumpta sunt, materiam dissolvenda.

XIII. *Cur Abraham...*

(*Ibid, quaest. IX*, col. 1043)

XIIII. *Quare in spelunca...*

(*Ibid. quaest. X*)

XV. *Fuit ne verus...*

(*Ibid. quaest. XI*, col. 1044)

XVI. *Quid est quod...*

(*Ibid. quaest. XII*)

XVII. *Numquid vere...*

(*Ibid. quaest. XIII*)

÷ .... *Quid est* [quod] *de Jonatha dicitur:* Cum comedisset de melle, illuminati sunt oculi ejus. (1 Reg. XIV, 27.)

÷ XVIII. *Quid est quod dicit Apostolus, se in paradisum et usque ad tertium coelum raptum, nescire, sive in corpore, sive extra corpus, hoc factum sit? utrum*

[1]) Caute legenda sunt, quae ante scolasticam rigidiorem disciplinam per veteres cathedras et libros circumferebantur. Cf. de corpore angelico Lenourry Dissert. de Tertulliano et Clemente Alexandrino *Patrol. lat.* t. I, gr. t. VIII. — [2]) *qua volunt... solidantes eas* cod.

ex corpore, cum anima ejus ad ista raperetur, exivit, an in corpore manens, et illud vivificans, ad ista pervenit? (II Cor. XII, 2 sqq.)

XIX. *Quid est quod idem dicit:* Omne peccatum quodcumque fecerit homo extra corpus est; qui autem fornicatur, in corpus suum peccat?

(***Ibid. quaest. XIX***, col. 1066)

XX. *Quid est quod dicit:* Si linguis...

(***Ibid. quaest. XIV***, col. 1045)

XXI. *Quae est longitudo... et profundum, quae ab Ephesiis comprehendenda sunt.*

(***Ibid. quaest. XV***)

XXII. *Quid est quod de Domino scriptum est:* Et accesserunt...

(***Ibid. quaest. XXI***)

XXIII. *A die resurrectionis...*

(***Ibid. quaest. XX***)

XXIIII. *Cum novae animae... parvulorum animare creduntur...*

(***Ibid. quaest. XXII***, col. 1047)

XXV. *Quid est quod...*

(***Ibid quaest. XVI***, col. 1045)

..... *Quid est quod idem...*

(***Ibid. quaest. XVII***)

..... *Quid est quod dicit.*

(***Ibid. quaest. XVIII***)

XXVI. *Cum Dominus in Evangelio de seipso dicit.* Ego ex Deo processi et veni, (Joan. VIII) *et de Spiritus Sancto:* Spiritus qui a Patre procedit, *inter processionem Filii et processionem Spiritus Sancti quae differentia est, ut ille dicatur Filius, quod dici non debet, nec recte dici potest Spiritus Sanctus? Inter generationem Filii et processionem Spiritus Sancti quae distinctio, cum utraque ex Patre sit?*

(***Ibid. quaest. XXIII***, col. 1047)

XXVII. *Gratia Dei...*

(***Ibid. quaest. XXV***)

XXVIII. *Quomodo est intelligendum...*

(***Ibid. quaest. XXVI***, col. 1049.)

XXIX. *Quae et qualis... facit. Cum ex corde humano cogitationes malae frequenter exeant, quomodo sciri potest quae ex corruptione...*

(***Ibid. quaest. XXX***, col. 1050)

XXX. *Numquid spiritalibus oculis...*

(***Ibid. quaest. XXXII***, col. 1051)

XXXI. *Ignis gehennae... de materia quatuor elementorum.*

(***Ibid. quaest. XXXIII***)

XXXII. *Parabolae...*

(***Ibid. quaest. XXXV***, col. 1052).

XXXIII. *Cum secundum...*

(***Ibid. quaest. XXXVI***).

XXXIIII. *Quid specialis...*

(***Ibid. quaest. XXXVII***)

XXXV. *In quali corpore...*

(***Ibid. quaest. XXXVIII***, col. 1053)

XIX.

Hildegardi Guibertus Gemblacensis. [1])

Dolet de intercepto itinere suo ad Hildegardem, iterumque regerit quaesita a Villarensibus.

a. 1178.

Matri sanctissimae Hildegardi Guibertus.

Gaudium, quod de visione et collocutione tua cum abbate nostro, tempore quadragesimali ad te proficiscendo, divinitus mihi indultum credideram, ad tempus quidem mihi invidia, ut puto, Diaboli sublatum est. Nam cum Coloniam usque processimus, iter nostrum impediente Satana, et per iniquas carnalium propinquorum suorum suggestiones propositum abbatis ad te protendendi conturbante, ulterius destitimus. Sed spero, quod ablatum mihi doleo, opportuniori tempore, remotis omnibus impedimentis, gratia mihi divina restituet.

Interim tamen de quaestionibus illis, quas per me fratres Villarenses ad te solvendas mittebant, quasque ego revocatus ab itinere, tibi perferendas, dilecto mihi Balduino [2]) commisi, quid actum sit, vehementer scire cupio, utrum videlicet, nec ne ad te pervenerint. Quod si pervenerint, obsecramus omnes, nostrae partis amici tui, in spiritu tuis effusi [3]) pedibus, ut mare solutionis earum fiducialiter ingrediens, aurae Spiritus Sancti vela committere non pertimescas, tali duce freta, sine difficultate placido portu mox adlapsura.

De quibus etiam precor, ut cum praescriptis litteris Villarensium et nostris, solutionibus earum praescribas, ut alterae ex alteris gratiores fiant, et clarius elucescant. Nostra a praesentium latoribus discens, tua quoque per eos notifica, ut aut compatiamur dolenti, aut coexultemus gaudenti, quia amicorum omnia debent esse communia. Valè in Christo, et ora pro nobis.

XX.

Hildegardi Guibertus Gemblacensis et Villarenses. [4])

Rursus de quaestionibus Villarensium, qui inscio Guiberto, scripserunt epist. XX et XXI.

a. 1178.

Speculativae famulae Christi Hildegardi, spirituali matri fidelium, fr. Guibertus Gemblacensis, et Villarensis ecclesiae fratres et filii, immortalis gloriae palmam, et florem in coelesti Hierusalem colligere.

[1]) In cod. codice praecedentia subsequitur haec epistola, praeter pauca jam edita in Patrol. l. l. col. 1038. — — [2]) *Baldo* in edd. — [3]) *affusi* edd. — [4]) Ex eod. cod. f. 155, 156.

*

Benedictus Deus, mater sanctissima, qui te, ut credimus, singulari gloria donaturus in coelis, speciali gratia praevenire est dignatus in terris, ut qui profecerunt in Domino, per te in melius confirmentur, in spem veniae peccatores erigantur, pusillanimes consolentur, qui ignorant et errant, sacris tuis ammonitionibus instruantur. Hujusce spei beata suadente laetitia, de secretis et mysticis et rebus maximis ad sanctitatem tuam scripta direximus, et ut in desideratam notitiam veritatis tuis responsionibus inducamur, suppliciter exoramus.

Rogamus quoque ut sic materiae dignitati deservias, et sic expectationi nostrae satisfacias, quatenus in rebus tantis, quae sunt necessaria non omittas, et quae dicenda sunt, bonitatis studio nulla festinatione praetereas. Si enim quae hactenus ignoravit mundus, per te nota fiant in ecclesia Dei, gloria Christi erit, et memoriale tuum in saeculum saeculi. Ut igitur in generatione ventura fulgeas, sicut splendor firmamenti, aperi os tuum in lege Altissimi, ut plenitudine tua capientes, intelligamus et sciamus incerta et occulta sapientiae Dei.

Hoc nos qui quaestiones collegimus, sanctitatis tuae pedibus inclinati, fusis precibus, obsecramus, et nobiscum pueri tui, frater Anselmus, Sigerus, Joannes, quos ab initio dilexisti, et fovisti, et sanis ammonitionibus informasti. Ipsi cum charissimo fratre nostro Eustachio, qui licet te corporeo aspectu non viderit, vehementer tamen in Christo te diligit, et cum omni Ecclesia nostra, affectuosa benevolentia te salutant, orationibus tuis sanctis se fideli supplicatione commendant: hoc praecipua devotione rogantes, ut opus egregium, opus sanctum, omni dignum benedictione prosequaris et impleas: in quo, sicut in speculo, gratia tuae sanctitatis effulgeat, et novitas perspicuae veritatis appareat,

Evigila igitur, speculativa anima, ad gloriam Dei et profectum Ecclesiae, totis viribus opus pietatis aggredere, et ingenii tui naviculam, excellentiae tuae meritis ornatam, in mari magno et spatioso dirige; ut vela facundiae tuae Sancto Spiritu sublimius erigendae et replendae, in potenti doctrina verborum tuorum velificemus in serenitate pacis et lumine veritatis.

De sede et positione Abbatiae nostrae fluctuant nostra judicia, et nutant consilia. Utinam precibus tuis de hoc ambiguo aliquid, quod nobis secundum Deum tenendum sit, ostendatur, ut in definitione tua nostra vota confluant, et desideria conquiescant.

Librum [1]) a sanctitate tua editum, et nobis transmissum, cum gaudio suscepimus, studiose legimus, affectuose amplectimur, dum totius gratiae largitorem benedicentes, et ei super muneribus quibus vos undique fulsit, et ad salutem provocat, gratias agentes, qui ea quae in eodem libro dicta sunt, ad correctionem legentium, vel audientium benigna tibi pietate inspiravit. Vale, et pro nobis misericordiam Dei non cessas exorare.

[1]) Hunc librum sub. num. XXI, iterum memorat, neque alius videtur quam noster *Liber vitae meritorum*, quem Villarenses in mensa legere solebant.

XXI.

Hildegardi Guibertus. [1])

Adhuc de missis quaestionibus, pro quibus ad Hildegardem Sigerus dirigitur.

Dilectae sponsae Jesu Christi, Hildegardi fr. Guibertus Gemblacensis, et Villariensis Ecclesiae fratres et filii, in spiritu et humilitate matris Virginis ambulare, in sanctitate et justitia beatorum virginum tempus corporeae resolutionis implere.

Benedicimus Deum coeli, qui nostra tempora non despexit, et ne saeculo nostro [2]) miraculum deesset, virtutis aut futurae glorificationis exemplum, mundi tenebras claritatis tuae fulgore fugavit. In genere enim visionum tuarum, in ratione expositionum, in puritate sententiarum, quae catholicae per omnia consonant pietati, te Spiritus Sanctus mirabiliter illustravit, et per te parvulis incerta et occulta sapientiae suae multifarie revelavit. Tu per gratiam Dei vas es electionis effecta, Deo charissima, angelis grata, hominibus necessaria, et delecta [3]) ad dirigendos pedes eorum in viam vitae, ad cognoscendam magnificentiam potestatis aeternae. Agnoscunt enim in sacris excellentiae tuae meritis sexum femineum divinitus honorari, videntes gloriam tuam, gloriam quasi regnante a Patre, plenam gratia et veritate.

Ave ergo, post Mariam gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, et benedictus sermo oris tui, qui invisibilium secreta defers ad homines, qui sociat terrenis coelestia, humanis divina conjungit. Hoc corde credentes, ore confitemur, quod tu es fons hortorum, puteus aquarum viventium, quae fluunt impetu de Libano. [4])

Per illum ergo, cujus munere talis effecta es, te suppliciter exoramus, ut doctrinae tuae rivulos ad quaestionum nostrarum profunda convertas, et desideriis nostris vitae poculum propinando sobriam ebrietatem spem sitientibus animabus infundas. Sciat tua dilectio, quod intenta perscrutatio tua in ratione hujus secreti grata nobis erit super millia auri et argenti.

Adest carissimus filius tuus, frater Sigerus, [5]) qui consilio tuo suadente, mundi gloriam mira libertate contempsit, ad dulcia ubera tuae consolationis devota peregrinatione recurrit: per ipsum parvitas nostra in Christi claritate te salutat, precibus tuis sanctis se tota devotione commendat, et per talem nuntium sibi remitti quaestionum responsiones desideranter exorat. Spes inquisitionis et expectationis nostrae pro gratia tibi data in gaudio manet exultationis, nunc ad gloriam Christi, et profectum totius Ecclesiae, cogita diligenter, ut sic responsio tua profluat, quatenus in generatione saeculorum gratiarum sit actio et vox laudis.

1) Ex eod. cod. f. 156. — 2) *nostrum* cod. — 3) *dilecta* cod. — 4) Cant. IV, 15. — 5) Quaerendum an Sigerus ille qui supra dicitur jam vi lisse Hildegardem, idem sit atque nobilis vir de Waura supra laudatus. Caeterum haec, inscio Guiberto, fuisse scripta monent sequentes litterae.

rem compositis, in Ecclesia publice decantari facit. [1]) Quis similia his unquam de alia quavis femina audivit?

« Quid quod liberalium artium ignara, nec cognoscens litterarum videlicet, nec [dictionum] differentias, nec consonantias casuum, figurarum, generum, numerorum, graduum, vel caeterorum hujusmodi sciens discernere, tanto doctrinae fulget privilegio, tantamque Scripturarum possidet intelligentiam, ut sicut de beatissimo legitur Martino, in solvendis earum quaestionibus prompta et facilis, et in communi confabulatione efficax et alacris habeatur, parata semper rationem reddere, de quibuscumque inquisita fuerit.

« Nec vero istud, ut licet, id est improbe et petulanter, facere consuevit; sed dum aliquid ab ea quaeritur, si habet in promptu quid respondeat, absque mora et typho, [2]) quod ei instillatur, quaerentibus refundit; si non, ab eo qui revelat mysteria, utili dilatione et humili devotione, unde incerta est, seu quod nescit, sibi aperiri deposcit; et cum ab ejus largitate, qui cum vult, et ubi vult, et quantum vult, aspirat, quod petit, accipit, copiam indultae sibi benedictionis absque invidia et retractione exigentibus secura communicat. In haec plane nobis lucet quod beatus dicit Gregorius, quia lege non stringitur donum Spiritus Sancti. Et merito sane: quoniam, dum nec ab uno dividi [3]) per alterius amorem, nec legi alligari, velut potestati viri per copulam subjici patitur, in libertatem spiritus vocata, et illi uni suo, cui se probavit, cuique sanata corpore et spiritu placere desiderat, fidem servans, mulieres caeteras quae nuptialibus premuntur oneribus, supergreditur.

« Mulierem in Ecclesia docere non permittit Apostolus. Sed haec per assumptionem Spiritus ab hac conditione soluta, et per ejus magisterium erudita, corde in sapientia propria didicit experientia, quod scriptum est: *Beatus homo quem tu erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum.* [4]) Et si imperita sermone, sed non scientia, in doctrina sua sana, qua multos instruit, lac consolationis rudibus et vinum correptionis fortioribus, quasi duobus affluenter fundit uberibus. Sed quamvis eam interius unctio magistra doceat de omnibus, jubeatque, sicut in scriptis ejus invenitur, ut ea quae ei suggerit in occulto, fiducialiter ad instruendos auditores proferat in aperto, memor tamen et sexus et conditionis propriae, et maxime praedictae interdictionis, paret Spiritui, neque quem Spiritus mittit, obviat Apostolo, libris et sermonibus, fidei catholicae per omnia consonis, erudiens Ecclesiam, nec tamen more [5]) eorum qui declamatorie loqui solent ad populum, disserens in Ecclesia.

« Mulieres itidem capita velare jubet Apostolus, [6]) tum propter honestatem disciplinae, tum propter commendationem alicujus subjectionis debitae. Ista, etsi non ab omni, ab eo tamen quo nuptae obducuntur velamine expedita, muliebrem depressionem altitudine multa transcenderit; et non quorumlibet, sed summorum eminentiae [7]) comparata virorum, revelata facie gloriam Domini speculans, in eamdem transformatur imaginem, a claritate in claritatem, tamquam a Domini Spiritu.

[1]) Nota testimonium de publico usu canticorum infra editorum. — [2]) *typo* cod. — [3]) *divini* id. inepte. — [4]) Ps. XCIII, 12. — [5]) *in ore* apogr. — [6]) I. Cor. XI, 6. — [7]) *eminentia* cod.

« Quoniam bene a claritate in claritatem, cujus anima semper lucida vicariis quibusdam et gratis successibus a lumine quod, ut supra dictum est, *umbra viventis luminis* nominari audit, translata in ipsum lumen vitae, Deo gratulabunda loquitur: *Adimplebis me laetitia cum vultu tuo*; et: *Signatum est super me lumen vultus tui, Domine, quoniam apud te est fons vitae, et in lumine tuo videbo lumen.* [1]) Quia illustratione viventis scilicet luminis, quamvis raro, dum perfunditur, ut ex lectione litterarum ejus colligitur, tota a Deo mirabiliter alteratur: ut sicut perhibent qui eam familiariter noverunt, ex ipsa alteratione vel spiritualis vel corporeae fortitudinis, qua tunc vigere cernitur, torrens ille igneus ad horam in eam influere perhibetur, de quo cantatur: « *Subito factus est de coelo sonus, et tamquam spiritus* torrens, *replevit totam domum,* » [2]) et item: « Advenit ignis divinus non comburens, sed illuminans, nec consumens, sed lucens, et invenit corda discipulorum receptacula munda, et tribuit eis charismatum dona. [3]) » Tunc etenim animo alacrior, vultu ardentior, subtilior sensu, promptior sermone, et corpore agilior redditur; ita ut cum alio tempore numquam nisi ab una seu duabus sanctimonialibus sustentata procedat, eodem momento miro modo roborata, non sine magno intuentium stupore et gaudio, libere et absque amminiculo, quo libuerit. incedat.

« Sed quid mirum, si cum a majestate, cujus nutu moventur omnia, instinctum patitur, absque impetu et ipsa esse non valeat? Nonne tibi interim, et si non ea, aliqua tamen praerogativa posse videtur dicere, quod gestans in utero salutem nostram, illa Domina, super omnes feminas benedicta, per quam se reparatum exultat genus humanum, dicebat: « Filiae Hierusalem, quid me ammiramini, divinum est mysterium hoc quod cernitis. »

« Fertur adhuc de ipsa et aliud mirabile, quod se familiares ejus saepius expertos sub testimonio veritatis asserunt, quia dum ei scribere aliquid, vel ad ammonendos fideles et corrigenda aliqua in monasteriis, ubi necesse est, longe vel prope divinitus exire imperatur: si non quidem, quod absit, segnitie aut obstinatione, sed ut feminea formidine, seu virginali pudore aliquatenus parere distulerit, ne scilicet praesumptione quavis et spiritu suo agi dicatur, statim ei aegritudinis duplicatur flagellum, et fit signum tale in ea, ut prorsus obstruat os loquentium iniqua, quoniam subito tota sic obrigescit, ut non caro humana, sed lignum inflexibile corpus ejus videatur, nec ab hoc rigore, donec jussa compleat, relaxatur. »

Haec et similia, post lectas litteras tuas, cum auditores supra his attonitos cerneret, non aemulus, sed benevolus tuarum praedicator ille gloriarum, mater reverenda, de gratia tibi coelitus collata prosecutus est, eosdemque et in Dei laudem et tui ammirationem ferventiores effecit. In unam itaque universi convenientes sententiam, eumdem Dominum, qui in sanctis suis saepe est mirabilis, praedicabant in te, cujus munere, et gloria virginitatis, in medio fornacis Babylonicae inusta, refulges, et fonte vitae potata, dulcedinem mellis et butyri pinguedinem nobis esurientibus refundis.

[1]) Ps. XV, 10; IV, 7; XXXV, 10. —[2]) Act. Apost. II, 2.—[3]) Iterum subeunt Breviaria Allemanica.

Et de his quidem, quae in partibus nostris de te, mater sancta, multi multa loquuntur, ad praesens me ista commemorasse sufficiat, ne si in hac parte modum excessero, et ipse ab his qui cor meum non penetrant, verbis adulatoriis favorem tuum puter [1]) redimere, et tu eisdem laudibus vel gravata, vel territa, mihi indignando succenseas. Ut autem verum fatear, multo magis tibi expedit terreri, quam delectari, dum omnimodis constet, quod sine vita laudabili laudabile nomen habere velle, certissima damnatio sit. Proinde quoniam in omni agone christiano, vir summae perfectionis dicit: *Ego me non arbitror comprehendisse,* [2]) et item scriptum est: *Cum consummaverit, homo tunc incipit,* [3]) et quia secundum quemdam sapientem, laudes hominis, si verae sunt, praeconia sunt; si falsae, crimina: restat ut nemo quamvis nullius facinoris seu flagitii sibi conscius sit, superbiat, sed timeat quilibet in profectu positus, desideret et studeat major haberi opere quam nomine; non in se ruinose, sed in Domino solide glorietur, quia non qui se, sed quem Deus commendat, ille probatus est. [4]) Vale in Christo, mater venerabilis, meique et memorum tui memento in orationibus tuis.

XVII. — XVIII.

Hildegardi Guibertus Gemblacensis. [5])

Guibertus actum iter memorat, novum sperat, variasque mittit quaestiones XXXVIII, his litteris subjectas, inserto epistolio Villarensium.

a. 1178, in Quadragesima.

Sanctissimae matri et dominae suae Hildegardi, Wibertus filialem cum debita reverentia servitutem.

Autumnali tempore, a beatitudine tua regressus, priusquam in cubiculum genitricis meae, Gemblacensis videlicet ecclesiae, me referrem, ad Villarense coenobium, reverentissimos fratres, dominos meos visitatum diverti. Ubi saepius coram abbate [6]) et ipsis fratribus relecta [7]) epistola, quam mihi per dominum Sigerum nobilem virum transmiseras, et relatis rationibus quas mihi quaerenti de multis in tantillo temporis spatiolo, quo apud te die noctuque de ore tuo inhianter pendens manseram, in sapientia quae tibi data est, reddideras, eorum animos quaedam abs te sciscitandi ardor tantus accendit, ut secundum quod mente singuli movebantur, statim subscriptas quaestiones in unum compingerent, et mihi eas, quod familiarem tuum me scirent, tibi dirigendas, et a te enodandas, cum his brevissimis litteris imponerent.

[1]) *putet* cod. — [2]) Phil. III, 13. — [3]) Eccli. XVIII, 6. — [4]) II Cor. X, 18. — [5]) Ex eod. cod. Bruxell. f. 152, 153. — [6]) Insignis tunc abbas erat Utricus Allemannus. — [7]) *relicta* cod.

Hildegardi monachi Villarenses.

Virgini et famulae Christi, Hildegardi, fratres Villarensis monasterii.

O mater sanctissima, dilecta a Deo et hominibus, cujus amabilis et grata praesentia, cujus memoria in benedictione, quoniam per te et in te novum fecit Dominus super terram, in eo quod novo sanctificationis genere, non in doctis humanae sapientiae verbis, sed in doctrina spiritus, te mirabiliter illustravit, et spiritu intelligentiae replevit, ut per te incerta et occulta sapientiae suae fidelibus aperiret, reverentiae tuae pedibus advoluti, sanctitatem tuam affectuose rogamus, quatenus subjectarum quaestionum secreta, in charitate Jesu Christi petentibus, pro viribus quas dedit ipse, reserare digneris, ad dandam scientiam salutis nobis, qui sedemus in tenebris et umbra mortis, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.

Horum petitioni ipse quoque meam subjungens, obsecro te, dulcis et reverenda mater, ego servus et famulus tuus, idem [1]) una mecum non solum praedictis, sed et quam pluribus aliis fratribus supplicantibus, ut invocata in auxilium Divinitate, optatissimo nobis operi accingaris, et exercitium laboris toti Ecclesiae profuturi sine dilatione aggrediaris. Discretionis autem tuae erit, faciliores et olim a Patribus discussas secernere, et summatim perstringere, obscuriores vero et necdum ad liquidum propalatas, ut sunt illae de anima, et de differentia nativitatis Filii, et processione Spiritus Sancti, et caeterae in hunc modum, diu versando et revolvendo, ad notitiam etiam mediocrium in lucem producere, ut de bonis domus tuae edant pauperes et saturentur; et te dante eis materiam laudis, ad profectum tuum laudent Dominum; et ad gloriam nominis ejus, qui memoriam facit mirabilium suorum, et dat escam timentibus se, dicatur de illis: *Manducaverunt, et saturati sunt nimis, et desiderium attulit eis Dominus, non sunt fraudati a desiderio suo.* [2])

Nec semel [3]) contentus, iterum atque iterum moneo, precor, obsecro, ut super cujusque quaestionis solutione infatigabili Dominum oratione pulses, donec in sanctuarium ejus admissa, intelligas in novissimis eorum; indeque ad nos in claritate vultus egressa, fulgore revelationum Dei illumines tenebras ignorantiae nostrae.

Quia vero, sicut beatus testatur Gregorius, aliquando prophetae sancti, dum consolantur ex magno usu prophetandi, quaedam ex suo spiritu proferunt, et se haec ex prophetico Spiritu dicere suspicantur, summopere tibi cavendum est, ne dum magna polles gratia Spiritus, parva utaris discretione spirituum; et quicquid spiritui tuo visum fuerit, id statim imputes Spiritui Sancto, dicens: « Haec audivi et vidi in Spiritu, » nisi ipse, qui scrutatur etiam alta Dei, manifesta ostensione quid dicendum sit, tibi insinuet: quoniam juxta eum qui ait: *Dominus celavit me, et non indicavit mihi,* [4]) multo tutius et laudabilius est in tam obscuris et a sensu humano remotis rebus, humiliter ignorantiam confiteri, quam novum aliquid quod probabile non sit, inconsulte astruere.

[1]) *id quo una* cod. — [2]) Ps. LXXVII, 29. — [3]) *Ne semel* cod. — [4]) IV Reg. IV, 27.

Ne vero iterato eadem stylo repetere molestum sit, si quam earumdem quaestionum in aliquo operum tuorum solvisse te recolis, ubi solutio ipsa inveniri possit, indicare studeas, aut quod magis opto, hic ex integro, sicut in suo loco posita est, transcribere non negligas.

Nuper quoque jam, scilicet post Purificationem sanctae Mariae, cum denuo ad visendos filios tuos Sigerum et Anselmum, qui in Christi tirocinio exercentur, Villari devenissem, vehementer a fratribus exactus sum, utrum nec ne quaestiones de quibus agimus, adhuc ad te direxissem. Cumque me de inopia fidi portitoris excusare conarer, omni illi excusatione rejecta, ignaviae me radarguentes, acriter in me commoti sunt, quod tam diu distulissem. Interea illic me remorante, Petrus clericus de villa Monasterias, [1]) mihi notus, ab Hiesosolymis regrediens, et per domum tuam regressum habens, ex insperato litteras tuas nobis exhibuit, praedictos novicios dulci afflatu consolantes: sed amaritudinem animi tui, quae ex dolore mortis domini Vulmari, [2]) Praepositi tui, tibi inflicta est, lacrimabiliter subjungentes. Quibus lectis, etsi pro benignitate vel sedulitate, qua amicorum tuorum, longe licet positorum, studiosa es, gavisi sumus, contritionem tamen baculi, cui innitebaris, et destitutionem solatii domus tuae, non sine gemitu compassionis accepimus. Fecimus vero quod praeceperas, et facimus, amicum scilicet expatriantem pio missarum et orationum obsequio prosequentes, et omnes amicos vel familiares nostros, ut idem faciant, obsecrantes.

Deinde reversus ad Gemblacense monasterium, ex improviso audio referri a dicentibus domnum Abbatem [3]) nostrum ad sanctum Quirinum causa orationis proficisci parantem, et si facultas suppeteret, per te regredi disponentem. Verbum hoc auditui meo dedit gaudium et laetitiam; statim litteras istas explicui, hoc intendens, ut per comites itineris ejus eas tibi transmitterem. Sed cum nil tale sperarem, coronae exultationis meae etiam cumulus, ut ita dicam, superpositus est, dum nescio quo instinctu, ipso ordinante, socius itineris ejus assumptus, tibi eas praesentialiter per memetipsum de manu, ut dicitur, in manum certissime obiter porrecturum fiderem.

Questiones autem illae quas per me praedicti reverentissimi fratres sanctitati tuae absolvendas transmittunt, in hunc modum se habent. [4])

Cap. I. *Quomodo intelligendum est... etc.*

(Patrologiae tom. CXCVII, col. 1040 quaest. **I)**

II. *Quid est quod scriptum est...*

(Ibid. quaest. II.)

[1]) in cod. videtur scribi *monasterii: as.* — [2]) Cf. in epistola XV. — [3]) Idem est abbas Joannes qui diu rexit, saepe vexavit Gemblacum ab a. 1150 ad 1196. — [4]) Sequuntur XXXVIII quaestiones, quamvis XXXV numerentur in iudiculo, tribus numero carentibus; varietates vero tam in ordine quam in formulis notatu dignae sunt, et in primis nova argumenta quae occurrunt tam in quaestionibus 6, quam in responso ad quaest. XII, edd. VIII; quae nova sunt, tantum rescripta sunt ex cod. Lemniscis novae quaestiones insigniuntur, quibus fortasse responsio deest, quia Hildegardis eas solvere noluit. Aliae prorsus sunt quaestiones Villarensium infra positae, et aliae huc subjectae, nisi tamen duplicem quaestionum syllabum miserint Villarenses.

÷ III. *Quomodo intelligendum est:* « Fons ascendebat de terra, irrigans universam superficiem terrae. » (Gen. II. 6.)

IV. *Ante quam primus homo...*

(Ibid. quaest. III, col. 1041)

V. *Quo genere...*

(Ibid. quaest. IV).

VI. *Quales oculi...*

(*Ibid. quaest. VI,* col. 1042)

VII. *Quid est quod Dominus dixit*: Ecce Adam...

(Ibid. quaest. V.)

÷ VIII. *Quid est quod scriptum est:* Septuplum ultio dabitur de Cain; de Lamech autem septies septuagesies. »? (Genes. IV, 15.)

÷ IX *Cum Enoch et Elias in terreno Paradiso corporaliter translati esse credentur, numquid in loco tantae felicitatis, corporeo cibo et indumento egere credendi sunt?*

÷ X. *In qua parte terrarum credendum esset esse Paradisum?*

XI. *Quid est quod Dominus dicit ad Noe...*

(Ibid. quaest. VII.)

XII. *Qualia corpora...*

(*Ibid. quaest. VIII,* col. 1043)

Habent angeli naturalia corpora, [1]) sicut homines sua; et sunt animalia, sicut homines, immortalia tamen, quod nondum sunt homines; porro ipsa corpora mutant, et versant in forma et specie quas [2]) volunt, quando apparere volunt, densantes et solidantes ea, quantum volunt. Cum tamen in sui veritate prae subtilitate naturae suae impalpabilia sint, et nostris omnino inattingibilia visibus, an vero simplici spirituali substantia subsistentes, corpora cum opus est, sumunt, rursumque expleto officio ponunt, in eam de qua sumpta sunt, materiam dissolvenda.

XIII. *Cur Abraham...*

(*Ibid, quaest. IX,* col. 1043)

XIIII. *Quare in spelunca...*

(*Ibid. quaest. X*)

XV. *Fuit ne verus...*

(*Ibid. quaest. XI,* col. 1044)

XVI. *Quid est quod...*

(*Ibid. quaest. XII*)

XVII. *Numquid vere...*

(Ibid. quaest. XIII)

÷ .... *Quid est* [quod] *de Jonatha dicitur:* Cum comedisset de melle, illuminati sunt oculi ejus. (1 Reg. XIV, 27.)

÷ XVIII. *Quid est quod dicit Apostolus, se in paradisum et usque ad tertium coelum raptum, nescire, sive in corpore, sive extra corpus, hoc factum sit? utrum*

[1]) Caute legenda sunt, quae ante scolasticam rigidiorem disciplinam per veteres cathedras et libros circumferebantur. Cf. de corpore angelico Lenourry Dissert. de Tertulliano et Clemente Alexandrino *Patrol. lat.* t. I, gr. t. VIII. — [2]) *qua volunt... solidantes eas* cod.

ex corpore, cum anima ejus ad ista raperetur, exivit, an in corpore manens, et illud vivificans, ad ista pervenit? (II Cor. XII, 2 sqq.)

XIX. *Quid est quod idem dicit:* Omne peccatum quodcumque fecerit homo extra corpus est; qui autem fornicatur, in corpus suum peccat?

(*Ibid. quaest. XIX*, col. 1066)

XX. *Quid est quod dicit:* Si linguis...

(*Ibid. quaest. XIV*, col. 1045)

XXI. *Quae est longitudo... et profundum, quae ab Ephesiis comprehendenda sunt.*

(*Ibid. quaest. XV*)

XXII. *Quid est quod de Domino scriptum est:* Et accesserunt...

(*Ibid. quaest. XXI*)

XXIII. *A die resurrectionis...*

(*Ibid. quaest. XX*)

XXIIII. *Cum novae animae... parvulorum animare creduntur...*

(*Ibid. quaest. XXII*, col. 1047)

XXV. *Quid est quod...*

(*Ibid quaest. XVI*, col. 1045)

..... *Quid est quod idem...*

(*Ibid. quaest. XVII*)

..... *Quid est quod dicit.*

(*Ibid. quaest. XVIII*)

XXVI. *Cum Dominus in Evangelio de seipso dicit.* Ego ex Deo processi et veni, (Joan. VIII) *et de Spiritus Sancto:* Spiritus qui a Patre procedit, *inter processionem Filii et processionem Spiritus Sancti quae differentia est, ut ille dicatur Filius, quod dici non debet, nec recte dici potest Spiritus Sanctus? Inter generationem Filii et processionem Spiritus Sancti quae distinctio, cum utraque ex Patre sit?*

(*Ibid. quaest. XXIII*, col. 1047)

XXVII. *Gratia Dei...*

(*Ibid. quaest. XXV*)

XXVIII. *Quomodo est intelligendum...*

(*Ibid. quaest. XXVI*, col. 1049.)

XXIX. *Quae et qualis... facit. Cum ex corde humano cogitationes malae frequenter exeant, quomodo sciri potest quae ex corruptione...*

(*Ibid. quaest. XXX*, col. 1050)

XXX. *Numquid spiritalibus oculis...*

(*Ibid. quaest. XXXII*, col. 1051)

XXXI. *Ignis gehennae... de materia quatuor elementorum.*

(*Ibid. quaest. XXXIII*)

XXXII. *Parabolae...*

(*Ibid. quaest. XXXV*, col. 1052).

XXXIII. *Cum secundum...*

(*Ibid. quaest. XXXVI*).

XXXIIII. *Quid specialis...*

(*Ibid. quaest. XXXVII*)

XXXV. *In quali corpore...*

(*Ibid. quaest. XXXVIII*, col. 1053)

XIX.

Hildegardi Guibertus Gemblacensis. [1])

Dolet de intercepto itinere suo ad Hildegardem, iterumque regerit quaesita a Villarensibus.

a. 1178.

Matri sanctissimae Hildegardi Guibertus.

Gaudium, quod de visione et collocutione tua cum abbate nostro, tempore quadragesimali ad te proficiscendo, divinitus mihi indultum credideram, ad tempus quidem mihi invidia, ut puto, Diaboli sublatum est. Nam cum Coloniam usque processimus, iter nostrum impediente Satana, et per iniquas carnalium propinquorum suorum suggestiones propositum abbatis ad te protendendi conturbante, ulterius destitimus. Sed spero, quod ablatum mihi doleo, opportuniori tempore, remotis omnibus impedimentis, gratia mihi divina restituet.

Interim tamen de quaestionibus illis, quas per me fratres Villarenses ad te solvendas mittebant, quasque ego revocatus ab itinere, tibi perferendas, dilecto mihi Balduino [2]) commisi, quid actum sit, vehementer scire cupio, utrum videlicet, nec ne ad te pervenerint. Quod si pervenerint, obsecramus omnes, nostrae partis amici tui, in spiritu tuis effusi [3]) pedibus, ut mare solutionis earum fiducialiter ingrediens, aurae Spiritus Sancti vela committere non pertimescas, tali duce freta, sine difficultate placido portu mox adlapsura.

De quibus etiam precor, ut cum praescriptis litteris Villarensium et nostris, solutionibus earum praescribas, ut alterae ex alteris gratiores fiant, et clarius elucescant. Nostra a praesentium latoribus discens, tua quoque per eos notifica, ut aut compatiamur dolenti, aut coexultemus gaudenti, quia amicorum omnia debent esse communia. Valè in Christo, et ora pro nobis.

XX.

Hildegardi Guibertus Gemblacensis et Villarenses. [4])

Rursus de quaestionibus Villarensium, qui inscio Guiberto, scripserunt epist. XX et XXI.

a. 1178.

Speculativae famulae Christi Hildegardi, spirituali matri fidelium, fr. Guibertus Gemblacensis, et Villarensis ecclesiae fratres et filii, immortalis gloriae palmam, et florem in coelesti Hierusalem colligere.

[1]) In cod. codice praecedentia subsequitur haec epistola, praeter pauca jam edita in Patrol. l. l. col. 1038. — — [2]) *Baldo* in edd. — [3]) *affusi* edd. — [4]) Ex eod. cod. f. 155, 156.

Benedictus Deus, mater sanctissima, qui te, ut credimus, singulari gloria donaturus in coelis, speciali gratia praevenire est dignatus in terris, ut qui profecerunt in Domino, per te in melius confirmentur, in spem veniae peccatores erigantur, pusillanimes consolentur, qui ignorant et errant, sacris tuis ammonitionibus instruantur. Hujusce spei beata suadente laetitia, de secretis et mysticis et rebus maximis ad sanctitatem tuam scripta dereximus, et ut in desideratam notitiam veritatis tuis responsionibus inducamur, suppliciter exoramus.

Rogamus quoque ut sic materiae dignitati deservias, et sic expectationi nostrae satisfacias, quatenus in rebus tantis, quae sunt necessaria non omittas, et quae dicenda sunt, bonitatis studio nulla festinatione praetereas. Si enim quae hactenus ignoravit mundus, per te nota fiant in ecclesia Dei, gloria Christi erit, et memoriale tuum in saeculum saeculi. Ut igitur in generatione ventura fulgeas, sicut splendor firmamenti, aperi os tuum in lege Altissimi, ut plenitudine tua capientes, intelligamus et sciamus incerta et occulta sapientiae Dei.

Hoc nos qui quaestiones collegimus, sanctitatis tuae pedibus inclinati, fusis precibus, obsecramus, et nobiscum pueri tui, frater Anselmus, Sigerus, Joannes, quos ab initio dilexisti, et fovisti, et sanis ammonitionibus informasti. Ipsi cum charissimo fratre nostro Eustachio, qui licet te corporeo aspectu non viderit, vehementer tamen in Christo te diligit, et cum omni Ecclesia nostra, affectuosa benevolentia te salutant, orationibus tuis sanctis se fideli supplicatione commendant: hoc praecipua devotione rogantes, ut opus egregium, opus sanctum, omni dignum benedictione prosequaris et impleas: in quo, sicut in speculo, gratia tuae sanctitatis effulgeat, et novitas perspicuae veritatis appareat,

Evigila igitur, speculativa anima, ad gloriam Dei et profectum Ecclesiae, totis viribus opus pietatis aggredere, et ingenii tui naviculam, excellentiae tuae meritis ornatam, in mari magno et spatioso dirige; ut vela facundiae tuae Sancto Spiritu sublimius erigendae et replendae, in potenti doctrina verborum tuorum velificemus in serenitate pacis et lumine veritatis.

De sede et positione Abbatiae nostrae fluctuant nostra judicia, et nutant consilia. Utinam precibus tuis de hoc ambiguo aliquid, quod nobis secundum Deum tenendum sit, ostendatur, ut in definitione tua nostra vota confluant, et desideria conquiescant.

Librum [1]) a sanctitate tua editum, et nobis transmissum, cum gaudio suscepimus, studiose legimus, affectuose amplectimur, dum totius gratiae largitorem benedicentes, et ei super muneribus quibus vos undique fulsit, et ad salutem provocat, gratias agentes, qui ea quae in eodem libro dicta sunt, ad correctionem legentium, vel audientium benigna tibi pietate inspiravit. Vale, et pro nobis misericordiam Dei non cessas exorare.

[1]) Hunc librum sub. num. XXI, iterum memorat, neque alius videtur quam noster *Liber vitae meritorum*, quem Villarenses in mensa legere solebant.

XXI.

Hildegardi Guibertus. [1])

Adhuc de missis quaestionibus, pro quibus ad Hildegardem Sigerus dirigitur.

Dilectae sponsae Jesu Christi, Hildegardi fr. Guibertus Gemblacensis, et Villariensis Ecclesiae fratres et filii, in spiritu et humilitate matris Virginis ambulare, in sanctitate et justitia beatorum virginum tempus corporeae resolutionis implere.

Benedicimus Deum coeli, qui nostra tempora non despexit, et ne saeculo nostro [2]) miraculum deesset, virtutis aut futurae glorificationis exemplum, mundi tenebras claritatis tuae fulgore fugavit. In genere enim visionum tuarum, in ratione expositionum, in puritate sententiarum, quae catholicae per omnia consonant pietati, te Spiritus Sanctus mirabiliter illustravit, et per te parvulis incerta et occulta sapientiae suae multifarie revelavit. Tu per gratiam Dei vas es electionis effecta, Deo charissima, angelis grata, hominibus necessaria, et delecta [3]) ad dirigendos pedes eorum in viam vitae, ad cognoscendam magnificentiam potestatis aeternae. Agnoscunt enim in sacris excellentiae tuae meritis sexum femineum divinitus honorari, videntes gloriam tuam, gloriam quasi regnante a Patre, plenam gratia et veritate.

Ave ergo, post Mariam gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, et benedictus sermo oris tui, qui invisibilium secreta defers ad homines, qui sociat terrenis coelestia, humanis divina conjungit. Hoc corde credentes, ore confitemur, quod tu es fons hortorum, puteus aquarum viventium, quae fluunt impetu de Libano. [4])

Per illum ergo, cujus munere talis effecta es, te suppliciter exoramus, ut doctrinae tuae rivulos ad quaestionum nostrarum profunda convertas, et desideriis nostris vitae poculum propinando sobriam ebrietatem spem sitientibus animabus infundas. Sciat tua dilectio, quod intenta perscrutatio tua in ratione hujus secreti grata nobis erit super millia auri et argenti.

Adest carissimus filius tuus, frater Sigerus, [5]) qui consilio tuo suadente, mundi gloriam mira libertate contempsit, ad dulcia ubera tuae consolationis devota peregrinatione recurrit: per ipsum parvitas nostra in Christi claritate te salutat, precibus tuis sanctis se tota devotione commendat, et per talem nuntium sibi remitti quaestionum responsiones desideranter exorat. Spes inquisitionis et expectationis nostrae pro gratia tibi data in gaudio manet exultationis, nunc ad gloriam Christi, et profectum totius Ecclesiae, cogita diligenter, ut sic responsio tua profluat, quatenus in generatione saeculorum gratiarum sit actio et vox laudis.

[1]) Ex eod. cod. f. 156. — [2]) *nostrum* cod. — [3]) *dilecta* cod. — [4]) Cant. IV, 15. — [5]) Quaerendum an Sigerus ille qui supra dicitur jam visse Hildegardem, idem sit atque nobilis vir de Waura supra laudatus. Caeterum haec, inscio Guiberto, fuisse scripta monent sequentes litterae.

XXII.

Monialibus S. Ruperti Guibertus. [1])

Monet binas epistolas, supposito suo nomine, missas fuisse a Villarensibus morarum impatientibus. Inquirit de sparso rumore obiisse Hildegardem.

Sanctissimis sororibus ecclesiae beatae Mariae sanctique Roberti, quae est in Bingia, [2]) fr. Guibertus, Gemblacensis monachus, perpetuo sanctarum virginum in coelis frui contubernio.

Duo praescriptarum litterarum paria, licet praeposito nomine meo, me tamen ignorante, fratres Villarenses diversis temporibus scripserunt, et dominae meae sanctae matri nostrae Hildegardi: primas quidem per unum quemdam, cum adhuc Gemblaci essem; secundas vero per dominum Sigerum, fratrem suum et communem amicum nostrum, cum jam Bingiae vobiscum degerem, transmiserunt. Qui scilicet Sigerus, comperto me ibi esse, et ut sperabat invento, valde gavisus est; et easdem per me litteras ipsi dominae meae, et vobis, ut recolere poteritis, praesentavit.

Sed ut ad superiora recurram, anus praedicta a Villari Gemblacum anno praecedenti adveniens, primas nobis ex parte fratrum exhibuit, et alia quaedam secreta in quibus adjutorio nostro indigebat, intimavit. Quas cum percurrissem, tum prae dulcedine mittentium, tum pro reverentia ejus cui mittebantur, vehementer exhilaratus sum; tum etiam quod ad reditum ejusdem anus expectatas diu quaestionum nostrarum solutiones, me et praedictos fratres sperarem indempturos.

Supra modum tamen miror ego, quid causae extiterit, quod nullam mentionem intulerit nuntiati nobis ante aliquos dies obitus ejusdem venerabilis dominae meae, sanctissimae magistrae vestrae Hildegardis, nisi forte hoc falsum sit; aut si verum est, ipsi pro eo quod nullus adhuc certus nuntius de domo vestra id attulerit, pro falso computent. Neque rumorem hunc, qui inde jam apud nos late percrebuit, et multorum viscera concussit, et aures tinnire fecit, quamvis eos in silvis latentes, latere puto.

Mihi tamen interim dolor iste moderatus est, vel pro eo quod rumor idem in dubio dependet, aut si verus est, quod sciam illius sanctae luminosam animam ad Patrem luminum translatam, et filii ejus Jesu Christi, sponsi videlicet sui, gratiosis amplexibus exceptam, aeterna frui claritate. Hinc est etiam quod non ad ejus personam more solito, sed ad conventum vestrum, sorores charissimae, praesentia scripta dirigo. Oramus itaque vos, quatenus certificetis nos de singulis per litteras, ut si adhuc vobiscum est lumen oculorum vestrorum, gaudentibus congaudeamus; si vero sublatum est luminare orbis terrae, vobis tristitia depressis compatiamur; illi autem pro reddita demum corona justitiae congratu-

[1]) Ibid. f. 156. — [2]) Nomen varie in his litteris scibitur *Bingi*, *Bingia*, *Binguia*.

lemur, et pro jure familiaritatis et amicitiae, licet non indigeat, debita persolvamus officia.

Quod si adhuc superstes est eadem beata mater, insistite, obsecro, et orate eam, ut secundum verba fratrum Villarensium in solutione praedictarum quaestionum ita materiei dignitati deserviat, quatenus in rebus tantis quae sunt necessaria non omittat, et quae sunt dicenda, brevitatis studio nulla festinatione praetereat.

Si vero defuncta est, rescribite nobis, qua die educta de corpore, quo loco, aut a quibus personis sepulturae tradita sit, et tam praesentes quam et eos quos in praeterita quadragesima ad eam litteras direxeram, cum subjectis quaestionum capitulis, et earum solutionibus, si quas tamen ante obitum suum solverat, nobis solerter remittite: quatenus tam nostra ad eam, quam ejus ad nos scripta sub uno [libro] compingentes, [1]) gratum semper et oculis et auribus nostris ejus memoriale provideamus.

Librum meritorum vitae, [2]) ab ipsa sancta matre nostra editum, a charitate vestra nobis transmissum, debitae venerationis affectu suscepimus; summa ammiratione dignum ducimus, cujus mirifica doctrina et Villarenses primo ad mensam suam optime saginati sunt, et nos modo ad lectionem collationum delectabiliter potamur. Omnipotens Deus ab omni malo vos custodiat, et subsidia vobis suae protectionis semper indulgeat. Amen. Vale.

XXIII.

Hildegardi Guibertus. [3])

Laetus fausto nuntio, Hildegardi et monialibus suis commendat juvenem saecularem, duos clericos, ac Robertum novitium, epistolae scriptorem.

a. 1178.

Sanctissimae matri suae H. G. aeternam in Domino salutem.

Gladius doloris, qui ex divulgata apud nos morte tua, animam meam pertransibat, redeunte a beatitudine [tua] sorore Mathilde, post longas tandem moras, dimotus est. Post longas, inquam, moras, quia cum illa, ante festivitatem omnium sanctorum, te petens a nobis abierit, et computatis diebus circa octavas beati Martini reditura putaretur, quodam praedita infortunio, non nisi post octavas Epiphaniae reversa est.

Cum igitur ex tanta dilatione aut infirmari, aut certe in itinere mortua credi posset, ex insperato rediens, et te gravi aegritudine convaluisse nuntians, auditui meo gaudium refudit, et laetitia [4]) exhilaravit mentem, et os meum, post multum moerorem, in verba gratiarum actionis laxavit. Nec immerito sane: quip-

[1]) De hoc libro vel fasciculo cf. p. 400 n. 1. — [2]) Mirum est ignotum tamdiu remansisse hunc librum, quem, vivente Hildegarde, majora monasteria et inter mensam et in collationibus publice lectitabant. — [3]) Ex eodem cod. f. 157. — [4]) *laetitiam* cod.

pe qui ab uberibus maternae consolationis tuae longo adhuc tempore potari et nutriri, Deo favente, vehementer et opto et cupio.

Oro itaque, o mater et domina, ut quoad vivis et sapis, coepto resolvendarum quaestionum operi insistas, et pro innumeris excessibus meis [1]) Deum jugiter interpellare non desistas. Novit ille in quantis magna ipsius misericordia et auxilio [2]) indigeam.

Juvenem illum, quem in primis litteris meis sanctitati tuae commendavi, nunc iterum attentius commendo, quoniam a Satana ad tentandum expetitus, et diu tentationis cribro ventilatus, in multis, proh dolor! tentatori cedens succumbit, et corde facili juvenilis aetatis desideria sequi non pertimescit. Memor ergo juvenis illius, quem beatus evangelista Joannes a latrocinio retractum, et poenitentia subsequente multis facinoribus expiatum, pio affectu Ecclesiae restituit, et etiam praefecit, ora, precor, sedulo et pro isto, ut dixi, qui dixit [3]) de tenebris lucem splendere, et vasa irae et contumeliae, apta in interitum, in multa sustinet patientia, vas istud perditum recuperet, pollutum abluat, ut in domo ipsius vas electionis et gratiae permaneat, deincepsque idem adolescens, divina inspiratione compositus, noxias delectationes vitare praevaleat. De quo [4]) multum, quid mihi agendum sit, Deo per te demonstrante, si ipsi placeret, scire cuperem. Nam si in duritia cordis, qua nunc detinetur, permanere praescitus est, judicio Dei obviare formidans, nec sanctum darem [5]) canibus, nec margaritas verbi Christi ante porcum projicerem, neque terram reprobam et maledictione mulctatam, quod tamen ab eo longe sit! excolere curarem. Si autem in parte sortis sanctorum censendum scirem, acriori et frequentiori exhortationum medicina plurimis et veternosis ejus vulneribus, ut ad salutem reduceretur, insisterem, multa precum instantia per spirituales amicos meos, ut orent ad Deum pro eo, quatenus oleo illo a cujus facie jugum putrescit, circa vincula ejus diffuso, colligationes impietatis, quibus modo astrictus tenetur, dissolveret, ut in libertatem gloriae filiorum Dei revocatus, exultans cantaret: *Dirupisti, Domine, vincula mea, tibi sacrificabo hostiam landis.* [6])

Sunt praeterea duo clerici mihi valde amabiles: magister videlicet Guilelmus Namucensis, vir honestae conversationis, non solum mihi, ne de privato amore falli puter, [7]) dulcis et reverendus, sed et omnibus quibus innotescit, pro suorum elegantia morum ex affectu venerandus; et alius, ex nostro videlicet Gemblacensi oppido oriundus, Bovo nomine, [8]) summae mansuetudinis adolescens, quod ad illuminandam et adjuvandam domum nostram, vel aliam aliquam in beneplacito suo praeparare, dignetur Deus: ipsum exorare exoratum cupio.

Praesentium quoque litterarum exaratori, Roberto, dilecto meo, nuper et gratia Dei et monitu nostro a saeculi vanitate converso, et sub signis militiae Christi jam laboranti, ut orationum tuarum suffragia non desint, efflagito, quatenus tuis flexa precibus, pietas regis aeterni futuri militis sui tirocinium benigno favore

[1]) *commune Deum* cod. nescio quo lapsu. --- [2]) *ut auxilio* id. --- [3]) Bis *dixit* cod. f. *facit*. --- [4]) *de quod* ib. --- [5]) *dare* id. --- [6]) Ps. CXV, 17. --- [7]) *falli putet* cod. Guiberto placet insolitum passivum, jam supra usurpatum. --- [8]) An idem qui sub num. XXVI appellatur?

prosequatur, et ab omnibus quibus ab infestatore maligno, scilicet Diabolo, novitiorum teneritudo terreri solet, jaculis tueatur, intentioneque cursus ejus, inter discrimen vitae praesentis, velificante fide, et grata Spiritus Sancti aura subsequente, dirigat, donec omnibus exemptum periculis, in placida statione oblati portus, hoc est in securitate beatitudinis aeternae, eum ad vota componat.

Sanctum conventum sororum sub tua cura Deo servientium, ore tuo, dulci officio saluto, utque et ipsae [1]) tam pro me, quam pro his omnibus quos praemisi, clementiae Christi supplicent, efficito: hoc maxime orantes, ut carnalia desideria Spiritus Sanctus a nobis removeat, et corda nostra adhuc torpentia et obscura, amoris sui et calorè ferventia et luce fulgentia efficiat.

Praesentes litteras et quascumque hactenus vel fratrum Villarensium diversis et temporibus et chartis tibi sparsim transmisi, mihi nunc sedulo rogo retransmitti. Volo enim omnia et tua ad me et mea ad te sub uno scripto [2]) colligere, et ad consolationem meam, et ad eos qui forte legere dignabuntur, divinae admirationis pro muneribus ejus excitandos, mihi in posterum reservare. Vale in Christo cum tuis omnibus.

XXIV.

Hildegardis Guiberto et Villarensibus monachis. [3])

Exorditur a Cantic. II. 5, ut charitatis ignem accendat, monetque jam se XIV quaestiones solvisse.

anno 1178.

Fratri G. Gemblacensi et Villarensis ecclesiae fratribus, Hildegardis.

In spirituali visione animae meae, haec verba vidi et audivi:

O filii charitatis, qui de inexhausto et in vitam aeternam salienti fonte imbuti, et qui etiam ab inextinguibili lucerna verbi Dei accensi estis, ita ut sine taedio in pura fide quae ejus sunt quaeratis, et ea invenire desideretis, verba ista grata vobis acceptione audienda sunt.

Introduxit me rex in cellam vinariam, et ordinavit in me charitatem: fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo. [4]) Quod sic intelligendum est.

Deus veterem Legem constituit, in similitudine formae, quod fusor morte sua de limo secundum voluntatem suam facit, ut per eam postea de metallo opus quod voluerit, convenienter componat. Lex etenim vetus umbra fuit nobilis floris, quem Deus in antiquo consilio de Maria Virgine processurum ordinaverat. Flos autem iste Filius Dei est, et splendidus sol, qui radiis suis totum mundum illuminavit; et vitis vera, quae optimo vino nos potavit, cum per indumentum humanitatis suae speciosam formam Divinitatis ejus, ex munere largitatis ipsius, agnovimus, et in sapientia veram doctrinam purae fidei didicimus.

[1]) *ipse* cod. — [2]) *sub uno scripta* cod. Hanc fortasse collectionem totam tenet cod. Bruxellensis. — [3]) In eod. cod. f. 158. — [4]) Cant. II, 5.

Sicque in nobis ordinavit charitatem. Charitas enim inextinguibilis ignis est, per quam scintillae ejusdem fidei flagrant, quae in cordibus fidelium ardent, qui per charitatem Dei ad fidem accenduntur: quam nunquam habere possent, nisi eum in corde prius diligerent, et sic ordinatio charitatis in vobis est.

Per scintillas namque istas, quae ex ipsa vera fide erumpunt, martyres in effusione sanguinis ad coelestia desideria volaverunt, ardentes illo inextinguibili charitatis igne, et floribus martyrii suffulti, ad aeternam gloriam pervenerunt. Eadem vero charitas scintillis praedictae verae fidei mentes plurimorum fidelium adhuc quotidie replet, qui justitiam Dei esuriunt, nec umquam, licet illa saturati, [1]) in taedium cogi possunt: quemadmodum nec angeli visione vultus Dei, quem semper aspiciunt, aliquo afficiuntur fastidio, quoniam ipse charitas illa est, quae nec initium, nec finem habet.

Isti vero beati homines, fiduciali spe innumerabilium bonorum aeternae beatitudinis quasi malis stipati, ad Deum semper anhelant, quum ipsum gustum carnis in semetipsis cum martyrio exsuperantes, contemnunt, qui in hominem per gustum pomi Adae introivit. Unicus namque fons gratia sua ita eos infundit, ut a delectatione carnis extincti per indeficientem esuriem et sitim justitiae Dei, in amore ejus langueant, donec in aeterna vita magnitudine gloriae ipsius feliciter saturentur.

O filii Dei, et vos in charitate ista signati estis, quia in carne vestra [2]) mundum respuistis propter amorem veri solis, scilicet Filii Dei, qui de carne Mariae verus homo floruit, et qui charitatem suam in nobis ordinavit. Nunc autem purissimum lumen veri solis vos illuminet, et doceat, ut in sancta conversatione felici fine ita perseveretis, quatenus in vera beatitudine in aeternum vivatis.

Ego autem paupercula et indocta forma, quae magisterio profundae sapientiae vestrae subjecta sum, propter fidelem petitionem charitatis vestrae, ad verum lumen aspexi, et quantum per gratiam Dei, in solutionibus quaestionum vestrarum laboravi, quadam scriptura, quam incoeptam nondum complevi, occupata, et etiam prae nimia infirmitate, qua diu ex voluntate Dei affligor, detenta, tamen quatuordecim solutiones earumdem quaestionum praescripsi, sed deinceps per gratiam Dei viribus restitutis, et praedicto opere completo, in aliis solvendis quantum a superno conceditur arbitrio, efficacius operam dabo.

XXV.

Guiberto frater R. [3])

Congaudet Binguiae commoranti, iterumque refricat solvendas quaestiones Villarensium, quae hisce litteris subjiciuntur.

a. 1178.

Domino et amico fideli G. fr. R. in Christo vivere et in ipso mori.

Diuturnam vestri Bingiae commorantis absentiam, in partibus nostris qui

[1]) *saturari* cod. — [2]) *in carne nostra* cod. — [3]) Ex ejusd. cod. fol. 158. is fort. est Robertus scriptor.

causam ignorant, reprehendunt; nos qui scimus, non culpamus, sed aegre ferimus. Gaudemus tamen in eo quod, Deo favente, prosperis ad vota successibus vigere dicimini, quod circa reverendi nominis matrem Hildegardem versamini. Quam cum omnes qui ejus habent notitiam, ac si vas auri solidum et ornatum omni lapide pretioso, et ut Sancti Spiritus organum venerentur, vos non solo famae splendore contentus, et semel ferventiori devotione quid in vase contineretur, quidquid ex organo in communi [1]) resonaret, sponte experiri perrexistis, et secundo litteris ejus vocatus, revisere non abnuistis.

Exultamus in his, et maxime quod, ut speramus, nunc circa eam beatos dies agitis, hauriendo de pectore veterano sanctae anus aquas sapientiae: est enim, ut scriptum est, in antiquis sapientia, et dulcia coelestium revelationum ex ore ejus audienda [2]) mysteria. Gaudentibus ergo in his annuat Deus, ut speratus aliquando proveniat fructus gaudiorum; ut scilicet, cum in reditu vestro nobis esurientibus effuderitis animam vestram, earumdem benedictione [3]) revelationum, sicut adipe et pinguedine repletam, nostra quoque illarum relatione [4]) saginata, ejusdem participatione crassitudinis delectetur anima, et repleatur in bonis desiderium nostrum.

Proinde hortamur vos et rogamus, ut dum vacat, et tempus habetis, non sitis sicut immature ablactatus super matre sua, sed instanter operam detis satiari ab uberibus consolationis ejus, et [si] avulsus fueritis a lacte, etiam epulari festinetis ab introitu gloriae ipsius, quia sicut de jam sene et plena dierum, nihil aliud de ea restare videtur, nisi ut in diu expectatum sponsi sui gaudium introeat. Itaque antequam abeat, dum praesens est, properate desiderio, et miti devotione [5]) sugite ubera; comedite in mensa sanctae matris, in conspectu vestro parata; [6]) bibite, dum datur, et inebriamini in salutem. Nec in hujusmodi ferculorum aut potus perceptione crapulari pertimescatis, quia exinde non gravabitur stomachus, sed animus sublevabitur; nec evertetur status mentis, sed componetur.

Diligenter tamen considerate, quae apponuntur vobis, et potiora eligite, et quantum fieri potest, ad plurima capienda dilatetur sinus interioris hominis vestri, ut cum Deo propitio laudabiliter impinguatus, incrassatus, reversus fueritis, non ex jactantia, sicut Heliu, sed ex sententia, nec ad ostentationem vestri, sed ad instructionem nostri dicere possitis: *Plenus sum sermonibus, et coarctat me spiritus uteri mei. En venter meus quasi mustum absque spiraculo, quod laguncu- las novas dirumpit. Loquor, et respirabo paululum, aperiam labia mea, et respondebo.* [7]) Quibus scilicet? nisi mirabilia visionum matris Hildegardis scire quaerentibus.

Sed ut alia proferam, propter quae non minus stylum movi, humilitas mea vestrae dilectionis pedibus inclinata, tota devotione precatur, ut pro quaestionum nostrarum solutione vigiletis, ut debita diligentia non fraudentur, et post vestrum reditum nullatenus imperfectae relinquantur. Curate attentius, ut nihil in earum serie negligatur, nihil remaneat in eis ambiguum, nihil inexplicatum penitus

1) *communis* codex f. mendosus. — 2) *audiendo* id. Locus vero fugit me unde adducatur. — 3) *benedictionem* cod. — 4) *relationem* id. — 5) scriptura cod. ambigitur: *properare desiderio emite devotione sugite ubera, comendite* sic ille in apogr. 6) *paratam.* id. — 7) Job. XXX, 9, 10.

omittatur, sed quae in tanta rerum magnitudine dici debent, et possunt, sollicite proferantur. Pro quibus videlicet quaestionibus enodandis oportet ut tanto enixius satagatis, quanto citius finem sanctae anus propinquare videtis. Quae si aliquando vestra instantia, ante ejus transitum, debita diligentia elucidari potuerint, non minori intentionis desiderio obsecramus, ut pro his etiam absolvendis, tota sedulitate laboretis; quas hic a nobis seriatim in modum capitulorum dispositas invenietis: [1])

I. *Angeli, de quibus scribit Apostolus:* Nonne omnes administratorii spiritus sunt? [2]) *merentur-ne aliquid ex officio suae administrationis, cum prorsus absque ullo labore ipsa expleant ministeria?*

II. *E contra apostatici spiritus qui omnem Dei constitutionem semper destruere nituntur, numquid ex hoc iniquo molimine aliquid demerentur?*

III. *Numquid boni angeli vel homines sancti post judicium, ipsa pia voluntate, qua ineffabiliter Deum in aeternum diligent, aliquid merebuntur, ut sicut sempiternum erit praemium, ita et sempiternum sit meritum; et e diverso mali et angeli et homines, ipsa gravissima ingratitudine, de qua dicitur:* Non est in morte qui memor sit tui [3]); in inferno autem quis confitebitur tibi? *voluntatis injustae aliquid demerebuntur?*

IIII. *Cum immutabilis sit Deus, quomodo intelligendum est quod in veteri Testamento et de bonis hominum laetari, et de malis contristari se perhibet, et angeli sicut gaudium super uno peccatore poenitentiam agente, sic habeant tristitiam super impoenitentibus: quod si constat, qualiter utrumque accipiendum est?*

V. *Quomodo intelligendum est quod scriptum est*: Qui vult omnes homines salvos fieri, [4]) *cum nec omnes salventur, et impium sit saltem suspicari omnipotentem Deum in aliquo quae voluerit,* [5]) *deficere?*

VI. *Item cum nihil aliud in Deo sit velle quam posse, quomodo intelligendum est quod dicitur, multa Deum posse, quae nolit facere? Nam omnia quae voluerit, posse eum facere, quaestione non indiget.*

VII. *Quandoquidem in nonnullis sanctorum scriptis invenitur unicuique homini duos angelos adhiberi,* [6]) *unum ad impugnandum, alterum ad adjuvandum illum, cum aliquis obierit, numquid credendum est, eos illius angelos a tali deinceps ministerio quiescere? An et ad alios similiter vel tentandos, vel tuendos per aliquas successiones transire?*

VIII. *Item cum aliquis tentationum victor in Christo dormierit, numquid arbitrandum est, bonum angelum pro adjutorio illi exhibito et consummato ministerio in gloria consummari; malum vero aequa sorte, ut victum, in poenas sibi debitas praecipitari; in alia hujusmodi ministeria interim nutu divino repetentes, in consummationem totius operis in fine saeculi, suam quoque consummationem praestolari?*

[1]) En igitur series altera quaestionum, quarum solutionem tantopere a Villarensibus peroptatam, nullibi exstare, neque exstitisse existimandum est. Sunt vero omnes XXXV, una sine numero posita, neque nonnullis deest subtilitas, immo et quaedam audacia in hisce piissimis monachis, sane neque otiosis, neque incuriosis. — [2]) Hebr. I, 24. — [3]) Ps. VI, 6. — [4]) I Tim. II, 4. — [5]) fort. *quod voluerit.* — [6]) Saltem ab Origene vetus traditio est.

VIIII. *Quomodo accipiendum, si tamen recipiendum est, quod daemon validis astrictibus et exorcismis, Binguiae, in monasterio vestro, per energumena respondit, omnes malignos spiritus de uno choro cecidisse; cum nonnulli magistrorum astruere velint, de singulis ordinibus aliquos corruisse, aliquos remansisse?*

X. *Probabilis-ne est assertio eorum, qui dicunt plures esse homines electos quam angelos malos?*

XI. *Numquid articulata voce per serpentem Diabolus Evae ad decipiendam locutus esse credendus est?*

XII. *Quid sentiendum est de gladio illo flammeo atque versatili, quem collocavit Deus ad custodiendam viam ligni vitae? utrum materialis, an spiritualis aliqua res fuerit?* [1])

XIII. *Quod crimen illud pessimum, quo Joseph apud patrem fratres accusavit?*

.... *Quid est quod Jacob moriturus eidem Joseph dixit:* Do tibi partem unam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhaei in gladio et arcu meo? [2]) *cum nisi in filiis, nihil in eadem terra Joseph ipse possederit, qui ad eam non rediens, in Aegypto mortuus sit?*

XIIII. *Credendum-ne est quod ad petitionem Saulis, Pythonissae imprecationibus vere Samuel de morte resurrexerit?*

XV. *Quae ratio, quod homo ille quem invenerat Deus secundum cor suum, qui etiam cum Jonatha, custode vitae suae, et semine ejus foedus amoris pepigerat, Siba adversus Miphiboseth* [3]) *mentiens, interim in gratiam suam recepit, et post [quam] mendacium Sibae cognovisset, in perniciem Miphiboseth, quod dixerat confirmavit?*

XVI. *Quid est quod idem David, qui in vita sua erga inimicos suos tantae mansuetudinis fuit, moriturus ultionem fieri de Semei et Joab praecepit?*

XVII. *Cur Salomon Adoniam fratrem suum, pro eo quod Abigaïl* [4]) *Sunamitem sibi dari petierat, interfecit?*

XVIII. *Quid de salute Samsonis et Salomonis sentiendum est: cum ille tot hominum millia et se ipsum interficiens prostraverit, iste ad injuriam Dei idolorum templa aedificaverit?*

XIX. *Quae sunt illa tria et quatuor scelera Damasci et Gazae et caeterarum regionum gentium, quae in Amos propheta totiens replicantur?*

XX. *Quid est hoc quod in libro Tobiae dicitur:* Panem tuum et vinum tuum super sepulturam justi construe? [5])

XXI. *Pro eo quod dicitur in Evangelio:* In Beelzebub principe daemoniorum ejicit daemonia, [6]) *potest-ne colligi quod Satanas Satanam possit ejicere?*

XXII. *Quomodo intelligendum est, quod pendens in cruce Dominus ait latroni:* Hodie mecum eris in paradiso? [7])

XXIII. *Si, ut asseritur, terrestris locus est Paradisus, numquid vicissitudines nostri temporalis luminis patitur, an proprio suo indeficiente lumine perfunditur?*

XXIIII. *Cum scriptum sit:* Per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum; sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivifi-

[1]) Ut supra, Villarenses olfecerunt Origeniana apud Rufinum. — [2]) Gen. XLVIII, 22. — [3]) *Memphiboseth* cod. — [4]) *abIsaach* cod. — [5]) Tob. IV, 18. — [6]) Matth. XII, 24. — [7]) Luc. XXIII, 43.

cabuntur: [1]) *numquid si Christus non veniret, mortui resurgerent, ut in carne in qua peccaverant judicati, punirentur?*

XXV. *Si secundum fidem catholicam tota prorsus carnis nostrae substantia resurgentibus restituenda est, quid sentiendum est de Salvatoris nostri jam a morte suscitati, et umbilico qui nascenti praecisus est, et dentibus qui septem novis urgentibus elapsi sunt, et sanguine qui ex eo clavis et lancea perfosso defluxit: cum nonnulli horum reliquias hodieque pro certo se habere fateantur?*

XXVI. *Item si juxta Christi sententiam, omnes capilli capitis nostri numerati sunt, et unus ex illis non peribit, in resurrectione generali quid de nostrorum fiet superfluitate, vel capillorum, vel dentium aut unguium, qui aetate, natura, seu etiam infirmitate exigente, decidunt, vel quos ipsi ob curam et decorem corporis praecidimus, cum non solum indecens, sed et monstruosa eorum integra restitutio videatur?*

XXVII. *Quid opinandum est de salute naturaliter surdorum et mutorum, qui cum per aetatem possint, per rationem vel fidem sacramenta Christi petere non possunt; aut si peccaverint, nec confessionem, nec poenitentiam agere sciunt?*

XXVIII. *Quid etiam de amentium, freneticorum vel furentium, seu illorum qui per interceptionem mentis se ipsos interficiunt, salute arbitrandum est?*

XXIX. *Quid sperandum est de salute virginum vel mulierum, quae persecutionis tempore, obsequium se Deo praestare arbitrantes, ne hostium subjacerent ludibrio, se ipsas illorum manus praeoccupando, quovis genere mortis interemerunt?* [2])

XXX. *Cum in veteri et in novo Testamento diligendi et honorandi carnales parentes et spirituales magistros, et eis obediendi et honorandi praecepta habeamus, quorum dilectionem, honorificentiam et obedientiam, seu obsequium praeferre debemus?*

XXXI. *Numquid putandum est auras et ventos propriam et permanentem in natura rerum habere substantiam, aut si ex motu aeris, ut quibusdam placet, procreantur, quibus ex causis vel occasionibus nunc levior, nunc vehementior idem motus* [3]) *excitatur?*

XXXII. *Numquid turbines et tempestates aut contrariis solummodo aeris passionibus naturaliter generantur, aut etiam a daemonibus aliquando ad terrendos, sive puniendos reos Dei permissu commoventur?*

XXXIII. *Numquid fulgura ipsa credendum est sola Dei potestate dirigi, unde scriptum est:* Mittet fulmina, et ad locum alium non ferentur? [4]) *An interdum per malignos spiritus hac illacque intorqueri, cum videamus illa saepius non ubivis decidere, sed quasi cum quodam sensu aliquos feriendos, ac si designatos, inquirere?*

XXXIIII. *Dum secundum subtiliores philosophos, planetae contra firmamentum volvantur, nullatenus tamen, ut caeterae stellae, eidem firmamento infixi, sicut ex eorum vago et velut erroneo discursu probari potest, quae, vel unde est vis illa maxima, quae eorum tantae molis globos, et tam longe a firmamento distantes, contra ipsorum impetum urgendo retorquet, ut quasi sequentes firmamentum, cum ipso occidere et emergere videantur?*

[1]) I. Cor. XV, 22. — [2]) *interimerunt* cod. — [3]) *modus* cod. — [4]) Job. XLI, 14.

XXVI.

Bovoni Guibertus. [1])

Quasi praefationis instar ad sequens opusculum, describit Bingensis monasterii conditionem, Hildegardisque regimen ac vivendi modum, tum suam et testium suorum fidem statuit.

a. 1180.

Bovoni suo fr. Guibertus, a latitudine viarum saeculi, quae ducunt ad mortem, ad arctioris vitae semitam converti, per quam, juvante Deo, perducatur ad atria coeli.

Quaesierunt a me aliqui amicorum, ut qui eventus excipiant, [2]) et cujus gratiae sit domina quae me evocavit, cum ecclesia cui praeest, per hominem istum eis rescriberem. Sed quoniam te inter caeteros amicos tecum degentes, quos [3]) singulari dilectione, complector, primo tibi, deinde omnibus, qui me diligere dignantur, et mei solliciti sunt, quomodo me habeam, et quae circa me sunt, et cujus virtutis sit venerabilis mater Hildegardis et sorores, sub ejus censura Domino servientes, per te diligenter insinuo.

Noveris pro certo, quod nulla me fortunae rota seu volubilitas inutiliter circumagat: sed pia omnipotentis Jesu Christi, cui me tota devotione credidi, benignitas tanto favore peregrinationem meam prosecuta sit, ut de servitute lippientis Liae, cum qua diu gravi labore attritus sum, ad delectabiles decorae Rachelis amplexus mihi translatus videar; et de ea conversatione, in qua pridem in terra salsuginis, deserta et arida, incolatus meus nimis prolongatus est, in terram [4]) lacte et melle manantem me introductum reputem: ita ut exultans cantare possim: *Dominus regit me, et nihil mihi deerit; in loco pascuae me collocavit, super aquam refectionis educavit me, animam meam convertit,* [5]) et caetera quae usque ad finem ejusdem psalmi consequuntur. Vere populus qui me non cognoverat, obedit mihi, et gaudet de praesentia mea. Honor qui mihi immerito impenditur, supergreditur caput meum; et sicut onus grave, gravatur super me aestimatio quae de me habetur, [quae] major viribus meis, infirmae conscientiae meae non minus pavori, quam confusioni est.

Accitus itaque litteris [6]) venerabilis dominae et matris Hildegardis, ejus, ut credo, precibus prospere ad eam perveni, gratulanter non solum ab ea, sed ab omnibus ipsi subjectis exceptus sum; et nunc in pulchritudine pacis et totius jucunditatis et suavitatis cum ea habito. Consiliis ejus dirigor, orationibus fulcior, nitor meritis, substentor beneficiis, et quotidie recreor colloquiis. Nihil libentius

[1]) In ejusd. cod. Bruxellens. f. 186, 187. Bovo idemne - erit de quo nomen occurrit in num. XXIII? Id suadet epigraphe epistolae. Guibertus vero, ab Hildegarde accersitus, secundum iter agebat ad S. Rupertum. — [2]) *excipiunt* apogr. cujus librarius hoc loco haesit, agitur hic de casibus raris, qui inter caeteros excipiuntur. — [3]) *quasi* cod. — [4]) *terra* id. — [5]) Ps. XXII, 2. — [6]) Piget ac mirum est has deesse Hildegardis litteras Guibertum Bingiam, paulo ante obitum, advocantis. Quae circa autumnum a. 1179 acta videntur.

ipsa ad praesens, quantum ad exteriora spectat, videret, quam ut in domo Domini quam regit, ipse [1]) omnibus diebus vitae meae permanere habitarem, et ut interiorem curam ipsius et filiarum ejus, et considerandorum librorum quos scripsit, susciperem. Super hoc ipsa apud me votis et precibus, quibus potest, agit; [2]) super hoc et per alios, crebris interpellationibus me convenit, sed ego istud propter magnitudinem sanctitatis ejus quam offendere vereor, necdum omnino vel recepi vel recusavi, licet multo amplius in aliquo regulari claustro commorari desiderem: quia scio aliquos qui consilio meo innituntur, ad hoc me praestolantes, et si ibi remorarer, moleste accepturos. [3])

Est istic miram virtutum concertationem intueri, dum et mater filias tanta dilectione amplectitur, et filiae matri tanta reverentia subjiciuntur, ut in hoc studio, [an] mater filias, aut filiae matrem superent, vix discernatur; ipsaeque sacrae Dei famulae tam solerti et Deum devotione et se ipsas sui custodia, et alterutras honore et obedientia concorditer colunt, ut vere in eis auxilio Christi fragilis sexus et seipsum et mundum et Diabolum in jucundo spectaculo [superare] [4]) cernatur.

Nam memores Domini invitantis: *Vacate et videte, quoniam ego sum Deus*, [5]) inhibitis ab opere feriis, in claustro decenter cum silentio sedentes, lectioni et discendo cantui suo student; et obedientes Apostolo dicenti: *Qui non laborat, non manducet*, [6]) privatis diebus, per officinas competentes, vel scribendis libris, vel texendis stolis, vel aliis operibus manuum intendunt. Ita ex studio lectionis illuminatio divinae agnitionis et gratia compunctionis acquiritur, et per exercitium exterioris operationis animae inimica otiositas excluditur, et scurrilitas, quae per otiosos conventus ex multiplicium levitate verborum oriri posset, compescitur.

Et praeter hoc aliud hic considerare miraculum, dum monasterium istud non ab imperatorum, episcoporum, seu potentium aut divitum terrae aliquo, sed a femina paupere, advena et infirma, recens fundata infra breve spatium temporis, hoc est XXVII, [7]) in tantum religione et censu profecit, ut non sublimibus, sed amplis et honestis et religiosis aptissimis aedificiis, et per omnes officinas aquae meatibus deductis, opportune dispositum sit; et exceptis hospitibus, qui nunquam nobis desunt, et officialibus domus qui plures habentur, nimirum quinquaginta sororum in expensis victus et vestibus sine indigentia sufficiat.

Ipsa vero mater et dux tanti agminis vitium elationis, quae ex gloria plerumque nascitur, magna humilitatis gravitate conterens, et ex charitate se omnibus impendens, in dandis consiliis quae exiguntur, in solvendis quaestionibus difficillimis quae opponuntur, in scribendis libris, in erudiendis sororibus, in confortandis qui adveniunt peccatoribus, tota semper occupatur; et licet aetate simul et infirmitate gravetur, tanto omnium virtutum exercitio pollet, ut multa cum Apostolo dicere possit, ut illud, *Omnia omnibus factus sum*, [8]) *ut omnes lucriface-*

[1]) *ipsa omnibus diebus vitae suae* cod. — [2]) In apographo tantum habeo *quibus pagit.* cum litterula *t* praefixa, nec facile emendo. — [3]) *acceptos* cod. — [4]) iterum hic dumtaxat teneo: *Diabolum jucundo st. spectaculo.* — [5]) Ps, XLV, 11. — [6]) I. Thess. I, 12. — [7]) Ex his XXVII annis statim aliquis intulerit certam epistolae epocham. Quum conditum fuit a. 1148 monasterium S. Ruperti, epistola erit scripta a. 1175, quod ex ipso ordine codicis vix admittendum. Malim suspicari in cod. multis erroribus scatente, errorem irrepsisse in numero XXVII annorum, et epistolam relinquo circa a. 1180. — [8]) I. Cor. IX, 22.

rem, et hoc: *Etsi imperitus sermone, sed non scientia,* [1]) istud quoque: *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi; cum enim infirmor, tunc fortior sum,* [2]) et plura in hunc modum. Et de his quidem hactenus.

Sed quoniam ex occasione notificandi status, mihi mentio incidit venerandae matris Hildegardis, et a pluribus saepe et multum rogatus sum, ut vel praesentibus communi sermone narrarem, vel absentibus qualicumque stylo exarata transmitterem, aliqua de ortu conversatione et habitu ipsius, quae tanto hodie longe lateque famae celebratur praeconio, divinam ad hoc opem efflagitans, pium arbitror, et nonnullis proficuum, non universa illius, quod esset impossibile, sed de praecipuis, et de his tamen in quibus nulla prorsus veritati fiat injuria, saltem pauca referre. Tanta enim quae dicturus sum, mihi fide constant animi, ac si ea ipsis etiam exterioribus oculis perspexerim: [3]) quippe cum aliqua ex his ab ore ipsius, pleraque eorum relata qui interfuerant, et scire se certissime fatebantur, didicerim. Sed ne praefationis prolixitas pariat fastidium, jam hic affectatae [4]) series narrationis sumat exordium.

XXVII.

Hildegardis vita, auctore Guiberto. [5])

Vix incoeptum opus a limine pendet interruptum, fabrica fortasse potius intercepta ex obitu Hildegardis quam temporum aut codicum injuria.

a. 1180.

I.

Electa virgo et sponsa Christi Hildegardis, in territorio Maguntinae civitatis, quae in citerioris Germaniae partibus sita est, circa annum Dominicae incarnationis millesimum centesimum, [6]) in principio..... orta est. Parentes ejus [7]) quorum alter [Hildebertus], altera [Mathildis] vocata est, saecularis fastu nobilitatis sublimes, [8]) opum terrenarum affluentia exuberantes, famae celeritate illustres, et quod his excellit, devotione sanctorum et affectuum et operum in Deum ferventes, nomen habuere grande, juxta nomen magnorum qui sunt in ter-

1) II. Cor. XI, 6. — 2) II. Cor. XII, 3. etc. — 3) *prospexerim* cod. — 4) *affectare* cod. aperte in apogr. — 5) Ex eod. cod. fol. 187. Operae pretium esset integrum opus habere, si tamen absolutum fuerit, utpote in loco et tempore ipso, quasi sub oculis Hildegardis, exaratum. Sed ex ipsis ab initio tribus lacunis, inferre licet nil nisi schediasma imperfectum remansisse. Spes nonnulla fuit, fore ut lacuna impleretur ex altero Guiberti codice Bruxellensi. Curatores vero interrogati comiter responderunt eamdem ibi hiare lacunam, non vero in media pagina, sed in ima et in ultimo folio quaternionis. Excidit ergo sequens fasciculus, qui alibi utinam tandem reperiatur! Sed quod miror, neque Mabillonius qui codices Guiberti novit, neque Martenius qui eosdem evolvit et partim descripsit, neque Bollandiani Gemblaco vicinissimi, ullam hujus vitae memoriam reliquerunt, immo exstare eam ultimi negant. cf. *Acta* SS. l. l. n. 194. — 6) A. 1098 placuit Bollandistis; aliis a. 1099. — 7) *eorum* cod. cum sequentibus lacunis. — 8) Pater vasallus erat Meginharti comitis de Spanheim.

ra. Quae cum in procreatione seu prolatione liberorum, Dei omnia mirabiliter ordinantis nutu, decima [1]) matri et patri obvenisset, communi utriusque deliberatione et spontanea oblatione, congruoque satis consilio, ipsi Deo, qui decimas sibi in Lege offerri mandavit, ad serviendum ei in sanctitate et justitia cunctis diebus vitae suae, sic decima sua sequestrata est.

Et revera penitus sequestrata, quoniam ab omnibus et curis et filiis saeculi jam ab infantia alienam se reddens, coelestis sponsi [2]) speciem et pulchritudinem quam in ea vel per naturam posuerat, vel per gratiam ei collaturus erat, in recupiscentem reciproce toto cordis ambitu desiderare et amplecti studuit, eique per internam unctionem vocanti se et dicenti: *Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum, et domum patris tui,* [3]) celerrima devotae mentis alacritate respondens: *Trahe me*, inquit, *post te, in odorem unguentorum tuorum curremus.* [4]) Quia ergo a caetera sobole sua segregaverant eam pater suus et mater, et quasi reliquerant in sola Dei misericordia sperantem, et non modo cogitatum suum, sed et se totam in eo jactantem, ipse in quo princeps mundi hujus nihil unquam habuit, illam similiter nihil de mundo secum tollere ambientem, amplo pietatis sinu suscepit, fovit et enutrivit, et in abscondito faciei suae a conturbatione hominum remotam, et in foramine petrae atque in caverna maceriae ab aestu, turbine et pluvia protegendam, tali occasione et ordine abscondit.

II.

Erat per id temporis comitis de Spanehem filia, Jutta [5]) nomine, juvenis aetate, sed anus decrepitas mentis maturitate transiens. Quae cum pro exteriori decore et paternarum magnitudine divitiarum, multos haberet appetitores, [6]) divina electione praeventa, contempsit universos, dicens similia his quae beata Agnes juvenculo, amore ejus aestuanti, objecisse legitur, sicque se ipsam ab hoc saeculo immaculatam custodivit. Quod Dei fulta praesidio, lenociniis et oblectationibus suis triumphans, coelibatum amplectens viriliter, ab animo suo extorsit, ne quid ejus ambiret, patrem, quamvis magna [7]) in exterioribus de ea disponentem evicit, ne unquam ei matrimoniales tabulae scriberentur. Memor itaque illius sententiae: *Corrumpunt mores bonos colloquia mala,* [8]) narrantibusque sibi iniquis fabulationes ineptas, et obsistentibus voto ejus, cum ingenti resistens constantia et clamans: Discedite a me, pessimi venditores [9]) olei, quod nunquam inpinguet caput meum, *et mihi adhaerere Deo bonum est*, *ponere in Do-*

[1]) Id quod hactenus nullibi quod sciam repertum est. — [2]) *Coelestem sponsum* sic cod. Plura id genus arguunt librarium indiligentissimum, qui fortasse incidit in schedas tumultuarias. Nescio an forte legendum sit: *coelestem sponsum.* [oblata] *specie et pulchritudine*... deinde *et recupiscentem*...? — [3]) Ps. XLIV, 11. — [4]) Cant. I, 3. — [5]) Haec cl. Bollandistae non negligant, quando ad diem XX decembris agendum illis erit de B. Jutta, quam sororem faciunt Comitis Spanheimensis, ex Chronico Mariani Scoti. Cf. act. n. 10 comment. praevii. — [6]) *appetores* sic cod. — [7]) *quo magna* id. — [8]) 1 Cor. XV, 3. — [9]) *venditorum* cod.

mino Deo spem meam: [1]) hoc tota cordis aviditate intendit et effecit, [2]) ut non solum limpidissimus animae ejus oculus non divulgaretur foris, sed etiam ipsum corpus in aliquod ergastulum retruderetur, ubi in securitatem et absconsionem ab omni tumultu mundi degens, sicut neminem ex nisu pulchritudinis suae alliceret, ita cum omnis gloria ejus esset ab intus, interni contemplatoris respectu semper posita, illi soli placeret.

Circumspectis ergo claustris pluribus, prae cunctis locus monasterii montis sancti Disibodi pontificis animo ejus sedit, eo quod et sanctae religionis fervore passim celebris praedicaretur, et ab inquietudine popularis concursus feriatus haberetur. Delectata itaque et tacta suavi bonae hujus opinionis odore, illo secessit, et carcerem in quo recluderetur, sibi construi fecit, quatenus illic residens, et totum tempus vitae suae in meditatione legis divinae expendens, Deo vacaret, et dulcedinem suavitatis ejus, quantum coelitus infunderetur, saltem praegustando experiretur: donec carne exempta, in conspectu ipsius apparens, manifesta ejus gloria in perpetuum fruitura, ad plenum satiaretur.

Quem scilicet reclusionis sinum talem sibi providit, ut neque praesentia sua, neque adventantium ad se quemquam accessus [3]) impediret, vel a quoquam ipsa impediretur: sed absque populari strepitu tam nocturnis quam diurnis haud procul psallentium officiis monachorum libere potiretur. Elegit etiam ipsa et praefixit diem, in qua mausoleum suum ingrederetur, celebrem videlicet ubique et gloriosam omnium sanctorum solemnitatem; quatenus secundum Job, reges illos et consules imitans, qui aedificant sibi solitudines, in hoc ad tempus tabernaculo, a contradictione linguarum, in dolo bona dissuadentium, protecta, in pace in idipsum dormiret et requiesceret; et sub umbra alarum Dei speraret, donec transacta tentationum et periculorum vitae hujus iniquitate, unum quod petebat, acciperet, hoc est ut probata et consummata, domum Dei non manufactam, sed aeternam in coelis sine fine habitaret.

Cumque propositum sacrae virginis, fama dispergente, percrebuisset, audito eo, parentes dominae Hildegardis ingentis exultatione gaudii fluctuaverunt, eo quod occasionem sibi a Deo oblatam et locum provisum conjicerent, [4]) quo decimam ipsius salvandam inferrent. Timebant enim et stimulo timoris hujus non parum angebantur, ne si foris eadem Dei decima remaneret, a volucribus coeli, quae semen secus viam decidens, comedunt, [5]) vel a bestiis agri, quae nocte pertranseunt, et quaerunt escam sibi, diriperetur. Proinde pari voto venerabilem illam Christi servam adeuntes, suppliciter exorant, quatenus filiam suam, quam sancto coelibatui et divinae servituti mancipaverant, secum perpetuo mansuram assumere dignaretur. Quibus nulla sicut fuit in petitione haesitatio, ita prorsus nulla extitit in impetratione dilatio: quippe cum puellae sodalitium amplecti videretur illa, ac si coelitus missum sibi solatium. Quid plura? Venit inductionis praefixa dies, et pluribus tam altis quam mediocribus personis astantibus, ritu eorum qui supremo exequiarum deponuntur officio, accensis funalibus, ut per hoc fulgentibus sponso media nocte venturo lampadibus, se occurrere debere

[1]) Ps. LXXII, 28. — [2]) *afficit* cod. — [3]) *accessu* id. — [4]) *coniterent* sic apog. — [5]) *comedit* id.

moneretur, cum spirituali filia Hildegardi, octavum aetatis annum agente, et cum alia Christi famula sibi aequivoca [1]) inferioris generis, nepte tamen sua, quae eis ministraret, a loci abbate et fratribus ut vere saeculo mortua sepelitur, totis praecordiorum votis clamans et dicens haec: *Requies mea in saeculum saeculi, hic habitabo quoniam elegi.* [2]) Et illud: *Ingrediar in locum tabernaculi admirabilis,* [3]) et ex hoc, in domum Domini laetantes ibimus.

Quae quoniam non inanis, aut sterilis, sed secundum Scripturam in abundantia ingressa est, sepulcrum, sicut cum acervus tritici infertur in tempore suo, uberrimus fructuum proventus, qui de radice plantationis ejus, coelesti patre agricolante, postmodum erupit, evidenter nunc usque ostendit. Completum namque est et in ipsa aliquatenus, quod de se Dominus in Evangelio ait: *Nisi granum frumenti cadens in terra, mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* [4]) Mortificata quippe et seclusa a saeculo, in sola spirituali haerede vel filia Hildegarde, sicut hodie cernere est, fecundior extitit, quam si nuptui tradita, plurimam ex carnali propagine sobolem protulisset.

Tres igitur, in summae Trinitatis nomine, cum psalmis et canticis spiritualibus inclusae, recedentibus qui convenerant, in manu Domini relinquuntur, et praeter fenestram admodum parvam, per quam adventantibus certis horis colloquerentur, et victui necessaria inferrentur, ubi lignis caementatis solide lapidibus, omni aditu obturato, in orationibus sacrisque meditationibus sedule Deo intendentes, jejuniis quoque assiduis, seu vigiliis, impetus carnis comprimentes, contra spirituales nequitias, in palaestra coelestis agonis, viriliter exercentur. Considerantes namque, quemlibet natum de muliere nunquam in eodem statu permanere, seque in lubrico incertitudinis currentes, thesaurum suum in vasis fictilibus habere, omni etiam ope humana destitutas, quasi pupillas absque patre et matre remansisse, quidni pro se aestuanter satagerent? quidni cum in gyro tabernaculum suum ab innumeris hostibus obsideri cernerent, in sufficientiam suam perpendentes, ad supernum Patrem confugerent? ab illo se assumi et protegi, et armaturam sibi spiritus, qua ab impetentium se aeriarum jaculis potestatum munirentur, conferri incessanter flagitarent?

Hoc se venerando maxime beata mater Jutta, quae discipulas filiarum loco erudiebat, instituens exercitio, non solum illas, sed et omnis regularis vitae aemulas magnificis virtutum exemplis ad profectum invitavit, et instar Judith viraginis fortissimae, quam ipsa nomine referebat, intellectualis caput Holofernis, id est principale Diaboli vitium, quo universum fere genus humanum corrumpit, illud scilicet de quo ad beatum Job Dominus loquitur: *Virtus ejus in lumbis ejus, et fortitudo illius in umbilico ventris ipsius,* [5]) gladio verbi Dei amputavit. Cujus triumphi victoria insignis, magnae celebritatis gloria tanti femina facti, ad dilectionem Dei et venerationem ejus, adolescentulas multas, non solum ut promissum est, inflammavit, sed quasdam etiam corporaliter ad

[1]) Recte igitur Mabillonius emendavit Mariani locum corruptum: « *Et aliae tres* (lege *duae*) cum ea, scilicet *Hildegardis et Sumet* (lege cum Mabillonio *suimet) vocabuli duae* etc. » Sed juniorem *Juttam* fuisse senioris neptem nunc primum edocemur. — [2]) Ps. CXXXI, 16. — [3]) Ps. XLI, 5. — [4]) *Aufert* cod. Joan. XII, 24. — [5]) Job. XL, 11.

praesentiam ejus attraxit. Coeperunt si quidem nobiles viri et feminae ad eam confluere, suasque illi filias ad suscipiendum sacrae religionis habitum, et propositum offerre; et ad sustentationem earum vineas, possessiones, et praedia conferre. Quorum illa petitiones et vota abbati et maturioris aevi fratribus referens, eorum consilio virgines et oblata cum eis xenia suscipere acquievit; et dilatato mausolei sui ambitu, puellas sub disciplina regularis custodiae nutriendas secum introduxit.

Hac occasione sepulcrum illud prius factum est quasi monasterium; sic tamen ut sepulcri clausuram non amitteret, et monasterii jam deinceps frequentiam obtineret. Hoc tenore cursus et fortiori quam dixerim (nec enim nunc gesta ejus scribere proposui) beata virgo Jutta post XXti IIIIor conversationis suae annos, victo mundi principe, metam vitae mortalis attingens, per vitalis et praetiosae mortis exitum ad principis coeli, sponsi Jesu Christi, quem integro animi affectu dilexerat, et quaesierat, amplexus transiit. Et confluentibus ad reponendum eam vicinis abbatibus et primoribus terrae, cum innumera promiscui sexus multitudine, de carcere suo elata, in medio capituli, fratrum unanimi convenientia, sepulturae locum accepit. Ad cujus tumulum cum propter silentii et quietis tranquillitatem conservandam, omnis prorsus infirmis vetaretur accessus, ad merita ejus alio modo declaranda, sicut ab eisdem fratribus sub obtestatione veritatis audivi, cum juxta Domini institutionem dicentis: *Si ego Dominus et magister lavi vobis pedes, et vos debetis alter alterius lavare pedes, exemplum enim dedi vobis, ut et vos ita faciatis:* [1]) cum inquam, id fratres solemni more sabbatis facerent, ut, quemadmodum praedixi, Christus et sepulturae sanctitatem, et officii quod agebatur repraesentationem quanti penderet, evidenter insinuaret, cunctis qui aderant intuentibus, et stupore grato attonitis, de sepulcro ejus, instar virgulae fumi, sicut cinnamomum et balsamum aromatizans, frequenter ascendebat, et omnium corda inaestimabili suavitatis jucunditate exhilarabat. Sed fratres tanti excellentiam miraculi infra pedes suos versari, prae timore non sustinentes, collectis sacerdotibus vicinis, corpus sanctum a loco cum metu et reverentia sustulerunt, et in capella Dominae nostrae reginae coeli, ante altare ipsius decentius condiderunt.

III.

Magistra de medio facta, et in pace recepta, sicut in schola ejus, nulla meritis vel sanctitate praestantior Hildegarde inventa est, sic nulla [2]) dignior judicata, quae ei in honore magisterii succederet. Proinde unanimi sororum consensu, cum de ejus discretione et temperantia securae essent, ad disciplinae censuram super eas exercendam eligitur, et licet totis obniteretur viribus, abbatis praecepto et sodalium suorum instantia, officium prioratus subire compellitur. [3]) Quo suscepto, mediam [sciens] viam esse tutissimam, quippe cum virtus sit medium vitiorum, a semita religionis in neutram partem declinavit: sed in via hac ad dirigendum

[1]) Joan. XIII, 14. — [2]) *sic ulla* cod. — [3]) a. 1136; aetatis suae 36, juxta Nostrum.

eam, firmante Deo super ipsam oculos suos, in laborioso vitae hujus stadio, donec coronae bravium acciperet, inoffense cucurrit.

Sciens nihilominus discretiorem [1]) deberi vitiis compassionem naturae, cum in nullo sibi parceret, essetque in exercitio spirituali ad subigendum recalcitrans corporis jumentum, soli sibi austerior, caeteris secundum quod videbat expedire, ita se aptam et conformem exhibuit, ut nihil citra, nihil supra modum agens, dum neminem vel ex remissione palparet, vel ex severitate exasperaret, universis ex discretione et modestia sua non nisi [2]) irreprehensibilis appareret. Ita per gratiam operantem in ea fiebat, ut cum religio ejus satis esset districta, nulli tamen onerosa aut importabilis videbatur: sed instar salis quod congrue respersum, quoslibet ex mordacitate sua condiendo gratificat cibos, instarque vini optimi, quod ex austeritate naturali utentes, magis exhilarat quam offendit, ita prorsus cautissima virgo, quibuscumque ex familiaritate vel colloquio jungeretur, cum candida [3]) esset et sine adulatione, neque minus verbis et scriptis suis, pro causarum ratione auditores suos pungeret, quam ungeret: sic inquam, omnium ad se pertingentium mentes, divinae justitiae fermento aestuare faciebat. Rebelles ordinis non continuo exsecrare aut amputare, sed dissimulare, monere, tolerare, expectare patienter solebat, donec revelante Deo, quid ei super his agendum esset, consilium acciperet.

Hoc non solum, cum adhuc in monte sancti Disibodi cum paucioribus degeret, observavit, sed maxime hic, hoc est in Bingia, ubi in gentem magnam facta est, vigilantissime exequitur. Sed ut priora repetam, cum in loco suae conversionis adhuc versaretur, post aliquod annos dormitionis domnae Juttae ad sanctae praelationis officium, licet renitens, assumitur. Deo nimirum jam merita ejus propalare, et eam pro exemplo ad laudem nominis sui et ad correctionem multorum manifestare mundo, et magnificare disponente, sermo Domini non in nocturna visione, sed in aperta illus rationis suae offensione, factus est ad eam, praecipiens ut ea quae ei divinitus revelarentur, styli officio declararet, et legenda Ecclesiae traderet.

IV.

De cujus scilicet illustrationis modo, et in primo libri *Scivias* capitulo, et in plurimis scriptorum suorum locis, et praecipue in epistola quam mihi antequam ad eam venirem, super hoc per litteras sciscitanti misit, plenarie disseruit. [4]) Quam qui legerit, supra omnem aestimationem expavescere potest, novam et hactenus saeculo incognitam illustrationis humanae mentis materiem: [5]) dum dicitur ab infantia sua quodam lumine quod *Umbra viventis luminis* audit vocari, animam suam irradiari, eamque in hoc sursum in altitudinem firmamenti, secundum vicissitudines diversi aeris ascendere, atque inter diversos populos licet remotissimos dilatari, idemque lumen inlocale esse, [6]) neque spatium aliquod in eo se considerare posse, et in eo cernere, et ex hoc haurire, nulla tamen

[1]) *districtionem debere* cod. quo sensu non assequor. — [2]) *non tamen* cod. — [3]) *cum invida esset* sic protervus librarius. — [4]) Exstat hujus epistolae particula in vitae lib. I, n. 11, auctore Godefrido. — [5]) *maneriem* aperte cod. an fortasse recte, ex lingua vulgari? — [6]) *esset* cod.

sensuum, nisi solius mentis intentione, quae praefert. Asserit etiam quia non dormiens, sed vigilans, ita ut nunquam defectum extasis in his patiatur, visiones suas prospiciat, neque alia verba in eis describendis quam quae audit, ponere. Testatur praeterea, quod adhuc majori stupore dignum est, quoniam in praedicto lumine aliam lucem quae *Lux vivens* ei nominatur, interdum aspiciat, et quomodo illam videat, verbis proferre non valeat; atque interim dum illam contemplatur, omnis tristitia et angustia ab ipsa aufertur, adeo ut tunc velut aetatem et sanitatem simplicis [1]) puellae, et non vetulae et infirmae mulieris, quod omnino est, habere sibi videatur. Quando vidit et audivit mundus similia? Sunt etiam plurima relatu digna et fidem pene excedentia, quae de ea sic deberent inseri, sed quoniam ex libris ejus et epistolis legentibus patent, pro evitando fastidio omittenda judicavi.

Cum igitur, ut dicere coeperam, divina jussione ad scribenda et propalanda sibi ostensa, vel ostendenda urgeretur, vehementer exterrita, diu non ex praesumptione, sed prae timore obedire distulit, verens ne, si quid [2]) nesciret, nec posset, aggrederetur, non aliis instructio, sed sibi irrisio crearetur. Indocta quippe, quantum ad eruditionem artis grammaticae erat, tamen ut libere fatetur ipsa, instar mulierum, psalterium solummodo discentium, simpliciter Scripturas in usu habens legere, non sensus earum acumine ingenii, nisi cum vis internae aspirationis illuminans eam juvaret, valens penetraret. [3]) Interea dum confusionem refugiens parere tardat, praeter illam lentam et continuam aegritudinem, qua ne in magnitudine revelationum extolleretur, fere ab infantia deprimebatur, augmento novae non casualis, sed divinitus immissae concussa infirmitatis, lecto prosternitur, et diuturno ventilata incommodo, cum sicut muta non aperiret os suum, et verbum apud se cohiberet, pene ad mortem adducitur. Sustinet aggravationem domus Domini non modo patienter, sed et cum gratiarum actione, imitans illum probatum Dei servum, de quo scriptum est: *In omnibus his non peccavit Job labiis suis, neque stultum quid contra Dominus locutus est.* [4]) Sed quae ratio, quod consilium, quae fortitudo contra Deum? Accepit responsum quod deinceps flagello hujus additae aegritudinis nunquam careret, nisi illud obedientiae intercessio amoveri obtineret; nec oportere eam de termino boni effectus ambigere, cum ducem ac praeceptorem haberet illum, cui nihil est impossibile; qui cum ubi vult, spirat, et docet hominem scientiam, et aliquid non ut libet, sed in beneplacito suo agendum imperat: quae in discendo vel complendo difficultas obsistat?

Inter haec, ne de sui solius insufficientia causetur, quia similis similem quaerit, insinuatur ei in eodem monasterio monachus sobrius, castus, et eruditus corde et verbo in sapientia, qui protinus cum ista ei nota fierent, votis ejus libens consentiret, et censoris ejus cautelam exhibens, verba ejus quamlibet nuda et impolita, decentiori sermonis cultu vestiret. [5])

Illa diutinae calamitatis pertaesa, sciens quia durum est contra stimulum et maxime divinum calcitrare, jamque seipsam de exiguitate fidei et pusillanimitate spiritus poenitendo redarguens, cum ea quae impossibilia sunt apud homines,

[1]) *supplicis* cod. — [2]) Malim *si quod.* — [3]) fort. *penetrare.* — [4]) Job. I, 22. — [5]) cf. p. 381. 432.

possibilia sint apud Deum, recolens quoque quod Moyses qui loquebatur cum Deo, quasi homo cum amico suo, dum incircumcisum labiis et ineloquentem se memoraret, Aaron fratrem suum in subsidium proferendi sermonis ab ipso Deo acceperit; quod Hieremiae, quod diceret: *Ecce nescio loqui, quoniam puer ego sum,* responsum est: *Noli dicere, puer sum, quia ad omnia quae mittam te, ibis, et universa quae mandavero tibi, loqueris;* [1]) revolvens nihilominus quod ex ore infantium perfecerit Deus laudem suam, quod sapientia non solum ora mutorum aperit, et linguas balborum fecit disertas, sed et quod inusitatissimum est, per subjugale mutum insensati prophetae aliquando corripuit insipientiam: haec, inquam, omnia conferens in corde suo, tandem ad exequendum quod jubebatur [2]) se accinxit. [3]) Ut vero bonum bene et irreprehensibiliter ageret (perdere enim virtutem boni operis, qui in faciendo lineam reliquit ordinis, non erat ignara), id metuens, ipsa sollicite cavit, ne si recte offerret et non recte divideret, peccaret, et ex negligentia alterius alterum perderet: quo circa exemplo praedicti Moysis, illius magni confabulatoris Dei, quaelibet agentis [4]) quaeque coelitus insinuarentur, consilium tamen utile hominis gentilis audire non contempsit: sic et ipsam ex consilio et auctoritate praelati sui, et hoc, ut caetera, facere decrevit, quatenus, quomodocumque res cederet, dum nulla praesumptione, post factum non poeniteret. Nam et eidem Moysi, qui non suo arbitrio, sed Spiritu Dei populum ductandum susceperat, longe quam ratus esset, contigit a Deo, ut ipse et Aaron et quos [5]) ad possidendam promissionis terram de Aegypto eduxerat, praeter Josue et Caleb et Eleazarum sacerdotem, omnes diversis mortibus in deserto prosternerentur. Proinde accersito abbate, cui suberat, et cujus in omnibus nutum expectabat, divinam ad se factam de conscribendis visionibus suis illi aperit praeceptionem, et quoniam eatenus obedire voluerit, eam [6]) qua tam diu decumberet, perferre fatetur corporis invaletudinem; propterea super his consilium ejus audire velle, et licentiam si dignum duceret explendae jussionis optinere; monachum quoque in suffragium excipiendi et corrigendi verba sua sibi designatum humiliter expetere. Stupet abbas novitatis tantae relatu, nec tamen prae subito stupore impos sui, nec certus flecti incertum, multaque secum reputans, respondet se effundere super re [7]) tam inopinabili praecipitem sententiam non audere se tam subtilem.... [8])

XXVIII.

Philippo Coloniensi episcopo Guibertus. [9])

Rogatus ut de vita Hildegardis referat, se excusat, nonnulla vero nova mittit, quae sequuntur.

ante a. 1191.

Reverentissimo Patri et Domino, Dei gratia Coloniensis ecclesiae antistiti P. frater G. professione monachus, conversatione tepidus, devotum et filii affectum.

[1]) Jerem. I, 6. — [2]) *videbatur* cod. — [3]) *accessit* cod. Mox *perderem* id. — [4]) *cuilibet agenda* id. — [5]) *quod* id. mox *Caleph,* — [6]) *ea* cod. — [7]) *super te* id. — [8]) Hactenus uterque codex. Sed palam est scriptorem satis loquacem ex abrupto in media periodo non stetisse: ulteriora igitur in alio codice quaerenda sunt, si extant. Sequentia tamen suadent, ipso monente Guiberto, ab illo vitam ex integro non fuisse scriptam. — [9]) In eod. cod. sub num. 5532, fol. 130 verso. Philippus ab Heinsberg fuit Coloniensis episcopus ab a. 1167 ad a. 1191.

et servi famulatum, in eo qui servos immeritos gratuita pietate adoptavit filios.

Dum inter caeteros dignitatis vestrae consortes, quorum plurimos, in dignitate [praecipuos], ad venerabilem [1]) matrem sacramque Christi virginem Hildegardem saepe venisse vidimus, vos eo frequentior, quo devotior officio charitatis, eam visitaretis, inter frequentes et secretos consessus, quibus insigni illi more suo, mihi servo vestro ut socio, mansuetudo celsitudinis vestrae inebriari et colloqui dignabatur, placuit vobis, ut cum prius ex praelationis eminentia jubere possitis, moneretis potius et rogaretis, quatenus aliquid ad cognitionem vestram de illa certi stylo meo producerem. Fatebamini siquidem vos, fama dispergente, cum veris falsa inserere inolitum est, inter multa etiam aliqua quae fidem excedere viderentur, de ipsa accidisse, et proinde ne commentitia et incerta animam vestram vel deciperent, vel ab univeris [2]) ejus averterent, velle vos vehementer, ut de vita seu conversatione, de moribus et incertis, [3]) maximeque de gratia, quam mirabilem, et prioribus incompertam saeculis habere diceretur, ego qui frequens, immo assiduus circa eam essem, et omnia ejus diligenter possem investigare, relatu meo vos certum redderem.

[*Inde excurrit per plurima et ampla folia Guibertus, dum ineptum se et imparem operi profitetur, quod praeterea alii satis praeoccupaverunt, ut vix aliqua plenius addantur; obsequii tamen et solatii gratia, mittit Hildegardis visionem seu epistolam.*]

Quoniam ergo novi vos eam vehementer dilexisse, et de gestis ejus non licuit mihi vobis satisfacere, saltem de verbis ipsius quae mitto vobis aliquam consolationem accipite, et epistolam mirabili instructione plenam, sed et visionem pulcherrimam de excellentia sancti Martini divinitus illi ostensam, quas suo quidem prolatas sensu, sed meo exaratas stylo, cuidam amico suo direxit, [4]) diligenter perlegite.

XXIX.

Visio S. Hildegardis ad Guibertum missa [5]).

Visione trium virtutum humilitatis, obedientiae et abstinentiae breviter relata, Guibertus in Hildegardis persona prolixissime disputat de omnibus fere virtutibus viri honesti, christiani, sacerdotis et monachi, ubi plura tam ad se quam ad moniales S. Ruperti pertinent. Asserit libros Hildegardis sibi commissos fuisse emendandos, sive expoliendos.

I.

In visionem animae meae, vidi ingentem rutilantis ignis nubem, similem lucidae aurorae, quae in mane solem praecurrit; in quo mihi tres virtutes, scilicet humilitas, obedientia et abstinentia, quasi in humanis formis, apparebant; qua-

[1]) *ad dignitatem ad venerabilem* cod. in quo aliquid latet et vacat. [2]) *ab universis* ibid. suspenso calamo emendavi. — [3]) *incertis?* iterum hic haereo, fort. *et verbis*, quod infra habetur, vel etiam *et scriptis*. — [4]) Quae nimirum supra exstant sub num. XIII. — [5]) Ex eod. cod. f. 133.

rum vócem, velut de cymbalis ex auro purissimo factis et bene sonantibus procedentes, et dulcissimo sono symphonizantes, dicebant:

« Qui per nos viceritis, Spiritus Dei dabit eis edere de ligno vitae, quoniam per adjutorium gratiae ipsius, lignum praevaricationis in se ipsis conterentes superaverunt; et ideo laus eorum cum angelico carmine in coelesti Hierusalem sine fine permanebit. »

Scintillae vero quaedam, de eodem igne emicantes, multas in congregatione nostra tangebant, ita ut his accensae, devotione bonae intentionis et laudum Dei de cordibus suis dulcissimum odorem, tanquam balsami, ad ignem Spiritus Dei remitterent.

II.

Tunc etiam, o provide famule Dei, conspexi magnam scintillam de praedicto igne ad te volantem, quae cor et animam tuam interius tetigit, et in illa vocem audivi, sic ad te loquentem:

Ostende mihi faciem tuam; sonet vox tua in auribus meis; vox enim tua dulcis, et facies tua decora. [1]) Cujus praefiguratio visionis sic ex re in te, Deo subveniente, complebitur.

Desudans et perseverans in exercitio virtutum et sanctorum operum, omnipotenti Deo jugiter ostendes faciem tuam, quae in conspectu ejus ex eo decorari incipit, ex quo amore ipsius delectatus et tractus, in magna dulcedine gratiae ejus, saecularibus desideriis renuntiasti. In qua scilicet gratia si permanere vis, oportet ut sollicitis excubiis, vigilias noctis hujus, in qua videmus per speculum et in aenigmate, et quasi palpantes manu vivimus, in custodia tu expectans Dominum, observes, ut cum venerit et pulsaverit, paratus sine trepidatione aperias ei; quia de labore vigiliarum ad requiem beatitudinis te transferens, cum servis suis, quos post moerores hujus vitae benigne consolabitur, faciet te discumbere, et transiens ministrabit et tibi cum eis.

III.

Et sicut de quibusdam vigilibus scriptum est: *Super muros tuos, Hierusalem, constitui custodes: tota die et tota nocte perpetuo non tacebunt. Qui reminiscimini in Deum, ne taceatis, et ne detis silentium ei.* [2])

Tua enim vox incessanter in auribus ipsius sonet: illa scilicet qua primum ad ipsum clamasti, quoniam in corde tuo quaesisti, et subtiliter considerasti, qualiter sancti et electi Dei, quicumque recepti sunt, passibus fidei, quae praedilectionem operatur, ad eum pervenerint. In consideratione namque illa desiderium tuum ad Deum omnipotentem volavit, et intentio tua ad eum clamavit, et clamor ille in beneplacito auditus ejus introivit.

1) Cant. II, 14. — 2) Is. LXII, 6.

Sed et facies interioris hominis tui, ex fide et jugi meditatione sacramentorum vel mysteriorum Dei adornata, et per eorum frequentem confessionem, aliquam pulchritudinem adepta, coram eo decora modo apparens, venustior de caetero, si in his perseveraveris, resplendebit.

IV.

Nunc autem, o fili Dei, solerter attende, ut in vocibus symphoniae, id est vita, corde, voce et ore sibi consonae, in laudibus divinae majestatis jugiter sonorus persistas, et ut nociva carnis desideria per abstinentiam mortificando, et devotarum Deo orationum sacrificia opportuna offerendo, in monte myrrhae et in collibus thuris indefessus permaneas; in quos ascendere coepisti, a tempore quo, intimo Dei instinctu motus, detestabiles et omni spurcitia squalentes filiorum hujus saeculi mores, pio mentis fastu, despiciens, immarcescibilem amoris ejus et immortalis vitae, quae in ipso constat, pulchritudinem, sed et lucidas mandatorum ejus semitas appetisti, rectissime sperans per illas te quandoque perventurum ad patriam claritatis aeternae: in qua et decore vultus et dulcedine vel suavitate dilectionis ejus fruaris in sempiternum.

Nec sane frustraberis a spe tua, si tamen easdem semitas usque ad finem certum perambulaveris. Nam ex fine illorum, januas vitae ingredieris, quoniam scriptum est: *Qui perseveraverit usque in finem, salvus erit.* [1]) Quia igitur Deus mandavit mandata sua custodiri nimis, et beneplacitum est ei super timentes eum, *time Deum, et mandata ejus observa,* [2]) *quoniam est in custodiendis illis retributio multa,* [3]) et: *Timenti Deum bene erit in extremis.* Et hoc modo et tu, in tabernaculis justorum, ubi vox exultationis et salutis, particeps eris omnium timentium eum, et custodientium mandata ejus. Ista meditando et exercendo, liberabis animam tuam, ne pergat in interitum, sed vivens lucem videat. Si audieris me, et observaveris haec, complebis, sicut in Job scriptum est, *dies tuos in bono et annos tuos in gloria.* [4])

V.

Nec vero vel te extollat, vel aliquem, si quis tamen haec praeter te legerit, offendat, quod quasi plus justo tibi faveam, in eo quod de facie, seu de voce tua superius posui: quoniam istud non solum toti Ecclesiae, in qua plurimos esse necesse est, quibus hoc idem merito competat, sed et unicuique fideli, intentione et opere in bonum sibi consono, per occultos gratiae profectus dicit Deus: *Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis*, et caetera. Vox enim ista, vox sponsi est, non pellicentis animam instabilem, sed provocantis et hortantis mentem vestram ad melius; ut dum per internam inspirationem in aliquo te sentis profecisse, et Dei oculis vel tenuiter complacere, sollicita discretione, et id in quo adhuc per negligentiam displicet, considerare studeat; et aliud, ut complacitior

[1]) Matth. XXIV, 13. — [2]) Eccle. XII, 13. — [3]) Ps. XXVIII, 12. — [4]) Job. XXXVI, 11.

sit, satagat augere; et aliud, ne reprobetur, tota intentae meditationis instantia maturet corrigere. Alioquin audiet e diverso Deum dicentem sibi: *Si ignoras te, o pulchra inter mulieres, egredere, et abi post vestigia gregum, et pasce haedos tuos juxta tabernacula pastorum.* [1])

VI.

Quia enim unusquisque talem sibi Deum facit, qualis ipse vel dono gratiae vel merito desidiae suae existit, juxta illud quod de eo scriptum est: *Cum sancto sanctus eris, et cum viro innocente innocens eris, et cum electo electus eris, et cum perverso perverteris;* [2]) vox ista non jubentis, sed scientis est, et arbitrio suo eam, cui loquitur, relinquentis, tamquam dicat: *O pulchra,* vel puritate conscientiae, vel rectitudine fidei, seu sanctorum ornatu operum, tu posita, velut consistens *inter mulieres,* id est instabiles et debiles animas, quae oneratae peccatis, variis desideriis captivae ducuntur, semper discentes, et numquam ad scientiam veritatis pervenientes: *si ignoras te,* hoc est si non subtiliter in te ipsa scruteris, quae vel in bonis [3]) naturae vel in donis gratiae contulerim, et inde mihi tam in devotione cordis, quam in exercitio disciplinatae servitutis, digna gratiarum actione responderis: cum ab his mentem manumque desidiosa referens, te pascere coeperis, *incipiam et ego te evomere de ore meo.* [4]) Et egrediendum tibi erit a delectatione contemplationis meae, ad quam per fidem, in qua negligendum nihil, ingressa fueras, et recidendum in tenebras ignorantiae.

Nec vero in id detrimenti manebis vel subsistes; sed pro eo quod non cognoveris dignationem visitationis meae, et virtutibus, vel annis quibus te tum decoravi, tum vallavi, uti sapienter et constanter ad bonum [pergere] volueris: postquam a facie oculorum meorum praescita fueris, *abibis post vestigia gregum,* id est imitaberis doctrinam, sive exempla irrationabilis multitudinis, post errores suos et desideria cordis infruniti declinantium, *et pasces haedos tuos,* hoc est, succumbens sensualitati, pronaque [in] illicitos appetitus et carnis petulantiam fereris, et foetore sordebis libidinum.

Sed haec tamen, *juxta tabernacula pastorum* illorum, qui in loco meo positi (nam ego summus et bonus pastor sum), vice mei alendis et custodiendis gregibus meis invigilant: ne si prorsus a consortio bonorum removearis, non sit qui revocet te, et pereas; sed saltem post errores et praevaricationes tuas, vicinorum hortatu vel exemplis ammonita, compungeris et erubesces; et postquam vias tuas spinis septas inveneris, et ab amatoribus tuis confusio tibi provenerit, tandem in te reversa, dicas: Revertar ad virum meum priorem, quia tum mihi magis quam modo bene erit.

[1]) Cant. 1. 7. — [2]) Ps. XVII, 27. — [3]) *velut in bonis* cod. — [4]) Apoc. III, 16.

VII.

Nec alio modo quam sui ignorantia junior illius evangelici patris familias filius, deceptus, [1]) deserto patre, *in regionem longinquam profectus, portionem substantiae quam secum tulerat, vivendo luxuriose* disperdidit: in tantum ut urgente fame, uni civium regionis adhaerens, porcos ejus pasceret, siliquas desideraret, nec tamen vel illis famem suam repelleret. Sed post sacrificium vituli illius, qui a patre pio pro receptione ejusdem filii ad victimam datus est, pastoribus illis, juxta quorum tabernacula, illa sui ignara haedos pascere sinitur, praedicantibus ubique quod audierant et viderant vel tractaverant de Verbo vitae, et tentoria sua longe lateque extendentibus, adeo ut in omnem terram exiret sonus eorum, et in fines orbis terrae verba eorum, nec essent loquelae, neque sermones, in quibus non audirentur voces eorum: tandem in populo gentium, hic idem miser filius, gemens et squalens, inter divinae famis angustias, ab illis inventus est; et de repellenda mortifera, qua deceptus errabat, ignorantia, patrisque requirenda gratia, multis et miris allegationibus conventus et ammonitus est. Quorum vix demum vel consilio credens, vel instantiae cedens, in se reversus, poenitentia mediante, et cognitionem sui recepit, et paternae benignitatis clementiam meruit; et ad convivium mensae ejus, in qua cum summa exultatione qui invitati erant, carnibus vituli saginati vescebantur, votivo discumbentium gaudio admissus est. Sed isto per conversionem gentium illuminato, et sibi reddito, quia justo judicio posuit Deus tenebras, et fit nox, senior praedicti patris familias filius, prae stupore invidentiae fraternae receptionis vel gratiae, attonitos habens oculos, et a se alienatus, ejusdem ignorantiae qua liberatus fuerat hic, coepit nebula obtenebrari. Et adhuc in nocte est, et nescit quo vadat: quia sicut ait Apostolus: *Coecitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium introeat, et sic omnis Israel salvus fiat.* [2])

Proinde ingressus populus ille stultus et insipiens, immo nolens intrare in agro sterili, secundum litteram insipidae Legis, super vacuo vel potius pernicioso labore occupatur, quoniam *littera occidit*, et lex iram operatur, et nihil ad profectum adducitur, et damnabili fastu epulum vituli saginati, quod pro salute illius qui perierat, procuratum est, respuens, foris sequitur *vestigia gregum*, id est imitaberis doctrinam sive exempla, et haedos quibus libenter vescitur, per abrupta voluptatum pascitur.

Tamen *juxta tabernacula pastorum*, quia ubique terrarum fere adhaerens oculis Ecclesiae, tandem in finem saeculi ejusdem fratris sui (utriusque enim ex conditione unus pater est Deus), fratris, inquam, sui, idest populi ex gentibus conversi fide provocatus, et tam robustorum quam fidelium testium, Enoch scilicet et Heliae, praedicatione animatus, revertetur ad Deum, et miserebitur ejus.

VIII.

Unde scriptum est: *Si fuerit numerus filiorum Israel tamquam arena maris,*

[1]) Cf. p. 379 sqq. varias ejusdem parabolae interpretationes. Luc. XV, 1. — [2]) II. Rom. XI, 25.

reliquiae salvae fient. [1]) Et rursum: *Convertentur ad vesperam,* et *famem patientur ut canes, et circuibunt civitatem.* [2]) Nam circa finem mundi, velut in vespera diei, exauditis precibus, quas [3]) pro dimovenda obcaecatione populi illius, modo saltem in die passionis Redemptoris sui, tremens sub judiciis ejus, offerre praesumit Ecclesia, de gentibus collecta, tunc vel sero in veritate convertentur reliquiae illae, et auferetur velamen execrabilis hujus ignorantiae, seu potius perfidiae, quae usque hodie, cum legitur Moyses, positum est super cor Judaeorum; et ablato velamine, revelata facie, diu sibi absconditam gloriam Domini contemplantes, a claritate in claritatem transferentur, tamquam a Domini Spiritu, et dicent: *Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos.* [4]) Eisdemque supremis diebus, mittente Domino, ut propheta testatur, famem super terram, non famem panis, sed famem audiendi verbi Dei, tunc et ipsi a quo diu [5]) jejunaverant, divini eloquii *famem patientur ut canes, et circuibunt civitatem* Ecclesiae, petentes, quaerentes, pulsantes, et magno votorum adnisu optantes intromitti, ut quod de se et simili sibi populo nationum dixerat mulier illa magnae fidei, nunc versa vice compleatur in istis, videlicet: *Ut edant et saturentur pauperes* isti catelli, *de micis quae cadunt de mensa dominorum suorum* [6]).

Nunc enim gratias benigno Jesu Christo qui hoc fecit, praeposterato ordine nascendi, et Jacob, [7]) Esau, et Judas Ruben, et Ephraim Manasse antefertur, et junior filius qui perierat, a pio patre inventus, in domo et in mensa ejus, in carnibus vituli saginati cum sobria jucunditate spiritaliter reficitur; et minor majori imperat, et sunt novissimi primi, et servi domini, et canes filii; quoniam qui de illis laudem dixerat: *Non est bonum sumere panem filiorum et mittere canibus,* idem quod vituperans eosdem et comminatus fuerat, id adimplevit: *Auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus. Et venient ab Oriente et Occidente, et Aquilone et Austro, accumbent in regno Dei, filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores, ibi erit fletus et stridor dentium.* [8])

IX.

In quibus scilicet tenebris positus infelix ille *dives,* qui *induebatur purpura et bysso, et epulabatur quotidie splendide,* [9]) hoc est ea pars judaicae plebis, quae fidem Jesu Christi respuens, firmavit sibi sermonem malignum, dicens: *Sanguis ejus super nos et super filios nostros,* [1]) et cui loquuntur apostoli: *Vobis oportuerat praedicari verbum Dei; quia refellitis illud, et indignos vos judicastis aeterna vita, ecce convertimur ad gentes* [2]) Modo gemens et egens, inter supplicia, guttam aquae, id est quidlibet refrigerium evangelicae gratiae desiderat, nec meretur. Qui quondam Lazaro, videlicet gentili populo, micas panis, hoc est quaevis minima legalis doctrina, dare contempsit. Sed quoniam *sterilis peperit pluri-*

[1]) Is. XI., 22. Rom. IX, 27. — [2]) Ps. LVIII, 13. — [3]) *qua* cod. — [4]) Ps. XXIV, 15. — [5]) *die* cod. — [6]) Matth. XV, 27. — [7]) *Joab* cod. — [8]) Matth. VIII, 12. — [9]) Luc. XVI, 19. Cf. eamdem parabolam supra p. 292. — [1]) Matth. XXV, 27. — [2]) Act. XIII, 46.

rimos, et quae multos habebat filios, infirmata est; arcus fortium superatus et infirmi accincti sunt robore; repleti prius, pro panibus se locaverunt, et famelici saturati sunt; cum venerit tempus miserendi Sion, ille qui deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles, esurientes implevit bonis, et divites dimisit inanes; quandoque recordatus misericordiae suae, revertetur ad Jerusalem, cum misericordia, et miserebitur Jacob, et eliget adhuc de Israel? [1]) *Et electi illi inserentur olivae suae, et venient in Sion cum laude, et ingredientur civitatem,* [2]) et de caetero non erunt hospites et advenae, *sed cives sanctorum et domestici Dei. et gaudebunt de bonis Domini super frumento, vino et oleo, et ultra non esurient.* [3])

X.

Nec etiam aliud malum ad persecutionem fidelium Christi urgebat Saulum, quam veritatis et sui ipsius ignorantia, quoniam, sicut ipse ait, cum caeteris ignorans Jesum et voces Scripturarum, quae per omne sabbatum leguntur, proficiebat in Judaismo supra multos coaetaneos suos in genere suo, abundantius aemulator existens paternarum suarum traditionum, expugnans Ecclesiam, et devastans eam. Sed quoniam non ex malignitate protervae mentis, sed incauta devotione antiquae Legis, quam a Deo datam noverat, et consiliorum ejus adhuc ignarus, aboleri habebat praesumptio illa vel error, quo eam quasi tueri nitebantur. descendebat, ut scribit ipse, in prima ad Timotheum epistola, qui *primum fuit blasphemus et persecutor et contumeliosus, misericordiam Dei consecutus est,* [4]) quia ignorans fecerat. Unde et in typo velati antea cordis ejus, triduana caecitate mulctatur, et in typo mox revelandi, decidentibus ab oculis ipsius squammis illuminatus, in tantum alteratus est, ut ex impugnatore doctor, et ex lupo aries factus, et doctrinam quam ab omni hominum memoria convellere laborabat, asserendo plantaret, et gregem quem dispergere satagebat, ductor fortissimus multiplicando defenderet.

Nec aliunde quam ex sui ipsorum ignorantia, indiscretus ille filiorum Zebedaei zelus descendebat, quo de contemptoribus naturae suae ultionem reposcentes, dicebant: *Domine, vis, dicimus ut ignis descendat, et consumet eos.* Quos statim benignus magister increpans, ut ostenderet increpationem illam de ignorantia emersisse, dicit: *Nescitis enim cujus spiritus estis; Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare.* [5])

XI.

De qua scilicet ignorantia quoniam omnia fere perperam gesta ebulliunt, et per hanc in multis offendimus omnes, oportet te, fili dulcissime, adversus eam multa vigilare industria; quia sunt et quos hebetudo intellectus dejicit, de qui-

[1]) 1 Reg. II, 4, 5. Luc. II, 51, 52 etc. — [2]) locus incertus, fort. apocryphus. — [3]) Ephes. II, 19. Apoc. VII, 16 etc. — [4]) I. Tim. I, 13. — [5]) Luc. IX, 55.

bus scriptum est: *Oves in inferno positi sunt*; [1]) et sunt quos acumen ingenii fallens in tenebras injustitiae demergit, velut et oculus nimio solis lumine infusus, obscuratur potius quam clarescit. Sed dicendum quia sicut aliud simplex ignorantia, aliud caecitas merito obstinationi inflicta, ita et his qui simpliciter ignorant, et errant, nonnumquam aut per internam aspirationem, aut per fraternam ammonitionem divina subvenit clementia. Hos vero quos inanis inflat scientia, et qui contra consilium Scripturae, suae innituntur prudentiae, districto Deus deferens judicio, in reprobum plerumque tradit sensum, ut faciant ea quae non conveniunt, sicut ait propheta: *Sapientes ut faciant mala.* [2]) De his et Dominus: *Sinite illos, caeci sunt duces caecorum. Caecus autem si caeco ducatum praebeat, nonne ambo in foveam cadunt?* [3]) Hujusmodi loquitur Isaias: *Vae qui sapientes estis in oculis vestris, et coram vosmetipsis prudentes,* [4]) in cujus devotationis foveam ne incidant discipuli, magister ammonet, dicens: *Nolite esse prudentes apud vosmet ipsos.* [5]) Quia vero et secundum Evangelium, *in judicium Dominus venit in hunc mundum, ut qui non vident videant, et qui vident, caeci fiant*; [6]) et juxta Apostolum repudianda sunt ea quae sunt parvulorum, quoniam *omnis qui lactis est particeps, expers est sermonis justitiae, parvulus enim est*; [7]) et item secundum eumdem, non est sapiendum plusquam oportet, sed sapiendum ad temperantiam, illud inter haec tenendum est consilium, quod Dominus in Evangelio tribuit, dicens: *Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbae,* [8]) et Apostolus: *Volo vos prudentes in bono, et simplices in malo,* [9]) et rursum: *Nolite effici pueri sensibus, sed malitia parvuli estote*: [1]) sicut ergo nulli Deum in veritate quaerenti desipiendum est, ita nec alicui jam aliquid invenisse vel accepisse se confidenti, alte sapiendum, sed timendum semper et humilibus consentiendum, quia *Deus superbis resistit, et humilibus dat gratiam.* [2])

XII.

Considerans ergo, fili charissime, et quod ignorans ignorabitur, quod multae litterae quondam ad insaniam provocant, satage ut in hac tam periculosa via cautum, non securum, mediocrem, non terminos a patribus positos excedentem, id est neque ad dexteram, neque ad sinistram declinantem viatorem te exhibeas. Et cave ignorare, ne ignoreris; et pertimesce extolli, ne reproberis; nec unquam te vel remissio desidiae hebetet, nec ambitio gloriae te elevet, ut sincere cum illo quem invenerit Deus secundum cor suum, possis dicere: *Domine, non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei.* [3]) Ita inter tam dispares et periculis obnoxios vitae hujus affractus, ut vulgo dicitur, medio tutissimus ibis, quia virtus est medium vitiorum, et utrinque reductum. Ut ergo ad honorem et gloriam datoris scias, et ad salutem habeas quae sunt et communiter cum omni

1) Ps. XLVIII, 15. — 2) Jerem. IV, 22. — 3) Matth. XV, 14. — 4) Is. IV, 21. — 5) Rom. XII, 16. — 6) Joan. IX, 39. — 7) Hebr. V, 13. — 8) Matth. X, 19. — 9) Rom. XVI, 19. — 1) Cor. XIV, 20. — 2) Jac. IV, 6. — 3) Ps. CXXX, 1.

humano genere; et divini vi muneris speciali gratia a Deo tibi data sunt, intra in cubiculum, id est secretum mentis, et clauso ostio, exclusisque terrenarum distensionum tumultibus, et pulvere inutilium cogitationum ab oculis mentis absterso, considera diligenter, et dignitatem conditionis, et infidelitatem dejectionis, et sublimitatem reparationis humanae: quorum primum et tertium ad largitatem vel benignitatem opificis respiciunt, secundum ingratitudinem opificii, id est hominis arguit.

XIII.

Cum itaque ad dignitatem conditionis nostrae contuendam, aciem mentis intenderis, cogita quomodo cum omni genere ratione utentium, secundum animam intellectu praeditam, instar coelestium spirituum, ad imaginem et similitudinem auctoris tui factus sis, totique praelatus creaturae, juxta quod de homine dicitur ad Deum: *Minuisti eum paulo minus ab angelis, gloria et honore coronasti eum, super opera manuum tuarum.* [1]) Et ex ipsa exterioris hominis forma, quam ob nonnullam significationem sublimem et ad coelum erectam accepisti, ammonitus, cave ne bestias vel pecudes, a quibus et in hoc distas, irrationabiles animi appetitus et carni voluptates sequens imiteris, sed stans in virtutis culmine, hominem te exhibeas (nec hominem qualem tangit Apostolus dicens: *Cum enim sint inter vos zelus et contentio, nonne carnales estis? et secundum hominem ambulatis,* [2]) sed hominem prudentiae, fortitudinis, temperantiae et cautum aemulatorem. Et quoniam his virtutibus homo si strenue se exerceat, naturaliter se munitum opportune inveniet, et debitor est ut secundum eas vivat, debitor quoque naturalis legis implendae, videlicet ut quod quisque sibi non vult fieri, alii non faciat, et ut vix stimulos et cupiditatis impetus in se per rationem moderando coerceat; tum etiam in id virtutis ascendens, ut ista exsequaris, laude quidem nonnulla inter homines dignus habeberis: sed cave ne spe falsa seductus, magnum tibi pollicendo, propter hoc de multa apud Deum mercede glorieris: quia qui sola naturalia tenet vel sequitur, in operum seu morum suorum qualitate, sublimia illa gratiae praemia non percipit in retributione. Qui autem eisdem naturalibus bonis deceptus, sub seipsum per illicitos appetitus defluit, gravi a Spiritu Sancto per Psalmistam elogio inuritur, scilicet quod *homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus et similis factus est illis.* [3])

XIV.

Cum vero ad contuendum miserrimae dejectionis nostrae infortunium, oculos tuae considerationis deflexeris, mirari simul et dolere poteris, ad quantam sui inconstantiam omnis homo per inobedientiam primae transgressionis redactus sit, ut nec per liberum quidem arbitrium necessitati peccandi resistere possit, et

1) Ps. VIII, 3. — 2) I Cor. III, 3. — 3) Ps. XIII, 21.

quantis miseriarum cladibus in hac lacrimarnm valle subjectus, per latum mundi hujus exilium in genere suo diffusus, innumeris afflictionum impulsibus incessanter ventiletur; et quomodo post haec praeter paucos, benignitas divinae subventionis, duabus, ut sic dicam, misericordiae et gratiae manibus eripit, a temporalibus ad aeternas gehennalis lacus tenebras et aerumnas deponatur. Sed ne vel malo dolorum opprimeris, vel calamitatum fama suffundaris, cito refer ab his caput, assidue intuitus tui aciem ad purissimam lucem divinae miserationis, et transeat in materiam laudis acerbitas hujus considerationis. Revolvens enim omnino, et diu et dulciter contemplans qualiter Deus graves hominum semper miseratus labores, nec multitudinem viscerum benignitatis suae in finem continens, et olim semel per mysterium incarnationis et passionis Unigeniti Filii sui, omnia nobis delicta donans, chirographum damnationis nostrae deleverit; et quomodo adhuc quotidie de coelo in terram aspiciat, ad hoc scilicet ut audiat gemitus compeditorum, et solvat filios interenptorum.

XV.

Hoc, inquam, et alia hujusmodi, quae de affectu miserationum ejus erga filios hominum in thesauris Scripturarum [1]) inveniuntur jugi memoria ruminans, ut et in eorum numero censearis, quorum vitam de interitu redemit, et quos coronat in misericordia et miserationibus, dilatato corde, totus pergens in laudem adorandi nominis ejus, et confiteberis illi, et magnificentiam gloriae sanctitatis ejus loqueris; qui eruit nos de potestate tenebrarum, et transfert in regnum claritatis suae et Filii sui. Et quoniam non est speciosa laus in ore peccatoris, et a mortuo, quasi ab eo qui non est, perit confessio, et fides sine operibus otiosa est, et sunt qui in ore suo Deum benedicant, et in corde maledicant, juxta illud: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me,* [2]) his omnibus, ne confitens verbis, et factis negans inveniaris, studiosa intentione obvians, corde credes ad justitiam, et ore confiteberis ad salutem; fidemque cordis et confessionem oris firmo sancti operis testimonio confirmabis: ut his tribus vitae sine repugnantia consentientibus, *tres qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua et sanguis,* [3]) stabilem in te operentur salutem; et a tribus qui testimonium dant in coelo, Patre, Verbo, Spiritu, super quibuscumque rogaveris, exaudiaris.

XVI.

Sed ad haec quis idoneus? Nempe qui habet charitatem, cum videlicet quae secundum Apostolum finis praecepti est, *de corde puro et conscientia bona et fide non ficta.* [4]) Ab his ne abeas, ascensiones hujusmodi in corde tuo dispones, ut primo indelebili naturali legi, quam superius tetigi, per omnia consentaneus, nulli prorsus facias, quod tibi nolis fieri; demum servilis illius mosaicae correctionis,

[1]) *Sepulturarum* sic aperte cod. et apogr. — [2]) Matth. XV, 8. — [3]) I Joan. V, 7. — [4]) I. Tim. I, 5.

qua [1]) et inimicos odio haberi, et quali quis laesione affectus fuerit, talem et rependere permittitur, grossa illa praecepta, scilicet: *Non occides, non moechaberis, non furtum facies,* [2]) et caetera id genus, quae spirituali pro parvis ducuntur, alto suspectu transgrediens, [3]) ad fortia et sublimia Filii Dei evangelicae perfectionis, quae in spiritus libertate complentur, consilia, devotus et humilis executor, ascendas: quibus nobis [4]) Jesus Christus proponit et monet inimicos diligere, orare pro persequentibus, delinquentibus in nos ex corde remittere, non resistere malo, sed caedenti alteram alteram praebere maxillam, auferenti tunicam et pallium dimittere, quae nobis impendi velimus aliis impendere, nec solum divitiarum censibus, sed et propinquorum affectibus renuntiare, nec in terra, sed in coelo thesaurizare, paupertatem, mansuetudinem, esuriem, vel sitim justitiae non abhorrere, persecutiones, injurias, maledictiones patienter sustinere. Ad quae quatenus possibile est sectanda, si studium strenui cordis et operis apposueris, in praesenti perfectionem seu benignitatem coelestis Patris imitando, aeternae quietis beatitudinem in futuro obtinebis.

XVII.

Et quoniam horum aliqua, Christi favente gratia, jam tenes, utpote quia audiens eum dicentem: *Qui non renuntiat omnibus quae possidet, non potest meus esse discipulus; et qui vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me,* [5]) abrenuntiationem saecularium et mortificationem voluptatum sub humilitate monastici habitus ostendis provide, ut coram Deo et hominibus haec et caetera tua omnia in simplicitate puritatis, in fervore charitatis fiant. Nec unquam vel manum ab aratro divinae amoveas servitutis, vel oculos post tergum ad dimissa reducas. Sed ut ait Apostolus, *ea quae sunt retro obliviscens, et in anteriora te semper extendens,* [6]) ab his in quae pervenisti, in ea quae nondum apprehendisti, pia aviditate festina. Cumque per auxilium superni respectus aliquid te profecisse senseris, humili devotione id largitori arroga, non tibi; et in incerto rerum eventu, nunquam tibi de fiducia securitatis inepte blandiaris, ne dum te firmius stare [praesumpseris], miserabiliter decidas: quia superbum est, de non peccandi facultate praesumere; et facillime vincitur, qui vinci non veretur. Noli ergo aemulari in eis, qui prosperantur in viis suis, qui et confidunt in virtute sua, et dicunt: *Manus nostra excelsa, et non Dominus fecit haec omnia.* [7]) Sed aemulare sanctorum aviditatem et justitiam; aviditatem quidem, ut ad mensuram consuetudinis tuae novis quotidie aliquid apponas augmentis, sciens hoc quod nemo tam perfectus et sanctus est, ut perfectior esse non possit et sanctior: et sicut potest habere quo recidat, ita potest habere quo crescat; justitiam vero, ut etiam inter magna virtutum exercitia nunquam te praesumas esse perfectum, ne sicut beatus monet, [8]) cujus hic aliqua prae venustate

[1]) *quam* cod. — [2]) Exod. XX, 14. sqq. Matth. V, 27. — [3]) *alto subjectum transgrediens* inepte cod. quem aliter alius emendaverit. — [4]) f. rectius *quae nobis J. C. proponit et quibus monet,* — [5]) Matth. XVI, 24. — [6]) Phil. III, 13. — [7]) Deuter. XXXII, 27. — [8]) Quis sit ille *beatus venustus,* quaerere non vacat. Gregoriani aliquid leporis fortasse insonuerit.

sui et congruentia posui verba, ab intentione itineris nondum finire cessans, ibi incidas in deficiendi periculum, ubi proficiendi deposueris appetitum.

XVIII.

Et quoniam cum religionis splendore, etiam sublimi sacerdotalis ministerii [1]) ordine praeditus es, curandum tibi summopere, ut qui tanto fungeris officio, non infirma vel popularis sit vita tua, ne tangat te illud propheticum: *Et erit sicut populus, sic sacerdos,* [2]) sed quantum distas dignitate honoris, tantum praeemineas auctoritate conversationis. Cavendum etiam tibi de nuntio, qui in regalibus nuptiis, mensae sponsi et sponsae ministras, illorum scilicet de quorum altero cantatur: *Speciosus forma prae filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis*; [3]) et item: *Dilectus meus candidus et rubicundus, electus ex millibus*: [4]) de altera autem: *Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate*; [5]) et cui dicit idem sponsus suus: *Tota pulchra es, amica mea, tota pulchra es, et macula non est in te*: [6]) cavendum, inquam, tibi ne cum indecenti, hoc est communi, descisso, vel aliquibus maculis infecto habitu ad mensam harum tantae pulchritudinis et reverentiae personarum ministrator, introire audeas: ne cum officiosum te putas, pro injurioso reputeris, et praesumptionis tuae temeritatem luas, sicut ille qui inter nuptiantes, a rege non vestitus nuptiali veste deprehensus, in tenebras exteriores detrudi jussus est. Qui si inter constipationem nuptias tam celebres frequentantium latere non potuit, tu quomodo qui inter sponsum et sponsam medius ex ministerio consistere debes, et a sponso manibus tuis traditum panem et calicem, et eum panem et calicem, quos sola fides credentium vehementer ab aliis victualibus secernendos intelligit, sponsae habes porrigere? Ut ergo ministerium tuum decenter et salubriter impleas, sobrius esto.

XIX.

Neque graveris in hoc et caeteris hujusmodi a me moneri, cum et melior te, Timotheus videlicet, super hoc eodem et super aliis, in quibus forte numquam deliquerat, etiamsi [palam] moneretur a magistro, mandatum acceperit. Sobrietas autem ea, quam satietas excitare solet. Et regula sancti Patris nostri Benedicti vehementer condemnat scurrilitatem, et verba superflua vel risum moventia a te removebit. Pro his nimirum et dives ille, qui epulabatur quotidie splendide, eo quod inter ipsas epulas loquacitati ora laxasset, in lingua acrius se torqueri indicat, dum dicit: *Pater Abraham, miserere mei, et mitte Lazarum, ut intinguat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* [7]) Proinde cum omni quidem et loco et tempore, tum praecipue inter prandia [8]) et post epulas adhibenda est oris custodia, et cohibenda lingua, ne potionibus excitata ad stultiloquium, aut per immoderatum sermonem, aut per ineptam

[1]) *sublime sacerdotalis ministerium* cod. — [2]) Is. XXIV, 2. — [3]) Ps. XLIV, — [4]) Cant. V, 10. *rubicundum* cod. [5]) Ps. XLIV, 14. — [6]) Cant. IV, 7. — [7]) Luc. XVI, 24. — [8]) *praedia* cod.

animi laetitiam declinet. Cui malo Paulus episcopum, ducem et praeceptorem subditorum, nolens incumbere, cum ad discipulos, Timotheum videlicet et Titum, quaedam singillatim praemisisset, quibus eum insistere, et a quibus vellet desistere, ad utrumque pariter non vinolentum illum esse debere decernit. Ut itaque regi magno et terribili, cui antiquus dierum Deus Pater dedit omnem potestatem in coelo et in terra, et cujus honor judicium diligit, sed et reginae a dextris ejus assistenti, sanctae scilicet Ecclesiae, sponsae ipsius, acceptus minister sis, et bene ministrando gradum bonum tibi acquiras, cave, ut praedictum est, ne vel non nuptiali veste indutus, vel nudus aliquando coram ipsis appareas: sed serva vestimenta tua, ne nudus ambules, et appareat turpitudo aliqua in te, sicut in populo peccante: *Sedit populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere.* Paulo post subjunctum est: *Quia viderat Moyses populum quod esset nudum.* [1]) *Spoliaverat enim eum Aaron propter ignominiam sordis, et inter hostes nudum constituerat.*

XX.

Proinde sicut et Dominus ad Job loquitur: *Circumda tibi decorem, et speciosis induere vestibus;* [2]) et secundum Salomonem: *Omni tempore sint vestimenta tua candida,* [3]) ut non vituperetur vel magis reprobetur ministerium tuum. Aut si ad hoc non sufficis, ut vere non sufficis, ora eum qui sacerdotes Sion salutari se induere promittit, qui et ipse *decorem et fortitudinem induit, et praecinxit se virtute,* [4]) ut eisdem vestimentis gloriae suae infirmitatem naturae tuae dignetur obtegere: fortitudinem scilicet, ad muniendum te adversum hostem illum, qui quondam et Jesu sacerdoti magno, non peccati, sed dolorum nostrorum sordidis vestibus induto, stabat a dextris, ut adversaretur ei; decorem autem, ad placendum regi praedicto, ut ipse concupiscat speciem tuam, cum vestitus fueris duplicibus, et in fimbriis aureis circumamictus varietatibus. Ad has enim haud dubium quin virtutum varietates significandas et tu vel quilibet alius sacerdos, intraturi ad altare sanctum, et Deo qui laetificat juventutem vestram ministraturi, multis praeter communes sacrarum vestium speciebus utamini: ita sane cum et de te, praestante Deo, dici poterit: *Fortitudo et decor indumentum ejus,* [5]) vel illud: *Amavit eum Dominus, et ornavit eum, stolam gloriae induit eum,* [6]) non inter hostes nudus constitueris, sed inter eos qui induantur justitia sacerdotes, salubriter censeberis, ut cum sanctis quandoque exultes in gloria; quidni tunc erumpens in laudem exornatoris tui, confitearis, et dicas: *Gaudens gaudebo in Domino, et exultabit anima mea in Domino meo.* [7]) *quia induit me vestimentis salutis, et indumento justitiae circumdedit me.* Ut autem et super exterius altare Ecclesiae munera tua accepta sint Deo et tibi proficua, prius in domo spirituali, et in ara cordis exerce sacerdotium sanctum, et diligenti cura satage offerre spirituales hostias, acceptabiles Deo per Jesum Christum, qui et sicut in Apocalypsi Joannis legitur: *Lavit fideles suos a peccatis suis in sanguine* [8]) *suo, et fecit eos regnum et sacerdo-*

[1]) Exod. XXXII, 6, 25, mox *spoliaverunt* cod.— [2]) Job. XL, 5. — [3]) Eccle. IX. 8. — [4]) Ps. XCII, 1. — [5]) Prov. XXXI, 25. — [6]) Eccle. VI, 32 etc. — [7]) Is. LXI, 10. — [8]) Apoc. I, 6.

tes Deo et Patri suo, ut etiam esset, sicut dicit apud Petrum, *genus electum, regale sacerdotium.* [1])

XXI.

Neque vero pecuniam, apostolus verbi Dei, tibi creditam, de qua nonnihil penes te reconditum putamus, de caetero colligatam in sudario retineas: sed expende eam ad lucrum, ne a creditore pigritiae arguaris, et ablato a te intellectus talento, de ore tuo, quo bona dicere et docere debueras, te ipsum, quod Deus avertat! condemnare cogaris. Proinde si Deus posuit verba sua in ore tuo, noli dicere: *Nescio loqui, quia puer sum,* [2]) sed *praedica verbum opportune, importune, argue, obsecra, increpa,* [3]) quoniam et hoc ad implendum sacerdotale ministerium spectat. Omni ergo verbum solatii petenti te, tribue; et nummum consilii volenti a te mutuari, ne averteris. Nec in erogatione ista defectum formides, dum in psalmo cantetur: *Dominus dabit verbum evangelizantibus in virtute multa,* [4]) et idem *Dominus dives in omnes qui invocant eum,* [5]) fideli suo promittat: *Sermones meos quos dedi in os tuum, non deficient de ore tuo.* [6]) Itaque quoniam scriptum est: *Labia sacerdotum custodiunt scientiam, et legem requirent ex ore ejus,* [7]) nunquam sententia servi dicentis: *Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum,* [8]) apud te praeponderet sententia Domini praecipientis: *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, et annuntia populo meo scelera eorum, et domui Jacob peccata eorum. Et si non annuntiaveritis impio, ille quidem in iniquitate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram.* [9])

XXII.

Considerans ergo quoniam periculosum sit istius modi angelis nihil nuntiare, ne et tu, non dico frustra, sed ad judicium tuum angelus voceris, aperi os tuum, et attrahe spiritum; et Dominus sine dubio replebit illud eodem Spiritu sapientiae, ad annuntiandum laudem ejus in medio Ecclesiae, et narrandum nomen ipsius fratribus tuis. Quibus quoniam tam sapientibus quam insipientibus debitor es (parvus enim et magnus ibi sunt), oportet te omnibus debita pendere. Neque subducatur memoriae tuae, quod et *in thesauro abscondito et in scientia occulta nulla utilitas,* [1]) et quod *maledictus sit qui abscondit frumenta a populis.* [2]) Nec vero te de imperitia aut de privata vita excusare contendas. Si ex inscitia, non potes proximo propinare ex fiala, propina ei ex cyatho; si prae paucitate non possunt aquae tuae foras derivari, aut dividi in plateis, habeto eas solus, ut alieni non sint participes earum, sed tamen domestici et familiares; si ex officio non habes seminare super omnes aquas, et [3]) praedicare in populis, semina saltem

[1]) I Petr. II, 6. — [2]) Jerem. I, 6. — [3]) II Tim. IV, 2. — [4]) Ps. LXVII, 12. — [5]) Rom. X, 12. — [6]) Locus ignot. — [7]) Malach. II, 7. — [8]) Jac. I, 19. — [9]) Is. LVIII 1. Ezech. III, 18.

[1]) Eccli. XX, 32. — [2]) Prov. XXI, 39. — [3]) *haec praedicare* cod.

in hortulis, corripe, mone, exhortare, nunc publice, nunc privatim, prout videris expedire eos cum quibus versaris. Et scias, quoniam saepius proficiat secreta admonitio, quae fit in angulis, quam manifesta objurgatio, quae fit in capitulis. Quocirca nec talentum penes te in sudario jaceat repositum, nec verbum Dei apud te teneatur ligatum; sed illud expende ad lucrum, illud ubicumque poteris sere, quia profecto referet fructum. Non enim mentitur aeternus ille sator, qui de eodem verbo suo per prophetam dicit: *Non revertetur ad me vacuum, sed faciet quaecumque volui, et prosperabitur in his ad quae misi illud.* [1]) Et per se in Evangelio: *Aliud cecidit in terram bonam, et ortum fecit centuplum.* [2]) Et David in psalmo: *Et mittet*, inquit, *verbum suum, et liquefaciet ea.* [3]) Quae ea? nisi peccatorum corda, frigore iniquitatum congelata. Sed verbo Dei de quo dicit Jeremias: *Factus est mihi sermo Domini quasi ignis exaestuans, et clausus in ossibus meis.* [4]) hoc, inquam, verbo Dei emisso, et operante in cordibus suscipientium, e vestigio *flabit Spiritus Domini, et fluent aquae,* [5]) ut inspiratione divina compuncti, exardescant ad poenitentiam, et exitus aquarum deducant oculi compunctorum, quia non custodierunt legem Dei, et suspirantes baptizentur lacrimis suis, qui prius duri torpebant in sordibus multis.

Sermonem itaque Domini, retineri nolentem, vide ne impedias, sed currat semper et clarificetur; et ut laborantem in eo profectus boni comitetur efficacia, ora ut et te ipsum eloquium Domini inflammet, et roboret trepidationem tuam; ignitum enim est vehementer et validum, ita ut ex facili durissima quaeque penetret et dissolvat, sicut et de eo figurate cantatur: *Sagittae potentis acutae cum carbonibus desolatoriis* [6]) Et de his quidem iste dicendi sit [7]) modus, quia ad excitandam virtutum aemulationem, cui pauca non sufficiunt, multa non proderunt.

XXIII.

Tu itaque, famule omnipotentis Jesu Christi, qui audiens eum dicentem: *Beatus servus, quem cum venerit Dominus, invenerit vigilantem,* [8]) vigilias vitae tuae, secundum distinctiones aetatum convenientes, [9]) te erigens, ut sine adulatione loquar, non ex toto neglexisti, de caetero esto vigilantior, quia excubitor vel monitor ille qui non dormit, neque dormitat, custos suorum pervigil, et super custodiam suam stans, totis noctibus dormientes excitat, et somnolentos increpat, crebro sono inclamitans, et dicens: Videte, vigilate, et orate; et nescitis enim quando tempus sit; excitatur, inquam, iste, sicut nullum imparatum vult invenire, ita prorsus non tardat venire. Proinde quoniam in tertia, per mare hujus vitae remigando, vigilia jam laboras, et de vigiliis totius noctis vel navigationis tuae una tantum, id est quarta superest, roga sollicitis et continuis orationibus, venturum omnium discussorem, ut in tua saltem extrema scilicet vigilia, imperfectum tuum ita videat, ut corrigat et perficiat, et pacificus tibi Dominus veniens, intumescentes transituro ad se totos fluctus marinos compescat, et soli-

1) Is. LV, 11. — 2) Matth. XIII, 8. — 3) Ps. CXLVII, 18. — 4) Jerem. XX, 9. — 5) Ps. CXLVII, 18. — 6) Ps. CXIX, 4. — 7) *sic* cod. — 8) Luc. XII, 38. — 9) *convenienter* cod.

reliquiae salvae fient. [1]) Et rursum: *Convertentur ad vesperam,* et *famem patientur ut canes, et circuibunt civitatem.* [2]) Nam circa finem mundi, velut in vespera diei, exauditis precibus, quas [3]) pro dimovenda obcaecatione populi illius, modo saltem in die passionis Redemptoris sui, tremens sub judiciis ejus, offerre praesumit Ecclesia, de gentibus collecta, tunc vel sero in veritate convertentur reliquiae illae, et auferetur velamen execrabilis hujus ignorantiae, seu potius perfidiae, quae usque hodie, cum legitur Moyses, positum est super cor Judaeorum; et ablato velamine, revelata facie, diu sibi absconditam gloriam Domini contemplantes, a claritate in claritatem transferentur, tamquam a Domini Spiritu, et dicent: *Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos.* [4]) Eisdemque supremis diebus, mittente Domino, ut propheta testatur, famem super terram, non famem panis, sed famem audiendi verbi Dei, tunc et ipsi a quo diu [5]) jejunaverant, divini eloquii *famem patientur ut canes, et circuibunt civitatem* Ecclesiae, petentes, quaerentes, pulsantes, et magno votorum adnisu optantes intromitti, ut quod de se et simili sibi populo nationum dixerat mulier illa magnae fidei, nunc versa vice compleatur in istis, videlicet: *Ut edant et saturentur pauperes* isti catelli, *de micis quae cadunt de mensa dominorum suorum* [6]).

Nunc enim gratias benigno Jesu Christo qui hoc fecit, praeposterato ordine nascendi, et Jacob, [7]) Esau, et Judas Ruben, et Ephraim Manasse antefertur, et junior filius qui perierat, a pio patre inventus, in domo et in mensa ejus, in carnibus vituli saginati cum sobria jucunditate spiritaliter reficitur; et minor majori imperat, et sunt novissimi primi, et servi domini, et canes filii; quoniam qui de illis laudem dixerat: *Non est bonum sumere panem filiorum et mittere canibus,* idem quod vituperans eosdem et comminatus fuerat, id adimplevit: *Auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus. Et venient ab Oriente et Occidente, et Aquilone et Austro, accumbent in regno Dei, filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores, ibi erit fletus et stridor dentium.* [8])

IX.

In quibus scilicet tenebris positus infelix ille *dives,* qui *induebatur purpura et bysso, et epulabatur quotidie splendide,* [9]) hoc est ea pars judaicae plebis, quae fidem Jesu Christi respuens, firmavit sibi sermonem malignum, dicens: *Sanguis ejus super nos et super filios nostros,* [1]) et cui loquuntur apostoli: *Vobis oportuerat praedicari verbum Dei; quia refellitis illud, et indignos vos judicastis aeterna vita, ecce convertimur ad gentes* [2]) Modo gemens et egens, inter supplicia, guttam aquae, id est quidlibet refrigerium evangelicae gratiae desiderat, nec meretur. Qui quondam Lazaro, videlicet gentili populo, micas panis, hoc est quaevis minima legalis doctrina, dare contempsit. Sed quoniam *sterilis peperit pluri-*

1) Is. XL, 22. Rom. IX, 27. — 2) Ps. LVIII, 13. — 3) *qua* cod. — 4) Ps. XXIV, 15. — 5) *die* cod. — 6) Matth. XV, 27. — 7) *Joab* cod. — 8) Matth. VIII, 12. — 9) Luc. XVI, 19. Cf. eamdem parabolam supra p. 292. — 1) Matth. XXV, 27. — 2) Act. XIII, 46.

rimos, et quae multos habebat filios, infirmata est; arcus fortium superatus et infirmi accincti sunt robore; repleti prius, pro panibus se locaverunt, et famelici saturati sunt; cum venerit tempus miserendi Sion, ille qui deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles, esurientes implevit bonis, et divites dimisit inanes; quandoque recordatus misericordiae suae, revertetur ad Jerusalem, cum misericordia, et miserebitur Jacob, et eliget adhuc de Israel? [1]) *Et electi illi inserentur olivae suae, et venient in Sion cum laude, et ingredientur civitatem,* [2]) et de caetero non erunt hospites et advenae, *sed cives sanctorum et domestici Dei. et gaudebunt de bonis Domini super frumento, vino et oleo, et ultra non esurient.* [3])

X.

Nec etiam aliud malum ad persecutionem fidelium Christi urgebat Saulum, quam veritatis et sui ipsius ignorantia, quoniam, sicut ipse ait, cum caeteris ignorans Jesum et voces Scripturarum, quae per omne sabbatum leguntur, proficiebat in Judaismo supra multos coaetaneos suos in genere suo, abundantius aemulator existens paternarum suarum traditionum, expugnans Ecclesiam, et devastans eam. Sed quoniam non ex malignitate protervae mentis, sed incauta devotione antiquae Legis, quam a Deo datam noverat, et consiliorum ejus adhuc ignarus, aboleri habebat praesumptio illa vel error, quo eam quasi tueri nitebantur. descendebat, ut scribit ipse, in prima ad Timotheum epistola, qui *primum fuit blasphemus et persecutor et contumeliosus, misericordiam Dei consecutus est,* [4]) quia ignorans fecerat. Unde et in typo velati antea cordis ejus, triduana caecitate mulctatur, et in typo mox revelandi, decidentibus ab oculis ipsius squammis illuminatus, in tantum alteratus est, ut ex impugnatore doctor, et ex lupo aries factus, et doctrinam quam ab omni hominum memoria convellere laborabat, asserendo plantaret, et gregem quem dispergere satagebat, ductor fortissimus multiplicando defenderet.

Nec aliunde quam ex sui ipsorum ignorantia, indiscretus ille filiorum Zebedaei zelus descendebat, quo de contemptoribus naturae suae ultionem reposcentes, dicebant: *Domine, vis, dicimus ut ignis descendat, et consumet eos.* Quos statim benignus magister increpans, ut ostenderet increpationem illam de ignorantia emersisse, dicit: *Nescitis enim cujus spiritus estis; Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare.* [5])

XI.

De qua scilicet ignorantia quoniam omnia fere perperam gesta ebulliunt, et per hanc in multis offendimus omnes, oportet te, fili dulcissime, adversus eam multa vigilare industria; quia sunt et quos hebetudo intellectus dejicit, de qui-

[1]) 1 Reg. II, 4, 5. Luc. II, 51, 52 etc. — [2]) locus incertus, fort. apocryphus. — [3]) Ephes. II, 19. Apoc. VII, 16 etc. — [4]) I. Tim. I, 13. — [5]) Luc. IX, 55.

bus scriptum est: *Oves in inferno positi sunt*; [1]) et sunt quos acumen ingenii fallens in tenebras injustitiae demergit, velut et oculus nimio solis lumine infusus, obscuratur potius quam clarescit. Sed dicendum quia sicut aliud simplex ignorantia, aliud caecitas merito obstinationi inflicta, ita et his qui simpliciter ignorant, et errant, nonnumquam aut per internam aspirationem, aut per fraternam ammonitionem divina subvenit clementia. Hos vero quos inanis inflat scientia, et qui contra consilium Scripturae, suae innituntur prudentiae, districto Deus deferens judicio, in reprobum plerumque tradit sensum, ut faciant ea quae non conveniunt, sicut ait propheta: *Sapientes ut faciant mala.* [2]) De his et Dominus: *Sinite illos, caeci sunt duces caecorum. Caecus autem si caeco ducatum praebeat, nonne ambo in foveam cadunt?* [3]) Hujusmodi loquitur Isaias: *Vae qui sapientes estis in oculis vestris, et coram vosmetipsis prudentes*, [4]) in cujus devotationis foveam ne incidant discipuli, magister ammonet, dicens: *Nolite esse prudentes apud vosmet ipsos.* [5]) Quia vero et secundum Evangelium, *in judicium Dominus venit in hunc mundum, ut qui non vident videant, et qui vident, caeci fiant*; [6]) et juxta Apostolum repudianda sunt ea quae sunt parvulorum, quoniam *omnis qui lactis est particeps, expers est sermonis justitiae, parvulus enim est*; [7]) et item secundum eumdem, non est sapiendum plusquam oportet, sed sapiendum ad temperantiam, illud inter haec tenendum est consilium, quod Dominus in Evangelio tribuit, dicens: *Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbae*, [8]) et Apostolus: *Volo vos prudentes in bono, et simplices in malo*, [9]) et rursum: *Nolite effici pueri sensibus, sed malitia parvuli estote*: [1]) sicut ergo nulli Deum in veritate quaerenti desipiendum est, ita nec alicui jam aliquid invenisse vel accepisse se confidenti, alte sapiendum, sed timendum semper et humilibus consentiendum, quia *Deus superbis resistit, et humilibus dat gratiam.* [2])

XII.

Considerans ergo, fili charissime, et quod ignorans ignorabitur, quod multae litterae quondam ad insaniam provocant, satage ut in hac tam periculosa via cautum, non securum, mediocrem, non terminos a patribus positos excedentem, id est neque ad dexteram, neque ad sinistram declinantem viatorem te exhibeas. Et cave ignorare, ne ignoreris; et pertimesce extolli, ne reproberis; nec unquam te vel remissio desidiae hebetet, nec ambitio gloriae te elevet, ut sincere cum illo quem invenerit Deus secundum cor suum, possis dicere: *Domine, non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei.* [3]) Ita inter tam dispares et periculis obnoxios vitae hujus affractus, ut vulgo dicitur, medio tutissimus ibis, quia virtus est medium vitiorum, et utrinque reductum. Ut ergo ad honorem et gloriam datoris scias, et ad salutem habeas quae sunt et communiter cum omni

[1]) Ps. XLVIII, 15. — [2]) Jerem. IV, 22. — [3]) Matth. XV, 14. — [4]) Is. IV, 21. — [5]) Rom. XII, 16. — [6]) Joan. IX, 39. — [7]) Hebr. V, 13. — [8]) Matth. X, 19. — [9]) Rom. XVI, 19. — [1]) Cor. XIV, 20. — [2]) Jac. IV, 6. — [3]) Ps. CXXX, 1.

humano genere; et divini vi muneris speciali gratia a Deo tibi data sunt, intra in cubiculum, id est secretum mentis, et clauso ostio, exclusisque terrenarum distensionum tumultibus, et pulvere inutilium cogitationum ab oculis mentis absterso, considera diligenter, et dignitatem conditionis, et infidelitatem dejectionis, et sublimitatem reparationis humanae: quorum primum et tertium ad largitatem vel benignitatem opificis respiciunt, secundum ingratitudinem opificii, id est hominis arguit.

XIII.

Cum itaque ad dignitatem conditionis nostrae contuendam, aciem mentis intenderis, cogita quomodo cum omni genere ratione utentium, secundum animam intellectu praeditam, instar coelestium spirituum, ad imaginem et similitudinem auctoris tui factus sis, totique praelatus creaturae, juxta quod de homine dicitur ad Deum: *Minuisti eum paulo minus ab angelis, gloria et honore coronasti eum, super opera manuum tuarum.* [1]) Et ex ipsa exterioris hominis forma, quam ob nonnullam significationem sublimem et ad coelum erectam accepisti, ammonitus, cave ne bestias vel pecudes, a quibus et in hoc distas, irrationabiles animi appetitus et carni voluptates sequens imiteris, sed stans in virtutis culmine, hominem te exhibeas (nec hominem qualem tangit Apostolus dicens: *Cum enim sint inter vos zelus et contentio, nonne carnales estis? et secundum hominem ambulatis,* [2]) sed hominem prudentiae, fortitudinis, temperantiae et cautum aemulatorem. Et quoniam his virtutibus homo si strenue se exerceat, naturaliter se munitum opportune inveniet, et debitor est ut secundum eas vivat, debitor quoque naturalis legis implendae, videlicet ut quod quisque sibi non vult fieri, alii non faciat, et ut vix stimulos et cupiditatis impetus in se per rationem moderando coerceat; tum etiam in id virtutis ascendens, ut ista exsequaris, laude quidem nonnulla inter homines dignus habeberis: sed cave ne spe falsa seductus, magnum tibi pollicendo, propter hoc de multa apud Deum mercede glorieris: quia qui sola naturalia tenet vel sequitur, in operum seu morum suorum qualitate, sublimia illa gratiae praemia non percipit in retributione. Qui autem eisdem naturalibus bonis deceptus, sub seipsum per illicitos appetitus defluit, gravi a Spiritu Sancto per Psalmistam elogio inuritur, scilicet quod *homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus et similis factus est illis.* [3])

XIV.

Cum vero ad contuendum miserrimae dejectionis nostrae infortunium, oculos tuae considerationis deflexeris, mirari simul et dolere poteris, ad quantam sui inconstantiam omnis homo per inobedientiam primae transgressionis redactus sit, ut nec per liberum quidem arbitrium necessitati peccandi resistere possit, et

[1]) Ps. VIII, 3. — [2]) I Cor. III, 3. — [3]) Ps. XLVIII, 21.

quantis miseriarum cladibus in hac lacrimarnm valle subjectus, per latum mundi hujus exilium in genere suo diffusus, innumeris afflictionum impulsibus incessanter ventiletur; et quomodo post haec praeter paucos, benignitas divinae subventionis, duabus, ut sic dicam, misericordiae et gratiae manibus eripit, a temporalibus ad aeternas gehennalis lacus tenebras et aerumnas deponatur. Sed ne vel malo dolorum opprimeris, vel calamitatum fama suffundaris, cito refer ab his caput, assidue intuitus tui aciem ad purissimam lucem divinae miserationis, et transeat in materiam laudis acerbitas hujus considerationis. Revolvens enim omnino, et diu et dulciter contemplans qualiter Deus graves hominum semper miseratus labores, nec multitudinem viscerum benignitatis suae in finem continens, et olim semel per mysterium incarnationis et passionis Unigeniti Filii sui, omnia nobis delicta donans, chirographum damnationis nostrae deleverit; et quomodo adhuc quotidie de coelo in terram aspiciat, ad hoc scilicet ut audiat gemitus compeditorum, et solvat filios interenptorum.

XV.

Hoc, inquam, et alia hujusmodi, quae de affectu miserationum ejus erga filios hominum in thesauris Scripturarum [1]) inveniuntur jugi memoria ruminans, ut et in eorum numero censearis, quorum vitam de interitu redemit, et quos coronat in misericordia et miserationibus, dilatato corde, totus pergens in laudem adorandi nominis ejus, et confiteberis illi, et magnificentiam gloriae sanctitatis ejus loqueris; qui eruit nos de potestate tenebrarum, et transfert in regnum claritatis suae et Filii sui. Et quoniam non est speciosa laus in ore peccatoris, et a mortuo, quasi ab eo qui non est, perit confessio, et fides sine operibus otiosa est, et sunt qui in ore suo Deum benedicant, et in corde maledicant, juxta illud: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me,* [2]) his omnibus, ne confitens verbis, et factis negans inveniaris, studiosa intentione obvians, corde credes ad justitiam, et ore confiteberis ad salutem; fidemque cordis et confessionem oris firmo sancti operis testimonio confirmabis: ut his tribus vitae sine repugnantia consentientibus, *tres qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua et sanguis,* [3]) stabilem in te operentur salutem; et a tribus qui testimonium dant in coelo, Patre, Verbo, Spiritu, super quibuscumque rogaveris, exaudiaris.

XVI.

Sed ad haec quis idoneus? Nempe qui habet charitatem, cum videlicet quae secundum Apostolum finis praecepti est, *de corde puro et conscientia bona et fide non ficta.* [4]) Ab his ne abeas, ascensiones hujusmodi in corde tuo dispones, ut primo indelebili naturali legi, quam superius tetigi, per omnia consentaneus, nulli prorsus facias, quod tibi nolis fieri; demum servilis illius mosaicae correctionis,

1) *Sepulturarum* sic aperte cod. et apogr. — 2) Matth. XV, 8. — 3) I Joan. V, 7. — 4) I. Tim. I, 5.

qua [1]) et inimicos odio haberi, et quali quis laesione affectus fuerit, talem et rependere permittitur, grossa illa praecepta, scilicet: *Non occides, non moechaberis, non furtum facies,* [2]) et caetera id genus, quae spirituali pro parvis ducuntur, alto suspectu transgrediens, [3]) ad fortia et sublimia Filii Dei evangelicae perfectionis, quae in spiritus libertate complentur, consilia, devotus et humilis executor, ascendas: quibus nobis [4]) Jesus Christus proponit et monet inimicos diligere, orare pro persequentibus, delinquentibus in nos ex corde remittere, non resistere malo, sed caedenti alteram alteram praebere maxillam, auferenti tunicam et pallium dimittere, quae nobis impendi velimus aliis impendere, nec solum divitiarum censibus, sed et propinquorum affectibus renuntiare, nec in terra, sed in coelo thesaurizare, paupertatem, mansuetudinem, esuriem, vel sitim justitiae non abhorrere, persecutiones, injurias, maledictiones patienter sustinere. Ad quae quatenus possibile est sectanda, si studium strenui cordis et operis apposueris, in praesenti perfectionem seu benignitatem coelestis Patris imitando, aeternae quietis beatitudinem in futuro obtinebis.

XVII.

Et quoniam horum aliqua, Christi favente gratia, jam tenes, utpote quia audiens eum dicentem: *Qui non renuntiat omnibus quae possidet, non potest meus esse discipulus; et qui vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me,* [5]) abrenuntiationem saecularium et mortificationem voluptatum sub humilitate monastici habitus ostendis provide, ut coram Deo et hominibus haec et caetera tua omnia in simplicitate puritatis, in fervore charitatis fiant. Nec unquam vel manum ab aratro divinae amoveas servitutis, vel oculos post tergum ad dimissa reducas. Sed ut ait Apostolus, *ea quae sunt retro obliviscens, et in anteriora te semper extendens,* [6]) ab his in quae pervenisti, in ea quae nondum apprehendisti, pia aviditate festina. Cumque per auxilium superni respectus aliquid te profecisse senseris, humili devotione id largitori arroga, non tibi; et in incerto rerum eventu, nunquam tibi de fiducia securitatis inepte blandiaris, ne dum te firmius stare [praesumpseris], miserabiliter decidas: quia superbum est, de non peccandi facultate praesumere; et facillime vincitur, qui vinci non veretur. Noli ergo aemulari in eis, qui prosperantur in viis suis, qui et confidunt in virtute sua, et dicunt: *Manus nostra excelsa, et non Dominus fecit haec omnia.* [7]) Sed aemulare sanctorum aviditatem et justitiam; aviditatem quidem, ut ad mensuram consuetudinis tuae novis quotidie aliquid apponas augmentis, sciens hoc quod nemo tam perfectus et sanctus est, ut perfectior esse non possit et sanctior: et sicut potest habere quo recidat, ita potest habere quo crescat; justitiam vero, ut etiam inter magna virtutum exercitia nunquam te praesumas esse perfectum, ne sicut beatus monet, [8]) cujus hic aliqua prae venustate

[1]) *quam* cod. — [2]) Exod. XX, 14. sqq. Matth. V, 27. — [3]) *alto subjectum transgrediens* inepte cod. quem aliter alius emendaverit. — [4]) f. rectius *quae nobis J. C. proponit et quibus monet,* — [5]) Matth. XVI, 24. — [6]) Phil. III, 13. — [7]) Deuter. XXXII, 27. — [8]) Quis sit ille *beatus venustus,* quaerere non vacat. Gregoriani aliquid leporis fortasse insonuerit.

sui et congruentia posui verba, ab intentione itineris nondum finire cessans, ibi incidas in deficiendi periculum, ubi proficiendi deposueris appetitum.

XVIII.

Et quoniam cum religionis splendore, etiam sublimi sacerdotalis ministerii [1]) ordine praeditus es, curandum tibi summopere, ut qui tanto fungeris officio, non infirma vel popularis sit vita tua, ne tangat te illud propheticum: *Et erit sicut populus, sic sacerdos,* [2]) sed quantum distas dignitate honoris, tantum praeemineas auctoritate conversationis. Cavendum etiam tibi de nuntio, qui in regalibus nuptiis, mensae sponsi et sponsae ministras, illorum scilicet de quorum altero cantatur: *Speciosus forma prae filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis;* [3]) et item: *Dilectus meus candidus et rubicundus, electus ex millibus*: [4]) de altera autem: *Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate*; [5]) et cui dicit idem sponsus suus: *Tota pulchra es, amica mea, tota pulchra es, et macula non est in te*: [6]) cavendum, inquam, tibi ne cum indecenti, hoc est communi, descisso, vel aliquibus maculis infecto habitu ad mensam harum tantae pulchritudinis et reverentiae personarum ministrator, introire audeas: ne cum officiosum te putas, pro injurioso reputeris, et praesumptionis tuae temeritatem luas, sicut ille qui inter nuptiantes, a rege non vestitus nuptiali veste deprehensus, in tenebras exteriores detrudi jussus est. Qui si inter constipationem nuptias tam celebres frequentantium latere non potuit, tu quomodo qui inter sponsum et sponsam medius ex ministerio consistere debes, et a sponso manibus tuis traditum panem et calicem, et eum panem et calicem, quos sola fides credentium vehementer ab aliis victualibus secernendos intelligit, sponsae habes porrigere? Ut ergo ministerium tuum decenter et salubriter impleas, sobrius esto.

XIX.

Neque graveris in hoc et caeteris hujusmodi a me moneri, cum et melior te, Timotheus videlicet, super hoc eodem et super aliis, in quibus forte numquam deliquerat, etiamsi [palam] moneretur a magistro, mandatum acceperit. Sobrietas autem ea, quam satietas excitare solet. Et regula sancti Patris nostri Benedicti vehementer condemnat scurrilitatem, et verba superflua vel risum moventia a te removebit. Pro his nimirum et dives ille, qui epulabatur quotidie splendide, eo quod inter ipsas epulas loquacitati ora laxasset, in lingua acrius se torqueri indicat, dum dicit: *Pater Abraham, miserere mei, et mitte Lazarum, ut intinguat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* [7]) Proinde cum omni quidem et loco et tempore, tum praecipue inter prandia [8]) et post epulas adhibenda est oris custodia, et cohibenda lingua, ne potionibus excitata ad stultiloquium, aut per immoderatum sermonem, aut per ineptam

[1]) *sublime sacerdotalis ministerium* cod. — [2]) Is. XXIV, 2. — [3]) Ps. XLIV, — [4]) Cant. V, 10. *rubicundum* cod. [5]) Ps. XLIV, 14. — [6]) Cant. IV, 7. — [7]) Luc. XVI, 24. — [8]) *praedia* cod.

animi laetitiam declinet. Cui malo Paulus episcopum, ducem et praeceptorem subditorum, nolens incumbere, cum ad discipulos, Timotheum videlicet et Titum, quaedam singillatim praemisisset, quibus eum insistere, et a quibus vellet desistere, ad utrumque pariter non vinolentum illum esse debere decernit. Ut itaque regi magno et terribili, cui antiquus dierum Deus Pater dedit omnem potestatem in coelo et in terra, et cujus honor judicium diligit, sed et reginae a dextris ejus assistenti, sanctae scilicet Ecclesiae, sponsae ipsius, acceptus minister sis, et bene ministrando gradum bonum tibi acquiras, cave, ut praedictum est, ne vel non nuptiali veste indutus, vel nudus aliquando coram ipsis appareas: sed serva vestimenta tua, ne nudus ambules, et appareat turpitudo aliqua in te, sicut in populo peccante: *Sedit populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere.* Paulo post subjunctum est: *Quia viderat Moyses populum quod esset nudum.* [1]) *Spoliaverat enim eum Aaron propter ignominiam sordis, et inter hostes nudum constituerat.*

XX.

Proinde sicut et Dominus ad Job loquitur: *Circumda tibi decorem, et speciosis induere vestibus;* [2]) et secundum Salomonem: *Omni tempore sint vestimenta tua candida,* [3]) ut non vituperetur vel magis reprobetur ministerium tuum. Aut si ad hoc non sufficis, ut vere non sufficis, ora eum qui sacerdotes Sion salutari se induere promittit, qui et ipse *decorem et fortitudinem induit, et praecinxit se virtute,* [4]) ut eisdem vestimentis gloriae suae infirmitatem naturae tuae dignetur obtegere: fortitudinem scilicet, ad muniendum te adversum hostem illum, qui quondam et Jesu sacerdoti magno, non peccati, sed dolorum nostrorum sordidis vestibus induto, stabat a dextris, ut adversaretur ei; decorem autem, ad placendum regi praedicto, ut ipse concupiscat speciem tuam, cum vestitus fueris duplicibus, et in fimbriis aureis circumamictus varietatibus. Ad has enim haud dubium quin virtutum varietates significandas et tu vel quilibet alius sacerdos, intraturi ad altare sanctum, et Deo qui laetificat juventutem vestram ministraturi, multis praeter communes sacrarum vestium speciebus utamini: ita sane cum et de te, praestante Deo, dici poterit: *Fortitudo et decor indumentum ejus,* [5]) vel illud: *Amavit eum Dominus, et ornavit eum, stolam gloriae induit eum,* [6]) non inter hostes nudus constitueris, sed inter eos qui induantur justitia sacerdotes, salubriter censeberis, ut cum sanctis quandoque exultes in gloria; quidni tunc erumpens in laudem exornatoris tui, confitearis, et dicas: *Gaudens gaudebo in Domino, et exultabit anima mea in Domino meo.* [7]) *quia induit me vestimentis salutis, et indumento justitiae circumdedit me.* Ut autem et super exterius altare Ecclesiae munera tua accepta sint Deo et tibi proficua, prius in domo spirituali, et in ara cordis exerce sacerdotium sanctum, et diligenti cura satage offerre spirituales hostias, acceptabiles Deo per Jesum Christum, qui et sicut in Apocalypsi Joannis legitur: *Lavit fideles suos a peccatis suis in sanguine* [8]) *suo, et fecit eos regnum et sacerdo-*

1) Exod. XXXII, 6, 25, mox *spoliaverunt* cod. — 2) Job. XL, 5. — 3) Eccle. IX. 8. — 4) Ps. XCII, 1. — 5) Prov. XXXI, 25. — 6) Eccle. VI, 32 etc. — 7) Is. LXI, 10. — 8) Apoc. I, 6.

tes Deo et Patri suo, ut etiam esset, sicut dicit apud Petrum, *genus electum, regale sacerdotium.* [1])

XXI.

Neque vero pecuniam, apostolus verbi Dei, tibi creditam, de qua nonnihil penes te reconditum putamus, de caetero colligatam in sudario retineas: sed expende eam ad lucrum, ne a creditore pigritiae arguaris, et ablato a te intellectus talento, de ore tuo, quo bona dicere et docere debueras, te ipsum, quod Deus avertat! condemnare cogaris. Proinde si Deus posuit verba sua in ore tuo, noli dicere: *Nescio loqui, quia puer sum,* [2]) sed *praedica verbum opportune, importune, argue, obsecra, increpa,* [3]) quoniam et hoc ad implendum sacerdotale ministerium spectat. Omni ergo verbum solatii petenti te, tribue; et nummum consilii volenti a te mutuari, ne averteris. Nec in erogatione ista defectum formides, dum in psalmo cantetur: *Dominus dabit verbum evangelizantibus in virtute multa,* [4]) et idem *Dominus dives in omnes qui invocant eum,* [5]) fideli suo promittat: *Sermones meos quos dedi in os tuum, non deficient de ore tuo.* [6]) Itaque quoniam scriptum est: *Labia sacerdotum custodiunt scientiam, et legem requirent ex ore ejus,* [7]) nunquam sententia servi dicentis: *Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum,* [8]) apud te praeponderet sententia Domini praecipientis: *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, et annuntia populo meo scelera eorum, et domui Jacob peccata eorum. Et si non annuntiaveritis impio, ille quidem in iniquitate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram.* [9])

XXII.

Considerans ergo quoniam periculosum sit istius modi angelis nihil nuntiare, ne et tu, non dico frustra, sed ad judicium tuum angelus voceris, aperi os tuum, et attrahe spiritum; et Dominus sine dubio replebit illud eodem Spiritu sapientiae, ad annuntiandum laudem ejus in medio Ecclesiae, et narrandum nomen ipsius fratribus tuis. Quibus quoniam tam sapientibus quam insipientibus debitor es (parvus enim et magnus ibi sunt), oportet te omnibus debita pendere. Neque subducatur memoriae tuae, quod et *in thesauro abscondito et in scientia occulta nulla utilitas,* [1]) et quod *maledictus sit qui abscondit frumenta a populis.* [2]) Nec vero te de imperitia aut de privata vita excusare contendas. Si ex inscitia, non potes proximo propinare ex fiala, propina ei ex cyatho; si prae paucitate non possunt aquae tuae foras derivari, aut dividi in plateis, habeto eas solus, ut alieni non sint participes earum, sed tamen domestici et familiares; si ex officio non habes seminare super omnes aquas, et [3]) praedicare in populis, semina saltem

[1]) I Petr. II, 6. — [2]) Jerem. I, 6. — [3]) II Tim. IV, 2. — [4]) Ps. LXVII, 12. — [5]) Rom. X, 12. — [6]) Locus ignot. — [7]) Malach. II, 7. — [8]) Jac. I, 19. — [9]) Is. LVIII 1. Ezech. III, 18.

[1]) Eccli. XX, 32. — [2]) Prov. XXI, 39. — [3]) *haec praedicare* cod.

in hortulis, corripe, mone, exhortare, nunc publice, nunc privatim, prout videris expedire eos cum quibus versaris. Et scias, quoniam saepius proficiat secreta admonitio, quae fit in angulis, quam manifesta objurgatio, quae fit in capitulis. Quocirca nec talentum penes te in sudario jaceat repositum, nec verbum Dei apud te teneatur ligatum; sed illud expende ad lucrum, illud ubicumque poteris sere, quia profecto referet fructum. Non enim mentitur aeternus ille sator, qui de eodem verbo suo per prophetam dicit: *Non revertetur ad me vacuum, sed faciet quaecumque volui, et prosperabitur in his ad quae misi illud.* [1]) Et per se in Evangelio: *Aliud cecidit in terram bonam, et ortum fecit centuplum.* [2]) Et David in psalmo: *Et mittet*, inquit, *verbum suum, et liquefaciet ea.* [3]) Quae ea? nisi peccatorum corda, frigore iniquitatum congelata. Sed verbo Dei de quo dicit Jeremias: *Factus est mihi sermo Domini quasi ignis exaestuans, et clausus in ossibus meis.* [4]) hoc, inquam, verbo Dei emisso, et operante in cordibus suscipientium, e vestigio *flabit Spiritus Domini, et fluent aquae,* [5]) ut inspiratione divina compuncti, exardescant ad poenitentiam, et exitus aquarum deducant oculi compunctorum, quia non custodierunt legem Dei, et suspirantes baptizentur lacrimis suis, qui prius duri torpebant in sordibus multis.

Sermonem itaque Domini, retineri nolentem, vide ne impedias, sed currat semper et clarificetur; et ut laborantem in eo profectus boni comitetur efficacia, ora ut et te ipsum eloquium Domini inflammet, et roboret trepidationem tuam; ignitum enim est vehementer et validum, ita ut ex facili durissima quaeque penetret et dissolvat, sicut et de eo figurate cantatur: *Sagittae potentis acutae cum carbonibus desolatoriis* [6]) Et de his quidem iste dicendi sit [7]) modus, quia ad excitandam virtutum aemulationem, cui pauca non sufficiunt, multa non proderunt.

XXIII.

Tu itaque, famule omnipotentis Jesu Christi, qui audiens eum dicentem: *Beatus servus, quem cum venerit Dominus, invenerit vigilantem,* [8]) vigilias vitae tuae, secundum distinctiones aetatum convenientes, [9]) te erigens, ut sine adulatione loquar, non ex toto neglexisti, de caetero esto vigilantior, quia excubitor vel monitor ille qui non dormit, neque dormitat, custos suorum pervigil, et super custodiam suam stans, totis noctibus dormientes excitat, et somnolentos increpat, crebro sono inclamitans, et dicens: Videte, vigilate, et orate; et nescitis enim quando tempus sit; excitatur, inquam, iste, sicut nullum imparatum vult invenire, ita prorsus non tardat venire. Proinde quoniam in tertia, per mare hujus vitae remigando, vigilia jam laboras, et de vigiliis totius noctis vel navigationis tuae una tantum, id est quarta superest, roga sollicitis et continuis orationibus, venturum omnium discussorem, ut in tua saltem extrema scilicet vigilia, imperfectum tuum ita videat, ut corrigat et perficiat, et pacificus tibi Dominus veniens, intumescentes transituro ad se totos fluctus marinos compescat, et soli-

[1]) Is. LV, 11. — [2]) Matth. XIII, 8. — [3]) Ps. CXLVII, 18. — [4]) Jerem. XX, 9. — [5]) Ps. CXLVII, 18. — [6]) Ps. CXIX, 4. — [7]) *sic* cod. — [8]) Luc. XII, 38. — [9]) *convenienter* cod.

dum super eos iter dominationis suae potentia habere jubeat; aut si per aliquem ventum validum concussus, mergi coeperis (impossibile enim est humanam animam non tentari, nec est justus qui faciat bonum, et non peccet), titubanti antequam decidas, vel demergaris, manum misericordiae porrigat, et apprehensum dextera ad optatum securae stationis, id est aeternae beatitudinis, portum perducat. Cui videlicet ut in certa hora venturo sine cunctatione [1]) occurras, praecinctis operoso castitatis cingulo lumbis, et accensa in manibus operationis lucerna, ita in fide viriliter age, et jugiter in melius proficiens, confortare in Domino et in potentia virtutis ejus.

XXIV.

Nec his contentus, quatenus in nulla parte tibi decoris vel munimenti aliquid desit, cum superno adjutorio, omni custodia serva cor tuum, quia ex ipso vita procedit; et instanter roga Deum, ut sicut de quibusdam in Apocalypsi refertur, ad mammillas praecingat te zona aurea, quatenus post decisionem pravi operis exterius, etiam illicita interius a te amputentur desideria, nec manifestorum laude habens nomen quod vivas, pro occultorum negligentia fias tamquam vas perditum, et oblivioni tradaris, tamquam mortuus a corde. Intus etiam vide, ne tepescas a studio, cui hactenus insudasti, sed abunda magis, et labori vel operi tuo, cui se Christus totum impendit, magno remunerandus, strenuus ei cooperator existe, docens iniquos vias ejus, et monens impios ut convertantur ad Dominum, et rumpere nitantur a laqueis Diaboli, a quo tenentur astricti: quatenus vel sero abnegatis saecularibus desideriis, cum sobria pietate, et ipsi tecum expectent adventum Domini, quia, ut scriptum est, *qui venturus est, veniet et non tardabit, et judex ante januam assistit*: [2]) nec alii beati quam qui parati sunt occurrere illi: siquidem *universi qui expectant eum, non confundentur*, [3]) minime timentes ab auditu malo, et a verbo aspero, quo repulsi disperdentur, qui nunc ad occursum ejus praeparari contemnunt, dicente eis judice: *Discedite a me, omnes operarii iniquitatis, non novi vos.* [4]) A cujus repulsionis dira confusione si quos per favorem coelestis gratiae tecum eruere poteris, nullo virtutis exercitio copiosior tibi retributionis fructus excrescit, quoniam ut evidentissime probat divini operis effectus, nil gratius est Deo hominum salute, dum et Pater propter eos proprio Filio suo non pepercit, sed quod nobis omnibus tradidit illum, et posuit in eo iniquitatem omnium nostrum. Et Filius nonnisi ob eorum redemptionem tradidit in mortem animam suam, et peccata multorum tulit, et pro transgressoribus oravit, ut non perirent. Quia ergo unusquisque secundum suum laborem mercedem accipiet, vere beatum in hoc te dixerim, si dignatione Redemptoris nostri, socius vel particeps laborum ejus effectus, in vinea, seu messe ipsius aliquid utilitatis effeceris, et in piscatione de qua consortibus suis dicit: *Faciam vos fieri piscatores ho-*

[1]) *quo fine cunctatione* cod. — [2]) Jacob. V, 9. — [3]) Ps. XXIV, 3. — [4]) Luc. XIII, 27.

minum, [1]) etiam tu retia tua laxando in capturam, aliquos tecum ad littus eligendo pisces adduxeris. In quo te opere desudante, si, ut fieri solet, permissu Dei, quolibet austeriore vento vela inflante, [2]) aquae constringantur, et alicujus tentationis gelu circa te concreverit, id est ut vel inaequalitas corporis te conficiat, vel amissio non dico rerum quas non habes, sed alicujus cari te contristet, vel infestationes daemonum solito durius impugnent, vel invidia seu detractio falsorum fratrum per locutiones contra te exardescat, vel aliud quodcumque tribulationis onus super te decidat, tum vero plurimum de gratuita pietate subventionis Dei, cujus misericordiam [3]) ab aeterno super timentes eum praesumere debes, quoniam et virtus in infirmitate perficitur, et homines receptibiles probat forma tentationis, nec [4]) reputatur filius quem non corripit pater, et per infamiam et bonam famam, et multas tribulationes, armis tamen virtutum, a dextris et a sinistris, munitos oportet nos introire in regnum Dei.

XXV.

Sed quoniam ammonitio mea, longa quidem, sed tepida, parum fortasse te movet, et efficacior est eruditio rerum quam verborum, recurrendum tibi est ad eum, cujus mirabilem inspiratione divina pulchritudinem, cum adhuc puer esses, adamasti, quemque specialiter inter caeteros sanctos patronum elegisti, et assumpsisti, beatum scilicet Martinum, cujus excellentissimae sanctitatis conversatio, omni digna praeconio, et miraculis post apostolos singulariter gloriosa, et virtutum constantissima discretione imitanda resplenduit, quarum locuples exempla cunctis proficere volentibus veneranda praeposuit: de quibus scilicet ejus virtutibus quia in opusculo quod in ejus laude honesto rythmo composuisti, [5]) prout facultas tulit et devotio juvit, multa dixisti: oportet nimis et expedit, ut eum [imiteris] quem laudas in terris, nec contrariis moribus impugnes quem veneraris, ne forte, quod absit, et ille te ut degenerem repudiet, et os tuum si aliud agas, quam praedicas, te condemnet. Ipsius itaque et exemplis informari exposce, ut et laudatio tua ei grata reddatur, et ipso devotionem tuam in sinum tuum refundente, sedula te semper protectione tueatur. Ut autem tam in venerationem quam et ad aemulationem ejus propensius accendaris, ea quae de excellentia sanctitatis ipsius indignitati meae divina largitas in lumine visionis, quod ab initio [6]) animae meae infudit, revelare dignata est, cum a quodam Dei servo, qui eumdem beatum Martinum non minus te diligit, rogata, Christi super hoc gratiam instanter deprecarer, quo potui adnisu, sermonis expressa, tibi primo legenda et corrigenda ostendere proposui. In quorum correctione sic et caeterorum in quibus emendandis

1) Matth. IV, 19. — 2) *quolibet austeriore vera vento flante* sic cod. — 3) *misericordia* id. — 4) *et ut reputatur* id. — — 5) Exstat in eodem codice f. 62, rythmus ille, quem olim manibus nostris evolvimus, haud sine desiderio. si licuisset, eum describendi totum. Quae raptim excerpsimus, partim in proxima appendice subjiciuntur. Sed lepidus est Guibertus, dum in os Hildegardis suorum versiculorum laudes inserit. — 6) Cf. supra num. XIII. Sed et nota tempus visionis *ab initio* receptae, et quaere servum illum Dei, f. Guibertum,

tua defectui meo diligenter suffragatur dilectio, id observare debes, ut nihil addens vel detrahens, sive mutans, tantum ubi a tramite vel regulis justae latinitatis excessum est, solertiam reformationis adhibeas, aut si malueris, quod et in hac epistola praeter morem concessi, totam visionis seriem, observata omnibus sensuum veritate, decentiori sermonis cultu vestire non negligas, [1]) quoniam sicut quilibet cibi quatenus ex se utiles, nisi aliunde conditi, non appetuntur, sic et quaevis scripta, salutaribus licet referta monitis, si non aliquo eloquii colore commendantur, auribus urbani styli assuefactis fastidiuntur.

XXVI.

Itaque quia veluti ex tuo, alios conjectans, ingenio soles dicere, quod sic et decora visum, et auditum sonora demulcent, infamia autem et dissona offendant, sic etiam honeste vel competenter dicta legentium affectum provocant et trahunt et exhilarant, inepta vero prolata gravant et repellunt: his demum prosecutionibus tuis assensum praebens, gratanter annuo, praeter solitum tamen, ut non solum praedicta, sed et caetera, quae vel hactenus ad te scripsi, seu deinceps scriptura sum, salva, sicut praemisi, quantum ad visiones pertinet, sensuum quos posuerim integritate, quatenus lecturis quibus praeferre volueris, gratiora fiant, qua poteris sermonis elegantia condecores, quoniam ut asseris, et prophetarum et apostolorum scripta, in eis quibus edita sunt linguis, hoc est hebraea vel graeca, inculto et simplici stylo ad litteram digesta, idcirco interpretes studiosi limato et splendenti verborum textu in latinum transposuerunt, [2]) ut eloquentiam diligentium Deum ore primo non exasperarent, cordibus postmodum et imprimerentur facilius, et tenacius inhaererent. Quorum scilicet interpretum, ut fateris, Hieronymus est qui ad interpretationis optimum esse genus perhibet, ut non verbum a verbo, sed sensus reddatur ex sensu; nec ego in meorum emendatione qualiumcumque scriptorum, ita volo te coercere, ut passum, sicut dicitur, passu resculpas, sed tamen ut a vestigiis itineris mei non recedas. Et hoc propter causas a te prolatas, et nihil dumtaxat [excipiens] quae, sicut dixi, specialiter ad te vel jam direxi, vel forte post haec mihi dirigenda videbuntur.

XXVII.

Nam in caeteris sive anterioribus scriptis meis, istud nec puellis quae ex ore meo excipiunt, nec ipsi unice dilecto piae memoriae filio meo Vulmaro, [3]) qui ante te in his corrigendis sedulus mihi astitit, unquam concessi, quia nec ille hoc exegit, et simplicitate qua inspirata vel ostensa mihi proferre poteram contentus, non poliendis verborum ornatu, sed tantum secundum regulas grammaticae emen-

1) Haud sane lugendum, si Guiberto non licuit caetera Hildegardis opera suis calamistris, ut in hoc libello, exornare. Sed laudanda est candida ejusdem declaratio. — 2) Plus minus Germanica est ea Guiberti, potius quam Hildegardis, regula hermeneutica. — 3) Tandem tenemus nomen fidelis monachi qui Hildegardi fuit a secretis, de quo accuratissime expendere juvat totum hac de re gravi testimonium ipsius Hildegardis, referente cum justa fide Guiberto.

dandis quae protulissem, studium apposui. Nec vero te, seu quempiam mea legentium, iste latini eloquii quem patior defectus, scandalizet, quod ad ea quae mihi revelantur vel per me manifestari divinitus imperantur proferenda, simul etiam mihi facultas aut competens latine proferendi non datur modus, cum intimus confabulator Dei ineloquentem et impeditae seu tardioris linguae se profitens, Aaron fratrem suum pro supplemento suae inopiae ad explicanda quae per se non sufficeret, ab ipso Deo interpretem acceperit; et Jeremias, sanctus antequam natus, se nescire loqui testetur; et egregius praedicator, non quidem scientia, sed sermone imperitum [1]) se esse, non solum sua voce asserat, sed etiam, ut audio dici, parum culto dictandi genere ostendat.

XXVIII.

Sed quis inter haec dispensationem consilii misericordis et sapientis rectoris nostri Dei non miretur, qui quos in multis extollit pro removenda insolentia, in aliquibus deprimit? Et hoc etiam nobis in nonnullis herbis et arbusculis exemplificaverit, quae eodem quem proferunt, nisi aliunde fulciantur in terra, fructu detrahuntur. Proinde et in his quae ex ipsius largitate mihi assunt, et in his quae pro correctione desunt, humili me illi mente semper exhibens, et nomini ejus pro revelationibus quibus me illustrat, dabo magnificentiam, et libenter gloriabor in infirmitatibus, quibus a juventute mea usque nunc me, dum elevat, allidere non desinit. Consolatricem mihi assumam patientiam, gratias in omnibus agens ejus providentiae, a qua mihi ne in magnitudine revelationis extollat, angelus Sathanae, qui me stimulo perpetuae aegritudinis colaphizet, delegatus est. Et quoniam virtus in infirmitate perficitur et custoditur, agat angelus idem quod agit, nec parcat; intrepide cedo ei carnem meam cribrandam, ut spiritus salvus sit in die Domini.

XXIX.

Ut autem finis epistolae initio suo respondeat, et totam utilitatem ejus brevissime tibi recapitulem, si per easdem virtutes, quarum in principio et formas vidisse, et voces audivisse me dixi, tu quoque et vincere cupis, et coronari, humilia te nunc sub potenti manu Dei, quia juxta sententiam ejus, *qui se humiliat, exaltabitur,* [2]) imitans quoque eum qui non venit facere voluntatem suam, sed factus est obediens usque ad mortem, postposita, ubi divinae obviat, voluntate tua, omni obedientia Deo subde te majori, quia *vir obediens loquetur victorias.* [3]) Et sciens quoniam esca nos non commendat Deo, *et quia venter escis et esca ventri,* [4]) *Deus autem et hodie et heri et in saecula,* et quod escae aliquando non profuerunt ambulantibus in eis, hoc inquam sciens, juxta Paulum, castiga per abstinentiam corpus tuum, et in servitutem redige, ne aliis praedicans, ipse reprobus inveniaris.

[1]) *imbutum* cod. — [2]) Matth. XXIII, 12. — [3]) Prov. XXI, 28. — [4]) 1 Cor. VI, 12. Hebr. XIII, 8.

Sed quoniam abstinentia sive jejunium, nisi aliunde impinguetur vel rigetur (per se aridum quippe est) non solum jejuniis, sed et eleemosynis, unde potes aut licet, faciendis, vigiliis quoque et orationibus intentus esto: quia qui se hujusmodi studiis exterius exercet, intus sicut adipe et pinguedine repletus, suaviter reficitur, et cunctis hostibus suis fortior efficitur. Licet autem vel servus, vel asinus, propter domandam et illius contumaciam, et istius petulantiam, dulciter nutriendi non sunt, tamen cavendum ne correctoria afflictio illis fiat exitus vel exterminium, et patiatur indiscretus corrector debiti servitii dispendium. Proinde, fili mi, corpus tuum quod mancipium animae est, et tam necessarium ut extra vel praeter ipsum illa nihil possit mereri, imperio rationis sic exige, ut quantum fieri potest, immune et alienum ab omni reddatur lascivia, et vires quibus Deo servire et meritum futurae beatitudinis in praesenti debes colligere, carne et sanguine per indiscretam abstinentiam arefactis, non deficiant: spiritualis enim homo fortes cibos, qui fomenta vitiis subministrant, vitare, et mollibus in charitate Christi velut infans, quibus sustentetur secundum modum sibi competentem, uti debet.

Omnipotens Deus te, o fidelis serve ejus, usque in senectam et senium numquam derelinquat, sed in perseverantia sanctitatis et justitiae ultimum diem tibi alacriter expectare concedat, quatenus in quacumque die quartae vigiliae, quae tribus jam fere evolutis, sola tibi superest, te vocatum advenerit, etiam sequi paratum inveniat, et pro parvis bene dispensatis, in regno claritatis super multa te constituat.

XXX.

In festo S. *Hildegardis.* [1])

(Lectio) I.

Cum profectus magnus sit ad virtutum gratiam, ut fidelium mentes vehementius aemulatione bonorum accendantur, quando merita et virtutes eorum ad laudem Dei in sancta Ecclesia recitantur, recte hodierna die totis cordibus et festivis laudibus sanctae Hildegardis, Deo dilectae virginis, annuam recolentes memoriam, pro ejus glorificatione, juvenes cum virginibus, senes cum junioribus, propensius laudare et magnificare convenit Domini magnificentiam et gloriam. Ipse enim Jesus Christus, Dei virtus et sapientia, magnam virtutem suam et sapientiam, cujus non est numerus, evidenter ostendit, cum femineum sexum fragilem ad enarrandam virtutem terribilium suorum per Spiritum Sanctum tam vehementer accendit. Praeveniens quippe sanctam, de qua sermo est, Hildegardem in benedictionibus dulcedinis, cum spiraculo vitae animaretur, in utero matris lumine clarita-

[1]) In eodem cod. f. 209, post vitam S. Hildegardis a Godefrido et Theodorico scriptam, legitur haec altera, publico, ut videtur, officio consecrata, ut jam in saeculo XIII apud Gemblacenses dies ille festus institueretur, qui Bollandistis satis non fuit compertus.

tis suae voluit illam illustrari, et multiplicem gloriam, qua mundo periclitanti subveniret, dignatus est ei misericorditer praerogare.

II.

Siquidem anno M. C. Incarnationis Salvatoris, qui est annus XLV Henrici hujus nominis quarti regis et tertio imperatoris, [1]) cum populus Christianus ab apostolorum doctrina fere reclinaret, et in lege divina jam jamque haesitaret, in Galliae Citerioris partibus, nobilibus est orta natalibus virgo beata. Quae, sicut diximus, per infixam animae suae visionem in utero matris [2]) divinitus est illustrata. Tertio vero anno aetatis suae, tam clarum lumen super se vidit, quod anima ejus tota contremuit, et prae infantia nihil de hoc proferre potuit. Cumque esset VIII annorum, parentes sui Domino eam obtulerunt, quia habitudinem cujusdam coelestis mysterii in ea viderant. Reclusa itaque primo cum quadam sancta femina in Monte sancti Disibodi, postea suscepit sacrum velamen per manus venerabilis Bavembergensis episcopi, [3]) et ita demum nunc psalterii simplici proficiebat eruditione. Annuente enim ei et congaudente profectibus ejus praedicta sancta femina, de virtute in virtutem provehebatur, quibus quasi pretiosis quibusdam ornamentis ad amorem coelestis sponsi diligenter adornabatur.

III.

Flagrabat quippe in ea copiosa mentis benignitas, et quae nullum a sua latitudine excluderet, mira charitas; turrem quoque virginitatis [4]) tuebatur murus humilitatis; hinc corpus tenerum cibi potusque parcimonia, inde cordis tranquillitas fovebatur verborum castimonia. Haec sanctarum monilia virtutum splendida illustrabat obedientia. Cumque usque in XV annum multa videns et plura loquens, multis incuteret admirationem, propter vulgi tamen timorem, et virginalem pudorem non audebat dicere, quam videbat animae suae infixam visionem. Attamen femina cum qua morabatur, hoc notans, cuidam religioso monacho manifestavit, qui cum rem tam miram ad abbatem suum retulisset, praecepto illius magna sibi deinceps industria collaboravit. Cum vero femina illa religiosa morte decessisset in conspectu Dei pretiosa, sancta virgo usque in XL annum aetatis videbat visiones divinae voluntatis.

IV.

Post haec, sicut ipsa in visionibus suis testatur, maximae coruscationis igneum lumen, aperto coelo veniens, cerebrum suum irradiavit, totumque cor et pectus ejus velut flamma non ardens, sed calens, inflammavit. Hinc statim intellectum

[1]) Sic fere incipit vita interpolata in cod. Ultrajectino apud Boll. Constans est nostrorum codd. consensus in chronotaxi Hildegardiana adversus receptas passim sententias, de ejusdem ortu et obitu. Cf. p. 438. — [2]) Id quod alibi tacetur. — [3]) Id quoque novum est. — [4]) Haec et alia ad verbum desumuntur ex vita, auctore Godefrido.

veteris et novi Testamenti sapiebat. Non autem interpretationem verborum vel casuum aut temporum cognitionem capiebat. Nam hoc sicut ad Adrianum [1]) Papam scripsit, sibi datum non esse, in coelesti visione audivit. Sed praedictus monachus ejus rei limam habens, ad aptum sonum hominum visiones et scripta expolivit. Quia vero vasa figuli probat fornax, et virtus in infirmitate perficitur, continuos quidem dolores languorum saepe patiebatur, et de his cum Apostolo tamen fortior et potens efficiebatur. Cumque jam tempus instaret, quo ad profectum multorum vitam et doctrinam ejus Deus manifestaret, voce ad eam divinitus facta commovetur, ut quae de caetero videret, vel audiret, scribere non cunctaretur. Sed cum super his verecunde haesitaret, infirmitate corripiebatur: a qua tamen, cum ab abbate suo adhortata, manum ad scribendum appulit, sanabatur. Quae autem viderit, quae scripserit, quae docuerit, quis facile enarrare poterit? Certe illud magnum pelagus librorum ejus, scilicet liber qui dicitur *Scivias*, et liber *Vitae meritorum*, liber quoque *Divinorum operum* ingentia sunt monumenta, et propheticae gratiae documenta, quod in ea sapientia, quasi in solio potentiae, sublimi auctoritate sedebat, et per eam rerum judicia decernebat.

V.

Illud praeterea mirari vix satis possumus, quod cum litterarum non haberet cognitionem, et litteras prius invisas, et linguae antea inauditae composuit rationem, insuper et suavem cantus melodiam ad musicae artis symphoniam. Haec omnia ad praelatos Moguntinae ecclesiae cum fuissent perlata, [2]) discussione facta, inventa sunt non aliunde quam a Deo ordinata. Super haec domnus Papa Eugenius, cum esset Treberis, accepta hujus miraculi fide, nuntiis et litteris suis eam visitavit, suaque auctoritate ad scribendum ea quae in spiritu viderat, animavit. Post haec gravi infirmitate laboravit, donec ad locum sibi coelitus ostensum demigravit. Qui locus ab antiquo neglectus, licet tunc raro incoleretur habitatore, tamen inter vepres et vineas continebat ecclesiam sancti Roberti et matris ejus, ibi quiescentium, venerabilem honore. Ibi virgo Dei cum XX puellis aliquandiu maximis pressuris affligebatur, a quibus tandem, Deo consolante, sufficienter relevabatur.

VI.

Confluentes interea ad se turbas exhortans, abdita mentium earum manifestavit. Sed et quosdam necessitatum corporalium, quosdam languorum laboribus alleviabat. Praevidebat enim in spiritu vitam hominum et conversationem, et quorumdam vitae praesentis consummationem, ac secundum qualitatem meritorum, gloriam vel poenas animarum eorum. Illud etiam pretiosum erat, quod puellis suis in divinis officiis, juxta habitudinem cordis sui, respondebat benedictionibus propriis. Cumque cogeretur per visionem, ut laboraret circa loci sui emancipatio-

[1]) Hic alter biographus Theodoricus rescribitur cum eodem mendo, ubi pro Adriano legendum est *ad Anastasium*. — [2]) Non omnia, sed pars tantum prioris operis excussa est.

nem, post gravem aegritudinem rem effectui mancipatam in omni charitate, Moguntini archiepiscopi sigillatarum litterarum roborari fecit auctoritate. Haec bonos et malos angelos frequenter videbat, inter quos cum per triennium infirmaretur, Cherubim igneo gladio pravos a se propellentem spiritus prospiciebat. Nec solum quum languore vel daemonum terrore cruciaretur, non superabatur, sed et angelica defensione glorificabatur. Denique inter supernos et inferos spiritus athleta Dei luctabatur, propulsatisque adversariis, laeta semper victoria potiebatur. Laborabat quadam vice febribus, cum vidit sanctos quosdam cantantes magnis vocibus: « Vindica, Domine, sanguinem sanctorum tuorum qui effusus est. » Qui cum ei dixissent, ut quae pateretur sufferret bona voluntate, statim convaluit de infirmitate.

VII.

Contra insectationes quoque hominum affuisse sibi Dominum, philosophus quidam Moguntinus dat testimonium, qui primo dictis ejus et scriptis resistens, acriter eam vituperavit; sed postmodum mutatione dexterae Excelsi mutatus, ita Dominum in ea laudavit, ut et in monasterio condendo ei cooperaretur, et rogaret se ibi sepeliri, quando moreretur. Nec desiderio suo fuit fraudatus, quia post haec ibidem honorabiliter est tumulatus. In his omnibus sancta virgo nec prosperis elevabatur, nec adversis deprimebatur; sed in uno eodemque mentis vigore, nec movebatur vituperatione, nec seducebatur laudis affectatione. Habebat autem semper in omnibus sanam doctrinam, sicut eam percepit per revelationem divinam. Unde et puellas suas a vanitatibus quas daemones eis immittebant, saepius castigavit, dum secreta cordium suorum secrete eis revelavit. Super haec omnia quis ambigat eam sedem fuisse aeternae sapientiae? cui voluit Deus manifestare tantum thesaurum internae scientiae, ut disceret in vera visione Joannis Evangelium: « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum. » Penna siquidem iuternae contemplationis evolavit in ipsa abdita supernae visionis. Ipsius quoque Domini Nostri Jesu Christi quadam vice cum aegrotaret, meruit visionem, qua tantam percepit consolationem, ut inaestimabilis gaudii perfunderetur exultatione, et daemonum deinceps careret infestatione.

VIII.

His atque aliis gratiarum muneribus sponsus coelestis, qui in sanctis suis semper est mirabilis, sponsam suam mirabiliter glorificans, fecit ut omnibus bonis semper sit mirabilis. Quam non solum omni morum sanctitate, vel mysteriorum Dei interna contemplatione, verum etiam spectabilem reddidit miraculorum insignium opinione, quorum tanta habetur numerum excedens copia, ut vix describi possint omnia. Quomodo autem infirmantes sanitati restituerit, quomodo importunitates illusorum spirituum potenter compescuerit, et ab obsessis corporibus

ejecerit, quomodo non solum praesentibus, sed absentibus subvenerit, multaque his similia fecerit: nonne haec scripta sunt in suae monumentis historiae, et signata in thesauris memoriae? Quia enim non suam, sed Dei in aeternum manentis dilexit gloriam, idcirco mirabilium suorum sempiternam in ea fecit Dominus memoriam. Haec obitum suum longe ante praesciens, et sororibus praedicens, anno incarnati Dni CIↃ. C. LXXX. I. XV. Kl. Octobris ad sponsum coelestem felici transitu migravit. Qui quanti meriti apud se sancta virgo fuerit, effusa tota nocte ingenti et coruscanti luce super habitaculum ejus evidenter declaravit. Duo vero homines, qui corpus sanctum spe bona tangere praesumpserunt, ab infirmitatibus quibus diu languebant, illico convaluerunt. Praeterea in loco quo venerabiliter a reverendis viris est sepulta, meritis ejus omnibus pio corde quaerentibus praestantur beneficia multa, ad laudem et gloriam Domini Nostri Jesu Christi, qui cum Deo Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

XXXI.

Litterae quas Villarenses post obitum domnae nostrae Hildegardis ad nos miserunt. [1])

Villarenses monialibus matre orbatis solatia perquam amoena mittunt, iterumque de libris inquirunt et de quaestionibus.

a. 1181.

Religiosae famulae Christi J[uttae], vocatione divina abbatissae de Bingis, et universis ejus sororibus, ecclesia de Villari, Paracliti consolationem.

Si transitu reverendae matris vestrae [2]) Hildegardis corda vestra turbata sunt affectioni vestrae dulciter est ignoscendum: si de morte ejus dolore perculsa sunt, desolationi vestrae misericorditer est condolendum. Ipsa est enim quae exemplo [3]) sanctitatis vos coram Domino praecedebat, monitis praecipuis et orationum suarum suffragiis ab imminentibus malis, ab incursu et daemonio meridiano potentissime defendebat.

Vere magnificavit Dominus facere vobiscum, qui talem ac tantam magistram in vita et morte vobis sua dignatione donavit, quae vivens in carne maternis vos uberibus diligenter enutrivit, et ad benevolentiae et dilectionis indicium, sicut desideravit et voluit, inter vos accepit loculum sepulturae. Rarum certe et vobis factum est. hoc vobis signum in bonum, quod aut Deo placeat locus vester, aut placitum facere sibi velit; quem per tam venerabilem matrem sua dispositione fundavit, et de respectu suo et consolatione in sepulturae ejus pietate signavit.

Si igitur diligitis eam, sanctissimae ejus animae congaudete, quia de labore ad requiem, de morte ad vitam, de mundo transivit ad Patrem, ubi ingressa in po-

1) Revertimur ad majorem codicem Wiesbadensem, in quo epistola Villarensium extra locum jacet post opusculum *Lingua ignota* inscriptum, et ante cantica subinde edenda. — 2) Obstinate in apographo cod. legitur *nostrae*, hic et alibi. — 3) *exemplum* cod.

tentias Domini, suavitatis illius et lucis, qua fruitur, potest vos facere sua intercessione participes. Et quia non habetis hic manentem civitatem sed futuram inquiritis, iterum dico, gaudete, quia potens vos advocata praecessit ad Dominum parare vobis locum, cujus vestigia et praecepta si secuti fueritis, ad ejus consortium sine dubio venietis.

Vere vos felices, quae gloriam viventis in carne sedula inspectione vidistis; gloriam non quasi caeterarum quae Deo placuerunt mulierum, sed gloriam quasi singulariter electae et dilectae a Patre, plenam gratiae et honestatis. Et nos credimus quod de plenitudine ejus omnes vos accepistis. Hanc enim, ut creditur, Deus singulari gratia praevenit in terris, speciali gratia donaturus in coelis, quia in medio Ecclesiae aperuit os ejus, et implevit eam Spiritu sapientiae et intellectus. [1])

Quia igitur verbum vitae continebat et portabat, facta est et candelabrum mirabile, gemmis et auro nobile, claras quod portat lucernas, igne Dei sempiternas. In charitatis affectu haec aureum thuribulum per sanctitatis titulum, ut thus lucidum, ignis ardore fervidum; in dignitate meritorum sicut cedrus apparuit, et sicut palma floruit per puritatis gratiam, quae ascendit ad gloriam. In benivolentiae misericordia, oliva fundens oleum, igne divino flammeum, puram docens veritatem, nutriensque charitatem.

Date nobis de oleo vestro, [2]) quod pluit apud vos, quo lampades ferventius ardeant, et plenius accendantur. Communicate nobis coelestis sapientiae verba et mysticas visiones, quas mirabilis Hildegardis apud vos in abundantia multa reposuit, et illuminationis suae monumenta praeclara dereliquit. Transmittite nobis solutiones quaestionum nostrarum, et mystica quae per os ejus, quasi per fistulam suam, Sancti Spiritus gratia promulgavit, ut vobiscum pascamur, et excellentiae ejus gloriam cognoscamus, et in eamdem puritatis imaginem a claritate in claritatem speciali potentia transformemur, in laetitia cordis nostri, serena vobiscum devotione, dicentes:

XXXII. [3])

HYMNUS.

Jesu, sanctorum gloria,
Perfectorum victoria,
Quos celsis ornas meritis,
Suis solvens a debitis.

Hildegardem coronasti,
Et in coelis sustulisti
Super vestem laetitiae
Cinctam zona [4]) justitiae.

Salomonis in ferculo
Sacro vocata titulo
Ut columna argentea
In basi fulsit aurea.

In ascensu purpureo,
Gressu scandens virgineo,
Aspectu cordis aureum
Vidit reclinatorium.

[1]) Eccli. XV. — [2]) Matth. XXV. 8. — [3]) Canticum praecedentia sequitur, sine ullo versiculorum nec stropharum discrimine. — [4]) *zonam* W.

Ingressa in cubiculum,
Sacrum percepit osculum,
Cujus fuit conjunctio
Castitatis in lilio.

Hinc cum benevolentia
Repleta sapientia,
Astricta pacis foedere
In charitatis vulnere.

Inde plenis uberibus
Dives sacris muneribus,
Ut mater, Christi parvulos
Fovit per dies singulos.

Nunc potens ante Dominum
Pro pace rogat hominum,
Quos coeli jungat civibus,
Sempiternis in aedibus.

Praestet hoc nobis Trinitas,
Simplex et una Deitas,
Pater et Unigenitus
Et Spiritus Paraclitus.
Amen.

MONITUM

Opportunum erat statim adjicere appendicem ad litteras *Hildegardis, supra promissam p. 431. Sed currente praelo citius, typorum rota, quasi morae impatiens, ad Hildegardis carmina coeco impetu properavit. Nec piget: appendix enim quo tardior, eo uberior futura est. Interim hunc locum vacuum plus minus apte impleant versiculi, quos de SS. Benedicto et Mauro Guibertus effudit, huc vero insertos veluti μνημόσυνα saecularium S. Patriarchae festorum, in Pentecoste a. CIↃ.DCCC.LXXX, dum haec in praelo sudarent, concurrentium. Poeta vero se ad Martinum dirigit, dum ejus cultores introducit Benedictum et Maurum.*

BENEDICTUS

Ipse Pater egregius,
Tam gratia Benedictus
Quam nomine, schola morum,
Legislator monachorum,
Lux coecorum, dux claudorum,
Tot millia peccatorum
Qui doctrina cum meritis
Sua salvat et exemplis,
Iste tantus pie tuam
Excoluit memoriam,
Et in suo tibi summum
Cassino cessit solium:
Adventus primo tempore
Sui, tuo sub honore,
In area montis novam
Constituens basilicam,
In qua tandem et seipsum
Deponi fecit mortuum,
Scolastica jam sorore
Ibidem sita virgine,

MAURUS

Nam et vivens carissimo
Pater idem discipulo
Quas habebat, Mauro, de te
Cum aliis direxisse
Describitur reliquias,
Quum transiret in Gallias,
Ejus nutu construendi
Pro causa monasterii:
Qui ne vel hinc sanctissimo
Discreparet a magistro,
Templum et ipse fabricans,
Jurique tuo dedicans,
Ante mortem septennio,
Successore subrogato,
In eodem est reclusus,
Et post mortem tumulatus.

SANCTAE HILDEGARDIS

CARMINA.

I. *Responsorium* [1].

O vis aeternitatis, quae omnia ordinasti in corde tuo per Verbum tuum, omnia creata sunt, sicut voluisti, et ipsum Verbum tuum induit carnem in formatione illa, quae educta est de Adam, et sic indumenta ipsius a maximo dolore abstersa sunt.

℣. O quam magna est benignitas Salvatoris, qui omnia liberavit per incarnationem suam, quam Divinitas exspiravit [2] sine vinculo peccati. Et sic. Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto. Et sic.

II. *Antiphona.*

O magne Pater, in magna necessitate sumus: nunc igitur obsecramus, obsecramus te, per Verbum tuum, per quod nos constituisti plenos [3] quibus indigemus: nunc placeat tibi, Pater, quia te decet ut aspicias in nos per adjutorium tuum, ut non deficiamus, et ne nomen tuum in nobis obscuretur, et per ipsum nomen [4] tuum dignare nos adjuvare.

III. *Antiphona.*

O aeterne Deus, nunc tibi placeat, ut in amore illo ardeas, ut membra illa simus, quae fecisti in eodem amore, cum Filium tuum genuisti in prima aurora, ante omnem creaturam, et inspice necessitatem hanc quae super nos cadit, et abstrahe eam a nobis propter Filium tuum, et perduc nos in laetitiam salutis.

IV. *Antiphona.*

O virtus Sapientiae, quae circuiens circuisti comprehendendo omnia, in una via

[1]) Ex cod. majori Wisbadensi, collato minore, ut notatur p. 358. amborum porro sigla erunt A, B. — [2]) Id est, in Spiritu Sancto. Matth. I, 20: *Quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est.* — [3]) Scilicet *iis rebus et bonis quibus nunc indigemus.* — [4]) i. e *per Christum.*

*

quae habet [1]) vitam, tres alas habens, quarum una in altum volat, et altera de terra sudat, et tertia undique volat. Laus tibi sit, sicut te decet, o Sapientia.

V. *Antiphona.*

O quam mirabilis est praescientia divini pectoris, quae praescivit omnem creaturam: nam cum Deus inspexit faciem hominis, quem formavit, omnia opera sua in eadem forma hominis integra aspexit. O quam mirabilis est inspiratio, quae hominem sic suscitavit!

VI. *Antiphona.*

O pastor animarum, et o prima vox, per quam omnes creati sumus, nunc tibi, tibi placeat, ut digneris nos liberare de miseriis et languoribus nostris.

VII. *Antiphona.*

O cruor sanguinis, qui in alto sonuisti, cum omnia elementa se implicuerunt in lamentabilem vocem cum tremore, quia sanguis Creatoris sui illa tetigit: unge nos de languoribus nostris.

VIII. *Antiphona de Spiritu Sancto.*

Spiritus Sanctus, vivificans vita, movens omnia et radix est in omni creatura, ac omnia de immunditia abluit, tergens crimina, ac ungit vulnera; et sic est fulgens ac laudabilis vita, suscitans et resuscitans omnia.

IX. *Antiphona.*

Charitas abundat in omnia, de imis excellentissima super sidera, atque amantissima in omnia, quia summo regi osculum pacis dedit.

X. *Antiphona de sancta Maria.*

O splendidissima gemma, et serenum decus solis, qui tibi infusus est, [2]) fons saliens de corde Patris, [3]) quod est unicum Verbum suum, per quod creavit mundi primam materiam, quam Eva turbavit: hoc Verbum effabricavit tibi, [4]) Pater, hominem, et ob hoc es tu illa lucida materia, [5]) per quam hoc ipsum Verbum exspiravit omnes virtutes, et eduxit in prima materia omnes creaturas.

XI. *Responsorium.*

℟. O tu illustrata de divina claritate, clara Virgo Maria, Verbo dei infusa, unde venter tuus floruit de introitu Spiritus Dei, qui in te sufflavit, et in te, te ex-

[1]) *alit* suspicatur aliquis. cf. *Scivias* l. II vis. III circa med. *Tres alae quid significent.* Patrol, lat. t. CXCVII. col. 460 C. — [2]) *Scivias* l. III vis. XIII col. 729 C, D. omissis *et, qui,* habet *infusum.* — [3]) *qui est unicum Verbum ejus* ib. An respicitur ps. XLIV: *Eructavit cor meum Verbum bonum?* — [4]) *fabricavit in te hominem.* ib. — [5]) *Gemma a qua ipsum Verbum eduxit* ib. om. caeteris.

suxit, quod Eva abstulit, in abscisione puritatis, per contractam contagionem de suggestione Diaboli.

℣. Tu mirabiliter abscondisti in te immaculatam carnem per divinam rationem, cum Filius Dei in ventre tuo floruit, sancta Divinitate eum educente [1]) contra carnis jura, quae construxit Eva, integritati copulatum in divinis visceribus.

XII. *Antiphona.*

Nunc aperuit nobis clausa porta quod [2]) serpens in muliere suffocavit: unde lucet in aurora flos de Virgine Maria.

XIII. *Antiphona.*

Quia ergo femina mortem instruxit, clara Virgo illam [3]) interemit, et ideo est summa benedictio in feminea forma prae omni creatura, quia Deus factus est homo in dulcissima et beata Virgine.

XIV. *Antiphona.*

Cum processit factura digiti Dei, formata ad imaginem Dei, in ortu mixti sanguinis, per peregrinationem casus Adae, elementa susceperunt gaudia vitae, o laudabilis Maria, coelo rutilante, et in laudibus sonante te.

XV. *Antiphona.*

Cum erubuerint infelices in progenie sua, procedentes in peregrinatione casus, tunc tu clamas voce, hoc modo homines elevans de isto malitioso casu.

XVI. *Antiphona.*

O quam magnum miraculum est, quod in subditam femineam formam rex introivit! Hoc Deus fecit, quia humilitas super omnia ascendit. Et o quam magna felicitas est in ista forma, quia malitia, quae de femina fluxit, hanc femina postea detersit, et omnem suavissimum odorem virtutum aedificavit, ac coelum ornavit plus quam terram prius turbavit.

XVII. *Responsorium.*

Ave, Maria, o auctrix vitae, reaedificando salutem, quae mortem conturbasti, et serpentem contrivisti, ad quem se Eva erexit, erecta cervice, cum sufflatu superbiae: hunc conçulcasti, dum de coelo genuisti, [4]) quem inspiravit Spiritus Dei.

℣. O dulcissima atque amantissima mater, salve, quae natum tuum de coelo missum mundo edidisti. Quem inspiravit. Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto. Quem inspiravit.

[1]) *deducente* cod. B. — [2]) Id est *aperuit* nobis Maria, *quae porta clausa est,* paradisum vel coelum *quod.* — [3]) *illum* A. B. fort. ob germanicum *der Tod.* — [4]) *de coelo Filium Dei genuisti* B.

XVIII. *Responsorium.*

O clarissima mater sanctae medicinae, tu unguenta per sanctum Filium tuum infudisti in plangentia vulnera mortis, quae Eva aedificavit in tormenta animarum; tu destruxisti mortem, aedificando vitam. Ora pro nobis ad tuum natum, stella maris, Maria.

℣. O vivificum instrumentum, et laetum ornamentum, et dulcedo omnium deliciarum, quae in te non deficient. Ora. Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto. Ora.

XIX. *Responsorium.* [1]

℟. O tu, suavissima virga, frondens de stirpe Jesse, o quam magna virtus est, quod Divinitas in pulcherrimam filiam aspexit, sicut aquila in solem oculum suum ponit: cum supernus Pater claritatem Virginis attendit, ubi Verbum suum in ipsa incarnari voluit.

℣. Nam in mystico mysterio Dei illustrata mente Virginis, mirabiliter clarus flos ex ipsa Virgine exivit. Cum supernus. Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto, sicut erat in principio. Cum supernus.

XX. *Responsorium.*

℟. O quam pretiosa est virginitas Virginis hujus, quae clausam portam habet, et cujus viscera sancta Divinitas calore suo infudit, ita quod flos in ea crevit, et Filius Dei per secreta ipsius quasi aurora exivit.

℣. Unde dulce germen, quod Filius ipsius est, per clausuram mentis ejus paradisum aperuit. Et Filius Dei.

XXI. *Antiphona de Angelis.*

O gloriosissima [2]) lux vivens, angeli, qui infra Divinitatem divinos oculos cum mystica obscuritate omnis creaturae aspicitis in ardentibus desideriis, unde nunquam potestis satiari, o quam gloriosa gaudia illa vestra habet forma, quae in vobis est intacta ab omni pravo opere, quod primum ortum est in vestro socio, perdito angelo, qui volare voluit supra intus latens pinnaculum Dei; unde ipse tortuosus demersus [3]) est in ruinam, sed ipsius instrumenta casus consiliando facturae digiti Dei instituit. [4])

XXII. *Responsorium.*

℟. O vos angeli, qui custoditis populos, quorum forma fulget in facie vestra, et o vos archangeli, qui suscipitis animas justorum, et vos, virtutes, potestates, principatus, dominationes, et throni, qui estis computati in quintum secretum numerum, et o vos, Cherubim et Seraphim, sigillum secretorum Dei, sit laus vobis, qui loculum antiqui cordis in fonte aspicitis.

[1]) De XIX-XXVI, cf. *Scivias* l. l. — [2]) Sic ibid. *gloriosissimi* A, B. — [3]) *dimersus* A, B. — [4]) id est, post casum, homines peccati instrumenta sibi fecit perversis consiliis.

℣. Videtis enim interiorem vim Patris, quae de corde illius spirat, quasi facies. Sit. Gloria Patri. Sit.

XXIII. *De Prophetis et Patriarchis.*

O spectabiles viri, qui pertransistis occulta, aspicientes per oculos spiritus et annunciantes in lucida umbra acutam et viventem lucem, in virga germinantem, quae sola floruit de introitu radicantis luminis, vos antiqui sancti, praedixistis salvationem exulum animarum, quae immersae fuerant morti, qui circuistis ut rotae mirabiliter [1]) loquentes mystica montis [2]) qui coelum tangit, pertransiens ungendo multas aquas, cum etiam inter vos surrexit lucida lucerna, quae ipsum montem praecurrens ostendit. [3])

XXIV. *Responsorium.*

℟. O vos, felices radices, cum quibus opus miraculorum, et non opus criminum, per torrens iter perspicuae umbrae plantatum est; et, o tu ruminans ignea nox, praecurrens limantem lapidem, subvertentem abyssum, gaudete in capite vestro. — ℣. Gaudete in illo, quem non viderunt in terris multi qui ipsum ardenter vocaverunt.

XXV. *Antiphona de Apostolis*

O cohors militiae floris virgae non spinatae, tu sonus orbis terrae circuiens regiones insanorum sensuum, epulantium cum porcis, quos expugnasti per infusum adjutorem ponentis [4]) radices in tabernacula pleni operis Verbi Patris. Tu etiam nobilis es gens Salvatoris, intrans viam regenerationis aquae, per Agnum qui te misit in gladio inter saevissimos canes, qui suam gloriam destruxerunt, in operibus digitorum suorum, statuentes non manufactum in subjectionem manuum suarum, in quo [5]) non invenerunt eum.

XXVI. *Responsorium.*

℟. O lucidissima Apostolorum turba, surgens in vera agnitione, et aperiens clausuram magisterii Diaboli, abluendo captivos in fonte viventis aquae, tu es clarissima lux in nigerrimis tenebris, fortissimumque genus columnarum, sponsam Agni sustentans in omnibus ornamentis ipsius, per cujus gaudium ipsa mater et virgo est vexillata. [6])

℣. Agnus enim immaculatus est sponsus ipsius sponsae immaculatae.

XXVII. *Antiphona de sancto Joanne Evangelista.*

O speculum columbae castissimae formae, qui inspexisti mysticam largitatem in purissimo fonte! O mira floriditas, quae nunquam arescens cecidisti, quia al-

[1]) *mimibiliter* sic portentose A. — [2]) Mons est Verbum caro factum. ex Daniel. II, 55. — [3]) *illuminavit* Scivias. — [4]) Subintellige *Spiritus Sancti*. — [5]) *in qua* Sciv. — [6]) *prima est vexillifera* id.

tissimus plantator misit te, o suavissima quies amplexuum solis, [1]) tu es specialis filius Agni, in electa amicitia novae sobolis.

XXVIII. *Responsorium de sancto Joanne Evangelista.*

O dulcis electe, qui in ardore ardentis effulsisti radix, et qui in splendore patris elucidasti mystica, et qui intrasti cubiculum castitatis in aurea civitate, quam construxit rex, cum accepit sceptrum regionum, praebe adjutorium peregrinis.

℣. Tu enim auxisti pluviam cum praecessoribus tuis, qui miserunt illam in viriditatem pigmentariorum. [2]) Praebe.

XXIX. *De Martyribus.* [3])

O victoriosissimi triumphatores, qui in effusione sanguinis vestri salutantes aedificationem Ecclesiae, intrastis sanguinem Agni, epulantes [4]) cum vitulo occiso! O quam magnam mercedem habetis, quia corpora vestra viventes despexistis, imitantes Agnum Dei, ornantes poenam ejus, in qua vos introduxit in restaurationem haereditatis.

XXX. *Responsorium de Martyribus.*

℟. Vos, flores rosarum, qui in effusione sanguinis vestri beati estis, in maximis gaudiis redolentibus, et sudantibus in emptione quae fluxit de interiori monte consilii, [5]) manentis ante aevum, in illo in quo non erat constitutio a capite.

℣. Sit honor in consortio vestro, qui estis instrumentum Ecclesiae, et qui in vulneribus vestri sanguinis undastis. In illo.

XXXI. *Responsorium de Confessoribus.*

℟. O vos, imitatores excelsae personae in pretiosissima et gloriosissima significatione! O quam magnus est vester ornatus, ubi homo procedit, solvens et stringens in Deo pigros et peregrinos, etiam ornans candidos et magna onera remittens.

℣. Nam et angelici ordinis officia habetis, et fortissima fundamenta praescitis, ubicumque constituenda sunt, unde magnus est vester honor. Etiam ornans.

XXXII. [*Item.*]

O successores fortissimi Leonis, inter templum et altare dominantes in ministratione ejus, sicut angeli sonant in laudibus, et sicut adsunt populis, in adjutorio vos estis inter illos qui haec faciunt, semper curam habentes in officio Agni.

[1]) id est, qui suavissime requievisti in pectore Christi, solis justitiae. Cave ne cum cod. legas *qui es.* — [2]) *Pigmentarii* sunt apostoli in *Scivias* l. III, vis. 3. — [3]) De XXIX-XXXII cf. *Scivias* l. l. — [4]) *epulantis* A. — [5]) Iterum *mons* Christus est, magni consilii angelus. Sed *Scivias* habet *de interiori mente manentibus*. Idem ligat: *a capite sit honor*, in fine *undatis abunde*.

XXXIII. *Antiphona de sancto Disibodo.*

O mirum admirandum, [1]) quod absconsa forma praecellit, ardua in honesta statura, ubi vivens altitudo profert mystica; unde, o Disibode, surges in fine, succurrente flore omnium ramorum mundi, ut primum surrexisti. *e u o u a e.*

XXXIV. *Responsorium de sancto Disibodo.*

℟. O viriditas digiti Dei, in qua Deus constituit plantationem, quae in excelso resplendet; ut statuta columna, tu gloriosa in praeparatione Dei.

℣. Et o altitudo montis, quae numquam dissipaberis indifferentia Dei, tutamen stas a longe, ut exul, sed non est in potestate armati qui te rapiat. Tu gloriosa. Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto. Tu gloriosa.

XXXV. *Item responsorium.*

O felix anima, cujus corpus de terra ortum est, quod tu cum peregrinatione hujus mundi conculcasti; unde de divina rationalitate, quae te speculum suum fecit, coronata es.

℣. Spiritus Sanctus etiam te ut habitaculum suum intuebatur. Unde. Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto.

XXXVI. *Antiphona.*

O beata infantia electi Disibodi, quae adeo ita inspirata est, quod postea sanctissima opera in mirabilibus Dei, ut suavissimum odorem balsami, exsudasti. *e u o u a e.*

XXXVII. *Antiphona de sancto Ruperto.*

O felix apparitio, cum in amico Dei Ruperto flamma vitae coruscavit, ita quod charitas Dei in corde ejus fluxit, timorem Domini amplectens; unde etiam agnitio ejus in supernis civibus floruit.

XXXVIII. *Antiphona.*

O beatissime Ruperte qui in flore aetatis tuae non produxisti, nec portasti vitia Diaboli; unde naufragum mundum reliquisti: nunc intercede pro famulantibus tibi in Deo. *a e u i a . e u o u a e .*

XXXIX. *Antiphona.*

Quia felix pueritia in laudabili Ruperto ad Deum anhelavit, et mundum reliquit, ideo ipse in coelesti harmonia fulget, et ideo etiam angelica turba Filium Dei laudando concinit. *e u o u a e .*

[1]) Vide XXXIII, XXXIV et LX in epist. XXXVIII resp. *Patrol.* col. 203, 204.

XL. *De Virginibus.* [1])

O pulchrae facies, Deum aspicientes, et in aurora aedificantes, o beatae virgines, quam nobiles estis! In quibus rex se consideravit, cum in vobis omnia coelestia ornamenta presignavit, ubi etiam suavissimus hortus estis, in omnibus ornamentis redolentes. *e u o u a e.*

XLI. *Responsorium de Virginibus.*

Nobilissima viriditas, quae radicas in sole, et quae in candida serenitate luces, in rota, quam nulla terrena excellentia comprehendit, tu circumdata es amplexibus divinorum ministeriorum. [2])

℣. Tu rubes ut aurora, et ardes ut solis flamma.

XLII. *Responsorium de undecim millibus Virginum.*

℣. Favus distillans Ursula virgo fuit, quae Agnum Dei amplecti desideravit; mel et lac sub lingua ejus, quia pomiferum hortum et flores florum in turba virginum ad se collegit.

℣. Unde in nobilissima aurora gaude, filia Sion. Quia pomiferum. Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto. Quia pomiferum

XLIII. *Item responsorium.*

℟. Spiritui Sancto honor sit, qui in mente Ursulae virginis virginalem turbam velut columbas [3]) collegit; unde ipsa patriam suam sicut Abraham reliquit, et etiam propter amplexionem Agni desponsationem viri sibi abstraxit.

℟. Nam iste castissimus et aureus exercitus in virgineo crine mare transivit. O quis unquam talia audivit? Et etiam. Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto. Et etiam.

XLIV. *Antiphona in evangelium.*

O rubor sanguinis, qui de excelso illo fluxit, quod Divinitas tetigit, tu flos es, quem hyems de flatu serpenti numquam laesit.

XLV, XLVI. *Laudes.*

Ant. Studium Divinitatis in laudibus excelsis osculum pacis Ursulae virgini cum turba sua in omnibus populis dedit. *e u o u a e .*

Ant. Unde quocumque venientes perrexerunt, velut cum gaudio coelestis paradisi susceptae sunt, quia in religione morum honorifice apparuerunt. *e u o u a e .*

Ant. De patria etiam earum et de aliis regionibus viri religiosi et sapientes ipsis adjuncti sunt, qui eas in virginea custodia servabant, et qui eis in omnibus ministrabant. *e u o u a e .*

[1]) De XL, XLI cf. *Scivias* l. l. — [2]) *mysteriorum* Sciv. — [3]) *columba* cod.

Ant. Deus enim in prima muliere praesignavit, ut mulier a viri custodia nutriretur. *e u o u a e.*

Ant. Aer enim volat, et cum omnibus creaturis officia sua exercet; et firmamentum eum sustinet, ac aer in viribus istius pascitur. *e u o u a e.*

In Evangelium Ant. Et ideo puellae istae per summum virum sustentabantur, vexillatae in regali prole virgineae naturae. *e u o u a e.*

Ant. Deus enim rorem in illas misit, de quo multiplex fama crevit: ita quod omnes populi ex hac honorabili fama velut cibum gustabant. *e u o u a e.*

Ant. Sed Diabolus in invidia sua istud irrisit, qua nullum opus Dei intactum dimisit. *e u o u a e.*

XLVII. *Responsorium de Innocentibus.*

Rex noster promptus est suscipere sanguinem Innocentum; unde angeli concinunt, et in laudibus sonant, sed nubes super eumdem sanguinem plangunt.

℣. Tyrannus autem in gravi somno mortis propter malitiam suam suffocatus est. Sed nubes. Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto. Sed nubes.

XLVIII. *In Dedicatione Ecclesiae.*

O virgo Ecclesia, plangendum est quod saevissimus lupus filios tuos de latere tuo abstraxit! O vae callido serpenti! [1]) Sed o quam pretiosus est sanguis Salvatoris, qui in vexillo regis Ecclesiam ipsi desponsavit, unde filios illius requirit.

XLIX. *In Dedicatione Ecclesiae.*

Nunc gaudeant materna viscera Ecclesiae, quia in superna symphonia filii ejus in sinum suum collocati sunt. Unde, o turpissime serpens, confusus es, quoniam quos tua aestimatio in visceribus tuis [2]) habuit, nunc fulgent in sanguine Filii Dei, et ideo laus tibi sit, rex altissime. Alleluia.

L. *Item in Dedicatione Ecclesiae.*

O *orzchis* [3]) Ecclesia, armis divinis praecincta, et hyacinto ornata, tu es *caldemia* stigmatum *loifolum*, et urbs scientiarum. O, o tu es etiam *crizanta* in alto sono, et es *chorzta* gemma.

LI. [*Item*]

O coruscans lux stellarum! o splendidissima specialis forma regalium nuptiarum! o fulgens gemma, tu es ornata in alta persona, quae non habet maculatam rugam; tu es etiam socia angelorum et civis sanctorum. Fuge, fuge speluncam antiqui perditoris, et veniens veni in palatium regis.

Kyrie leyson. XPe leyson. Kyrie leyson. Kyrie leyson.

[1]) Respectu, opinor, ad schisma Teutonicum. — [2]) *suis* cod. — [3]) *Orzchis, caldemia, loifolum, crizanta, chorzta,* tot verba *Linguae ignotae,* et inter ea quae interpretationem expectant.

LII. *Sequentia de Spiritu Sancto.*

O ignis [1]) Spiritus Paracliti, vita vitae omnis creaturae, sanctus es vivificando formas. Sanctus es ungendo periculose fractos. Sanctus es tergendo fetida vulnera.

O spiraculum sanctitatis! o ignis charitatis! o dulcis gustus in pectoribus, et infusio cordium in bono odore virtutum.

O fons purissimus, in quo consideratur quod Deus alienos colligit, et perditos requirit.

O lorica vitae, et spes compaginis membrorum omnium, et [2]) o cingulum honestatis, salva beatos.

Custodi eos qui carcerati sunt ab inimico, et solve ligatos, quos [3]) divina vis salvare vult.

O iter fortissimum, quod penetravit omnia in altissimis, et in terrenis, et in omnibus abyssis, tu [4]) omnes componis et colligis.

De te nubes fluunt, aether volat, lapides humorem habent, aquae rivulos educunt, et terra viriditatem sudat.

Tu etiam semper educis doctos, per inspirationem sapientiae laetificatos.

Unde laus tibi sit, qui es [5]) sonus laudis, et gaudium vitae, spes et honor fortissimus, dans praemia lucis.

LIII. *Hymnus de Spiritu Sancto.*

O ignee Spiritus, laus tibi sit, qui in tympanis et citharis operaris.

Mentes hominum de te flagrant, et tabernacula animarum eorum vires ipsarum continent.

Inde voluntas ascendit, et gustum animae tribuit, et ejus lucerna est desiderium.

Intellectus te in dulcissimo sono advocat, ac aedificia tibi cum rationalitate parat, quae in aureis operibus sudat.

Tu autem semper gladium habes, illud abscindere quod noxiale pomum per nigerrimum homicidium profert.

Quando nebula voluntatem et desideria tegit, [6]) in quibus anima volat, et undique circuit.

Sed mens est ligatura voluntatis et desiderii.

Cum vero animus se ita erigit, quod requirit pupillam mali videre, et maxillam nequitiae, tu eum citius in igne comburis, cum volueris.

Sed et cum rationalitas se per mala opera ad prona declinat, tu eam cum vis, stringis et confringis, et reducis per infusionem experimentorum.

Quando autem malum ad te gladium suum educit, [7]) tu illud in cor illius refin-

[1]) Sequentiam illam primus edidit Mone, in *Latinis medii aevi hymnis* t. 1. p. 234, ac post illum inclytus abbas Gueranger, in praeclaro *Anno liturgico*, temp. paschal. t. III, p. 478. Qui legit ab initio: *Spiritus Paraclite* — [2]) *et* id. om. — [3]) *quod* id. — [4]) *quum omnes* id. — [5]) *quies* id. errore typorum. Idem praeterea versiculos eleganter dividit, quasi Hildegardis instinctu percitus, et elegantia qua nil supra gallice vertit. — [6]) *regit* cod. alter Wiesb. — [7]) *deducit* id. cod.

gis, sicut in primo perdito angelo fecisti, ubi turrim superbiae illius in infernum dejecisti.

Et ibi aliam turrim in publicanis et peccatoribus elevasti, qui tibi peccata sua cum operibus suis confitentur.

Unde omnes creaturae, quae de te vivunt, te laudant, quia tu pretiosissimum unguentum es fractis et fetidis vulneribus, ubi illa in pretiosissimas gemmas convertis.

Nunc dignare nos omnes [1]) ad te colligere et ad recta itinera dirigere. Amen.

LIV. *Alleluia.*

O virga mediatrix, sancta viscera tua mortem superaverunt, et venter tuus. omnes creaturas illuminavit, in pulchro flore de suavissima integritate clausi pudoris tui horti. [2])

LV. *Sequentia de sancta Maria.*

O virga ac diadema purpurae regis, quae es in clausura tua sicut lorica.

Tu frondens floruisti in alia vicissitudine, quum [3]) Adam omne genus humanum produceret.

Ave, ave! de tuo ventre alia vita processit, qua Adam filios suos denudaverat.

O flos, tu non germinasti de rore, nec de guttis pluviae, nec aer desuper te volavit: sed divina claritas in nobilissima virga te produxit:

O virga, floriditatem tuam Deus in prima die creaturae suae praeviderat. .

Et de verbo suo auream materiam, o laudabilis virgo, fecit.

O quam magnum est in viribus suis latus viri, de quo Deus formam mulieris produxit: quam fecit speculum omnis ornamenti sui, et amplexionem omnis creaturae suae.

Inde concinunt coelestia organa, et miratur omnis terra, o laudabilis Maria, quia Deus te valde amavit. O quam valde plangendum, et lugendum est, quod tristitia in crimine per consilium serpentis in mulierem fluxit.

Nam ipsa mulier, quam Deus matrem omnium posuit, viscera sua cum vulneribus ignorantiae discerpsit, [4]) et plenum dolorem generi suo protulit.

Sed, o aurora, de ventre tuo novus sol processit, qui omnia crimina Evae abstersit, et majorem benedictionem per te protulit, quam Eva hominibus nocuisset.

Unde, o salvatrix, quae novum lumen humano generi protulisti, collige membra Filii tui ad coelestem harmoniam.

LVI. *Sequentia de sancta Maria.*

O viridissima virga, ave, quae in ventoso flabro sciscitationis sanctorum prodiisti. [5])

[1]) *dignare homines* B. — [2]) *horto* duo codd. — [3]) *quam* codd. iid. Admissa nostra correctione, cui sequentia favent, respicitur ad immaculatum B. Virginis conceptum. Caeterum omnia pulcherrima sunt. — [4]) *Decerpsit* A, *et decerpsit* B. — [5]) *prodisti* A, B.

Cum venit tempus, quod tu floruisti in ramis tuis, ave, ave sit tibi, [1]) quia color solis in te sudavit, sicut odor balsami.

Nam in te floruit pulcher flos, qui odorem dedit omnibus aromatibus, quae arida erant.

Et illa apparuerunt omnia in viriditate plena.

Unde coeli dederunt rorem super gramen, et omnis terra laeta facta est, quoniam viscera ipsius frumentum protulerunt, et quoniam volucres coeli nidos in ipsa habuerunt.

Deinde facta est esca hominibus, et gaudium magnum epulantium: unde, o suavis Virgo, in te non deficit ullum gaudium.

Haec omnia Eva contempsit.

Nunc autem laus sit Altissimo.

LVII. *Hymnus de sancta Maria.*

Ave, generosa, gloriosa, et intacta puella. Tu pupilla castitatis, tu materia sanctitatis, quae Deo placuit.

Nam haec [2]) superna infusio in te fuit, quod supernum Verbum in te carnem induit.

Tu candidum lilium, quod Deus ante omnem creaturam inspexit. O pulcherrima et dulcissima, quam valde Deus in te delectabatur, quum amplexionem caloris sui in te posuit, ita quod Filius ejus de te lactatus est.

Venter enim tuus gaudium habuit, cum omnis coelestis symphonia de te sonuit, quia, Virgo, Filium Dei portasti, ubi castitas tua in Deo claruit.

Viscera tua gaudium habuerunt, sicut gramen, super quod ros cadit, cum ei viriditatem infundit, [3]) ut et in te factum est, o mater omnis gaudii.

Nunc omnis Ecclesia in gaudio rutilet, ac in [4]) symphonia sonet, propter dulcissimam virginem et laudabilem Mariam Dei genitricem.

Amen.

LVIII. *Hymnus de sancto Matthia.*

Matthias, sanctus per electionem, vir praeliator per victoriam, ante sanguinem Agni electionem non habuit, sed tardus in scientia fuit, quasi homo qui perfecte non vigilat.

Donum Dei illum excitavit, unde ipse prae gaudio, sicut gigas, in viribus suis surrexit, quia Deus illum praevidit, sicut hominem, quem de limo formavit, cum primus angelus cecidit, qui Deum negavit.

Homo qui electionem vidit, vae! vae! cecidit; boves et arietes habuit, sed faciem suam ab eis retrorsum duxit, et illos dimisit.

Unde foveam carbonum invasit, et desideria sua osculatus, in studio suo illa sicut Olympum erexit.

[1]) *sint tibi* cod. 2. — [2]) *haec* om. cod. alter. — [3]) *infudit* cod. prior. — [4]) *et in* cod. alter.

Tunc Matthias per electionem Divinitatis sicut gigas surrexit, quia Deus illum posuit in locum quem perditus homo noluit. O mirabile miraculum, quod sic in illo resplenduit!

Deus enim ipsum praevidit in miraculis suis, cum nondum haberet meritum operationis, sed mysterium Dei in illo gaudium habuit, quod idem per institutionem suam non habebat.

O gaudium gaudiorum, quod Deus sic operatur, cum nescienti homini gratiam suam impendit, ita quod parvulus nescit ubi magnus volat, cujus alas Deus parvulo tribuit.

Deus enim gustum in illo habet, qui se ipsum nescit, quia vox ejus ad Deum clamat, sicut Matthias fecit, qui dixit: O Deus, Deus meus, qui me creasti, omnia opera mea tua sunt.

Nunc ergo gaudeat omnis Ecclesia in Matthia, quem Deus in foramine columbae sic elegit. Amen.

LIX. *De sancto Bonifacio.*

O Bonifaci, lux vivens vidit te similem viro sapienti; puros rivulos ex Deo fluentes ad Deum remisisti, cum viriditatem florum rigasti: unde es amicus Dei viventis, et crystallus lucens in benevolentia rectarum viarum, in quibus sapienter cucurristi.

LX. *Sequentia de sancto Disibodo.*

O praesul verae civitatis, qui in templo angularis lapidis ascendens in coelum, in terra prostratus fuisti propter Deum.

Tu peregrinus a semine mundi, desiderasti exul fieri propter amorem Christi.

O mons clausae mentis, tu assidue pulchram faciem aperuisti in speculo columbae.

Tu in absconso latuisti, inebriatus in odore florum, per cancellos sanctorum emicans Deo.

O culmen in clavibus coeli, quod propter perspicuam vitam mundum vendidisti: hoc certamen, alme confessor, semper habes in Domino.

In tua enim mente, fons vivus clarissima luce purissimos rivulos eduxit per viam salutis.

Tu magna turris ante altare summi Dei, et hujus turris culmen obumbrasti per fumum aromatum.

O Disibode, in tuo lumine per exempla puri soni membra mirificae laudis aedificasti in duabus partibus per Filium hominis. In alto stas, non erubescens ante Deum vivum, et protegis viridi rore laudantes Deum ista voce:

O dulcis vita, et o beata perseverantia, quae in hoc beato Disibodo gloriosum lumen semper aedificasti in coelesti Jerusalem.

Nunc sit laus Deo, in forma pulchrae tonsurae viriliter operante.

Et superni cives gaudeant de his qui eos hoc modo imitantur.

LXI. *De sancto Euchario.*

℟. O Euchari, columba virtutem illius insignis tibi dedit, qui olim in medio rotae clamitavit; quem cum amplius corporaliter non vidisti, plena signa in umbra illius perfecisti.

℣. Et sic in pectore ejus fulsisti, ac in Cherubin sigillum fecisti. Quem.

LXII. *Sequentia de S. Euchario.*

O Euchari, in laeta via ambulasti, ubi cum Filio Dei mansisti, illum tangendo et miracula ejus quae fecit videndo.

Tu eum perfecte amasti, cum sodales tui exterriti erant, pro eo quod homines erant, nec possibilitatem habebant bona perfecte intueri.

Tu autem in ardenti amore plenae charitatis, illum amplexus es, cum manipulos praeceptorum ejus ad te collegisti.

O Euchari, valde beatus fuisti cum Verbum Dei te in igne columbae imbuit, ubi tu quasi aurora illuminatus es, et sic fundamentum Ecclesiae aedificasti.

Et in pectore tuo coruscat dies, in quo tria tabernacula super marmoream columnam stant in civitate Dei.

Per os tuum Ecclesia ruminat vetus et novum vinum, videlicet poculum sanctitatis.

Sed in tua doctrina Ecclesia effecta est rationalis, ita quod supra montes clamavit, ut colles et ligna se declinarent, ac mamillas illius sugerent.

Nunc in tua clara voce, Filium Dei ora pro hac turba, ne in caeremoniis Dei deficiat, sed ut vivens holocaustum ante altare Dei fiat.

LXIII. *Sequentia de sancto Maximino.*

Columba aspexit per cancellos fenestrae, ubi ante faciem ejus sudando sudavit balsamum de lucido Maximino.

Calor solis exarsit, et in tenebras resplenduit; unde gemma [1]) surrexit in aedificatione templi purissimi cordis benevoli.

Iste turris excelsa, de ligno Libani et cipresso facta, hyacinto, et sardio ornata est, urbs praecellens artes aliorum artificum.

Ipse velox cervus cucurrit ad fontem purissimae aquae, fluentis de fortissimo lapide, qui dulcia aromata irrigavit.

O pigmentarii, qui estis in suavissima viriditate hortorum regis, ascendentes in altum, quando sanctum sacrificium in arietibus perfecistis.

Inter vos fulget hic artifex, paries templi, qui desideravit alas aquilae, osculando nutricem sapientiam in gloriosa fecunditate Ecclesiae.

O Maximine, mons et vallis es, et in utroque alta aedificatio appares, ubi capricornus cum elephante exivit, [2]) et sapientia in deliciis fuit.

[1]) *gemina* cod. — [2]) Haud semel Hildegardis Capricorni et rerum Physiologi meminit, cf. p. 9.

Tu es fortis et suavis in caeremoniis, et in coruscatione altaris ascendens, ut fumus aromatum, ad columnam laudis.

Ubi intercedis pro populo, qui tendit ad speculum lucis, cui laus est in altis.

LXIV. *De sancto Ruperto.*

O Jerusalem, aurea civitas, ornata regis purpura.

O aedificatio summae bonitatis, quae es lux nunquam obscurata.

Tu enim es ornata in aurora et in calore solis.

O beata pueritia, quae rutilas in aurora, et o laudabilis adolescentia, quae ardes in sole.

Nam tu, o nobilis Ruperte, in his sicut gemma fulsisti, unde non potes abscondi stultis hominibus, sicut nec mons valli celatur.

Fenestrae tuae, Jerusalem, cum topazio et sapphiro specialiter sunt decoratae.

In quibus dum fulges, o Ruperte, non potes abscondi tepidis moribus, sicut nec mons valli, coronatus rosis, liliis et purpura, in vera ostensione.

O tener flos campi, et o dulcis viriditas pomi, et o sarcina sine medulla, quae non flectit [1]) pectora in crimina.

O vas nobile, quod non est pollutum, nec devoratum in saltatione antiquae speluncae, et quod non est maceratum in vulneribus antiqui perditoris.

In te symphonizat Spiritus Sanctus, quia angelicis choris associaris, et quoniam in Filio Dei ornaris, cum nullam maculam habes.

Quod vas decorum tu es, o Ruperte, qui in pueritia et adolescentia tua ad Deum anhelasti, in timore Dei et in amplexione charitatis, et in suavissimo odore bonorum operum.

O Jerusalem, fundamentum tuum positum est torrentibus lapidibus, quod est cum publicanis et peccatoribus, (qui perditae oves erant, sed per Filium Dei inventae,) ad te cucurrerunt, et in te positi sunt.

Deinde muri tui fulminant vivis lapidibus, qui per summum studium bonae voluntatis quasi nubes in coelo volaverunt.

Et ita turres tui, o Jerusalem, rutilant et candent per ruborem et per candorem sanctorum et per omnia ornamenta Dei, quae tibi non desunt, o Jerusalem.

Unde vos, o ornati et o coronati, qui habitatis in Jerusalem, et o tu, Ruperte, qui es socius eorum in hac habitatione, succurrite nobis famulantibus et in exilio laborantibus.

LXV. *De undecim millibus Virginibus.* [2])

O Ecclesia, oculi tui similes sapphyro sunt, et aures tuae monti Bethel, et nasus tuus est sicut mons myrrhae et thuris, et os tuum quasi sonus aquarum multarum.

In visione verae fidei, Ursula Filium Dei amavit, et virum cum hoc seculo reliquit, et in solem aspexit, atque pulcherrimum juvenem vocavit dicens:

[1]) *flexit* cod. alt. — [2]) Haec simul ac omnia praecedentia undecim millium virginum encomia adde elegantibus hymnorum sertis quae cl. v. Victor de Buch inprimis ex beato Hermanno decerpsit opportune, et commode attexuit *Act. Sanctor.* die XXI octobr. t. IX p. 299-301.

« In multo desiderio desideravi ad te venire, et in coelestibus nuptiis tecum sedere, per alienam viam ad te currens, velut nubes quae in purissimo aere currit similis sapphiro. »

Et postquam Ursula sic dixerat, rumor iste per omnes populos exiit.

Et dixerunt: « Innocentia puellaris ignorantiae nescit quid dicit. »

Et coeperunt ludere cum illa in magna symphonia, usque dum ignea sarcina super eam cecidit.

Unde omnes cognoscebant quia contemptus mundi est sicut mons Bethel.

Et cognoverunt etiam suavissimum odorem myrrhae et thuris, quoniam contemptus mundi super omnia ascendit.

Tunc Diabolus membra sua invasit, quae nobilissimos mores in corporibus istis occiderunt. [1])

Et hoc in alta voce omnia elementa audierunt, et ante thronum Dei dixerunt:

« Wach! rubicundus sanguis innocentis Agni in desponsatione sua effusus est. »

Hoc audiant omnes coeli, et in summa symphonia laudent Agnum Dei, quia guttur serpentis antiqui iu istis margaritis materiae Verbi Dei suffocatum est.

LXVI. *Hymnus.*

Cum vox sanguinis Ursulae et innocentis turbae ejus ante thronum Dei sonuit, antiqua prophetia venit per radicem Mambre, in vera ostensione Trinitatis, et dixit:

« Iste sanguis nos tangit, nunc omnes gaudeamus. »

Et postea venit congregatio Agni, per arietem in spinis pendentem, et dixit:

« Laus sit in Jerusalem, per ruborem hujus sanguinis. »

Deinde venit sacrificium vituli, quod vetus Lex ostendebat, sacrificium laudis, circumamicta varietate, et quae faciem Moysi obnubilabat, dorsum illi ostendens.

Hoc sunt sacerdotes, qui per linguas suas Deum ostendunt, et perfecte eum videre non possunt.

Et dixerunt:

« O nobilissima turba, virgo ista quae in terris Ursula vocatur, in summis columba nominatur, quia innocentem turbam ad se collegit. »

Turba magna quam incombustus rubus, quem Moyses viderat, significat, et quam Deus in prima radice plantaverat, in homine quem de limo formaverat, ut sine commixtione viri viveret, cum clarissima voce clamavit, in purissimo auro, topazio et sapphiro, circumamicta in auro.

Nunc gaudeant omnes coeli, et omnes populi cum illis ornentur. Amen. [2])

LXVII. *Symphonia Virginum.*

O dulcissime amator, o dulcissime complexator, adjuva nos custodire virginitatem nostram.

Nos sumus ortae in pulvere, heu, heu! et in crimine Adae: valde durum est contradicere quod habet gustus pomi; tu erige nos, Salvator Christe.

Nos desideramus ardenter te sequi. O quam grave nobis miseris est, te immaculatum et innocentem regem angelorum imitari!

[1]) fort. *occiderant.* — [2]) Canticis sanctorum adde quae supra p. 358, et plurima infra.

Tamen confidimus in te, quod tu desideres gemmam requirere in putredine.

Nunc advocamus te sponsum et consolatorem, qui nos redemisti in cruce.

In tuo sanguine copulatae sumus tibi, cum desponsatione repudiantes virum, et eligentes te Filium Dei.

[O] pulcherrima forma, o suavissimus [1]) odor desiderabilium deliciarum, semper suspiramus post te in lacrymabili exilio: quando te videamus et tecum maneamus!

Nos sumus in mundo, et tu in mente nostra, et amplectimur te in corde, quasi habeamus te praesentem.

Tu fortissimus leo, rupisti coelum, descendens in aulam Virginis, et destruxisti mortem, aedificans vitam in aurea civitate.

[Da] nobis societatem cum illa, et permanere in te, o dulcissime sponse, qui abstraxisti nos de faucibus Diaboli, primum parentem nostrum seducentis.

LXVIII. *Symphonia viduarum.*

O pater omnium, et o rex, et imperator gentium, qui constituisti nos in costa primae matris, quae construxit nobis magnum casum aerumnae, et nos secutae sumus illam in propria causa, in exilio, sociantes nos illius dolori.

O tu, nobilissime genitor, per summum studium currimus ad te, et per dilectissimam atque per dulcissimam poenitentiam, quae nobis per te venit, anhelamus ad te, et post dolorem nostrum devotissime amplectimur te.

O gloriosissime et o pulcherrime Christe, qui es resurrectio vitae, nos reliquimus propter te fertilem amatorem conjunctionis, et comprehendimus te in superna charitate et in virginea virga nativitatis tuae, ac in altera vice copulatae sumus tibi, quam prius essemus secundum carnem.

Adjuva nos perseverare, et tecum gaudere, et a te nunquam separari.

LXIX.

Incipit Ordo Virtutum [2])

Patriarchae et Prophetae.

Qui sunt hi qui ut nubes [volant, et quasi columbae ad fenestras suas?] [3])

Virtutes.

O antiqui sancti, quid admiramini in nobis? Verbum Dei clarescit in forma ho-

[1]) *suavissime* cod. alt. — [2]) Cf. Scivias lib. III. c. 10. visio 13. Migne coll. 733-351. ubi plura ab initio et subinde desiderantur, nunnulla autem variantur, quae ex arbitrio editoris mutata, merito negliguntur. Etiam in alium locum reservantur varietates codd. Wiesbad. et Palat. 311, in quo versus initium versiculi rythmice dividuntur. — [3]) Is. LX, 8.

minis, et ideo fulgemus cum illo, aedificantes membra sui pulchri corporis. Nos sumus radices et vos rami; fructus viventis oculi, et nos umbra in illo fuimus.

Querelae animarum in carne positarum.

O nos peregrinae sumus.

Quid fecimus, ad peccata deviantes?

Filiae regni esse debuimus, sed in umbram peccatorum cecidimus.

O vivens sol, porta nos in humeris tuis in justissimam haereditatem, quam in Adam perdidimus.

O rex regum, in tuo praelio pugnamus.

Felix anima.

Ô dulcis Divinitas, et o suavis vita, in qua perferam vestem praeclaram, illud accipiens quod perdidi in prima apparitione, ad te suspiro, et omnes virtutes invoco.

Virtutes.

O felix anima, et o dulcis creatura Dei, quae edificata es in profunda altitudine sapientiae Dei, multum amas.

Felix anima.

O libenter veniam ad vos, ut praebeatis mihi osculum cordis.

Virtutes.

Nos debemus militare tecum, o filia regis.

Sed gravata anima conqueritur.

O gravis labor, et o durum pondus quod habeo, in veste hujus vitae, quia nimis grave mihi est contra carnem pugnare.

Virtutes ad animam illam.

O anima, voluntate Dei constituta, et o felix instrumentum, quare tam debilis es contra hoc quod Deus contrivit in virginea natura?

Tu debes in nobis superare Diabolum.

Anima illa.

Succurrite mihi adjuvando, ut possim stare:

Scientia Dei ad animam illam.

Vide quid illud sit quo es induta, filia salvationis, et esto stabilis, et numquam cades.

Infelix anima.

O nescio quid faciam, aut ubi fugiam.

O vae mihi non possum perficere hoc quo sum induta.

Certe illud volo abjicere.

Virtutes.

O infelix conscientia, o misera anima, quare abscondis faciem tuam coram Creatore tuo?

Scientia Dei.

Tu nescis, nec vides, nec sapis illum qui te constituit.

Anima illa.

Deus creavit mundum, non facio illi injuriam, sed volo uti illo.

Strepitus Diaboli ad animam illam.

Fatue! fatue! quid prodest tibi laborare? Respice mundum, et amplectetur te magno honore.

Virtutes.

O plangens vox est haec maximi doloris. Ach! Ach! quaedam mirabilis victoria in mirabili desiderio Dei surrexit, in qua delectatio carnis se latenter abscondit. Heu! heu! ubi voluntas crimina nescivit, et ubi desiderium hominis lasciviam fugit? Euge! euge ergo in his, innocentia, quae in pudore bono integritatem non amisisti, et quae avaritiam gutturis antiqui serpentis ibi non devorasti.

Diabolus.

Quae est haec potestas, quod nullus sit praeter Dominum? Ego autem dico: Qui voluerit me et voluntatem meam sequi, dabo illi omnia. Tu vero tuis sequacibus nihil habes quod dare possis, quia etiam vos omnes nescitis quid sitis.

Humilitas.

Ego cum meis sodalibus bene scio quod tu es ille antiquus draco, qui super summum volare voluisti; sed ipse Deus in abyssum projecit te.

Virtutes.

Nos autem omnes in excelsis habitamus.

Humilitas.

Ego humilitas, regina virtutum, dico: Venite ad me, virtutes, et enutriam vos ad requirendam perditam dragmam, et ad coronandum in perseverantia felicem.

Virtutes.

O gloriosa regina, et o suavissima mediatrix, libenter venimus.

Humilitas:

Ideo, dilectissimae filiae, teneo vos in regali thalamo.

Charitas:

Ego charitas, flos amabilis, venite ad me, virtutes, et perducam vos in candidam lucem floris virgae.

Virtutes.

O dilectissime flos, ardenti desiderio currimus ad te.

Timor Dei.

Ego timor Dei, vos felicissimas filias praeparo, ut inspiciatis in Deum vivum, et non pereatis.

Virtutes.

O timor, valide utilis es nobis: habemus enim perfectum studium nunquam a te separari.

Diabolus.

Euge! euge! quis est tantus timor?
Et quis est tantus amor?
Ubi est pugnator?
Et ubi est remunerator?
Vos nescitis quid colitis.

Virtutes.

Tu autem exterritus es per summum judicem, quia inflatus superbia morsus es in gehennam.

Obedientia.

Ego lucida obedientia, venite ad me, pulcherrimae filiae, et reducam vos ad patriam et ad osculum regis.

Virtutes.

O dulcissima vocatrix, nos decet in magno studio pervenire ad te.

Fides.

Ego fides, speculum vitae: venerabiles filiae, venite ad me, et ostendo vobis fontem salientem.

Virtutes.

O serena speculata, habemus fiduciam pervenire ad verum fontem per te.

Spes.

Ego sum dulcis conspectrix viventis oculi, quam fallax torpor non decipit: unde vos, o tenebrae, non potestis me obnubilare.

Virtutes.

O vivens vita, et o suavis consolatrix, tu mortifera mortis vincis, et vidente oculo, clausuram coeli aperis.

Castitas.

O virginitas, in regali thalamo stas. O quam dulciter ardes in amplexibus regis, cum te sol perfulget, ita quod nobilis flos tuus nunquam cadet. O virgo nobilis te nunquam inveniet umbra in cadente flore.

Virtutes.

Flos campi cadit vento, pluvia spargit eum. O virginitas, tu permanes in symphoniis supernorum civium: unde es suavis flos qui nunquam aresces.

Innocentia.

Fugite, oves, spurcitias Diaboli.

Virtutes.

Has te succurrente fugiemus.

Contemptus mundi.

Ego contemptus mundi sum, candor vitae. O misera terrae peregrinatio, in multis laboribus te dimitto. O virtutes, venite ad me, et ascendamus ad fontem vitae.

Virtutes.

O gloriosa domina, tu semper habes certamina Christi. O magna virtus, quae mundum conculcas, unde etiam victoriose in coelo habitas.

Amor coelestis.

Ego aurea porta, in coelo fixa sum: qui per me transit, nunquam amaram petulantiam in mente sua gustabit.

Virtutes.

O filia regis, tu semper es in amplexibus quos mundus fugit. O quam suavis est tua dilectio in summo Deo.

Castitas.

Ego sum amatrix simplicium morum, qui turpia opera nesciunt; sed semper in rege regum aspicio, et amplector eum in honore altissimo.

Virtutes.

O tu, angelica socia, tu es valde ornata in regalibus nuptiis.

Verecundia.

Ego obtenebro et fugo atque conculco omnes spurcitias Diaboli.

Virtutes.

Tu es in aedificatione coelestis Jerusalem, florens in candidis liliis.

Misericordia.

O quam amara est illa duritia, quae non cedit in mentibus, misericorditer dolori succurrens! ego autem omnibus dolentibus manum porrigere volo.

Virtutes.

O laudabilis mater peregrinorum, tu semper erigis illos, atque ungis pauperes et debiles.

Victoria.

Ego victoria, velox et fortis pugnatrix sum, in lapide pugnans [1]), serpentem antiquum conculco.

Virtutes

O dulcissima bellatrix, in torrente fonte qui absorbuit lupum rapacem. O gloriosa coronata, nos libenter militamus tecum contra illusorem hunc.

Discretio.

Ego discretio sum, lux et dispensatrix omnium creaturarum in differentia Dei, quam Adam a se fugavit per lasciviam morum.

Virtutes.

O pulcherrima mater quam dulcis, et quam suavis es, quia nemo confunditur in te.

Patientia.

Ego sum columna quae molliri non potest, quia fundamentum meum in Deo est.

Virtutes.

O firma quae stas in caverna petrae, et o gloriosa bellatrix quae suffers omnia.

Humilitas.

O filiae Israel, sub arbore suscitavit vos Deus; unde in hoc tempore recordamini plantationis suae; gaudete ergo, filiae Sion.

Virtutes.

Heu! heu! nos virtutes, plangamus et lugeamus, quia ovis Domini fugit vitam.

Querela animae poenitentis et virtutes invocantis.

O vos regales virtutes, quam speciosae et quam fulgentes estis in summo sole, et quam dulcis est vestra mansio, et ideo o vae mihi, quia a vobis fugi.

Virtutes.

O fugitive, veni, veni ad nos, et Deus suscipiet te.

Anima illa.

Ach! Ach! fervens dulcedo absorbuit me in peccatis, et ideo non ausa sum intrare.

Virtutes.

Noli timere, nec fugere, quia pastor bonus quaerit in te perditam ovem suam.

[1]) *pugna* cod. Respectu ad I Reg. XVII, 49.

Anima illa.

Nunc est mihi necesse ut suscipiatis me, quoniam in vulneribus feteo, quibus antiquus serpens me contaminavit.

Virtutes.

Curre ad nos, et sequere vestigia illa, in quibus nunquam cades in societate nostra, et Deus curabit te.

Ad virtutes poenitens anima.

Ego peccator, qui fugi vitam, plenus ulceribus, veniam ad vos, ut praebeatis mihi scutum redemptionis. O tu omnis militiae regina, [1]) et o vos, candida lilia ipsius, cum rosea purpura, inclinate vos ad me, quia peregrina a vobis exulavi, et adjuvate me, ut in sanguine filii Dei possim surgere.

Virtutes.

O anima fugitiva, esto robusta et indue te arma lucis.

Anima illa.

Et o vera medicina, humilitas, praebe mihi auxilium, quia superbia in multis vitiis fregit me, multas cicatrices mihi imponens: nunc fugio ad te, et ideo suscipe me.

Humilitas.

O omnes virtutes, suscipite lugentem peccatorem, in suis cicatricibus, propter vulnera Christi, et perducite eum ad me.

Virtutes.

Volumus te reducere, et nolumus te deserere, et omnis celestis militia gaudet super te: ergo decet nos in symphonia sonare.

Humilitas.

O misera filia, volo te amplecti, quia magnus medicus dura et amara vulnera propter te passus est.

Virtutes.

O vivens fons, quam magna est suavitas tua, qui faciem istorum in te non amisisti, sed acute praevidisti quomodo eos de angelico casu abstraheres, qui se aestimabant illud habere quod non licet sic stare: unde gaude, filia Sion, quia Deus

[1]) *omnis militia regine* cod. Palatinus cum edd. post *redemptionis* inserunt sub lemmate *Virtutes* haec verba: *O anima fugitiva, esto robusta et indue te arma lucis.* Tum subdit anima. *O omnis militia reginae virtutum.* et post *surgere,* continuo pergunt: *Et o vera medicina.* Ubi fortasse et series colloquii restituenda, et emendanda verba *militiae regina,* quae spectant ad humilitatem, utpote quae uti supra et infra canitur, regina est, quae ducit agmen virtutum. Quae quidem elegantia non carent, ac menti meae revocant amaenissimum melodum, quem Romanum esse suspicor, in *Planctu Adami* arbores Paradisi invocantis ut in ipsum inclinentur ac foliorum saltem susurro exulem refocillent. *Anal.* I. p. 448.

tibi multos reddit, quos serpens de te abscidere voluit, qui nunc in majori luce fulgent quam prius illorum causa fuisset.

Diabolus.

Quae es, aut unde venis? tu amplexata es me, et ego foras eduxi te. Sed nunc in reversione tua confundis me; ego autem pugna mea dejiciam te.

Poenitens anima.

Ego omnes vias meas malas esse cognovi, et ideo fugi a te; modo autem, o illusor, pugno contra te.

Anima illa.

Inde tu, o regina humilitas, tuo medicamine adjuva me.

Humilitas ad Victoriam.

O victoria, quae istum in coelo superasti, curre cum militibus tuis, et omnes ligate diabolum hunc.

Victoria ad virtutes.

O fortissimi et gloriosissimi milites, venite et adjuvate me istum fallacem vincere.

Virtutes.

O dulcissima bellatrix... (v. supra pag. 462)

Humilitas.

Ligate ergo istum, o virtutes praeclarae.

Virtutes.

O regina nostra, tibi parebimus, et praecepta tua in omnibus adimplebimus.

Victoria.

Gaudete, o socii, quia antiquus serpens ligatus est.

Virtutes.

Laus tibi, Christe, rex angelorum.

Castitas.

In mente altissìmi, o Satana, caput tuum conculcavi, et in virginea forma, dulce miraculum colui, ubi Filius Dei venit in mundum: unde dejectus es in omnibus spoliis tuis, et nunc gaudeant omnes qui habitant in coelis, quia venter tuus confusus est.

Diabolus.

Tu nescis quid colis, quia venter tuus vacuus est; pulchra forma de viro sumpta est. Ubi transis praeceptum quod Deus in suavi copula praecepit? unde nescis quid sis.

Castitas.

Quomodo posset me hoc tangere, quod tua suggestio polluit per immunditiam incestus? Unum virum protuli, qui genus humanum ad se congregat contra te per nativitatem suam.

Virtutes.

O Deus, quis es tu, qui in temetipso hoc magnum consilium habuisti, quod destruxit infernalem haustum [1]) in publicanis et peccatoribus, qui nunc lucent in superna bonitate? Unde, o rex, laus sit tibi!

[*Virtutes.*]

O pater omnipotens, ex te fluit fons in igneo amore: perduc filios tuos in rectum ventum velorum aquarum, ita ut et nos eos hoc modo perducamus in coelestem Jerusalem.

[*Filius Dei?*]

In principio [2]) omnes creaturae viruerunt, in medio flores floruerunt; postea viriditas descendit, et istud vir praeliator vidit, et dixit: Hoc [tempus] scio, sed aureus numerus nondum est plenus. Tu ergo, Paternum speculum, [3]) aspice; in corpore meo fatigationem sustineo, parvuli etiam mei deficiunt. Nunc memor esto quod plenitudo quae in primo facta est, arescere non debuit, et tunc in te habuisti quod oculus tuus nunquam cederet, usque dum corpus meum videres plenum gemmarum. Nam me fatigat quod omnia membra mea in irrisionem vadunt. Pater, vide, vulnera mea tibi ostendo. Ergo nunc, omnes homines, genua vestra ad patrem vestrum flectite, ut vobis manum suam porrigat.

LXX.

Verba Hildegardis in Spiritu Sancto de Beato Burchardo. [4])

Oculus materiae facturae digiti Dei, beatus Burchardus, per bona et sanctissima opera, igneus in Spiritu Sancto fuit, sed tamen in seipso et in aliis fatigationem

[1]) *hostem* frustra suspicaberis — [2]) Codex Vindobonensis 628, de quo mox plura, serius Romam advectus, praeter plurima superiora, etiam hunc locum inseruit in epilogum vitae S. Ruperti, uti infra suo loco epilogus ex eodem cod. retractabitur. Praeterea totus idem locus verbo tenus legitur in libro *Divinorum operum* p. III vis. X, num. 8. *Patrol.* col. 1006. — [3]) Hildegardi placet hujusmodi de Patre dictio. Ita enim incipit in libro eod. l. l. num. XIV: « Quapropter Filius Dei iterum dicit: Tu ergo, *Paternum speculum*. quod claritas Divinitatis est, in qua exercitus angelorum fulget... aspice et ostende quantas injurias patior ab his qui me negligunt, etc. » *Patrol.* col. 1016. — [4]) Ex cod. Laurentiano 4 Plut. XXII, inter codices S. Crucis LXXII, f. 143 accedit hoc fragmentum aliis S. Hildegardis epistolis de quibus infra. Cantica sapit superiora et statim ab initio, ut patet conferenti cant. X et XIV: *Cum processit factura digiti Dei* etc. —

turbini similem in quibusdam moribus suis habuit, et ideo corpus suum maceratum est, anhelans ad Deum: nunc dignus est memoria sanctorum.

LXXI.

De Assumptione Sanctae Mariae. [1])

In coelesti hierarchia
Jubilus cum symphonia
Festi dat indicia,
Quo Mariae super coelos
Ascendenti canit melos
Coelorum militia.
Hic est dies festus ille,
In quo laudes modis mille,
Psallunt mille millia.
Cum te, Virgo Dei mater,
Sic salutat Deus Pater:
Felix ave filia.
In amplexus tui nati,
Sponsi tibi praeoptati,
Veni, regni praeparati
Fruere deliciis.
Diadema susceptura,
Pacis sceptrum gestatura,
Vitae regnum possessura
Es pro beneficiis.
Tibi datur impetrare
Pro quocumque vis orare,
Hester o egregia.
Virgam regis osculare,
Gaude semper et laetare
In Assueri regia.
Sponsi vultum contemplare,
Contemplando jocundare,
Jocundando innovare
Donis Sancti Spiritus.
Mensae regis sociare,
Convivando satiare
His quae tuis praeparare
Sanxit Unigenitus.
Ante thronum majestatis
Ubi locus voluptatis
Est locorum, canticorum
Modulare canticum.
Incentivum gaudiorum
Turbis confer electorum,
Praedux antecedens chorum
In choreis virginum.
His nos festis interesse,
Ora, stemma clarum Jesse,
Prout nosti, purius.
Ne nos hujus vitae triste
Turbet, laetos tecum, Christe,
Perducas [2]) securius.

LXXII.

De Beata Virgine.

Trinitati Virgo grata,
Rore coeli fecundata,
Florem parit coelicum.
Sic aegrotis medicinam
Pater stillat in Mariam
Verbum per angelicum.
Haec est arca Testamenti,
Manna servans nutrimenti
Quod descendit coelitus.
Petra, de qua sitienti
Dulcis aqua datur genti,
Quae scatet divinitus.
Inexpertae castitatis
Nec non et humilitatis
Sponso dat exenia.
His allectus fit dilectus,

[1]) Ex cod. Caesareo Vindobon. 628 inter *Asceticos* in catal. Dionysiano t. 1 p. II p. 2394, ad calcem fol. 168, v.ᵒ sequentia duo cantica cum notis musicis coronidem adornant operum Hildegardis, quae totum codicem implent. Attamen ne ad nostra spectent, obstat ipse rhythmus reciprocus, cum duplici aut triplici tetrametro in septenarium desinente, praeter morem Hildegardis, ne de loquela aliud urgeam, neu innumera id genus carmina jam edita, inter quae etiam nostra, me inscio, fortasse latent, morosius recenseam. — [2]) *perducat* cod.

Et afflictis pro delictis
  Culpae datur venia.
Paradisus aperitur,
Et proscriptus investitur,
  Uranicis moeniis.
Contra Satan disputatur,
Et aperte confutatur
  Super suis neniis.
Chirographum fit deletum
Lethi, vitae fit decretum
  Judicis sententia,
Ex hinc vadit immolari
Quae non novit novercari
  Filii clementia.
Offert nostris pro peccatis
In odorem suavitatis
  Corporis primitias.
Et scelestos peccatorum [1])
De profundo vitiorum
  Ciet ad delicias.
Psallant ergo laudes grati
Sacrosanctae majestati
  Quos praevenit gratia,
Et a Satan servitute
Liberatos, coeli tute
  Locat in palatia.
Honor datus sit et Patri
Qui de morte morte nati
  Natos revivificat.
Sed et Jesu symphonia,
Cujus victrix agonia
  . . . . [2]) tripudiat.
Gaude, mater singularis
Cui totus triumphalis
  Titulus ascribitur;
Quia regem, Virgo, paris
Cui coeli, terrae, maris
  Machina subjicitur.
In extremae vitae pirgo [3])
Miserere nostri, Virgo,
  Jungens nos coelestibus.
Ubi Patris, ubi Nati,
Pneumatisque praesentati
  Fruamur aspectibus.

[1]) *Angelorum* cod. sed quo sensu? — [2]) Latet vox mutila sub his litteris *ene..t* vel *eve..t*. an erit *enescat*, aut *evehit*? — [3]) *Pirgus* idem sonat ac *pergus*, *pirgius*, *pergius*, id est itinerarius agger, via strata, regia, ut apud Cangium videre est.

OPUSCULA

BEATAE HILDEGARDI ASCRIPTA.

I.

LIBER COMPOSITAE MEDICINAE DE AEGRITUDINUM CAUSIS, SIGNIS ATQUE CURIS. 1)

LIB. I.

De mundi creatione. [2])

Deus ante creationem mundi absque initio fuit, et est; et ipse lux et splendor fuit, et est, et vita fuit. Cum ergo Deus mundum facere voluit, illum de nihilo fecit, sed in voluntate ipsius materia mundi erat.

De hyle. Nam cum voluntas Dei ad operandum opus se ostendit, mox de ipsa voluntate, et quomodo Deus voluit, materia mundi ut obscurus globus et informis processit.

De Angelorum creatione. Et Verbum Patris sonuit: *Fiat lux, et facta est lux* [3]), et Angeli lucentes. Nam quod dixit: *Fiat lux*, absque luminaribus, et formata lux, quod Angeli sunt. Sed cum dixit: *Fiant luminaria*, hoc est lumen aerium quod videmus.

De Luciferi casu. Lucifer autem, ad Aquilonem, locum vacantem nec aliquid operantem vidit, et ibi sedem suam ponere voluit, quatenus illic plura et majora Deo operaretur, voluntate ipsius, at creationem[4]) reliquarum creaturarum ignorans. Nam faciem Patris non inspexit, nec fortitudinem ejus scivit, nec bonitatem ipsius

[1]) Unicus omnino exstat, ut videtur, codex rarissimus Hafniensis, mecum humanissime ex longinqua bibliotheca communicatus, in quo manu saec. XIII desinentis inseritur opus, quod a. 1292 Matthaeus Westmonasteriensis aperte notavit. cum Hildegardi ascribit « *librum compositae medicinae de aegritudinum causis, signis atque curis,* » quod idem palam distinguit ab alio libro *simplicis medicinae secundum creationem* octo libros continente, quem dudum habemus editum, ac nuper recusum sub titulo *Subtilitatum diversarum naturarum creaturarum* in VII tomis distributum. Codici fortasse mutilo ab initio brevis titulus praefigitur: *Beatae Hildegardis causae et curae*. De quibus cum alibi plura, nunc satis. — [2]) Capitula videntur posterioribus curis et satis inepte addita, quae tamen sequimur, alio indice destituti. — [3]) Gen. I, 3, 14. — [4]) *ad creationem reliquarum creaturarum ignorans* cod. an probe?

gustavit, quia antequam hoc sensisset, Deo rebellare tentavit. Deus enim haec nondum manifestaverat, sed ea occultaverat, velut aliquis potens et fortis vir facit, qui fortitudinem suam interdum aliis hominibus eam nescientibus occultat, donec videat quid illi de se sentiant, et quid incipere, et quid facere velint. Et cum Lucifer, in perversa voluntate sua, se ad nihilum erigeret, quoniam nihilum fuit quod facere voluit, in illud cecidit, et stare non potuit, quia sub se fundum non habuit. Nam nec supra se summitatem, nec subtus se extremitatem habuit, quae illum sustinere posset, ne caderet. Cum enim ille ad nihilum se extendit, inceptio extensionis ejus malum produxit, et mox malum hoc absque claritate et absque luce in semetipso, per zelum Dei, exarsit, ut rota se circumferens et circumvolvens, et ignitas tenebras in se ostendit. Et sic malum a bono declinavit, nec bonum tetigit malum, nec malum bonum. Deus autem integer, ut rota, permansit, et pater in bonitate, quia paternitas ipsius bonitate ipsius plena est, et ita justissima et benignissima et firmissima atque fortissima est paternitas, et de hac mensura sicut rota ponitur. Nunc alicubi rota est, et ipsa alicujus rei plena est. Quod si rota illa nihil aliud praeter exteriorem circulum haberet, vacua foret. Et si forte alienus superveniret, et ibi operari vellet, hoc esse non posset: nam in rota una duo fabri res suas constituere non possunt. O homo, aspice hominem: homo enim coelum et terram atque alias facturas in se habet, et forma una est, et in ipso omnia latent.

De Paternitate. Sic paternitas est circulus rotae. Quomodo? Paternitas est plenitudo rotae. Deitas est in ipsa, et ex ipsa sunt omnia, et praeter eam creator non est. Lucifer autem integer non est, sed in dispersione divisus est, cum esse voluit quod esse non debuit. Cum enim Deus mundum fecit, in antiquo consilio habuit, quod homo fieri voluit.

De animae creatione. Et cum lucem fecit, quae volatilis erat, et quae ubique volare potuit, in eodem consilio suo habuit, quod spiritali vitae, quae spiraculum vitae est, molem corporalem, id est elatam formam de limo terrae, daret, quae nec volaret, nec flaret, et quae prae impossibilitate sua se levare non posset, et ut ideo sic ligata esset, quatenus ad Deum acutius aspiceret: unde ligaturam istam antiquus serpens odio habuit, quia quamvis homo corpore gravis esset, se tamen ad Deum in rationalitate erigeret.

De elementis et firmamento. Et elementa mundi Deus fecit, et ipsa in homine sunt, et homo cum illis operatur. Nam ignis, aer, aqua, terra sunt, et haec quatuor elementa sibi ita intricata et conjuncta sunt, ut nullum ab alio separari possit, et se ita insimul continent, quod dicuntur firmamentum.

De sole et stellis. Sol autem pene supremus in istis; per ea splendorem et ignem suum mittit. Circa quem stellae quaedam tantae magnitudinis et claritatis sunt, quod velut montes per firmamentum ad terram extentae sunt, unde quanto proximiores terrae, tanto lucidiores esse videntur. Circa vero eumdem solem et aliae stellae sunt minoris magnitudinis et claritatis, ita ut velut valles [1]) sunt ad magnitudinem praedictarum stellarum: unde et minus apparent.

De tempestate. Cum major calor et fervor ignis in aethere est, fervor ille re-

[1]) *colles* supra lineam rubro stylo scribitur.

pentinam ebullitionem et periculosam inundationem aquarum aliquando educit et mittit in terram, et inde tempestates sunt et nubium diruptio: velut cum olla ad magnum ignem posita, repente ebullit et spumam ejicit. Et hae tempestates saepissime contingunt, aut propter praeterita mala per judicium Dei, aut propter jam perpetrata mala opera hominum, aut propter sic significanda futura pericula vel bellorum, vel famis, vel subitaneae mortis; quia quaelibet opera nostra tangunt elementa, et inde concutiuntur, quia etiam cum elementis versantur. Cum autem minor calor et fervor ignis in aethere est, minorem ebullitionem et inundationem aquarum emittit, velut etiam aliqua olla, cui minor ignis suppositus est, quae inde parvam ebullitionem et spumam ejicit. Cum vero aer in igne et aqua temperatus est, suavem temperiem emittit, et ut etiam olla ad temperatum ignem posita, suaviter calet. Sed cum sol sursum ascendit, ità ut ignis ejus in altitudinem coeli fortiter ardeat, tunc etiam interdum aer siccus et aridus de ardore solis est, atque ignis ejusdem solis ignem tonitrui interdum tangit.

De tonitruo. Nam in tonitruo judicialis ignis et frigus et fetor est. Sed cum aliquando ignis tonitrui ab igne solis tangitur, tunc ille commotus aliquantum fulgura modice emittit.

De fulgure. Et modice submurmurat, et sic cessat, velut homo qui interdum in iram motus, eam ad perfectum non ducit, sed comprimendo conpescit; aliquando autem de nimio ardore solis ignis tonitrui commovetur, et in magnam commotionem ducitur, ita ut fortia et periculosa fulgura emittat, et vocem suam fortiter exaltet, velut homo qui fortiter in iram motus, eam periculoso opere perficit. Et tunc etiam interdum superior ignis tonitrui ab igne solis tactus, frigus quod in tonitruo est, in unum locum coadunare facit, quemadmodum aqua glaciem in unum locum congregat, et frigus illud grandinem ad nubes ducit, et nubes eam suscipiunt, et dispergunt, et ad terram emittunt.

De grandine. Nam grando est velut oculus tonitrui: sed cum sol in descensu in hieme est, ignem suum ad altitudinem coeli non transmittit, et magis sub terra quam supra terram ardet, et nunc in altitudine coeli non fervet.

De aquis. Unde aquae quae in superioribus sunt, velut pulvere aspersae de frigore fiunt, et nivem emittunt.

De pluvia. Sed cum postea in calorem suaves sunt, pluviam emittunt, et cum sol interdum nec nimium calorem, nec nimium frigus ostendit, tunc etiam interdum suavem pluviam emittit, quemadmodum homo, cum aliquando laetus est, lacrymas multociens prae gaudio fundit.

De ventis. Quatuor etiam cardinales venti sub sole et super solem firmamento adsunt, et illud continent, ac totum orbem, scilicet de inferiori parte usque ad superiorem partem firmamenti, sicut cum pallio circumdant Orientalis enim ventus aerem amplectitur, et suavissimum rorem super arida mittit. Ventus enim Occidentis fluentibus nubibus se admiscet, ut aquas sustineat, ne erumpant. Australis vero ventus ignem in magistratione sua retinet, et eum prohibet, ne omnia comburat. Ventus quoque septentrionalis exteriores tenebras retinet, ne modum suum excedant. Isti quatuor venti alae potentiae Dei sunt. Qui cum simul move-

buntur, omnia elementa complicabunt, et se divident, ac mare concutient, et omnes aquas exsiccabunt.

De judicii die. Sed nunc clave majestatis Dei clausi sunt, quatenus elementa in moderatione haerebant, nec super ullum hominem ullo periculo dominabuntur, nisi in fine saeculi, quia tunc omnia purgabuntur; postea ipsi cantum in symphonia ferent, et nulla creatura est, quae una sola proprietate consistat, quin plures habeat.

De nihilo. Sed nihilum ullam proprietatem habet, in qua subsistat, et ideo nihil est; unde etiam aliae creaturae, quae voluntate sua se nihilo conjungunt, proprietates suas perdunt, et ad nihilum fluunt.

De firmamento et ventis. Firmamentum autem ignem, solem, lunam, stellas et ventos habet, per quae omnia consistit, et quorum proprietatibus firmatur, ne dissipetur. Nam ut anima totum corpus hominis tenet, ita etiam venti totum firmamentum continent, ne corrumpatur, et invisibiles sunt, velut etiam anima invisibilis est, de secreto Dei veniens. Et sicut domus absque angularibus lapidibus non constat, sic nec firmamentum, nec terra, nec abyssus, nec totus mundus cum omnibus compositionibus suis, absque his ventis esset, quia haec omnia cum ipsis composita et retenta sunt. Nam terra tota scinderetur et rumperetur, si isti venti non essent, quemadmodum etiam homo totus scinderetur, si ossa non haberet. [1])

De ventis collateralibus
De sole.
De luna.
De rore
De aeris purgatione.
De aeris filis.
De eclipsi.
De quinque planetis.
De firmamenti retardatione.

Sed et firmamentum in velocitate circumvolvitur, et sol cum caeteris planetis contra illud et obvius illi paulatim currit, atque velocitatem ejus retinet; quoniam si sol illud retardando non retineret, vel si ipse cum caeteris planetis tanta velocitate curreret obviam firmamento, quanta illud circumvolvitur, omnia confunderentur, et firmamentum totum dirumperetur... Ante casum Adae, firmamentum immobile fuit, et non circumvolvebatur; post casum autem ejus, coepit moveri et circumvolvi; sed post novissimum diem immobile stabit, ut prima creatione ante casum Adae fuit. Nunc autem ideo circumvolvitur, ut a sole, luna, et stellis roboretur et confirmetur, quia si immobile staret, cito liquefactum et emollitum deflueret. Ex hoc etiam quod modo circumvolvitur, elementa purgat, et purgatio illa interdum sunt aquosae et nigrae nubes quas videmus, velut etiam aqua cum ad ignem in olla ponitur, et in fervore caloris spumam ejicit et purgatur.

De firmamenti consonantiis. In ipsa etiam circumvolutione sui mirabiles sonos emittit, quos tamen prae nimia altitudine et latitudine ejus audire non possumus,

[1]) **Hactenus rescripta indolem libri satis significant; neque ab Hildegardis ingenio et loquela recedunt. Sequentia, quoties extra veterem physicam aut medicinam non egrediuntur, vel quoties non referunt aliquid notatu dignius, omittenda duximus, dato tantum elencho rerum. sive quia plura non patitur *Sacrorum Anecdotorum* institutum, sive quia etiam nunc, ut audivimus, caetera vir doctus in Germania diserte persequitur, quam cito typis committenda.**

velut etiam cum molendinum vel plaustrum circumvolvitur, sonos suos habet... Firmamentum est velut caput hominis; sol, luna et stellae, velut oculi; aer, ut auditus; venti, velut odoratus; ros, ut gustus; latera mundi, ut brachia et ut tactus. Et aliae creaturae quae sunt in mundo, sunt ut venter; terra autem ut cor....

De Luciferi casu et firmamenti creatione. Abyssus autem est velut pedes, et ut incessus hominis. Cum igitur Diabolus de coelo corruit, qui sedere et regnare voluit, et qui nullam creaturam creare et facere potuit, Deus firmamentum statim fecit, ut ille videret et intelligeret quae et quanta Deus faceret et creare posset. Tunc etiam solem, lunam et stellas in firmamento posuit, ut Diabolus in eis videret et cognosceret quantum decorem et splendorem perdidisset.

De stellis.
De duodecim signis et planetis.
De fructuum differentia.
De firmamenti firmitate,
De stellarum significationibus. [1]
De planetarum significationibus.
De aurora.
De lunae significatione
De tempore gignendi.
De elementis.

De lunae effectu. Et tempus lunae naturae hominis non dominatur, quasi deus ejus sit, etvelut homo aliquam potestatem naturae de illa accipiat, aut ut luna naturae hominis aliquid conferat, aut demat, aut constituat; sed hominis in aereo gustu cujusque operis vitae suae luna occurrit, et ita sanguis et humores qui in homine sunt, post tempus commotionis lunae moventur... Sed tamen omnem hanc naturam hominis, ut praescriptum est, Spiritus Sanctus penetrat, videlicet in prophetis, in sapientibus, in bonis, in rectis, et in omni bona electione, eos ad se trahens, sicut sol tempestates pertransit et perlustrat. Itaque haec profusio ignei Spiritus Sancti mutabilem naturam hominis superat, ut scriptum est: *Omne quod natum est ex Deo, vincit mundum* [2]), et sic non peccat. Et ut viles cibi de gustu aromatum in alium meliorem gustum mutantur, ita ut vilem gustum suum perdant, sic de igne Spiritus Sancti vilis natura hominis in meliorem naturam quam conceptio ejus ostendebat, vertitur; et ita homo alius in natura sua fit, quia quod coeleste est, devincit et exsuperat quod terrenum est, unde omnia in Deo gaudent, antiquo serpente illuso.

Quod planetae ex sui natura nihil significent.
De viribus ignis.
De viribus aeris.

De animae viribus. Anima autem hominis. de coelo a Deo veniens in hominem, et ipsum vivificans, sic rationabilem faciens, cum ab homine egreditur, non moritur, sed aut ad praemia vitae, seu ad tormenta mortis aeternaliter victura vadit.

De aquae viribus. Aqua vero vires quindecim habet, id est: calorem, aerem, humorem, inundationem, velocitatem, mobilitatem; et lignis succum dat, pomiferis gustum, herbis viriditatem; et humiditate sua in omnibus madet; volucres continet; pisces pascit; bestias in calore suo vivere facit; reptilia in spuma sua retinet; ac omnia sustentat: quemadmodum etiam decem praecepta et quinque libri

[1]) Clare asseritur, nec futuras res nec cogitationes hominum ostendi in stellis et planetis sed tempora et opera Dei et hominum significari. — [2]) Joan. V, 4.

Moysi veteris Testamenti sunt, quae cuncta Deus ad spiritalem intelligentiam convertit: de vivente namque fonte salientes rivi sunt, quae omnes sordes abluunt...

De hyle et creaturarum vivificatione. Nunc itaque cum Verbum Dei in principio sonuit, globus creaturarum sine igne frigidus fuit. *Et Spiritus Domini ferebatur super aquas,* [1]) qui ignis et vita est. Tum idem Spiritus unicuique formatae creaturae vitam secundum genus suum inspiravit, et in eis ignem insufflando accendit, ita ut quaeque creatura ignem et vitam secundum genus suum in se habeat. Opus autem Verbi viriditas est; sed nulla viriditas esset, si igne et calore non teneretur, et quaeque creatura sine consolatione desolaretur et divideretur et caderet, si fundamento igneae vitae Spiritus non firmaretur.

De aquae labilitate.
De sole et aquis ejus.
De sale.
De aquarum diversitate.
De maris effluxione.
De aquarum diversitate.
De terrarum viribus.
De arborum germine, frumenti et vini,
De pluvia.

LIB. II. [2])

De Adae casu. Deus ita creavit hominem, quod omnia animalia ad servitutem ejus subjecta sunt: sed cum homo praeceptum Dei transgressus est, immutatus est etiam tam corpore quam mente. Nam puritas sanguinis ejus in alium modum versus est, *(sic)* ita quod pro puritate spumam seminis ejicit. Si enim homo in Paradiso mansisset, in immutabili et perfecto statu perstitisset. Sed haec omnia post trangressionem in alium et amarum modum versa est. (*sic*).

De spermate.
De conceptu.
Quare homo hirsutus non est?
De reptilibus.
De volatilibus.
De piscibus.
De conceptus diversitate.

De infirmitatibus.... Haec de primo malo illo quod homo primum incepit orta sunt, quoniam si Adam in Paradiso permansisset, dulcissimam sanitatem optimae mansionis haberet, velut fortissimum balsamum optimum odorem emittit; sed e contra nunc homo habet in se venenum et flegma ac diversas infirmitates.

De continentia.
De incontinentia.
De flegmaticis.
De melancolicis.
De melancoliae morbo.
De elementorum commixtione.

De rore. Nam cum ignis et aer invicem officium suum in placido temperamento in aestatis tempore exercent, in placida et lucida aura absque commotione tempestatum propter calorem, quem tunc in invicem habent, rorem sudant, qui salubriter fecunditatem et fertilitatem ad utilitatem fructuum terrae velut semen infundit.

De pruina.
De nebula.
Quod quatuor sunt elementa tantum.
De anima et spiritibus.

[1]) Gen. 1, 2. — [2]) Tantum notatur hic et alibi divisio ex insigniori littera, sed nullibi *liber* pronuntiatur, manus autem paulo recentior summis marginibus inscripsit arabicos numeros 1, 2, 3, 4, 5. ex quorum unico indiculo libros assignavimus.

De Adae creatione.
De capillis.
De interioribus hominis.
De auribus.
De oculis et naribus.
Quod in homine sunt elementa.
De sanguine.
De carne.
De generatione.
De Adae vivificatione.

De Adae prophetia. Qui postquam evigilavit, propheta coelestium fuit, et sciens in omni vi creaturae et in omni arte erat. Et Deus omnes creaturas illi dedit, quatenus virili vi eas penetraret, quoniam illas scivit et cognovit. Nam ipse homo omnis creatura est, et spiramen vitae in eo est, quia finem vitae non habet.

De animae infusione.
De Adae somno.
De Evae malitia.

De exilio Adam. Sed postquam Adam peccavit, nox adesse coepit, et omnia elementa magnis tenebris obtenebrata sunt: in quibus Adam in exilium istud deductus est. Qui dum lucem saeculi hujus vidit, gaudebat, quoniam ipse tenebrosus erat, ac lacrymando dixit: « Alio modo vivere debeo quam prius mihi vivere Deus dederat, [1] » et ita cum sudore laborare coepit. Sed antequam Adam et Eva divinum praeceptum praevaricati fuissent, ut sol in splendore fulgebant, qui splendor etiam ipsis quasi pro vestimento fuit. Qui dum praeceptum Dei transgrederentur, amplius non fulgebant, ut prius fecerant, sed obscuri facti sunt, et sic in obscuritate illa permanserunt; unde cum viderent se non fulgere, sicut prius fulgebant, cognoverunt se nudos esse, et foliis arboris, sicut ibi scriptum est, se obtexerunt. Et Adam ante praevaricationem absque operibus ut sol fulgebat, quia nondum aliquod opus fecerat. Sed post finem saeculi iterum justi, ut sol fulgebunt, sicut scriptum est: *Fulgebunt justi sicut sol in regno patris eorum,* [2]) sed cum sanctis operibus fulgebunt. Nam in splendore quem tunc sancti habebunt, sancta opera fulgent, et posita sunt, ut pretiosi lapides in auro ponuntur.

Quare Eva prius cecidit?
De diluvio.
Quare filii Dei?
De lapidum gignitione.
De yri.
De terrae situ.
Quod homo constat de elementis.
De flegmatis diversitate.
De humoribus.
De frenesi.
De contractis.
De stultis.
De paralysi.
De bonis moribus.
De amentia
De insania,
De desperatione.
De timidis.
De mutis.
De bonitate.
De cancrosis.
De podagra.
Qui se interficiunt?
De gutta.
De instabilitate.
De iracundis.
De syncopi.
De obsessis.
De severitate.
Item de frenesi.
De sanitate.
Quod quatuor sunt humores tantum.
De Dei vindicta.
De poenitentia.
De casu Luciferi.
De furore.
De Adae plasmatione.
De conceptu.
De animae infusione.

[1]) *dederit* cod. — [2]) Matth. XIII, 43.

...Ut autem quaeque res umbram habet, sic etiam homo umbra Dei est. Et umbra ostensio facturae est, et homo omnipotentis Dei in omnibus miraculis suis ostensio est, ipseque umbra est, quia initium habet: unde omnis coelestis harmonia speculum Divinitatis est, et homo speculum omnium miraculorum est Dei.

De generatione.
De secundina.
De rationabilitate.
De partu.
De sensualitate.
De scientia.

...Cum homo quodlibet opus vel quamlibet artem per optionem et per desiderium scire vult, Spiritus Sanctus rore suo viriditatem scientiae illius perfundit, unde et discit et capit quod discere vult. Sicut enim pater et mater infanti suo respondent, cum ab eis aliquid petit, sic etiam Spiritus Sanctus scientiam hominis ad quamlibet artem adjuvat... Sed cum homo se ad malum aliquod et ad malam artem vertit, et illud discere cupit, tunc Diabolus hoc videns, scientiam ejus perversitate et versutia sua afflat, ut malum hoc cito discat...

De lacte.
De mulieris subjectione.
De adulterio.
De seminis diversitate.
De carnis delectatione.
De colericis et virilibus.
De renibus.
Item de Adae exilio.
De sanguineis.
De melancolicis.
De flegmaticis.
De mulieris delectatione.
De viri delectatione.
De lunae mutatione et humorum.
De menstruo.
De arborum putatione.
De vinearum putatione.
De herbarum collectione.
De pomorum collectione.
De segetum incisione.
De tempore seminandi.

De somno Cum enim homo dormit, tunc medulla ejus recreatur et crescit; et cum vigilat, tunc medulla ejus aliquantulum attenuatur et debilitatur, quemadmodum luna in augmento suo crescit, et in detrimento suo decrescit; et sicut radices herbarum in hieme viriditatem in se habent, quam in aestate in flores emittunt. Unde cum medulla hominis aut laboribus fatigata est, aut vigiliis attenuata, tunc homo sopore deprimitur; et sive stet, sive sedeat, sive jaceat, facile obdormit, quia anima ejus in ipso necessitatem corporis sui sentit. Nam medulla vigiliis attenuata et debilitata, mox vires animae suavissimum et dulcissimum ventum ex medulla producunt, qui venas colli et totam cervicem hominis perflat, et qui ad tempora transit, et venas capitis occupat, et qui ita vitalem flatum hominis deprimit: sic quod homo ille tunc est et jacet velut insensibilis et nescius, et impotens sui corporis, nec intellectum, nec cogitationes, nec sensibilitatem tunc scienter habens, excepto quod anima vitalem flatum inducit et emittit, sicut et vigilanti homini facit, et quod eum tam dormientem, quam vigilantem continet, et quod in eo est, dum dormit, sicut et in eo dum vigilat; et sic homo obdormit, ut praedictum est. Tunc anima hominis illius, viribus suis ad se collectis, medullam ejus crescere facit, et confortat, ac per eam ossa format, et sanguinem coagulat, carnem etiam coquit, et singula membra componit, et sapientiam et scientiam in eodem homine dilatat, laetante vita ejus. Sic ergo homine dormiente, majorem calorem interius habet quam si vigilet, quia cum homo vigilat, medulla

ejus tenuis efficitur, et lubrica, ac turbida, et ob hoc ille dormitat. Cum autem dormit, medulla ejus ardet, quoniam tunc crescit, et pinguis et candida efficitur. [1]).

Item de Adae sopore. Sed antequam Adam praeceptum Dei praevaricatus fuisset, immissus est ei sopor, et cibus est ei ostensus. Postquam autem praevaricatus est, caro ejus tantam debilitatem et fragilitatem incurrit, in quanta instabilitate caro mortua est ad carnem viventis hominis. Sed sopore postea recreabatur, sicut cibo refocillabatur: et sic etiam in omnibus hominibus fit; nam ut caro hominis cibo crescit, ita et medulla ejus sopore.

Item. de Adam et ejus prophetia. Nam cum Deus soporem in Adam misit, anima ejus in vera prophetia interim multa vidit, quia nondum aliquod peccatum habebat: ita et dormiente homine, anima ejus in vera prophetia multa videret, si idem homo peccatis gravatus non esset.

De somniis.
De animae effectu.
De halitu.
De animae et carnis contrarietate.
De animae excitatione.
De somni nimietate.
De exercitio.
De sanguinea [muliere].
De flegmaticis.
De colerica
De melancolia.
De calvitie.
De capitis dolore.
De emigranea.
Item de capitis dolore.
De vertigine.

De amentia. Et cum praedictae pestes simul omnes conveniunt, ita quod in capite hominis simul furiunt, hominem illum in amentiam ducunt, et evertunt, et inanem rectae scientiae faciunt, velut cum navis a procellis mota confringitur. Unde multi putant ipsum a daemone possessum, quod non est. Sed daemones huic pesti et dolori accurrunt, et insidias ponunt, secundum quod officia insaniae eorum sunt, et tamen proprietatem verborum suorum ibi non habent, quoniam homo ille a Daemone possessus non est. Nam si daemon proprietatem verborum suorum, divina permissione, in aliquo homine habuerit, spolia sua verbis et furiis in loco Spiritus Sancti tamdiu exercet, quousque Deus illum expellit, quemadmodum de coelo eum expulit.

De cerebro.
De oculis.
De oculis griseis.
De oculis igneis.
De oculis diversi coloris.
De oculis turbulentis.
De oculis nigris.
De oculorum albugine.
De oculorum lacrymis.
De flegmate spectante ad auditum.
De dentium dolore.
De faciei rubore.
De faciei pallore.
De splenis tumore.
De cordis dolore.
De animae domo.
De pulmonis dolore.
De asmate.
De tussi.
De halitus fetore in aura nebulosa.
De conceptu in plenilunio.
De hepatis indigestione.
De nervorum indignatione.
De hepatis indignatione.
De hepatis vasculo.
De conceptu, dum sol est in cancro.

[1]) Haec physica prolixius quam solemus, dare non piguit, ut argumento sint cum quanta prudentia, cui nonnulla non deest elegantia, natura in hoc libro excutiatur. Plurima id genus ne afferamus, tam angustia nostri tomi quam rerum indole prohibemur.

De cordis dolore.
De splenis dolore.
De stomacho et ejus indigestione.
De cuticulae extensione aut ruptura.
De renibus, et quare duo sunt?
De renum dolore.
De yliaca.
De virilibus.
De ostei inflatione.
De dissuria.
De podagra.
De fistula.
Quare menstruum?
De conceptu.

De Evae corruptione. Omnes autem venae mulieris integrae et sanae permansissent, si Eva in pleno tempore Paradisi perstitisset; cum enim illa Serpentem consentiendo ei inspexisset, visus ejus quo coelestia vidit, extinctus est; et cum eum in consensu audivit, auditus ejus quo coelestia audivit, obstrusus est; atque in gustu pomi splendor qui in illa lucebat, obscuratus est.

De Eva. Prima enim mater humani generis posita erat ad similitudinem aetheris, quia ut aether stellas integras in se continet, sic ipsa integra et incorrupta sine dolore genus humanum in se habebat, cum ei dictum est: *Crescite et multiplicamini.* Et hoc in pleno dolore fit.

De partu.
De fecunditate.
De menstrui defectu.
De menstrui retentione.
De calvaria.
De conceptu et partu.
De infantis teneritate.
Quod homo non natat.
De uberibus.
Item de conceptu et lacte.
De menstruis.
De digestione.
De egestione.
De sanguine.
De nutrimento.
De esurie.
De siti.
De dormitione.
De nocturnali siti.
De paralysi fatigatione.
De quotidiana.
De tertiana et quartana.
De comestione et cibo.
De prandio.
De potus diversitate.
Item de sanguine.
De ciborum differentia in hieme.
De frigoris temperamento.
De aestatis in tempore ciborum diversitate.
De minutione.
De minutionis diversitate.
Quando minuatur?
De mulierum minutione.
De venis.
De scarificatione.
De cruoris differentia.
De minutionis dieta.
Quando minuatur?
De scarificatione.
De minutione bruti.
De cocturis (ustionibus).
De excreatione.
De animae igne.
De saliva.
De stomachi frigiditate.
De carne.
De emunctione.
De cerebri et salivae et emunctionis purgatione.
De sternutatione.
De sanguinis fluxu a naribus.
De corzza (cerebri aegritudine).
De potionibus.
De paralysi.
De dieta.

De Adae creatione et Evae formatione. Cum ergo Deus Adam creavit, Adam dilectionem magnam in sopore habebat, cum Deus soporem in ipsum misit. Et Deus fecit formam ad dilectionem viri, et sic femina dilectio viri est. Et mox cum femina formata est, virtutem illam creationis Deus viro dedit, ut dilectione sua, quae femina est, filios procrearet. Cum enim Adam inspexit Evam, totus sapientia impletus est, quia matrem per quam filios procreare debebat, inspexit. Cum autem

Eva inspexit Adam, sic eum inspexit quasi in coelum videret, et ut anima sursum tendit, quae coelestia desiderat, quoniam spes ejus erat ad virum, et ideo una dilectio erit et esse debet viri et feminae, et non aliena. Sed dilectio viri ad dilectionem feminae in calore ardoris est velut ignis ardentium montium, qui difficile extingui posset, ad ignem lignorum qui facile extinguitur. Dilectio autem feminae ad dilectionem viri, ut suavis calor de sole procedens, qui fructus producit, ad ardentissimum ignem lignorum, quoniam et ipsa suaviter in prole fructus profert. Magna autem dilectio, quae in Adam erat, cum Eva de ipso exivit, et dulcedo soporis illius, qua tunc dormivit, in transgressione ejus in contrarium modum dulcedinis versa est. Et ideo quia vir hanc magnam dulcedinem in se sentit, et habet, ut cervus ad fontem, sic ipse velociter ad feminam currit, et femina ad ipsum, in similitudinem horrei areae, quae multis ictibus percutitur, et ad calorem perducitur, cum grana in eo excutiuntur.

De concupiscentia.
De pollutione.
De conjugii tempore.
De medulla.
De tribus medullae viribus.
De incontinentia.
De suggestione.
De medullae temperie.
De crapula.
De vino.
De cogitatione.
De nocturna oppressione.
De somnis.
De complexione.
De Adae casu et melancolia.
De mentis oppressione.
De Diaboli odio.
De obstinatione.
De membrorum extensione.
De litargia.
De singultu.
De melancolia.

De felle et poena Adae. Antequam Adam divinum praeceptum transgrederetur, quod modo fel in homine est, in eo ut crystallus lucebat, et gustum bonorum operum in se habebat; et quod nunc etiam melancolia est in homine, in eo ut aurora fulgebat, et scientiam et perfectionem bonorum operum in se habebat. Cum autem Adam transgressus est, splendor innocentiae in eo obscuratus est; et oculi ejus qui prius coelestia videbant, extincti sunt; et fel mutatum est in amaritudinem, et melancolia in nigredinem impietatis; atque totus in alium modum mutatus est. Et sic anima ejus tristitiam contraxit, et excusationem mox in ira quaesivit; nam de tristitia ira oritur; unde etiam in primo parente homines tristitiam et iram et quaeque sibi nociva contraxerunt.

De tristitia et ira.
Unde fel et melancolia crescant?
De lacrymis.
De poenitentia.

De Adae prudentia. Adam quoque ante praevaricationem angelicum carmen et omne genus musicorum sciebat, et vocem habebat sonantem ut vox monochordi sonat. In praevaricatione autem illius, de astutia serpentis intorsit se in medullam et in femur ejus quidam ventus, qui etiam nunc in omni homine est, et de vento illo splen hominis impinguescit, et inepta laetitia, et risus atque cachinni in homine excutiuntur.

De cachinno et risu.
De laetitia et risu.
De pinguedine.
De hominis ariditate.
De vino.
De cervisia.

De ebrietate.
De vomitu.
De indigestione.
De dissenteria.
De emoptoica.
De abstinentia indiscreta.
De apostematibus.
De tumore.
De ulcere.
De scabie.
De icteria.
De exercitio et animae taedio.
De ira.
De insania et leusia *(sic)*.
De epilepsia.
De hydropisi.
De inflatione.
De tortionibus.
De vermibus.
De lumbricis.
De pediculis.
De calculo.
De gula.
De ulceribus leprae.
De lepra.
De leprae signis.
De gutta.
De nervorum contractione.
De febribus.
De paralysi.
De febribus et criticis diebus.
De acuta.
De febribus interpolatis.
De dieta.

LIB. III.

De praedictis autem infirmitatibus subscriptae medicinae a Deo monstratae aut hominem liberabunt, aut ipso morietur, aut Deus eum liberare non vult.

De capillorum casu. [1]) Cum adolescenti homini jam primum crines cadere incipiunt, de arvina ursi et modicum favillarum de triticeo aut de siligineo stramine factarum, et haec simul commisceat, et deinde cum isto totum caput suum inungat, et ibi praecipue ubi crines in capite suo effluere incipiunt. Postea diu abstineat se, ne caput suum ab ista unctione lavet. Et crines ejus qui nondum ceciderunt per unctionem istam ita humectantur et confortantur quod per longa tempora non cadent. Et sic saepe faciat, et a lavatione capitis sui se abstineat. Nam calor arvinae ursi naturae hujus est quod plurimos crines producere solet; et favillae de triticeo aut siligineo stramine crines confortant, ne cito cadant. Et cum haec sibi contemperantur, ut praedictum est, crines hominis tanto diutius retinent ne cadant.

De capitis dolore ex melancolia.
De amentia.
De emigranea.
De capitis dolore ex stomachi fumositate.
De capitis dolore ex flegmate.
Ea quae sequuntur ad vitium pulmonis spectant.
De amentia.
De oculorum attenuatione.
De oculis griseis.
De oculis igneis.
De oculis diversi coloris.
De oculis turbulentis.
De oculis nigris.
De oculorum albugine.

[1]) Postquam in libro I de ordine creaturarum disputatum fuit, et in libro II de hominis corpore et ejus aegritudinibus, recta inde via pergitur ad morbos medicinis sanandos; ac singula medicamenta cum hac perpetua et arguta methodo ita exponuntur, ut primum aegritudinis natura, dein medicinae genus, postmodum sanationis ratio perspicue declaretur, quemadmodum statim in primo capitulo, exempli gratia, demonstratur.

De aromatibus. Nunc autem de praedictis infirmitatibus subscriptae medicinae, a Deo demonstratae, aut hominem liberabunt, aut ipse morietur, aut Deus eum liberari non vult. [2]) Nam diversae et nobiles herbae et pulvis atque condimenta nobilium herbarum inordinate comesta, sanis hominibus non proderunt, sed potius laesionem eis inferunt; ita quod sanguinem eorum arefaciunt, et carnes eorum macerant, quoniam humores illos in eis non inveniunt, in quibus vires suas exercere possunt. Nam in hominibus vires non augent, nec carnes eorum crescere faciunt, sed tantum malos humores quibus adversantur, minuunt. Sed quum ab aliquo sumuntur, hoc discrete et rationabili necessitate fiat et cum pane vel in vino vel cum alio aliquo condimento ciborum, et raro a jejuno homine accipiantur: alioquin pectus sumentis suffocant, et pulmonem ejus laedunt, ac stomachum illius incidentes debilem reddunt, quoniam absque condimento sumpta sunt. Quia sicut pulvis terrae, quem homo introrsum trahit, eum laedit, sic et ista inordinate accepta, hominem magis ad detrimentum quam ad sanitatem ducunt. Nam in cibo vel post cibum hominis, ideo praecipue accipienda sunt, quia tunc humores ciborum illorum attenuant, et hominem acceptum cibum digerere faciunt, excepto si homo hujusmodi infirmitates habet, contra quas nobiles et fortes herbas aut pretiosum pulverem jejunus accepturus sit.

LIB. IV.

[1]) *Sifac* videtur describi ab initio capituli: « Si in aliquo homine interior pellicula in qua intestina clausa sunt. » Vulgo *peritoine?* — [2]) Sic repetitur quod initio libri cum minio praefigitur. — [3]) *Corzza* ab initio capituli describitur: « Si nimius dolor prae multo fluore in naribus hominis excreverit. » — [4]) Sequitur caput sine titulo, ubi librarius tantum praefixit candide: *Nihil inveni, nihil scripsi.* — [5]) Alterum sequitur caput anepigraphum.

De ira.
De oculorum caligine ex fletu.
De risu immoderato.
De ebrietate.
Ad vomitum...
De dissinteria.
De fluxu sanguinis.
Item de fluxu sanguinis.
De emoptoïca passione.
De emorrhoidis.
Item de sanguine.
Item de emoptoïca.
Item de sanguine.
De erisipile.
Contra cancrum et ad quaelibet ulcera et ad dolorem capitis.
De scabie.
De icteritia.
De epilemptia.
De hydropisi.
De colica.
De lumbricis [1])
De pediculis.
Contra lumbricos.
De calculo.
De lepra.
Item de lepra.
De incontinentia leprae.
De gutta.
De scrofulis.
De claudicatione.
De febre acuta.
Item de febre acuta.
De quotidiana.
Ad tertianam.
Item ad tertianam.
Ad quartanas.
Contra vermem.
De calibe. [2])
De ovibus.
De equo.
De asino.
De porco.
De capra.
Item de equo et bove.
De ove.
De dolore linguae.
De pectore.
Unde agazzele? [3])

LIBER V.

De vitae signis. Cum homo sanus in corpore est, si oculos puros et pellucidos habet, cujuscumque coloris fuit, signum vitae tenet; ita si oculi ejus hoc modo pellucidi sunt, quemadmodum candida nubes est, per quam interdum velut *Weilden*, (id est) nubes apparet, et iste vivet, nec cito morietur. — *De oculis.* Nam visus animae in oculis hominis hujus potens est, cum oculi ipsius puri et pellucidi sunt, quoniam anima in corpore ejus potenter sedet, quatinus plura opera in ipso operetur. Oculi enim hominis fenestrae animae sunt.

De oculis turbidis et signo mortis.
De signis vitae.
De urinarum significationibus.
De dissuria.
De paralysi.
De malis humoribus.
De quotidiana.
Item de tertiana.
De quartana.
De signis mortis in urina.
De fluminum diversitate.
De urinae inspectione.
De terrae immobilitate et egestionis discretione.
De aquarum diversitate et balneorum.

De purgatoriis poenis. [4]) Quidam etiam inextinguibiles ignes in aere sunt, qui de diversis operibus hominum incenduntur, quoniam qui illis ad gloriam esse debebant, ex malis operibus eorum ipsis ad poenales ignes fiunt. Et ita in aliqua lo-

[1]) Sive de vermibus venenosis in homine crescentibus. — [2]) Calibs cum adamante confertur. Sequitur sine titulo capitulum *de bovibus.* — [3]) Sic dici videntur mali humores qui vertiginem et oblivionem producunt. — [4]) Facile dixeris hoc satis inexpectatum capitulum huc transmeavisse ex superiori nostro *libro Vitae meritorum,* in quo tamen non reperitur,

ca terrarum descendunt, et ibi congregantur: ubi etiam aliqua flumina oriuntur, et effluunt, quae calorem et ardorem ex eisdem ignibus contrahunt; ita quod etiam judicio Dei quaedam animae in ipsis ignibus et in ipsis aquis examinantur; et quidam rivuli ex eisdem aquis aliquando in diversas terras inter homines fluunt, qui semper calidi sunt, quia de inextinguibilibus ignibus exeunt. Sed et quaedam partes terrarum sunt, super quas Deus divina ultione aliquando ignis descendit *(sic)*, ut scriptum est: *Pluit super eos carbones ignis, et spiritus procellarum pars calicis eorum.* [1]) Et terra et montes et lapides quos ignis ille tetigit, in igne semper ardebunt usque ad novissimum diem; atque in illis locis qui sic ardent, rivuli interdum oriuntur, qui de eodem igne semper calidi sunt, et calidi fluunt. Et homines interdum arte sua ad eadem loca aliquando quosdam rivulos ducebant, ut ex eis calefierent. Qui per eadem loca fluentes, et ardorem ibi accipientes, deinde calidi effluebant. Et aquae istae homines illos qui balneis in eis utuntur, interdum non laedunt, sed eis sanitatem conferunt, quia calor earum injustum ardorem qui in illis est, compescit, et malos humores in eis consumit.

De asso balneo.
De oculorum diversitate [2]).
De cerasis et crapula ipsarum.
Quaedam de conceptu.
De elementis.
Quarum plagarum herbae, quibus curis conveniant.
De conceptionis diversitate.
Rubeus sanguis sanus.
Quare homines dormiunt post potionem et minutionem?
Contra corruam [3]).
De febrium causis

Expliciunt prophetiae sanctae Hildegardis.
Explicit iste liber. Scriptor sit crimine liber.
Amen dicant omnia.

[1]) Ps. X, 7. — [2]) Incidimus in additítia capitula. quae videntur curis posterioribus pullulasse. — [3]) Quid fere simile humori qui supra dicitur *Corzza*. Incipit enim capitulum: « Si reuma a naribus superflue effluit, fumus de ligno abietis naribus excipiatur etc. » — Favente loco vacuo, ex cod. Hafn. f. 42 aliquid addimus quod ad Antichristum et Luciferum pertinet.

De casu Luciferi. Lucifer tanta fortitudine projectus est a coelo, quod non permittitur a tartareo loco moveri. Nam si moveri posset, omnia elementa fortitudine sua immutaret, ita quod etiam firmamentum retrorsum incedere faceret, et quod solem et lunam et stellas obfuscaret, et quod aquae cursum [1]) retineret, et multa contraria in creaturis faceret. Huic adhaeret omnis turba daemonum, quorum quidam majoris fortitudinis, quidam minoris sunt. Sed quidam etiam sunt qui cum hominibus saepius conversantur, et sacra loca minus fugiunt, et etiam crucem Domini et divina officia minus abhorrent, et hi omnes cum illo in mundum machinantur. Sed ad magnitudinem illius Diabolus est fere tantae fortitudinis et potestatis et malitiae, sicut et ille est, quasi aviditas et velut voluntas ipsius. Et quia ille moveri non permittitur, in mundum quasi Phyton daemonum mittitur. Nam virtutem decipiendi per simulationem habet, et multa alia vitia, ita quod Adam in Paradiso seduxit, et dominum terrae cum nuncupavit, et flatum Luciferi in Antichistum per fortitudinem illius feret ad concipiendum eum: cujus fortitudo ad locum illum ascendet, a quo Diabolus projectus corruit, ubi zelus Domini ignis factus in nigra materia procellarum tantae fortitudinis et amaritudinis est, quod saepe in elementa [2]) exurit et scindit, et voce sua terrores emittit: ita quod Diabolus per terrorem istius vires suas aperte exercere non audet, nisi ut fur. Unde et mendax est. Iste zelus etiam in novissimo die elementa exuret, et scindet, quae est [3]) Dei vindicta.

[1]) *aquas rursum* cod. — [2]) *in elementis* cod. infra corr. — [3]) *qui est* ibi.

II.

EX HILDEGARDIS OPERIBUS

GEBENONIS PRIORIS EVERBACENSIS EXCERPTA. [1]

INCIPIT SPECULUM FUTURORUM TEMPORUM.

I.

Honorabilibus semper in Christo diligendis, Magistro Remundo scolastico, et Magistro Reinero, canonicis sancti Stephani in Maguntia, frater Gebeno, dictus prior in Everbach, si quid potest peccatoris oratio.

Sancta virgo Hildegardis, fundatrix et magistra monasterii sancti Ruperti, quod situm est apud Pinguiam, quantae sanctitatis, quantique meriti fuerit apud Deum et apud homines, charitatem vestram latere non credo. Sed si forsitan ignoratis, legite libellum vitae ejus; legite diversas epistolas magnatum terrae ad eam transmissas, trium videlicet apostolicorum Eugenii, Anastasii et Adriani, Conradi quoque regis, Friderici imperatoris, patriarchae Hierosolymitani, archiepiscoporum, episcoporum, abbatum, praepositorum: et tunc in veritate dicere poteritis: Magnificavit eam Dominus in conspectu regum, [2] et facies principis admirata est eam.

Haec beata libros quosdam, Deo jubente, immo cogente, scripsit: in quibus quaedam valde utilia et nostris temporibus necessaria de praesenti statu Ecclesiae et de futuris temporibus usque ad Antichristum, et de ipso Antichristo prophetavit. Sed quia omnes libros ejus pauci habere possunt, vel legere ea quae de futuris temporibus et de Antichristo in tribus libris suis, libro scilicet *Scivias*, libro *Divinorum operum*, libro epistolarum, prophetavit, in hunc unum libellum maxima ex parte collegi, et prout melius potui, in quinque tempora ordinavi. Quae quinque tempora qui diligenter legere et studiose distinguere voluerit, et praesentem [3] miserum statum Ecclesiae, et omnia futura pericula, et adventum Antichristi quasi in quodam speculo pervidebit.

Unde si placet vobis, vocetur ipse liber *Speculum futurorum temporum*, sive *Pentachronon* sanctae Hildegardis, hoc est de quinque temporibus, quia in eo prophetat de quinque temporibus. *Penta* enim *quinque* sonat, *chronos* vero *tempus*...

[1] Innumeri sunt codd. Gebenonis in varias Europae bibliothecas sparsi, in quos saepenumero incidi, aliud agens, nec moratus, quum fere omnia quae ibi ad Hildegardem spectant, fuisse dudum edita animadvertissem. Hactenus tamen quod sciam, Gebeno nondum ad typos accessit, nec diligenter a quocumque excussus est, neque tamen ab Hildegardis editoribus omnino negligendus. Huc igitur accedat ex optimo cod. Caesareo 628 f. 1 ad 32, membran. XIII saec. incipientis. Cf. *Catal. Dionys.* supra laud. — [2] Eccli. XLV, 3. — [3] Mox Gebenno notat se scribere a. 1220; qualia vero sint *quinque tempora*, nullibi Gebeno notavit liquido.

II.

Incipit Prologus.

De Antichristo nostris temporibus diversi diversa proponentes, frivola quaedam non per Dei Spiritum, sed de suo corde prophetarunt: aliis affirmantibus eum de proximo nasciturum, aliis jam conceptum, nonnullis vero dicentibus eumdem jam esse natum. Audivi, fateor, quam plures his curis occupatos. Infra triennium enim quidam abbas nomine Joannis, homo religiosus et in divina pagina satis eruditus, de Calabriae partibus veniens, [1]) in claustro nostro duabus heldomadibus et eo amplius demoratus, mihi quasi familiari suo secretius retulit, Antichristum jam in proximo nasciturum. Cumque sollicite percunctarer hoc a quo percepisset: « Solitarius, inquit, magni nominis in partibus nostris Cardinali cuidam id aperuit, signoque manifesto comprobavit. Cardinalis autem mihi tamquam amico praecordiali haec eadem intimavit. » Haec ille. Nec multo post alius quidam satis et ipse religiosus et litteratus, me et aliis audientibus, quod jam natus esset, constanter affirmabat, testificans per Spiritum Dei esse virgini cuidam inclusae revelatum.

Igitur ad confutandos et convincendos hujusmodi pseudo-prophetas, libellum hunc compilavi; maxime autem propter correctionem et emendationem claustralium et cleri eum descripsi, quia juxta prophetiam beatae virginis, gravissimi schismatis laqueus et confusionis in fine illius primi temporis super omnem clerum et ordinem ecclesiasticum extenderetur, ita ut de patria et locis suis expellantur, ubi Dei clementiam ad misericordiam ardore sacrae devotionis studeant revocare. Sciendum autem est, quod in hoc anno, qui est M. CC. XX ab incarnatione Domini, de tempore primo evoluti sunt anni C. XX. Initium enim primi temporis fuit circa a. MC. Sciendum etiam quod nisi quatuor tempora completa fuerint, de quibus in hoc libello prophetatur, quintum tempus, quod est Antichristi, non potest evenire. [2]) Praeterea sciendum quod libri sanctae Hildegardis recepti et canonizati sunt a papa Eugenio [3]) in concilio Trevirensi, praesentibus multis episcopis tam Francorum quam Teutonicorum, et sancto Bernardo abbate Clarevallensi. In hoc autem libello non omnia posui, quae in libris ejus de futuris scripta sunt, sed ea quae huic operi et isti tempori congruere putavi, immo quae Deus inspiravit. Nos enim et sermones nostri, sicut dicit Scriptura, in manu Domini sumus. Ipsi honor et gloria in saecula saeculorum.

III.

De eo quod S. Hildegardis obscure et inusitato stylo loquitur.

Libros S. Hildegardis plerique legere fastidiunt et abhorrent, pro eo quod ob-

[1]) Statim respicitur ad famigeratum Joachim Florensem, quem hujusce Joannis magistrum fuisse verosimile est, neque Gebenoni ignotum, ut infra notare est. — [2]) In hisce Gebeno vix sibi constat, et infra alia praescribit VII tempora.—[3]) Eugenio pp. oblata fuit tantummodo nonnulla pars libri *Scivias*. Diu post ejus obitum caetera opera prodierunt.

scure et inusitato stylo loquitur, non intelligentes quod hoc est argumentum verae prophetiae. Omnes enim prophetae obscure loqui quasi in usu habent. Unde est illud in psalmo: *Tenebrosa aqua in nubibus aeris,* [1]) id est obscura scientia in prophetis. Quod autem inusitato stylo loquitur, et hoc quoque argumentum est veri digiti Dei, id est Spiritus Sancti, teste apostolo Petro qui in II epist. sua dicit: *Hoc primum intelligentes, quod omnis prophetia propria inspiratione non fit: non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati locuti sunt Dei homines.* [2]) Quod Glosa sic exponit. [3])...

LIBER I.

Incipit prophetia sanctae Hildegardis de quinque temporibus quae coeperunt a. Domini MC, secundum quod dicit in quodam loco:

Post incarnationem, inquit, anno MC, doctrina apostolorum et ardens justitia quam in Christianis et spiritualibus constituerat, tardare coepit, et in haesitationem vertebatur. »

Vidi ad Aquilonem... et ille moritur... — in libro *Scivias* p. III. vis. XI. (col. 709-711. A. C.) Item de libro alio qui vocatur *Divinorum operum.* Hic diffusius quasi exponendo loquitur quod in priori libro sub brevitate dixerat... Observa, lector, quod istud primum tempus coepit a. MC, et durabit usque ad magnum schisma, quando episcopi et omnis clerus expelletur de locis et civitatibus suis.

Dies istos... edita sunt. — In libro *Divinorum operum* p. III, vis. X. (col. 1017-1037, usque in libri finem.)

Item de Antichristo ex libro *Scivias*: Infamis homicida... dejecti sunt. (p. III. vis. XI. — col. 716. a n. 26. ad 722. n. 41.) *Explicit liber primus.*

Incipit prologus in librum II.

Praecedentem libellum qui tractat de quinque temporibus, de duobus libris S. Hildegardis, libro scilicet *Scivias* et libro *Divinorum operum* excerpsi. Sequentem vero compilavi partim ex libro *Divinorum operum,* partim de libro epistolarum, de quo nihil in priori libro posui. Tractat autem iste secundus liber de tepido et perverso statu primi temporis, quod significatur per canem igneum, sed non ardentem. Item ex libro *Divinorum operum* de variis perversitatibus primi temporis, et quod coepit a. incarnationis Domini MC, et de sanctitate et fortitudine praecedentium temporum.

Spiritus Sanctus uterum virginis fecundavit.... et scissas demonstrabit. *Divinorum operum* p. III. vis. X. (col. 1006. C. ad 1007. D.)

Sed ipsa faciem velut solis..... sublimantur. (col. 1012 D col. 1013 A).

Justitia itaque... poenitentiam agant. (col. 1013 B ad 1015 A).

Item verba S. Hildegardis ex vita S. Ruperti, quod istud primum tempus vilissimum tempus sit, et quod ad illa prima et sancta tempora respicere

[1]) Ps XVII, 12.— [2]) II Petr. I, 11.— [3]) Adducta Glosa Walafridi, pergit cum una Hildegardis epistola ad Arnoldum Moguntinum. *Patrol.* CXCVII, col. 157 D ep. VI, et altera ad archiepiscopum Coloniensem Arnoldum, ep. XI, ibid. col. 104 C, D.

debeamus ut salvemur. Tempus pressurae et destructionis... videret. (vide supra p. 356 in fine ad 357).

Ex epistola S. Hildegardis ad Colonienses de futura tribulatione. De vivente luce audivi vocem dicentem: O filia Sion... persistent. Ad epist. XLVIII responsum (col. 249 B ad 252 A).

Ex epistola ad Treverenses. O filia Sion.... discutiat. Ad epist. XLIX resp. (col. 256 C ad 257 C).

Ex epistola ad Conradum. regem. Tu in quadam parte... non erubescas. Ad epist. XXVI resp. (col. 185 C, 186 A).

Ex hac visione scire poteris quare tribulationes istae eveniant. In lecto aegritudinis.... infundat. Ad epist. LII respons, (col. 269-271).

Ex epistola S. Hild. Heu! heu! hoc tempus... effundunt. (vide infra).

Per planetas spiritales signantur. Praefati autem planetae... veniet. Vide supra p. 355 n. V.

Item ex epistolis ejusdem. O filiae meae, audite... excribrabit. (supra p. 362, 363).

Ex epistola ad Eugenium Papam: Nunc dicit tibi... apparet. Ad epist. I. resp. (col. 146 B).

Ex epistola ad Anastasium Papam. Omnis terra turbabitur..... diversarum iniquitatum. Ad epist. II. resp. (col. 152. A).

Item ex quadam epistola. Nunc sunt tempora... invenias et vives. Ad epist. LXII. resp. (col. 283 A).

Item visio ejusdem. Mense Julio..... deludere coepit. (vide supra p. 352, 353).

Ex libro epistolarum de conversis. Per vitulum et leonem monachi et clerici designati sunt. Haec duo genera... corruerunt. Ad epist. LI resp. (col. 263 D, 264 A, et 264 C, ad 266 A).

Ex libro Scivias *de conversis*. Sicut in tribus personis..... temere rapuisti. Lib. II vis. V (col. 490 C ad 493 C).

Hidegardis honorandae... Epist. CXLIV (col. 380).

Ego fons vivus ... Ad epist. CXLIV resp. (col. 381 et uti supra p. 334, 335).

Epistola G. prioris de Everbach ad filias S. Hildegardis. Venerabili N. priorissae (vid. infra).

Item de iisdem haereticis ex Apocalypsi et de VI temporibus a praedicatione Christi ad finem mundi. Sanctus Joannes in Apocalypsi (Vid. infra p. 487).

Ista dabuntur indicia ante schisma illud sub quo episcopi et clerici de locis suis expellentur. Ex libro *Divinorum operum* cap. IX secundae partis. Cum peccata... variabuntur, p. II vis. V. n. 9. (col- 910 C).

I

Ex epistola sanctae Hildegardis.

Heu! heu! hoc tempus nec frigidum, nec calidum est, sed squalidum. Post haec tempus veniet, quod in magnis periculis et in timore, in justitia et ferocitate virorum viriles vires proferet. Deinde error errantium errorum flabit, sicut quatuor venti qui in magnis periculis famam suam effundunt.

II

Epistola G. prioris de Everbach ad filias sanctae Hildegardis.

Venerabili Dominae N. priorissae de sancto Ruperto, una cum sororibus ibidem Christo servientibus, Gebeno dictus prior in Everbach licet indignus, inter choros virginum sequi Agnum quocumque ierit.

Nuper quum essem apud vos, et libellum illum in manibus haberemus, et de ipso colloqueremur, quem de quinque futuris temporibus ex libris sanctae matris vestrae compilavi, una ex vobis verba illa S. Hildegardis, quae loquitur in fine *Divinorum operum*, videlicet: « Nullus hominum.... deleatur (col. 1038 C) se-

mel et iterum legere, vobis audientibus coepit, me ex obliquo, ut puto, reprehendens, tanquam transgressorem verborum illorum. Certe S. Joannes in Apocalypsi circa finem libri similia imprecatur, dicens: *Contestor omni audienti verba prophetiae hujus: si quis apposuerit ad haec etc.* (Apoc. XXII, 18.) Numquid ergo omnes expositores Apocalypsis deleti sunt de libro vitae, qui utique multa exponendo apposuerunt? Absit, sed laboris sui aeternam mercedem eos credimus recepisse. Dicit autem Glosa super eumdem locum, propter haereticos dictum, ne per pravitatem aliquid superaddere auderent aut demere, sicut Arius auferre conatus est de libro Evangelii: *Ego et Pater unum sumus...* [1]) Etiam S. Hildegardis in libro *Scivias* ita dicit: « Benedictionis coelestis rore repleatur, qui hanc prophetiam amplexus fuerit, et qui eam in corde suo tenuerit; atque qui eam in vias planas produxerit. [2]) » Quod dicit: « Qui eam in v. p. p. » nihil aliud est, nisi qui eam explanaverit, hoc est exposuerit sive elucidaverit...

Praeterea monuistis ut de illis haereticis aliqua specialiter scriberem, de quibus prophetat, et praemonuit nos in epistola ad Colonienses beata mater vestra... *(Inde per sex columnas excurrit in Catharos.)* Ex quo Christiani esse coeperunt, numquam in terra tanta claustra visa sunt. Ab anno praesenti qui est MCCXX, infra centum et XXX annos omnia claustra Cisterciensis ordinis et Praemonstratensis aedificata sunt, praeterea multa de nigro ordine et regularium et clericorum et inclusis plenam reperient terram. Sed post eos (haereticos) erit solitudo deserti, quia eorum suasione et machinatione multa claustra destruentur, et multae et spiritales, sicut praedixit sancta Hildegardis virgo, in parvum numerum redigentur.

III

Item de eisdem haereticis ex Apocalypsi et de VII temporibus a praedicatione Christi ad finem saeculi.

Sanctus Joannes in Apocalypsi de lacrymabili tempore istorum et de nefandissima vita eorum dicit: *Et quintus angelus. (Apoc.* IX 1 — 11.)

Quem locum interpretatur Gebeno, continuo respiciens epistolam Hildegardis ad Colonienses, septemque tubas asserit esse septem Ecclesiae tempora, quorum primum est praedicatio Christi ad Judaeos, secundum conversio gentium, tertium profligatio haereticorum a Constantino ad saeculum MC, quartum aetas ipsius auctoris, quintum futura Catharorum colluvies; silet vero prudenter de VI et VII postremis temporibus. Sat erit pauca rescribere quae referuntur ad Gebenonis aevum.

Quid sibi vult, quod beatus Joannes in hoc quarto tempore vidit et audivit vocem unius aquilae volantis per medium coelum, dicentis voce magna: *Vae, vae, vae habitantibus in terra, de caeteris vocibus trium angelorum qui erant tuba canituri?* [3]) Numquid aliquis sanctorum in hoc quarto tempore floruit in Ecclesia, quem aquilae merito possumus comparare, qui adhuc tuba canituri sunt, id est

[1]) Joan. X, 30. — [2]) *Scivias* lib. III. vis. XIII, (col. 738 C) — [3]) Apocal. VIII, 13.

tres plagas trium futurorum temporum, quinti temporis et sexti et septimi praedixerit? Quamvis quartum istud tempus vile et miserum sit tempus, tamen aliquos sanctorum invenimus, qui in eo floruerunt, qui aquilae non inconvenienter comparantur: sicut verbi gratia, in Francia sanctus Bernardus Clarevallis abbas, magister Hugo et magister Richardus de S Victore; in Anglia sanctus Thomas episcopus et martyr, et in eadem terra venerabilis abbas Rievallis [1]); in Calabria abbas Joachim, Florensis coenobii fundator, qui etiam spiritum prophetiae habuisse dicitur, et plures alii, quos enumerare longum est. Sed ubi aliquis eorum tria vae praedixerit, scire non possum. Oportet ergo et necesse est ut sanctam Hildegardem hic intelligamus. Ipsa enim in quarto isto tempore floruit, et ipsa tria vae adhuc futura in libro qui vocatur *Divinorum operum* praedixit; et ipsa aquilae volanti convenientissime comparatur. Sicut enim S. Joannes in figura quatuor animalium aquilae volanti comparatur, pro eo quod caeteris sublimius potentiam Divinitatis contemplans, cum Domino quodammodo ad coelum volavit, et quia arcana et secreta sua ei Deus plus caeteris revelavit, ita et haec beata virgo merito et recte comparatur volanti aquilae. Evangelium enim: *In principio erat Verbum*, quod Joannes sublimius volando edidit, hoc ista sublimiter volans mirabiliter exposuit. [2]) Sanctus Joannes Apocalypsim in Patmos insula relegatus descripsit; ita haec magnis infirmitatibus semper ligata, omnes libros suos per Apocalypsim, hoc est per revelationem edidit. Sanctus Joannes, virgo et electus a Domino; haec quoque virgo electa est a Deo. Nam cum fere octennis esset, a parentibus est Deo oblata, et ab ipsa infantia sua, sicut libri ejus testantur, semper in contemplatione et in visione Dei fuit, et ideo recte volanti aquilae comparatur. Dixit autem voce magna: *Vae, vae, vae habitantibus in terra, de caeteris vocibus trium angelorum qui erant tuba canituri*, quia tres plagas trium adhuc futurorum temporum, id est quinti, sexti et septimi, in libro *Divinorum operum* ita manifeste praedixit, ut possit credi potius narrare praeterita quam praedicere futura....

In fine. Relinquo duo reliqua tempora, sextum et septimum. Scio enim, etiam vere scio quod caeteri multo melius et multo verius exponent ea quam ego. Praeterea relinquo arbitrio et judicio eorum haec eadem quae composita sunt a me vel compilata ex libris S. Hildegardis, ut radant quae radenda judicaverint. et ordinent melius, si quae minus bene ordinata sint. Si autem bene et authentice a me dictum et scriptum est, gloria sit non mihi, sed omnipotenti Deo, qui ex ore lactentium et infantium, hoc est, illiteratorum et simplicium, perficit suam laudem. [3]) Ipsi laus et imperium per immortalia saecula saeculorum. Amen.

[1]) Dubio procul laudatur B. Aelredus, a. 1150-1166 abbas Riedvallensis in dioecesi Eboracensi, Cf: *Acta* SS. t. I p. 748. Fabric. *Bibl. lat. med.* t. I p. 15 Mansi. — [2]) Alludere videtur *expositioni evangelicorum*, uti supra p. 249 — [3]) Ps. VIII, 2.

III.

VITA S. RUPERTI

Monitum. Nondum ad me pervenerat codex Vindobonensis 628, quum typis mandari oportuit tam prooemia ad vitam S. Disibodi p. 352, quam epilogum vitae S. Ruperti p. 358, aut etiam carmina quae paulo ante extant p. 441. Vix autem evolvi codicem Caesareum, quum mihi subiit singulare aliquod et inexpectatum; videlicet in vita S. Ruperti non solum haec tria quae modo recensui, simul concurrere, gravissimis distincta varietatibus, novisque aucta incrementis, sed huc interjecta multiplici et immensa interpolatione, totum eadem congerie contineri commentarium in symbolum S. Athanasii nuncupatum; ut quae prooemia dedi vitae S. Disibodi ex fide codicis Wisbadensis, partim videantur praefixa exposito symbolo, partim rejiciantur in epilogum vitae sancti Ruperti. Nostri omnino instituti est, opus illud spissum et varium discriminatim recensere, novas et necessarias colligere lectiones, auctaria plus minus copiosa non negligere, seposita ob gravitatem argumenti symboli Athanasiani explanatione, cujus rarissima sunt mss. apographa. Suspicari lubet duo exemplaria ab ipsa Hildegarde proficisci, unum monachis, alterum monialibus traditum, cum in prooemio explanationis symboli et in epilogo vitae S. Ruperti diserte moniales appellentur, potius vero monachos respicere videantur prooemia, quae ad vitam S. Disibodi sese referebant: duplici ex capite tum quia in cod. Caesareo hisce praemittitur epistola abbatis Helingeri [1]) eamdem vitam requirentis, tum quia in codice Wisbadensi praefata prolegomena aperte ducunt ad exordium vitae requisitae, qualis etiam nunc vulgatur.

§. I.

Prooemia.

Cod. f. 145 col. 1. « Epistola S. Hildegardis ad eumdem abbatem (scilicet Heligerum) » Cum creaturae per jussionem Dei... *p. 352 lin. 5.* Ignis vero flammam habet...

lin. 9. om Quapropter et omnis creatura laus Dei est.

lin. 15. Et quoniam opera Dei...

lin. 18. nulla adversitas cadentium...

lin. 19, 20. facturus esset... perducere posset...

p. 353, lin. 1. Cum enim Deus hominem plasmasset...

lin. 6. usque ad Noe omnes...

lin. 7. jussu Dei...

lin. 9. magnum opus obedientiae fecerat...

lin. 17. quasi duae planetae incarnationis Filii Dei...

lin. 19. Moyses vero opera...

lin. 22. quando Virgo unicornem cepit...

lin. 23. in qua opus...

lin. 24. audito verbo serpentis...

lin. ult. omnino ut Wisb. sepultus est...

p. 354 lin. 3. si bona elegerit...

lin. 4. illi insidias ponit...

lin. 6. nec vox rationaliter...

lin. 19. et in meliora, *uti in nota recte conjicitur.*

lin. 20, post verba sapientiam et veritatem docebat, *in plena et continua verborum serie, eodem fol. 145 col. 4, fit saltus ad commentarium*

[1]) Cf. Patrol. col. 381 epist. CXLV, cujus ad calcem Martenius notavit: « Responsum ad hanc epistolam exstat inter editas S. Hildegardis epistolas, sed et vita S. Disibodi ab ipsa composita occurrit apud Surium 8 Julii ». At primum editas inter litteras tantum legitur Hildegardis responsum ad aliam Helingeri epistolam, num. XXXIX; dein quae in codice nostro sequitur *epistola sanctae ad eumdem abbatem,* nihil commune habet cum praecedenti epistola ejusdem Helingeri, cui tantum respondet vita S. Disibodi in cod. fol. 161.

symboli Athanasiani, sed omisso editorum exordio, usque ad verba col. 1067 C: Per has duas virtutes, scilicet sapientiam et charitatem, angeli et homines Deo in humilitate obtemperabant, quoniam humilitas... *Inde codex et editi uno pede pergunt:* ad honorem Dei frequenter se inclinat. *Quae in codice nostro aptius cohaerent quam in editis, ubi fere totum omittitur prooemium. Post commentarium penitus absolutum cum varietatibus infra referendis, codex in fol. 151 col. 1, transit cum perspicuo et rubro titulo ad vitam S. Ruperti, juxta edita col. 1080 D et 1082 A, ab hisce verbis:* Nam ut in vera visione video, beatus patronus noster Robertus...

§. II.

Vita S. Ruperti. [1])

Col. 1083. lin. 1. Beatum Růppertum *sic nomen constanter. Vita igitur in cod. incipit:* Nam ut in vera visione etc. *scilicet ut legitur ad calcem* explanationis Symboli *col. 1080 D, haud sine mendis quae tolluntur in repetitione eorumdem* col. 1083.

lin. 6. cum matre vidua...

lin. 20. Pater ergo matris B. Rupperti de Lothringun. . *Sic bis in cod. nullibi autem* de Lotharingia...

col. 1084, lin. 5. Robolao dicto, *ita semper*...

lin. 8. circa Rhenum in Pinguis...

lin. ult. in monte illo qui Lubŏn dicitur...

col. 1085 n. 3 lin. 3. super Nauam...

lin. 16. timebat, quia puer erat, quod...

col. 1089. lin. 4-7. ubi Naua... Sellam... Wisa... Apfla... [2])

lin. 11. per sylvam Sau.

§. III.

Auctaria [3])

Spiritus Sanctus enim, qui Jacob patriarcham in utero matris suae gratia sua perfuderat, infantem etiam istum (Rupertum) inspiravit, quia Deus miracula sua saepius in iis etiam facit, qui prae mollitie venarum ac medullarum plenam scientiam nondum babent; quemadmodum granum frumenti, quod per molendinum in farinam spargitur, antequam coqui et comedi possit, aqua temperatur. Deus namque memor primae creationis in Adam, non dedignatur, quin spiraculum vitae in coagulationem quae propter peccata immunda est, mittat; et quamvis per spumationem suggestionis Diaboli coagulatio haec tortuosa sit, et de munda plasmatione primi hominis in hanc immundam coagulationem vipereorum morum mutata, Deus tamen ipsam per spiraculum vitae intelligibilem facit. Et quidam homines sic nati, magis in malignitate quam in dulcedine carnis sibi quod eligunt, attrahunt, et a bona scientia quasi a fetore fugiunt; quidam autem magis in gustu carnis quam in malignitate peccata diligunt; quidam vero tam malignitatem quam delectationem in peccatis fugientes, ad bonam scientiam se convertunt; sed qui in malignitate malitiam suam perficiunt, Diabolo, qui claritatem gloriosi honoris sui videns, in se ipsum confisus, Deum agnoscere noluit, similes sunt. Quapropter multi ex his peribunt; sed qui magis ex gustu carnis quam ex malignitate ad

[1]) cod. fol. 151-152. cf. Bolland. *Acta* Maii t. III die XV p. 303. *Patrol.* l. l. col. 1083-1094. Varietates tantum dantur quae ad historiam spectant, praeter quaedam auctaria. — [2]) Quae nomina vulgo sunt *Selss, Wijs, Apfel* etc. cf. Boll. — [3]) Cod. fol. 152 col. 1.

peccata constringuntur, peccatores vocantur. Ex quibus tamen Deus plurimos eligens, columnas coeli statuit, cum superfluitatem peccatorum poenitendo et emendando erubescunt. Qui vero per spiraculum vitae se intelligibiles sentiunt, et ad bonam scientiam se inclinantes malam fugiunt, hi terreno saeculo alienati, mente in coelo sunt, ac angelis associantur. Praedictaque coagulatio ex terreno corpore sudans etiam secundum modum terrae est, quia terra quaedam tantae duritiae est, quod per nullum laborem fructum proferre potest; quaedam vero duris laboribus culta vix aliquos fructus profert; quaedam autem tam mollis et humida est, quod aratro facile eversa, plurimum fructum affert. Et quoniam homo per intellectum quod sibi suave vel amarum sit, intelligit, si in bona scientia opus refectionis elegerit, Spiritus Sanctus viriditatem, ut idem opus perficiat, ei donabit. Si vero mortem in peccatis apprehenderit, primus deceptor, qui in primo ortu illius peccatum succendebat, mortem ipsius afflat. Et sicut Spiritus Sanctus viriditatem coelestis desiderii illud diligentibus confert, et ut aratro poenitentiae multos peccatores convertit, quatenus ad coeleste regnum perveniant; ita etiam malignus spiritus perniciosa mala ea diligentibus inflat, ipsosque multotiens ad desperationem inducit, quatenus tartareis locis immergantur. In omnibus his homo mercedem quam quaerit, accipit; ita ut si vitam a Deo quaerit, illa ei donabitur; si autem ad mortifera respicit, mortem per sufflatum Diaboli recipit. Homo autem sensualitatem et intellectum in omnibus operibus suis habet, et terram fodere ac semen super illam seminare potest, quod tamen in terra mortuum sine fructu jaceret, si Deus illud non vivificaret. In plena etenim etc. edd. col. 1086.

II. Quidam autem [1]) in conviviis peccatorum semper convivantes, Deo interdum secundum voluntatem suam promittunt quod quandoque a peccatis resipiscere velint, et iam in hoc Diabolus multotiens eos decipit: ita quod postmodum in lascivia plus peccant, quam si votum istud in animo suo non haberent, quia tempus peccandi et tempus peccata relinquendi sibi constituunt. Hi namque tempus quo peccare desistant, in moribus suis disponunt, ac interim graviora peccata quam prius peccaverint, committunt, ac sic proprietatem voluptatis suae pro Deo habent; et in suavitate ista per Diabolum decipiuntur, cum eis infundit quod omnia quae desiderant, secundum voluntates suas faciant, quoniam per breve tempus illas habituri sunt. Istos Spiritus Dei praeviderat, ubi dicebat, quoniam *omnes dii gentium daemonia,* [2]) quia sicut gentes formam quam manibus suis faciunt, deum vocant, sic et isti voluntatem suam deum constituunt, quum sibimetipsis proponunt facere posse quod volunt, ut etiam antiquus serpens dicebat: *In quacumque die comederitis, eritis sicut dii;* [3]) quoniam in seipso computabat, quod homo perficere posset quidquid per gustum carnis in desiderio suo haberet. Sic quoque cum gloriosum honorem suum inspexit, in semetipso aestimavit, quod perficere posset quod voluit. Et quia Deus perversitatem voluntatis ejus contrivit, idcirco ipse Deum ac omnia opera et dona ejus odio habet. In isto autem odio omnino obcoecatus est, ita quod veraciter scire non valet quod hominem amplius laedere non potest, nisi quantum Deus illum permittit. Et in hac eadem coecitate miracula humanitatis Filii Dei pleniter non cognoscit; sed ea in dubio habet, quoniam

[1]) Cod. fol. 153, col. 4. — [2]) Ps. XCV, 5. — [3]) Gen. III, 5.

Deus qui ipsum in infernum projecit, non vult ut illa sciat. Omnes itaque voluptates carnis hominis et saevissimae nequitiae Diaboli in dispersionem convertentur, sicut stipula ante faciem venti; quia ut calor venti quaeque leviora in creaturis arefacit et dispergit, ita et aspectus Dei omnia mala ad nihilum redigit. Sed et homines, cum per nequitiam Diaboli ad voluptatem carnis succenduntur, quasi faciem sibi creant, de qua dicitur: *Imple facies eorum ignominia,* [1]) quoniam plenitudine sordium voluntates eorum saturantur, in quibus etiam ignominiose deteguntur; quia cum in semetipsis operantur quod in delectatione carnis sibi eligunt, ignominia cadentis Satanae contaminantur. Et quoniam sine timore velut dii sunt, in delectatione carnis suae operari volunt in operatione malorum; in quibus stare contendunt, ignominiose dissipabuntur. Igitur quidquid homo sine Deo operatur, pro nihilo computatur, et unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem ab illo qui eum creavit. Deus autem in dilecto suo Ruperto stipulam vento agitatam non invenit, quia quidquid idem sanctus de inspiratione Spiritus Sancti accepit, ipso adjuvante, festinanter complevit, quoniam tempora proprietatis suae sibi non proposuit. Denique mater beati juvenis hujus Ruperti etc.

Coetera inde usque ad terminum vitae S. Ruperti, ut jacent in editis, sine ulla fere varietate pergunt in codice Caesareo, donec occurrant sequentia.

§. IV.

Epilogus vitae S. Ruperti.

Absoluta autem vita ejusdem beati, iterum sine praevio titulo, absque ullo intervallo, in media ultima columna fol. 154, ex abrupto ordiuntur ea quae supra p. 358 epilogum ***inscripsimus. In eum rursus incidere eo magis placuit, quod integrum ejus et perspicuum apographum ex codice Visbadensi ad me non pervenerat. quodque Hildegardis cantica magna ex parte in hoc epilogo poetico nova et accurata scriptura recensentur; unde non temnenda varietatum et correctionum mantissa statim subjicienda est. Incipit ut supra p. 358;*** Et quia beatus Rupertus...

lin. 3, 4. O Jerusalem... ***inter carmina n. LXIV.***

p. 455. n. LXIV lin. 10. adde: Quae dum in alia vinea plantatae essent, ibi tulit eas Spiritus Sanctus, et ibi eas nobiliter in ministerio suo conjunxit. *Cod. fol. 155.*

lin. 17. et in adolescentia...

lin. 20. torrentium lapidibus...

lin. 27. et tu, o Rupperte...

p. 358, lin. 10. quod abyssum tetigit...

lin. 11. humanum ea potestate...

lin. 14. Tunc Deus fecit...

p. 359. lin. 1. pisces adsunt homini...

lin. 6. voluit Deus homini conjungi...

lin. 7. Vivens dicit...

lin. 8. quod deinde sequetur...

lin. 9. surge et require...

lin. 13, 14. ita quod in medio... quod omnia

lin. 21. ita quod... ***sic constanter sine subjunctivo.***

p. 360 lin. 3. Oy! oy! De limo terrae omnia miracula... ita quod novus... ***mutatis verbis sequentibus...***

lin. 6. Virgo Maria, quae omne genus humanum coronavit, ita quod Diabolus ammodo...

lin. 18. n. LXVII...

lin. 20. defendere dignare... *Cod. fol. 156. Ante lineam sequentem inseratur om.* ***canticum:*** O pater omnium *(inter cantica n. LXVIII).*

lin. 30. Unde o. hom. gaudeant... crimina s. plangant...

p. 361, lin. 5. O, o infelix terra...

p. 449. in cant. L. caldemya stigmatum... loiffolum...

[1]) Ps. LXXXII, 17.

p. 442 in cant. VII. unge tuos de vulneribus suis *(sic)... In cant. VI.* omnes creaturae creatae sunt; nunc, Pater, *etc. ut p. 361, lin. 15, 16.*

Ibid. lin. 16. clamans quod poenitentiam de malis...

p. 362. lin. 7. ad erigendum eos...

lin. 9, 11. Canticor. n. LVII, LV. *Cod.* f. 157.

p. 457 lin. 8. in cant. LV. Et te verbo suo auream materiam... fecit.

p. 362 lin. 26. aemulationem doleo...

lin. 32. ad te in fide aspexerunt...

lin. 33, 34. O tu ignis... cant. LII.

lin. 36. Cant.. LIII.

p. 450 in cant. LII lin. 8. Post omnium *om. interposita usque ad* quos divina vis.

lin. 12. quod penetrasti...

lin. 13. omnes juste componis...

p. 363 lin. 1. nullam partem ullius fuscationis habente...

lin. 4. qui cadit...

lin. 34. fideles suos... *cod. fol. 158.*

p. 364 lin. 4. omnino sic tabesces...

lin. 12. haec abstulisti in forma primae costae.

lin. 18. Cant. LVI.

lin. 20, 21. O Virgo mediatrix... Cant. LIV.

p. 452 in cant. LVI. lin. 1. quia calor...

lin. 9. gaudium m. epulantibus...

p. 443 in cant. XVII, lin. 3. quem implevit Spiritus Dei.

p. 365, lin. 11. montem turritum...

lin. 14. velocis criminis...

lin. 24. ubi ligati erant...

lin. 27. propter proprias causas vestras, ut non deficiatis propter fallacem tyrannum. Et inter... *post ultimam lin. p. 365 codex Vindob. Addit in fol. 159 col. 1.* Nam in principio omnes creaturae... *usque ad* manum porrigat, etc. *omnino ut supra p. 465.*

Ibid. lin. 4. quod per convivia...

lin. 5. per contritionem mentis...

lin 8. super illam afferatis. .

lin. 12. quia non in hortum...

lin. 17. per ingluviem...

p. 367, lin. 22. vos coaptavi...

lin. 30. pinguedinem peccatorum...

lin. 31. desponsationis meae...

lin. 34, 35. ita quod... vidit... sensit...

p. 368, lin. 7. Nunc ergo, o filiae meae, ante cincturam...

lin. 8. Et qui vestem meam divisit...

lin. 9, 10. Surgite. O vae genti...

lin. 14. Agni abstersisti...

lin. 19. Currite. Sed aetas virginum etc. *Ex integro in cod. fol. 160, recurrit quod supra p. 354 ex cod. Wisbadensi prooemiis ad vitam S. Ruperti dedimus. nec sane liquet quis locus sit opportunior. Sed notandae varietates:*

p. 355 lin. 4. quo istud prolatum fuit...

lin. 7. quod in omnibus ordinationibus suis nullus defectus sit...

lin. 11. in tenebrosum lacum...

lin. 16. ita quod omnis justitia...

lin. 18. faciens ut aliud tempus...

lin. 24. populum charitatem...

lin. 26. rigori conversationis suae inflexibiliter instantes. Primi enim velut...

lin. 29. ac in lumine...

lin. 30. in amore Dei ardebant...

lin. 31. in populo erat...

lin. 32. tunc eos populos multi velut...

lin. 34. in charitate ad populum dilataverunt...

lin. 36. unde et ab omnibus...

p. 356, lin. 3. super ignem bonorum operum istorum...

lin. 4. ita quod vix inde cernitur, et ideo...

lin. 7. qui est disciplina...

lin. 8. ad mores saecularium declinabant...

lin. 10. coelum enim in laude...

lin. 15. conversationis suae...

lin. 23. quoniam illi ardentem solem in eis non vident.

lin. 26. simili pede anetis...

lin. 28. qui cum coram inimicis...

lin. 31. et regulae praecepta; inimici enim nostri sunt inobedientia et regulae praeceptorum negligentia...

p. 357. lin. 4. ad primam auroram aspiciat, et qui saeculum pro Dei amore tunc relinquunt, ad Deum ambulabunt, ac sic... *cod. fol. 161.*

lin, 21. ea loco vestro...

lin. 25. ne duobus pedibus inter vos ambulet...

lin. 29. plenis operibus feceritis.

lin. 31. vobis aderunt. *Sic in fol. 161 col. 1 rumpitur caesim auctus epilogus cum vita S. Ruperti, ac sequitur cum rubro suo titulo* Vita S. Disibodi, *cujus initium est id ipsum quod nobis p. 357 ex cod. Wisb. supererat:* In mystica visione, ut Deus etc. — *Adde quod in eodem Vindob. fol. 22, inter Gebenonis excerpta, locus brevis recipitur et asseritur ex* vita S. Ruperti, *prout apud nos exstat in epilogo p. 356, 357:* Tempus pressurae et destructionis *usque ad* in speculo aquae viderit, *et cum iisdem varietatibus, quae codicem Gebenonis aperte nobis repraesentant.*

IV

VITA S. DISIBODI.

Paucas tantum varietates historicas et breve auctarium colligere animus est ex cod. Vindobon. fol. 161-168, collata editione Migniana col. 1095-1116 juxta Bollandi Acta SS. Jul. t. II die VIII p. 581, recepta ex cod. ms. S. Maximi Trevirensis. *Col. 1097. lin. 2. excidit* in Spiritu Sancto *ante* loquendo. *Col. 1098. n. 8 lin. 5 lege* in operibus sanctis justificatur....

col. 1101, lin. 2. beati Benedicti qui nuperrime ad Dominum migraverat...

Ibid. n. 16. lin. 8. ad flumen Rheni...

col. 1102. lin. 5. senior Gisnaldus...

Ibid. n. 18. lin. 9. ad milliare unum eo tempore erant...

col. 1103, n. 20. lin. 12, 13. Studem... Studernheym...

col. 1104. lin. 2. ad conversationem et ad doctrinam S. Benedicti...

lin. 12. Spiritu Sancto docente et ostendente...

Ibid. n. 24. lin. 3. Diabolus formam vitiorum...

lin. 4. et quod jaculis suis eam transfigere...

col. 1105, lin. 13. sub disciplina viventes... ascendebant...

col. 1108, n. 35 lin. 15, post videre *additur:* Sepultus itaque est in parvo umbraculo oratorii sui, quod ipse sibi paraverat, in quo etiam rogaverat se terrae commendari.

Ibid. n. 36 lin. 3. insolentius quam oportebat. *vide notam Bolland.*

col. 1110 n. 41. lin. 12 post possidebit *adduntur sequentia:*

Sed et hi qui propter negligentiam peccatorum a bonis hominibus recesserunt, eisdem perditis angelis similes sunt, qui a perfectis et bonis angelis qui faciem Patris semper inspiciunt, recedebant. Et sicut boni angeli faciem Patris laudando aspiciunt, sic boni homines opera bona in speculo fidei operantes, faciem Dei hoc modo in fide inspiciunt, et per durissima bella cum ipso semper insistunt.

Sic augetur parergon de quo stomachatur doctus Bollandista: « Quo vergat, *subdit,* aut quo hoc adductum fuerit longum istud parergon, fallor, si quis satis perspiciat. » *Hildegardis fortasse voluit haereditatem S. Disibodi ab injustis invasoribus tueri et vindicare.*

col. 1114 lin. 3. post translationem humata fuerunt...

Ibid. lin. 12. Nithardus nomine...

col. ultima 1116 n. 54, lin. 10, post in malitioso tempore *codex addit:* suo sanguinem Agni emerunt, et in dispersionem ducti sunt, sed tamen in novissimo tempore requirentur.

V.

EXPLANATIO SYMBOLI S. ATHANASII.

Hildegardis vix aliud opus quam hic commentarius majorem in admirationem theologum movet. De quo praeter varietates dogmaticas alicujus momenti, nemo a nobis plura requiret. Exstat in codicis Vindobon. fol. 145, a col. 4, ut diximus, post prooemia a nobis edita ad vitam S. Disibodi.

p. 352-354 supra, mentione facta Noe et Moysis, ad Christum insolitus sane transitus fieri videtur: Et ipse vir plenae aetatis sapientiam et veritatem docebat. Ad honorem Dei frequenter se inclinat, ac ita omnes virtutes ad se colligit, sicut et angeli non omnes perierunt. In his itaque virtutibus Deus hominem plasmavit etc. *quae occurrunt in dicto commentario col. 1067. C. lin. 3.*

Paulo post additur: Sed primus angelus haec

intelligere noluit, sed a se ipso esse voluit, quod esse non potuit etc. quia vita sua *(hic adde omnino* non, *quae vocula excidit in codicis transitu a fol. 145 ad fol. 146)* non a se ipsa est etc.

col. 1068 lin. 1. cum a se ipso esse vult...

lin. 10. sicut etiam ibi factum est...

lin. 27. nisi in aliqua formatione...

lin. 49. ita quod magnis periculis moventur...

col. 1069 lin. 6. quia in integritate ipsum concepit, qui etiam in eadem integritate ex ipsa processit.

col. 1071 lin. 16. quod sibi lene et suave...

col. 1072 lin. 6 ante finem. nec tres Domini...

col. 1073, lin. 12 ante finem. Omnes ergo populi, chrismate uncti in recta fide compelluntur, nec ullam divisionem in unitate esse confiteantur...

col. 1074, lin. 13 ante finem. unus potens, quia si potens non esset, filium non genuisset...

col. 1077, lin. 17 ante fin. mactantes ac per illusionem perdentes...

col 1078 paulo ante D. in quo reliquiae beati Ruperti, *ita inexpectato respectu transit commentarius ad acta S. Ruperti.*

col. 1080 lin. 21. Quod vix uno oculo videbit et tunc iterum in Filio Dei restaurabitur, velut etiam in tempore filii perditionis recuperabitur. *In fine hujus columnae et initio ultimae sequentis omnia sunt emendanda, uti in exordio Actorum S. Ruperti col. 1083.*

VI.

REGULAE S. BENEDICTI EXPLANATIO.

Quantum solet Hildegardis esse in caeteris sibyllina, tantum in illo sacrae Regulae commentario plana, concisa et discreta verborum et sententiarum serie utitur. Unde pauca excipienda sunt ex cod. Caesar. fol. 139. ubi ad Hammenses mittitur luculenta didascalia, collata Patrol. col. 1055 sqq.

Epistola sanctae ad eumdem conventum Hummensem (sic).

col. 1055 lin. 8. lucidissima dona et mystica spiramina Spiritus Sancti in beato Benedicto operatus est, ita quod mens ipsius in amore Dei ardebat, et quod in virtutibus ut aurora rutilabat.

lin. 18. sive imbecillis, sive infirmus sit...

lin. 2. ante fin. breviter conferant quae oportet.

col. 1059 lin. 8. arripiat, quod non plus indigenti quam non indigenti annonae subministret...

col. 1063 lin. 20 et in officiis interiorum seu in negotiis exteriorum...

col. 1065 lin. 2. In hoc commemorationem absentium facientes. Cum autem redissent, in eadem oratione dominica illis reversis dicebant: « *Sed libera nos a malo* et famulos tuos fratres nostros de via revertentes. Amen. » *Quae omissa in edd. codex adjecit in margine fol. 144 col. 3.*

col. ult. 1066 lin. 6: nec nimis constricta, nec nimis remissa.

VII.

LINGUA IGNOTA

MONITUM.

Ab exordio hujus tomi p. 1 sub num. 5 hanc notulam subjeci: *Ignotam linguam* explicare, inquit Reuss, aggressus est J. Grimm in *Haupt. Zeitschrift fur Deutsch. Alterthum* VI, 321. neque in his Analectis arduum opus omittetur. »

Via ut statim sterneretur, curavi, favente eximia humanitate cl. Geffroy, academiae Galliarum Romanae merentissimi praesidis, ut ad usus meos germanica J. Grimmii adversaria, quae citra Alpes nullibi fortasse reperiuntur, describerentur ex raro exemplari in Parisiensi bibliotheca nationali asservato. Quae quum egregio viro Car. Descemet, harum disciplinarum callentissimo commissa fuerint, perspicuum fuit, multa omisisse eruditum philologum Germanicum, pluraque vix summis labiis attigisse.

Sed dum impigro labore novus *Linguae ignotae* interpres omnes fere dialectos Orientis et Occidentis perlustraret, dumque, ut solent, lento volumine praela Cassinensium per duos et amplius annos ingemiscerent, cursu nos superavit nescio quis Germanicus vir, a quo etiam nunc audio praerepta nobis fuisse fere omnia *coelestis symphoniae* carmina. Cedo locum, ego qui tantum anecdota promiserim, haud amissa tamen spe, fore ut cl. vir Descemet, ab incoepto opere non desistens, inexhaustum pensum iteratis et indefessis studiis persequatur; a quo etiam obtinui, ut commentarii sui exquisitum specimen lectoribus nostris tradi permitteret.

Ecce enim inter mille circiter abstrusa *Linguae ignotae* vocabula, octoginta et centum selegit, quae ad rem botanicam spectant, ut flosculos Hildegardis quatuor columnellis appenderet, prout infra sub oculis ponuntur. Aliter quidem in codicibus jacent, in quibus singula *Linguae ignotae* glossemata latinis nominibus subjiciuntur, quorum series, ut in codice indigesta jacet, in adjectis primo loco numeris exprimitur. Prostant igitur, in prima columnella, post hos numeros, latina nomina quibus in codice Hildegardis subjiciuntur *Linguae ignotae* vocabula, quae in altera columna e regione succedunt. Accessit in tertia columna, quae non mediocris laboris fructus est, herbaria recentiorum nomenclatura, maxime ex Linnaeo recepta; in quarta vero, referuntur accuratissime loca similia quae occurrunt in spisso opere cui titulus: *Subtilitatum diversarum naturarum creaturarum libri novem* juxta Patrol. CXCVIII. col. 1117. sqq. Quae dumtaxat recula nostra est, huc illuc notulas ad calcem tetraplorum subjecimus, ex codice Hafniensi receptas, in quo eaedem plantae et herbae germanice appellantur. Asservatur porro *Lingua ignota*, prout ad nos pervenit, in duobus codd. uno Wiesbadensi majori, ex quo mihi descriptum fuit apographum a. 1878, amicam opem praestante D. Pothier Solesmensi; altero Vindobonensi, inter *ascetic.* 721 f. 490, quem fuse describit Dionysius in catal. t. II, p. III col. 1725. Eadem videtur hinc et inde rerum promiscua series, ut post nonnulla de Deo, angelis et hominibus, occurrant corporis aegritudines et membra, hierarchiae ordines, aedium fabrica, ecclesiarum partes, orna-

menta et vestes, civitatis dignitates, coetus, opificia, temporum divisiones, vestes, vasa utensilia, artium instrumenta, arbores, plantae et herbae, quae vocabula prae caeteris usque in finem fere frequentantur paucis additis avium et animalium nominibus. Nomenclatura incipit in hunc modum.


Deus	Angelus	Sanctus	Salvator	Femina
Aiguonz	*Aieganz*	*Ziuienz*	*Liuionz*	*Uanix*
Diabolus	Spiritus	Homo	Vir	
Diuueliz	*Ispariz*	*Inimoiz*	*Jur*	
Patriarcha	Propheta	Vates	Apostolus	
Peucarrez	*Korsinthio*	*Falschin*	*Sonziz.*	

Ultimi versus sic se habent:


Apis	Vespa	Wibel	Papilio	
Sapiduz	*Amzia*	*Cruza*	*Ariz*	
Locusta	Musca	Culex	Cinomia	
Luxzia	*Vironz*	*Arschia*	*Mizia*	
Glimo	Bruchus	Harniz	Cacado *Grimm*	Cicada
Kanzia	*Boiz*	*Diezo*	*Cainz.*	*Carriz.*

Postremum ad calcem pingitur in utroque codice arcanum alphabetum quod graphice sculpendum aere curavit Dionysius l. l. quale etiam nos repperimus in cod. Laurentiano 4 Plut. XXII f. 143, omnino uti nunc sub oculis subjicitur:

Codex Vindobonensis.



Codex Wisbadensis.



S. HILDEGARDIS HERBARIUM

N.°	LATINA HILDEGARDIS NOMINA	LINGUA IGNOTA,	RECENTIORUM VOCABULA	EX LIBRO SUBTILITATUM ETC.
752	Abies	Lamischiz	Pinus abies	Abies lib. 3, XXIII.
755	Acer	Bauschuz	Acer campestre?	. . . .
838	Abrotanum	Baiezinzia	Artemisia abrotanum	Abrotanum, Stagwurtz, 1, CVI.
842	Agrimonia	Monischia	Agrimonia eupatoria	Agrimonia, 1, CXIV.
794	Ahornenbaun	Schirobuz	Acer pseudo-platanus	Platanus, Ahorn, 3, XXX.
883	Allium	Clarischil	Allium sativum	Allium, 1, LXXIX.
756	Alnus	Hamischa	Alnus glutinosa	Alnus, Erla, Arla, 3, XXIX.
754	Amygdalus	Schalmindibiz	Amygdalus communis	Amygdalus, 3, X.
903	Apium	Pischir	Apium graveolens	Apium, 1, LXIX.
856	Aquileja	Agonzia	Aquileia vulgaris	Agleya, Acoleia, Ackeleia, 1, CXXXII.
800	Arundo	Gluniz	Arundo phragmites	. . . .
893	Ascalonium	Lozunz	Allium ascalonicum	Ascholonia, Alslauch, 1, LXXX.
925	Avena	Zamza	Avena sativa	Avena, 1, III.
888	Bachminza	Fliuscha	Mentha aquatica	Bachmyntza, 1, LXXV.
849	Bathenia	Flauzia	Betonica purpurea	Bathenia, Pandonia, Bethonia, 1, CXXVIII.
865	Berewrz	Briunz	Athamanta meum	Berurtz, Berwurtz, 1, CXXXV.
816	Bibinella (A)	Giuzia	Pimpinella saxifraga	Bibenella, Bobinella, 1, CXXXI.
866	Berewinka	Perschil	Geum urbanum? (B)	Benedicta, 1, CLXIII.
887	Bilsa	Pazia	Hyoscyamus niger	Bilsa, 1, CX.
831	Binewrz	Dugrul	Lapathum sanguineum?	Birckwurtz, Blutwurtz, Binivurt (Grimm) 1, CLXVI.
864	Bisantia	Pursiaz	Lysimachia nummularia?	. . . .
832	Boberella	Bonizia	Physalis alkekengi	Boberella, 1, LVIII.
906	Biuerwrz	Brumsil	Aristolochia clematitis	Byverwurtz, Rustica, Byerverwurtz, 1, CXLVI.
860	Brionia	Grimizia	Bryonia alba	Stichwurtz, Brionia, 1, XLIII.
758	Buxus	Scorbuz	Buxus sempervirens	Buxus, 3, XXII.
760	Carpinus	Scoica	Carpinus betulus	. . . .
802	Carpobalsamum	Florisca	Balsami semen	Balsamon, 1, CLXXVII.
759	Castanea	Gramzibuz	Castanea sativa	Kestenbaum, 3, XII.
901	Caulis	Kauschin	Brassica oleracea (Kohl)	Kole, Caulis, 1, LXXXIV.
928	Cazenzagel	Frazinz	Hippuris vulgaris	Catzenzagel, 1, CCXVI.
826	Celidonia (sic)	Scukurez	Chelidonium maius	Grintzwurtz, Chelidonia 1, CXXXVIII.
820	Centaurea	Bruschia	Centaurea cyanus (C)	Centaurea, 1, CXXV.
881	Cepe	Flichziz	Allium cepa	Unlauch, Cepe, 1, LXXXIII.
763	Cerasus	Grusimbuz	Prunus Cerasus	Cerasus, 3, VI.
787	Chinus	Kizanzibuz	. . . .	. . . .
801	Cicuta	Anziz	Cicuta virosa	Scherling, 1, XXXIX.

(A) *Bibinelle* cod. Hafn. p. 136. col. 2, 152, etc. — (B) *Herba S. Benedicti*, vulgo cf. *Patrol.* l. l. col. 1119. Jo. Bauhini caput *De plantis a sanctis nomen trahentibus in* C. Gesneri *epp.* — (C) *Herba S. Zachariae.*

N.°	LATINA HILDEGARDIS NOMINA	LINGUA IGNOTA.	RECENTIORUM VOCABULA	EX LIBRO SUBTILITATUM ETC.
815	Ciminum	Galeziz	Cuminum Cyminum	Kumel, Cyminum, 1, XVII.
803	Cinamomum	Zizria	Laurus cinnamonum	Cynamomum, 1, XX.
919	Cle	Fluzez	Trifolium pratense (Klee)	Cle, Cithysus (sic) 1, CVIII.
918	Cletdo	Inbiz	Bardana lappa	Cletta, Lappa, 1, XCVIII. (A)
867	Consolida	Firmizima	Symphytum officinale	Consolida 1. CXLV.
761	Corilus	Bumbirich	Corylus avellana	Haselbaum, Corylus, 3. XI.
764	Cornus	Culmendiabuz	Cornus mas	Erlizbaum, Cornus, 3, XL.
897	Cresso	Grachia	Lepidium sativum	Crasso, Nasturtium, 1, LXXII.
807	Cristiana	Lanischa	Helleborus niger	Cristiana, 1, XXVIII
894	Cucurbita	Kirinz	Cucurbita lagenaria	Kurbesa, Cucurbita 1, LXXXVII.
762	Cutinbaum	Zaimzabuz	Cydonia vulgaris	Quittenbaum, Quotanus, 3, IV.
857	Denmarcka	Maschin	Valeriana officinalis (B)	Denemarcha, 1, CXLII.
850	Dictama	Dizia	Dictamnus albus	Dictampnus, 1, CXV.
900	Dille (C)	Zugezia	Anethum graveolens	Anetum, Dille, 1, LXVII.
926	Dorth	Sparzun	Lolium? (Grimm) [Trespe]	Dorth, 1, CCXXVII.
859	Douwrz	Dagezia	Equisetum arvense (Grimm)	Dauwurtz, 1, LIII.
911	Distel	Duniz	Carduus benedictus, vel Eryngium campestre	Cardus (sic) tam lenis quam hirsutus: 1, XCIX.
798	Dumi	Zizanz	. . . .	. . . .
821	Entiana	Kirischia	Gentiana lutea	Gentiana, 1, XXXI.
822	Enula	Tauz	Inula helenium	Alant, Enula, 1, XCV.
765	Esculus	Guschaibuz	Sorbus domestica	Spirbaum, Esculus, 3. VIII.
929	Faba	Mazma	Vicia faba	Faba, 1, VII.
768	Fagus	Zamzila	Fagus Sylvestris	Fagus, 3, XXVI.
766	Ficus	Gigunzibuz	Ficus carica	Fickbaum, 3, XIV.
767	Fraxinus	Bizarmol	Fraxinus excelsior	Asch, Fraxinus. 3, XXVII.
909	Frideles ocha	Zischia	Myosotis scorpioides (D)	Frideles auga, 1, CXXXIV.
770	Fusarius	Scongilbuz	. . . .	. . . .
908	Gamandria (E)	Galschia	Teucrium chamaedrys	Gamandrea, Alentidium 1, CXXIV.
809	Galgan	Gulgin	Alpinia galanga	Galanga, Galgan, 1, XIII.
810	Gariofel (F)	Gareiza	Eugenia caryophyllata Kariofilus Negelboum (Grimm)	Gariofiles, 1, XXVII. Nelchin.
812	Gingebern	Barschin	Amomum zingiber	Ingeber, zinziber, 1, XV.
875	Girol	Bulchzia	Macedonicum (Grimm)	. . . .
910	Gladiolus	Gliaz	Gladiolus communis	Gladiola, Swertula, 1, CXVIII.
828	Grensich	Gischiz	? Potentillae species	Grensing unkrut, 1, CXLVII.

(A) cod. Hafn. p. 160 col. 2. — (B) *Herba S. Christi.* — (E) Ibid. p. 134 col. 1, 136, 144 etc. — *Clarae.* — (C) Ibid. p. 165 col. 1. — (D) *Oculus* (F) *Gariofel.* ibid. p. 142. col. 2.

N.°	LATINA HILDEGARDIS NOMINA	LINGUA IGNOTA.	RECENTIORUM VOCABULA	EX LIBRO SUBTILITATUM ETC.
852	Gundereba	Gauriz	Glechoma hederaceum	Gunderebe 1, CV.
917	Hanif	Azeruz	Cannabis sativa	Hanff, Cannabus. 1, XI.
905	Hazelwrz	Gruizia	Asarum europaeum	Hazelwurtz, 1, XLVIII.
878	Hirces kunga	Gurizlaniz	Asplenium scolopendrium	Hirtzunge, Scolopendria, 1, XXX.
874	Huflatdecha (A)	Laufrica	Tussilago petasites Tussilago farfara (B)	Hufflatta maior, 1, CCX. Hufflatta minor, 1, CCXI.
869	Huswrz	Fenisgrons	Sempervivum tectorum	Huszwrtz, 1, XLII. et CCIII.
889	Id'eh cf. Lóh.	. . . .	. . . .	. . . .
845	Isopo	Garoz	Hyssopus officinalis	Hyssopus, 1, LXV.
790	Iulex	Gulizbuz	Betula alba	Vibex? Bircka, 3, XXXII.
774	Iuniperus	Scalnihilbuz	Iuniperus communis	Wacholderbaum, 3, XLIII.
912	Kartdo	Guriz	Carduus fullonum?	Cardo, 1, CCXXVIII.
931	Kichera	Gullox	Cicer arietinum	Kicher, 1, CXC.
899	Kirvela	Felischa	Scandix cerefolium	Kirbele, Cerifolium. 1, LXX.
946	Lavendela	Liniz	Lavendula vera	Lavendula, 1, XXXV.
896	Lapacium	Dunschia	Lapathum officinale?	. . . .
771	Laurus	Clamizibuz	Laurus nobilis	Laurus, 3, XV.
932	Lenis	Zuzil	Ervum lens	Lens, 1, VIII.
773	Lèntiscus	Zaschibuz	Pistacia lentiscus	. . . .
841	Lilium	Chorischia	Lilium candidum	Lilium, 1, XXIII.
805	Liquaricia	Diziama	Glycyrrhiza glabra	Liquiricium, 1, XIX.
889	Lòh	Iuziz	Allium porrum	Lauch, Porrum, LXXXI.
813	Lorbere	Cririschia	cf. Laurus	. . . .
854	Lubisticum (C)	Luschia	Ligusticum levisticum	Lubestuckel, Levisticum 1, CXXXIX.
879	Lunchwrz (D)	Pulicha	Pulmonaria officinalis	Lunckwurtz, 1, XXIV.
775	Malus	Pomziaz	Pyrus malus	Affaldra, 3, I, Malus.
837	Marrubium	Bilianz	Marrubium vulgare	Andron, Marrubium, 1, XXXIII.
877	Matra	Marizima	Erythraea centaurium	Metra, Febrifuga, 1, CXVI.
817	Meigelana	Culgeia	Valerianae species?	Meygilana Meigelana 1, CLIX.
833	Melda	Sizia	Atriplex hortensis (Mangold, Grimm.)	Attriplex, Melda, 1. CIV.
823	Menewa	Gausia	. . . .	. . . .
818	Millefolium	Gurizama	Achillea millefolium	Garwa, Millefolium. 1, CXIII.
902	Millium	Cursez	Panicum miliaceum	Milium, 1, CXCIII.
863	Minnewrz	Karinz	Paeonia (E) officinalis (Grimm)	. . . .
793	Mirtus	Sconibuz	Myrtus communis	Mirtelbaum, 3, XLII.
898	Morcruth	Scrurithil	Parnassia palustris	Morkrut, 1, CXLVIII.
776	Morus	Mizamabuz	Morus nigra	Mulbaum, Mulberboum, 3, IX.
777	Murica	Burschiabuz	Myrica Gale?	Pruma, Mirica, 3, L.
873	Natzcado (F)	Nasciul	Solanum nigrum	Nachtschade, Solatrum, 1, CXXI.

(A) *Huflathcha*. cod. Hafn. p. 162 col. 1, 164 etc. col. 135 col. 2 *Minner Hufladetha*, *Huflathda*. — (B) *Herba S. Quirini*. — (C) *Lubistikel*, cod. Hafn. p. 165 col. 2, *Libestichel* p. 166 col. 1. — (D) Ibid. p. 148 col. 1. *Lunchwrz*, p. 134 col. 2 *luntwrt*. — (E) *Rosa S. Mariae*. — (F) *Mathscaden beu* cod. Hafn. p. 128 col. 2.

N.°	LATINA HILDEGARDIS NOMINA	LINGUA IGNOTA.	RECENTIORUM VOCABULA	EX LIBRO SUBTILITATUM ETC.
853	Nebeta	Nischil	Nepeta cataria	Nebetta, Calamentum, 1, CXLIII.
753	Nespelbaum	Pazimba, Pazumbu	Mespilus germanica	Nespelbaum, 3. XIII.
880	Nessewrz	Gaxuurinz	Helleborus niger	Nyesewurtz, Gelisia, 1, CLII.
796	Nuzbaum	Muzimibuz, Mizzimibuz	Iuglans regia	Nuszbaum, Nux, 3, III.
808	Nuzmuscata	Muzimia	Myristica moschata	Nux muscata. 1, XXI.
924	Ordeum [Hordeum]	Diuxia	Hordeum vulgare	Hordeum 1. IV.
778	Ornus	Laschiabuz	Fraxinus ornus? excelsior?	Ash, Fraxinus, 3. XXVII.
784	Paliurus	Nainz	Rhamnus paliurus	. . . .
834	Papaver	Cuz	Papauer somniferum	Papauer, 1, XCVI.
890	Pepo	Bazin	Cucurbita pepo	Kurbesa, Cucurbita, 1. LXXXVII.
780	Persicus	Sparinichibuz	Amygdalus persica	Persichbaum, Persicus, 3, V.
904	Petroselinum	Pransiz	Apium petroselinum	Petroselinum, 1, LXVIII.
839	Pheffercrut (A)	Pabruz	Capsicum annuum?	Pefferkrut, 1, XXXVIII.
769	Picea	Scoimchia	Pinus picea	Picea, 3, LXII.
783	Pinus	Gimeldia	Pinus silvestris	. . . .
814	Piper	Zusquel	Piper longum, et P. nigrum.	Piper, 1, XVI.
930	Pisa	Pixiz	Pisum sativum	Pisa, 1, VI.
806	Pirethrum	Buzigiz	Anthemis pyrethrum	Bertram, Piretrum, 1, XVIII.
781	Pirus	Zirunzibuz	Pyrus communis	Birbaum, Pirus, 3, II.
827	Plantago	Zischio	Plantaginis species	Wegerich, Plantago. 1, CI.
886	Planza	Dizia	. . ? Allii species?	. . . .
779	Platanus	Golinzia	Platanus occidentalis	Ahorn, Platanus, 3, XXX.
829	Poleia	Pluschia	Mentha pulegium	Poleya, 1, CXXVI.
782	Prinus	Burzimibuz	Prunus domestica	Prunibaum, Prunus, 3, VII.
885	Priseloch	Philzia	Allium fistulosum (Schoenoprasum, Grimm).	Omnis Lauch, Porrum, 1, LXXXII.
795	Quercus	Orschibuz	Quercus pedunculata	Quercus, 3, XXV.
895	Rapa	Grugiziz	Brassica rapa	Ruba, Rapa, 1, LXXXVIII.
892	Raphanus	Mikoziz	Raphanus sativus	Retich, Radix, 1, LXXXIX.
891	Rathdich	Gragiz	Nigella sativa	Ratde, Zizania, 1, XII.
836	Reumatica	Gramko	Geranium pratense	Storcksnabel 1, CLXII.
848	Ringela	Fulzia	Calendula officinalis	Ringula, Ringella, 1, CXXII.
785	Riscus	Lamschiz	. . . .	. . . .
913	Ritgras	Riaz	Caricis species (Riedgras)	. . . .
876	Romesseminza	Glusiaz	Mentha crispa	Rossemyntza, Roemische mentha 1, LXXVIII.
840	Rosa	Rusia	Rosa centifolia	Rosa, 1, XXII.
844	Ruta (B)	Raiz	Ruta graveolens	Rutha, 1, LXIV.
843	Salbeia	Scaliziz	Salvia officinalis	Selba, Salvia, 1, LXIII.

(A) *Perfretruth et pefertrut* cod. Hafn. p. 134 col. 1. — (B) Ibid. p. 131 col. 2 etc. passim.

N.°	LATINA HILDEGARDIS NOMINA	LINGUA IGNOTA,	RECENTIORUM VOCABULA	EX LIBRO SUBTILITATUM ETC.
792	Salix	Wagiziaz	Salix capraea	Solewida, 3, XXXVII.
788	Sanguinarius	Ornalzibuz	Cornus sanguinea?	. . . .
884	Sarco	Prurziz	. . . .	. . . .
868	Sanikela	Sanschul	Sanicula europaea	Sanicula 1, XLV.
855	Saturea	Grischol	Satureia hortensis	Satereia, 1, CLV.
786	Scavina	Sconzibuz	Iuniperus sabina	Sybenbaum, Savina, 3, XXI.
922	Siligo	Ruizia	Secale cereale	Siligo, 1, II.
916	Sinza	Giza	. . . .	. . . .
835	Sisimbria	Cauzia	Nasturtium aquaticum	Burncrasse, 1, LXXIII.
819	Sitderwrz	Magizima	. . . .	. . . .
872	Smergele	Guska	Ficaria ranunculoides?	. . . .
882	Snideloch	Duzilinz	Allium schoenoprasum (Schnittlauch.)	. . . .
923	Spelza	Glachxa	Triticum spelta	Spelta, 1, V.
804	Spicanardus	Cischinzariz	Lavendula spica	Spica 1, XXV et CCII.
861	Sprinewrz	Spiriz	Euphorbia lathyris	Springwurtz, Citocatia 1, CXXXIII.
857	Steiwarn	Framiz	Polypodium vulgare (A)	Polypodium 1, CCV; 3, XII, Stemfara.
772	Studa	Conizla (Gonizla)	. . . .	. . . .
789	Taxus	Vischobuz	Taxus baccata	Ybenbaum 3, XXXI.
870	Tenacetum	Clanzga	Tanacetum vulgare	Tanacetum, Reynfan, 1, CXI.
757	Tilia	Laizscia	Tilia europaea	Tilia, 3, XXIV.
797	Tribulus	Gisgiaz	Ribes grossularia?	Tribulus 3, LXIII
921	Triticum	Cachxis	Triticum vulgare	Triticum 1, I.
847	Venechil	Guris	Panicum italicum? vel Anethum feniculum	Venich 1, X? Veniculum 1, LXVI.
791	Vimina	Scoiaz	Salix viminea	Wida? 3, XXXVI
907	Viola	Graxia	Viola odorata	Viola 1, CIII
824	Ugera	Bischia	Sedum acre?	Ugera 1, CXXXVII.
927	Uersbodte	Zingia	Zizania, Beresbote (Grimm)	. . . . . : . . . . . .
934	Uiselun	Kachzia	Phaseolus Vulgaris Ervum ervilia (Grimm)	Wisela 1, CXCI.
914	Urtica	Scorzia	Urtica dioica et U. urens	Urtica 1, C.
871	Wermuda	Karischa	Artemisia absinthium	Absinthium, Wermut, 1, CIX.
933	Wichim	Circhza	Vicia sativa	Wichim 1, CXCII.
920	Wildeminsa	Reischal (Rischal)	Mentha sylvestris	Myntza maior 1, LXXVI.
851	Wllena (B)	Orris	Verbascum thapsus	Wullena, Blandonia. 1, CXXIII.
862	Wolfesgelegena	Daschia	Arnica montana	Wolfesgelegena 1, CLVI.
811	Zitdewar	Kunx	Amomum Zedoaria Kaempferia	Zituar, Cituar, 1, XIV.
825	Zucker	Saxia	Saccharum officinale	Zucker, 1, CLXXIX.

(A) *Sigillum S, Mariae.* — (B) Cod. Hafn. p. 134 col. 2, p. 142 col. 1, p. 160 etc quibus adde *Biboz* Artemisia, p. 140 col. 2, — *Heitherrhezzelun,* in marg. *Heiter nescebeu* p. 166 col. 1 — Backas *Wakades* p. 134 col. 1. — radix *Swerthelun* p. 130 col. 1, et alia plurima quibus hic non est locus.

SANCTAE HILDEGARDIS

LIBER SCIVIAS

JUXTA CODICEM PALATINUM

Incipit liber SCIVIAS *simplicis hominis. — Incipit prima pars libri* SCIVIAS. *Protestificatio veracium visionum a Deo fluentium.* [1]

ET ecce quadragesimo tertio temporalis cursus mei anno, cum coelesti visioni magno timore et tremula intentione inhaererem, vidi maximum splendorem, in quo facta est vox de coelo ad me dicens:

O homo fragilis, et cinis cineris, et putredo putredinis, dic et scribe quae vides et audis. Sed quia timida es ad loquendum, et simplex ad exponendum, et indocta ad scribendum ea, dic et scribe illa, non secundum os hominis, nec secundum intellectum humanae compositionis, sed secundum id quod ea in coelestibus desuper, in mirabilibus Dei vides et audis, ea sic edisserendo proferens, quemadmodum et auditor verba praeceptoris sui percipiens, ea secundum tenorem locutionis illius, ipso volente, ostendente, et praecipiente, propalat. Sic ergo et tu, o homo, dic ea quae vides et au-

[1]) Hactenus asservatur Hildegardis liber qui inscribitur *Scivias* in codicibus quinque mss. qui fere coaequales videntur saec. XIII. Duo asservantur in bibliotheca Visbadensi, quorum varias teneo lectiones ex edit. Coloniensi a. 1628 collectas a diligenti viro D. Rossel. Unus vero qui minor dicitur, picturis ornatur insignioribus, aeque ad usus meos ex parte receptis, et quas fortasse ad calcem voluminis saltem in uno alterove specimine videre erit. Uterque Codex olim fuit monasterii Bingensis, neque alios reor fuisse a Bollandistis et Maurinis versatos. Infra erunt A, B. Tertius codex est Bibliothecae Heidelbergensis, qui videtur ex eodem fonte oriundus. Quartus est noster Palatinus 311, membraneus, optimae notae, ejusdemque aetatis, quem fere unicum in sequentibus paginis ex notis sequimur, et cujus varietates prope omnes omnino cum codicibus Visbadensibus congruunt, idque apertissime evincunt, idem Hildegardi prophetissae quam Gertrudi Magnae accidisse, videlicet primam editionem, postmodum coecis typis repetitam, curatam fuisse ab illis saeculi XVI sciolis, putidae elegantiae sequacibus, qui medii aevi monumenta vel sacra ad classicam limam redigere piaculo habebant. Sub initium tamen libri Scivias a praepostera castigatione tantisper se abstinuerunt. Varietates sigillatim cribrare usque in finem spissi libri, animus erat, quas perstringere oportuit, crescente nimium mole hujus voluminis, quas praeterea retuleris ad nuperrimam editionem Parisiensem sive Patrolog. t. CXCVII. — Quintus codex dicitur *Cusanus*, ut pote ex bibliotheca Card. Cusae derivatus, de quo alibi plura dicere juvabit.

dis; et scribe ea, non secundum te, nec secundum alium hominem, sed secundum voluntatem scientis, videntis et disponentis omnia in secretis mysteriorum suorum.

Et iterum audivi vocem de coelo mihi dicentem.

Dic ergo mirabilia haec, et scribe ea, hoc modo edocta, et dic:

Factum est, in millesimo centesimo quadragesimo primo Filii Dei Jesu Christi incarnationis anno, cum quadraginta duorum annorum [1]) essem, maximae coruscationis igneum lumen aperto coelo veniens, totum cerebrum meum transfudit, et totum cor, totumque pectus meum, velut flamma, non tamen ardens, sed calens, ita inflammavit, ut sol rem aliquam calefacit, super quam radios suos ponit.

Et repente intellectum expositionis librorum, videlicet psalterii, evangelii, et aliorum catholicorum tam veteris quam novi Testamenti voluminum sapiebam, non autem interpretationem verborum textus eorum, nec divisionem syllabarum, nec cognitionem casuum aut temporum habebam. [2])

Virtutem autem et mysterium, secretarum et admirandarum visionum a puellari aetate, scilicet a tempore illo cum quinquennis essem usque ad praesens tempus, mirabili modo in me senseram, sicut et adhuc: quod tamen nulli hominum, exceptis quibusdam paucis et religiosis, qui in eadem conversatione vivebant, qua et ego eram, manifestavi, sed interim usque ad id temporis, cum illud Deus sua gratia manifestari voluit, sub quieto silentio depressi.

Visiones vero quas vidi, non eas in somnis, nec dormiens, nec in phrenesi, nec corporeis oculis aut auribus exterioris hominis, nec in abditis locis percepi, sed eas vigilans, et circumspecta in pura mente, oculis et auribus interioris hominis, in apertis locis secundum voluntatem Dei accepi. Quod quomodo sit, carnali homini perquirere difficile est.

Sed puellari meta transacta, cum ad praefatam aetatem perfectae fortitudinis pervenissem, audivi vocem de coelo dicentem:

Ego lux vivens, et obscura illuminans, hominem quem volui, et quem mirabiliter secundum quod mihi placuit, excussi, in magnis mirabilibus trans metam antiquorum hominum, qui in me multa secreta viderunt, posui: sed in terram stravi illum, quod se non erigeret in ulla elatione mentis suae. Mundus quoque non habuit in eo gaudium, nec lasciviam, nec exercitationem in rebus illis quae ad mundum pertinent: quia eum de pertinaci audacia abstraxi, timorem habentem et in laboribus suis parentem. Ipse enim in medullis et in venis carnis suae doluit; constrictum animum et sensum habens, atque multam passionem corporis sustinens, ita quod in eo diversa securitas non latuit, sed in omnibus causis suis se culpabilem aestimavit. Nam rimas cordis ejus circumsepsi, ne mens ipsius per superbiam aut per vanam gloriam se elevaret, sed ut magis in omnibus his timorem et dolorem, quam gaudium aut quam petulantiam haberet.

[1]) *Quadraginta annorum, septemque mensium* edd. nec discrepant A, B. In Imagine codici minori Visbad. praefixa, flamma superna quae subinde notatur, eleganti depingitur penicillo.

[2]) Quam modestissime in hoc loco profert Hildegardis linguae latinae inscitiam, sub initio videlicet operum suorum et in exordio primi libri, vix putem tantam fuisse, eamdemque illi perdurasse, etiam cum tot epistolas dictavit, adeoque diffusum usurpare debuit cum toto orbe christiano coetuque ecclesiastico litterarum latinarum commercium.

Unde in amore meo scrutatus est in animo suo, ubi illum inveniret, qui viam salutis curreret. Et quemdam invenit, [1]) et eum amavit, agnoscens quod fidelis homo esset, et similis sibi in aliqua parte laboris illius qui ad me tendit, tenensque eum, simul cum illo in omnibus his per supernum studium contendit, ut absconsa miracula mea revelarentur.

Et idem homo super semetipsum se non posuit, sed ad illum in ascensione humilitatis, et in intentione bonae voluntatis, quem invenit, se in multis suspiriis inclinavit. Tu ergo, o homo, qui haec non in inquietudine deceptionis, sed in puritate simplicitatis accipis, ad manifestationem absconditorum directa, scribe quae vides et audis.

Sed ego, quamvis haec viderem et audirem, tamen propter dubietatem et malam opinionem et propter diversitatem verborum hominum, tandiu non in pertinacia, sed in humilitatis officio scribere recusavi, quousque in lectum aegritudinis, flagello Dei depressa, caderem: ita quod tandem multis infirmitatibus compulsa, testimonio cujusdam nobilis et bonorum morum puellae, [2]) et hominis illius quem occulte (ut praefatum est) quaesieram et inveneram, manus ad scribendum apposui. Quod dum facerem, altam profunditatem expositionis librorum, ut praedixi, sentiens, viribusque receptis, de aegritudine me erigens, vix opus istud decem annis consummans ad finem perduxi.

In diebus autem Heinrici Moguntini archiepiscopi, et Conradi Romanorum regis, et Cononis abbatis in monte beati Disibodi pontificis, sub papa Eugenio, [3]) hae visiones et verba facta sunt.

Et dixi et scripsi haec, non secundum adinventionem cordis mei, aut ullius hominis, sed ut ea in coelestibus vidi, audivi et percepi, per secreta mysteria Dei. Et iterum audivi vocem de coelo mihi dicentem: Clama ergo et scribe sic.

CAPITULA PRIMAE VISIONIS PRIMAE PARTIS

I. *De fortitudine et stabilitate aeternitatis regni Dei.*
II. *De timore Domini.*
III. *De iis qui pauperes spiritu sunt.*
IV. *Quos virtutes, a Deo venientes, timentes Deum et pauperes spiritu custodiunt.*
V. *Quod agnitioni Dei abscondi non possunt studia actuum hominum.*
VI. *Salomon de eadem re.*

« Vidi [4]) quasi montem magnum, ferreum colorem habentem, et super ipsum » quemdam tantae claritatis sedentem, ut claritas ipsius visum meum reverbera- » ret, de quo ab utraque parte sui, lenis umbra, velut ala mirae latitudinis et longitu- » dinis, extendebatur. — Et ante ipsum, ad radicem ejusdem montis, quaedam ima-

[1]) Is Volmarus erit, cujus epistolam habemus p. 346, et imaginem in pictura libro *Scivias* praefixa in cod. min. Wiesbad. — [2]) Eadem est puella monialis, quae memoratur in prooemio libri *Vitae meritorum*, sed nullibi nomine suo signatur. — [3]) Cum liber *Scivias* non nisi a. 1151 absolutus fuerit, palam fit totum librum minime Eugenio III apud Treveros oblatum fuisse a. 1147, ut creditur, nec nisi exeunte ejus pontificatu ultimas prolixi libri III visiones exaratas fuisse. — [4]) Virgulis solent in codice circumscribi singulae visiones, tum concio haberi, capitula vero recenseri post visionis enarrationem, juxta ejusdem particulas, absque ullo ad concionem respectu, sed certo ex ordine, numeris distincto, qui omnino in editis desiderantur.

*

» go undique plena oculis stabat, cujus nullam humanam formam prae ipsis oculis » discernere valebam. — Et ante istam, imago alia puerilis aetatis, pallida tunica, » sed albis calceamentis induta, super cujus caput tanta claritas de eodem super » montem ipsum sedente descendit, ut faciem ejus intueri non possem. — Sed ab » eodem qui super montem illum sedebat, multae viventes scintillae exierunt, quae » easdem imagines magna suavitate circumvolabant. — In ipso autem monte qua- » si plurimae fenestellae videbantur, in quibus velut capita hominum, quaedam » pallida, et quaedam alba apparuerunt. Et ecce idem qui super montem sedebat, » fortissima et acutissima voce clamabat, dicens:

» O homo, quae fragilis es [pulvis] de pulvere terrae, et cinis de cinere, clama et » dic de introitu incorruptae salvationis, quatenus hi erudiantur, qui medullam lit- » terarum videntes, eam nec dicere, nec praedicare volunt, quia tepidi et hebetes » ad conservandam justitiam Dei sunt; quibus clausuram mysticorum resera, quam » ipsi timidi in abscondito agro sine fructu celant. Ergo in fontem abundantiae ita » dilatare, et ita in mystica eruditione efflue, ut illi ab effusione irrigationis tuae » concutiantur, qui te propter praevaricationem Evae volunt contemptibilem esse. » Nam tu acumen hujus profunditatis ab homine non capis, sed a superno et tre- » mendo judice illud desuper accipis, ubi praeclara luce haec serenitas inter lucen- » tes fortiter lucebit. Surge ergo, clama et dic, quae tibi fortissima virtute divini » auxilii manifestantur. Quoniam ille qui omni creaturae suae potenter et benigne » imperat, ipsum timentes, et ipsi suavi dilectione in spiritu humilitatis famulan- » tes, claritate supernae illustrationis perfundit, et ad gaudia aeternae visionis in » via justitiae perseverantes perducit. »

I Unde etiam, ut vides, mons iste magnus, ferreum colorem habens, designat fortitudinem et stabilitatem aeternitatis regni Dei, quae nullo impulsu labentis mutabilitatis potest exterminari. Et super ipsum quidam tantae claritatis sedens, ut claritas ipsius visum tuum reverberet, ostendit, in regno beatitudinis, ipsum qui in fulgore indeficientis serenitatis toti orbi terrarum imperans superna divinitate, humanis mentibus incomprehensibilis est, sed ab utraque parte sui, lenis umbra velut ala mirae latitudinis et longitudinis, extenditur: quod est et in ammonitione et in castigatione beatae defensionis suavis et lenis protectio, ineffabilem justitiam in perseverantia verae aequitatis juste et pie demonstrans.

II. Et ante ipsum ad radicem ejusdem montis quaedam imago, undique plena oculis stat, quia coram Deo in humilitate regnum Dei inspiciens, timore Domini vallatus, perspicuitate bonae et justae intentionis, studium et stabilitatem suam in hominibus exercet; ita quod ejus nullam humanam formam prae ipsis oculis discernere vales, quoniam omnem oblivionem justitiae Dei, quam saepius homines in taedio mentis suae sentiunt, per acutissimam aciem inspectionis suae ita abjicit, quod mortalis inquisitio vigilantiam ejus in debilitate sua non discutit.

III. Unde et ante istam, imago alia puerilis aetatis, pallida tunica, sed albis calceamentis induta apparet, quia praecedente timore Domini, illi qui pauperes spiritu sunt, subsequuntur, quoniam timor Domini in devotione humilitatis beatitudinem paupertatis spiritus fortiter tenet; quae non jactantiam, nec elationem cordis appetit, sed simplicitatem et sobrietatem mentis diligit, non sibi, sed Deo, ve-

lut in pallore subjectionis justa opera sua, quasi indumentum pallidae tunicae tribuens, et serena vestigia Filii fideliter subsequens. Super cujus caput tanta claritas de eodem super montem ipsum sedente descendit, ut faciem ejus intueri non possis, quia potestatem et fortitudinem ejusdem beatitudinis tanta serenitas visitationis illius, qui omni creaturae laudabiliter imperat, infundit, ut intentionem ipsius mortali et infirma consideratione capere non valeas, quoniam et ille qui coelestes divitias habet, paupertati humiliter se subdidit.

IV. Sed quod ab eodem qui super montem illum sedet, multae viventes scintillae exeunt, quae easdem imagines magna suavitate circumvolant: hoc est quod ab omnipotente Deo diversae et fortissimae virtutes in divina claritate fulminantes veniunt, quae illos qui Deum veraciter timent, et qui paupertatem spiritus fideliter amant, suo adjutorio et custodia circumdantes, ardenter amplectuntur et deliniunt.

V. Unde et in ipso monte quasi plurimae fenestellae videntur, in quibus velut capita hominum quaedam pallida, et quaedam alba apparent; quia in summa altitudine profundissimae et perspicacissimae agnitioni Dei nec celari, nec abscondi possunt studia actuum hominum, cum et teporem et candorem in semetipsis saepissime demonstrent, quoniam et modo homines et in cordibus et in factis suis fatigati, in contumelia dormitant: modo exsuscitati in honore evigilant, quemadmodum Salomon in voluntate mea testatur, dicens: *Egestatem operata est manus remissa, manus autem fortium divitias parat.* [1])

VI. Quod dicitur: debilem et pauperem se homo ille fecit, qui noluit justitiam operari, nec iniquitatem delere, nec debitum remittere, ubi a miraculis operum beatitudinis otiosus permansit. Qui autem operatur fortissima opera salutis, viam veritatis currens, fontem salientis gloriae capit, in quo pretiosissimas divitias in terra et in coelo sibi parat. Unde quicumque scientiam in Spiritu Sancto et pennas in fide habet, ille ammonitionem meam non transcendat, sed eam in gustu animae suae amplectendo percipiat.

SECUNDA VISIO PRIMAE PARTIS

col. 387. D. ita serenissimum *cod. f. 5.*
388. D. nebula se extendens, quasi venam, visum deceptibilem habentem tetigit
389. A. de quadam pulchra forma hominis plurimas plurimasque stellas
per eam afflavit ac illam eamdemque formam hominis de eadem regione ita ejecit
splendor eamdem regionem circumdedit
fuerat dicentem
B. et sibi consentientium
torporem ignorantiae
noluerunt, amplexati sunt
C. quantam acutissimo visu cognoverunt
omnem pulverem injustitiae
D. ubi se subsistere
sic de Deo dicebat
fervidi contra fulgorem et nigri contra serenitatem
impietatem ipsorum
390. A. Quod dicitur: flagrans spurcitia petulantis nequitiae
rabie spernunt
quod ullus eos valeat expugnare
cum i. i. f. s, volunt exurere quaecumque exagitant
B. cum dolore
in hominibus sparguntur per rabiem eos devorare
recedunt, magnae inutilitati assimilantur ita *cod. fol. 6.*

[1]) Prov. X, 4.

facere valent
quod in tepido
C. eas ad perditionem
ubi ardor
teterrimi fumi
de summo bono averterunt
intelligere voluerunt
de omni bono abjecti
D. tenebras acceperant
391. A. sed tamen
B. in innumerabilibus vitiis sordueratis
C. nebula se extendens
quasi venam (visum *sup. lin. 2. m.*) deceptibilem habentem tangit
om. latenter
cum magno horrore
quis tangit me
ire videns
cum magno stupore
D. sibi assimilari
nt studens
eorum adinvenit
quae de quadam p. f. h.
plurimas plurimasque
392. A. *om.* Diabolus
tam fortiter ardebat
ipse Diabolus Evam
idem perficeret
illam eamdemque formam hominis de eadem regione ita ejecit, quoniam idem...
subversionis misit.
B. Sed sicut non parvo puero *cod. fol. 7.*
in perfecta aetate sua
et succo Adae
concipit prolem
mulieris est
C. honeste constituit
393. A. ambulabunt, sed si
maritus enim
Dei inclamabitur
ita quod maritus
a conjunctione ista simul
B. factorum natorum
de vento movetur
quaeque viridia illis
crimina flagitiorum
C. abscidunt filios
D. rectissimo germine
quandiu flatum inspirationis in se haberent
conjunctio ista
voluntatem hominum
394. A. multotiens ad castig. *cod. fol. 8.*
B. maxillam suam fortiter
395. A. ut sapientia
D. bonum ejecit
in mortem cecidit
diem fiat, mortalis
396. A. sanguis alieni populi confluat, qui jam nullam
B. vires suas deserens
ejusdem conjugis in aliena *cod. f. 9.*
in doctoribus suis
C. ne illa tribus divisae conjunctioni paganorum se mittentes, foedus meum dirumperent
in alienum populum
baptismo modo habet
cui idem opus
D. *om.* sibi *ante* accipiat
cum verecundia concipiat
idem semen rectum
fortissimus in libidine est
in eodem opere non exerceat
397. A. et in succo seminis
in divisione mulieris
membrorum ventris
semen illud effusum
ubi se mulier
muliere non abjicio
B. in hoc eodem tempore in magna medicina misericordiae habenda est. Ipsa etiam se continente
ut ab incessu templi mei se contineat
intrabit, ne violetur
C. integer ab omni
D. ne coagulatio ejusdem
398. A. cum iterum deinde
sicut loquacitas stultorum hominum clamat, qui dicunt sibi
tam crudeliter continere
ad Deum vides
B. quem multotiens in peccatis
quia speculum Dei abjicitis *cod. fol. 10.*
C. non dantes eam in diversis obvolutionibus
claritatem scilicet vidente
D. cum ipsos (*om.* adversarius)
subjugata non est
Filium meum
399. A. vestro sustinebitis
humanae teneritudinis

in quo labore
vitia abjicientes
B. super amorem aromatum coram
exinde in c. r. habebitis
o dulcissimi flores
mortem transitis, ita quod
corpus habetis
hoc modo conculcantes
C. in scrutinio cordis sui habeat et cum sufflatu
voluntatis concutio
D. ita quod et
in memetipso habebit
loco segregans
400. A. in obedientiam arripiente, ita quod Deo inobediens fuit, et ipsam tranquillitatem
inferens, quoniam homo se ipsum ad deteriora inclinaverat ut per
quid est hoc?
Sed paradisus
dans fortissimum succum aridae
quid sunt et cur *cod. fol. 11.*
probatione, quasi nihil et inanis causa. Aurum in igne debet probari
unde o stulti
C. creaturam expurgandus est
terra per aquam, ignis per frigus,
pugna per repercussionem
om. et *ante* terrena
401. A. cons. h. habens in Deo
scilicet claritatem
possidens in coelo
si idem Filius Dei
Dei in cruce
in integerrima Virgine incarnari constituit, et sic post
B. corporali gravedine
ulla indignatione
ita quod nullus eam dejicere
C. atque utilitatem, saporem, odorem et bonam famam diversorum aromatum in eo considerat. Et sic idem Dominus, magnus philosophus et profundus artifex existens
ac deinde excogitat
inimicorum suorum
pigmenta faciant
tantus philosophus et tantus artifex
laboribus facit
D. faedum fuit. Sol
majori dilectione
oppositum non esset
est, abjicienda est
ovis hujus Domini qui talem hortum plantaverat. Sed ovis haec eidem Domino non propter ignaviam ejus, sed per consensum ejusdem
402. A. ovis ablata est, quam postea idem Dominus in multo
in maximo honore
quem idem agnus
dimittere debuit
quomodo idem coelestis panis sine
B. se ipsum dejiciens *cod. fol. 12.*
paradisi expellens
Dei subsannavit.
nobis assumitis
C. heu! heu! quis
magno decerpsit se
principi suo resistere
qui ovem istam
in similitudinem ejusdem
quae ipsi decidens in multas sordes corruit
eam clementer extraxit ac eam de sorde illa in qua jacuerat, extractam ita expurgavit ut aurum in fornace expurgatur atque illam
D. gloria reposuit
ad coelestem gloriam
in amaris (*post corr.*) amplexibus
nec in pulchritudine carnis
sed et humilitas...
cum humilitate...
403. A. ubi ipsa
quasi vilissimum
in coelo tulit
in terra posuit
salvari contendit
humilitas est quasi anima et charitas velut corpus
404. B. iste admonitionem meam non transcendat

TERTIA VISIO PRIMAE PARTIS

403. B. in igne isto
quod idem instrumentum totum ab eo illustrabatur
et idem globus ille se aliquando sursum elevavit
deorsum inclinavit
ita quod ex hoc flammas suas citius subduxit
qui idem instrumentum
C. sub eo fuit, alius flatus cum turbinibus suis ebulliebat
diffundebant
intueri non poteram
concutiebat plenus
in se sentiebat
quemdam globum
videbam super
404. B. clare positas *cod. fol. 13.*
turbinibus se effundebat
C. motu dedit
ubique diffudit
labi poterat
moveri faciebant
lucem habebat
tenebrae illae ad ipsam lucem pertingere potuerunt
dicentem michi
405. A. ac in novo testamento se dilatantes, tandem circa finem
B. qui designat
exurens hos
sicut et factum
quando a Deo creatus est. Deo se
quod idem instrumentum... illustratur
quia in Deo
quod omnis... illuminatur.
C. eumdem globum.
administratione demonstrantes
quod (*caet. om,*) idem Filius
qui suae claritatis obsequio
glorificantes omnem nocivum
magnificant, ubi ipsos
et ubi homo
D. in nobili Virgine exoptabilis
ita quod ex hoc
406. A. clementer inclinatus
velut scriptum
eum mortalibus oculis tegens, famulatum exhibentibus
ostendit protendens quoniam
B. vera diffamatio cum justis sermonibus procedit et ubi ipsi
C. Deum non ignorans timet pessima infamia
illac se dilatant
antiqui perditoris
C. *om.* ignis ille *ante* plenus
saevissimis duritiis *cod. fol. 14.*
in avaritia effusionis
judicia et exspirationes volantium rumorum et expansiones fluentium dispositionum in ultione
D. sentit quia dignitas ostensionis divini examinis idem nefas praecellendo opprimit, cum etiam divina m. a. fr. ejusdem ins. p. m. vidente oculo c. o. n. s. eum praevideat
sed sub eadem pelle
a semetipsa
sed ad Christum suspensa
plurimaeque
veraciter designat
407. A. quae sua significatione
scilicet cum ipsa eamdem Ecclesiam diversorum morum
B. in quae eadem Ecclesia congruo tempore conculcationem verborum aliquantulum sustinens, decorem miraculorum suorum tradit
tamen claritatem operum in p. h. per alios admiratur
speras efflat
accipiens, ita etiam amorem
turbinibus se effundit
C. fortissima fama
celeritate percutiebat
humorem dat
multo fragore
D. ipsorum coadunatur
manifestatur
idem baptismus
in ipsis praedicatoribus dilatatus suavi irrigatione... propalatur.
quidam flatus
408. A. quem praefata elementa
illac labi potest
multae gloriae factum degentem et virtute earumdem creaturarum ita obvolutum

B. homini injunxisti
eadem elementa
eumdem globum
moveri faciunt
ipsius creatoris se invicem complectuntur
verborum innectitur, homo eorumdem
dum in eisdem mirabilibus
C. *om.* maligni *cod. fol. 15.*
per exoptabilem
ad ipsam lucem
D. ea multotiens
velut est in paganis
et quos isti sua
similem esse anhelavit
ideo et ipse
volunt habere
409. A. Sed isti homines
scrutantur sciscitantes
quam ipsi scire volunt
Dei postponere
B. de incredulitate paganorum sequaces eorum aff. solent, ita quod dicunt stellas vobis hom.
C. ostendit dicens
demonstrantur
subtrahitur
cum servitute
ipsa nullum sublevamen eidem Filio meo conferens, incarnationem denuntians
notitiam nullam hab.
eo congruentem formam
sic quod idem nummus
declarat, sed si hoc nullam pot.
non novit quando
410. A. intuens denotares
fallacem aestimationem
gavisus in deceptione diceres: ach! moriar, vel wach! vivam, seu wach
vel daret
tuae quicquam
B. Deo consilium dedisti
C. scilicet quod *cod. fol. 16.*
hanc inspiciant
nolo autem dicere quomodo
ita quod eum
valde culpabiles sistunt
hoc modo denegant
seductorem imitantur
non cum malitiosa iniq.

D. sed tu me verum
est imitans
me subsannaveris
similitudinis senties quae dicit
sibi subjectos habens
eorumdem servorum suorum
tard. et teporem abjicientes
agerent iidem servi
et diversae artis
411 A. illusorem imitantes
cujus servi estis famulari
mihi servire non vultis, videte quod ejus stultitia vobis proderit
post eos *om.* abs se.
Dominus iste
ita qui quemque hominem intellectu armavit
B. ire disponentes
sed per deceptionem
quidam ipsorum
se supponunt. Quibus doctores eorum velut sodales ipsorum per sacras Scripturas multotiens occurrentes
C. sibi inducant vociferantes, sed illi a. e. s. subsannantes
post superbiam *om.* suam
obduratione ista
iniquitatibus existentibus
cur *(om.* objiciebatur)
debuerant, dilexerunt, objicitur, ita quod ipsi contempti
considerare compelluntur
D. Ego enim nolo
vitae suae scire aut i. d. aut transilire
412 A. terreni liquoris
serpentis devitat
post tener *om.* debilis
et in horrore pessimi
B. quamque justitiam
post sunt *om.* hoc facio
secundum utilitatem quam in homine video
C. in ulla utilitate *cod. fol. 17*
hominum transgressi, nisi ego te novi secundum
et utilitatem eorum
nullam viriditatem bonorum
D. sed tibi, o homo, dico
et quare tunc postponis me
diabolica suasione
413 A. manifestata sunt 512.

quapropter nolo ulterius ut amplius
ego, videlicet summum bonum
sic Deus non est. Quod est hoc?
B. flabri venti
quae exarata
Sed et in
mihi minaris, dicens
C. velut si p. h. cervum vult
cervi valide truditur
quod te laedere
sed idem lupus
unde etiam illam volo habere
414 A. quid est hoc?
abstergo. gravioribus autem
culpis dico. o homo
et correctionem et ostendam
B. in perditionem ivit
infernum fregit
quid est hoc?
C. non transcendat *cod. fol. 18.*

QUARTA VISIO PRIMAE PARTIS

415 A. in vasis suis lac
caseos facientes
casei effecti sunt
B. vividae motionis dedit, ita quod velut ignea spera
cor ejusdem formae
Sed deinde eadem forma hominis de utero ejusdem
quos ipsa spera in eadem
fortiter restitit
sic dixit. Ego
C. quinque lapidibus
occidens sol et occidentes stellae
scalis... positis et plateis... stratis
ach! ach! ubi capta sum
D. honore carebat
qui me coeperant
fecerunt me mand. ac ita in desertum locum me mittentes
ad manducandum dabant
torcular me ponentes
me affligebant. Deinde autem vestibus meis me exuentes
416 A. venatum me miserunt ubi pessimos et venenosos vermes, videlicet scorpionum, aspidum et aliorum similium vermium me capere fecerunt, qui me totam s. v. ita consperserunt quod inde debilis efficiebar
Ubi est honor tuus? tunc ach! sed ego tota
moeroris silenter dixi
ach! unde huc veni
foetorem hunc aegrum sufferre
perungent. ach! quis dolori
de moerore meo
ac omne quod vivit
B. quis me juvabit
ad memoriam duxero
cum recordor
turpiter polluta sum
C. ach mihi! quia a te
levius dolerem. Nunc
ita quod... possum
effugere possim
dixissem, ivi angustam
D. ibi etiam considerans
mea tantasque *cod. fol. 19.*
istis perfusus est
nares meas tetigit
istam adesse
cum tantis fletibus
417 A. quod etiam mors ille
commotus est
quid fiet de me
velut matrem meam viderem
me istos
ubi est ista
nostram habuimus, ita quod omnem voluntatem nostram perfecit? Ecce ubi nunc coelicolas
ne nobis effugere
B. subjeceramus
illud in quo omnino me absconderam
ire volebam
non possent
quod illud nullo modo transvadere potui
quod nec per illum transire valui
ejusdem maris
habere poteram
ach... ach! quo me vertam?
inimici mei magis
C. deridebunt me, quia
flebiliter clamaveram
et quoniam dulcedinem suavitatis ejus parumper senseram
a matre mea veniente
forti eram
et quod... ire coepi

eaedem autem
plenae erant
habere poteram
ex eodem labore
suspirare valui
ejusdem montis
perveniens ad
D. descendere volebam et ecce ibi aspides mihi oppositi erant et in m. s. s. emittebant
cadam in qua
418 A. velociter transvolavi
et illud intrans
in eodem autem... in quam
et se hac et illac
cum musco
lapidibus feci
factas posui
ejusdem turris
B. ita quod ex ipso per totum idem tabernaculum maximus odor diffunderetur. ad
occupata essem
operis mei
janua ejusdem tab. sagittis impletur. Nulla tamen earumdem sagittar. nec januam nec c. ejusdem t. perforare valebat
poteram q. 1. videntes
quatinus et me et
sed tamen
C. tabernaculum fecit
nullam victoriam
adversum vos peregi
contra vos vibrabam
strenue defendebam
quoniam ultra me *cod. fol. 20.*
etiam quod
D. Sed tamen sic
officium habeo
tamen vivens
viriditatem tribuo et quod illud
ach! o quam magno gemitu hoc quaeror
quod multotiens dico
419 A. secundum gustum viriditatis terrae a... quaeque opera intelligo, sed tamen aviditate ejus ita impedior quod
vulnera in me videro
quia gustum in opere
B. contraria Deo sensero
superponderavero

ach! me peregrinam
subsistere possum
perficere vales
ach... nociva
nociva dulcedo
C. peregrina sum
sic dicentes
et quid facis
D. in insaniam
istud ignoras
volo volare
420 A. facere tentavero
opus facio
in me habeo
mihi tunc occurrit
munditiam, sanitatem et altitudinem
B. ach! quam infelix hoc certamen, quod sic
deceptibilem versutiam
in deceptibili autem versutia
nec in homine, nec in Deo
C. quod dubito
quod a Deo creata sum
responsum do
conteram, quemadmodum fortis leo se defendit (*om. caetera*)
D. incendere voluerit
suavior ero
viriditatem suam ostendere
quod nullum sibi
p. 421 A. cum rapacissimus
altitudinem Dei cognosco (*om. caet.*)
et sic etiam caetera vitia fortissimo scuto humilitatis
B. sed deinde...
dijudicabor, ibo. opera enim
ibi ostendam
et o quanta angustia ibi
ipsius secundum quod
C. postquam se exsolvisset
apertius manifestes
D. quod in magno typo
p. 422 A. fundere properavit, ubi in eadem scientia
quae facturus est homo. Et ego, o homo, tibi dico: O stulte
finem obfuscare omnium
sed quid es tu, qui favilla
innumerabilem pulchritudinem
nulla indignatio injustitiae
B. *om.* unquam *post* est
quid est hoc?

om. et super omnia *ante* adimplent
in mortem corruit
cum attendis
cum multotiens in peccata
C. bonum facere et si tunc *cod. fol. 22.*
unde oportet
tunc idem pater
te ponens dulcibus amplexibus
quam verum notares
D. *om.* qui justus es et verax *ante* nec judicium meum
rectitudini suae ordinavit
423 A. ita quod sculptilia fecerunt quae Diabolus invasit, et in quibus illos tum in petulantia hujusmodi... cum illud genus subsequentes creaturam et ad ipsum qui Diaboli
B. *post* in sole *om.* justitiae
illorum quae in principali sapientia vobis *om. interposita*
quibus in vanam
mersi estis
honor habitat, sed illa horribilis lascivia quae
et ubi vivificae sp. in v. sp. habebitis
C. in vasis suis lac
caseos facientes, qui sibi in mundo
unde fortes casei fiunt
quod in prosperitate
post utilitatis *om.* vitae
D. in teneritudine sua inutiliter semicoctum et semi temperatum
ita quod isti multotiens stulti
in operibus suis sunt, quia Deum
ita quod illi saepe
mentem suam multotiens ad
multi autem
ita tamen quod multas
sed tamen victores existunt
in quiete pacis quiescerent
424 A. coercet adjuvans
quod mors ipsos intrare conatur
semper assistunt
nulla obscuritate
mirabiliter multotiens facio
B. etiam vulneribus per multam
superbam mentem suam ineptam ascendere putantes
sua versutia aut ferocitate possit evellere *cod. fol.* 23.
et aequitati meae
multotiens quoque ut vides ubi in oblivione
C. multotiens etiam hanc
in hac lege se
a se abscidunt
D. conceperit
cum in secreta
cor ejusdem formae
res circuitu
425 A. regit, velut
viribus suis
quoniam viriditatem
toti corpori tribuit velut
ramis dat
eadem forma hominis
ejusdem mulieris egrediente *(male)*
B. sibi inducit.
se proferre ostendens
C. se incurvare coeperint, anima leniores
quid est hoc?
et sensus exspirat
D. se ad movendum habeat
sarcina medullarum
infixus est
certissime procedit
sive bona sive mala sint
ipse ea hoc modo excutit
426 A. aut amabilia aut odibilia
vel ad mortem
tepidae et non intelligibiles
sed et ipse est
medulla reliquarum virium animae existens velut humerus corporis
fortis est
quod inflexio brachii est
ita non operatur
quid est hoc?
B. intelligens velut *cod. fol. 24.*
malum negligentes
in hac parte animae
homo qui... suae consistit ut
scilicet dextrum
ejusdem domus
C. quodque opus
in inceptione molit
om. nam *ante* esca
D. tamen in voluntate graditur
in idem tabernaculum
turpis laetitia.
sua tangitur et sic petulantia
427 A. de qua in eodem tabernaculo
hominibus faciens
cum eadem tab.
multotiens in odio et in reliquis

ejusdem tab.
velut cum aliquis
princeps ejusdem exercitus
hominis sit profert
C. homo nascatur
quid est hoc?
viget. Quid est hoc?
D. sensum exspirat
tactu glorificat
rebus fit
428 A. quid est hoc?
et ut in eo thesaurus scitur
B. ita pertransit *cod. fol. 25.*
quid est hoc?
sic flores producit
post facit *om.* sic et per animam corpus
fructus ille ad
quid est hoc?
B. illustrabit, exspiratio
ipsum irrigabit
fructum ducet
C. quasi fructus ejus
homo quae haec vides, consideras
carnis multotiens
D. haec fidelis praefata anima
sed non valent
pertrahere conantur
id est quoniam superna
429 A. quod vero ut vides
ejusdem habit.
B. veram dispositionem Dei
se exsolvat
corpore attendunt
C. oculos et aures
ullam rugam, cum etiam
ubi Filium suum
nulla indignatio
in speculativa scientia
D. unde et illud in morte
malum neglexerunt
obedientiae deputavit, sed deinde ad malum se inclinavit et in obedientiam perfecit
unde et de paradiso
430 A. vitae perficiendum
vetus crimen Adae tibi est ablatum et si dixeris: Diabolus et opera ejus volo fugere *cod. fol. 26.*
tunc etiam considera
sic dicit
B. ita quod in mandatis Dei fortiter cucurreris
bonum faciet
in me perficiet
sed ego tibi dico
C. quod etiam per omne corpus tuum te potes sublevare et prosternere dormire et vigilare
juvabit te
in vitiis et in peccatis
retinere deberes
D. gavisus dicit
perficere possis. Tibi enim
secundum hoc quod
delectari vult, ita quod
ne in delicias
om. in coelum *ante* redire velit
431 A. doceris quod et
tunc tibi per me dicitur.
quod si tunc in bonis viis
quia qui tibi
tuam porrige
avidissime raperes
B. quoniam aurum
gravedinem peccatorum
peccatorum remaneas
multotiens Deus
et ego respondebo
et tu dicis: quomodo? et ego dico: Intellectu et operatione. Et tu respondes: Consensum non habeo. Et ego respondeo: Disce pugnare contra te.
et tu dicis: contra meipsum
C. ita quod nescis
tactus quia in viis
om. enim *ante* habes de scientia tua
o quotiens te op. illud
multa adversa sustineres
D. taedet te illud
te caperet
prodesse posset ac
et eum orares
quatinus tibi subveniret
juvabit te *cod. fol. 27.*
stultus ad defendendum te
432 A. pro stercore
nolite Deum negare
et nolite in peccatis
cum voluptatem carnis
convalescite ergo
quia vobis necesse est
in mortem cadat
inventus ostendit
B. per quod salvari
vinum poenitentiae ut
stabilis sis, nec taedium capias

om. inde
sed quamvis
C. poenitentiam hanc cum
in semetipsum respicere
in mortem ibit
in praeceptis Dei
D. Quid est hoc? nec Patrem nec Filium
433 A. in voluntate superna
434 A. illius sapientiae
non transcendat

QUINTA VISIO PRIMAE PARTIS.

433 B. sanguineam, circa pedes
oculos autem non habebat manus vero suas s. a. s. posuerat
ac in ventre ipsius
pulchritudinem Ecclesiae admirantes. Ipsa vero
aliqua turris alicujus civitatis est
C. dedit, ubi jugo. *cod. f. 28.*
Dei existens et ab initio surgentium
illa autem rutilans
et sic in Cant. canticorum de ipsa dicens:
D. deserta paganorum
434 B. abundans ac
et se ponens
virtutibus viget
scripturae abundat
filiis ejusdem novae sponsae per multam
in servo meo Isaia propheta sic dicit: Sunt isti qui in mentibus
de terrenis
C. *om.* itaque *post* synagoga
de Ecclesia quomodo se his virtutibus ita munitam non cognovit, sicut illam praevidit
diabolus dilaniet
434 C. usque ad consummationem suae extensionis eis
sordidam suorum *om.* fuisse
et voluptatem carnis suae secuta est
sanguinea circa pedes
consummationem accepit
435 A. terrarum dilatavit
Sed eadem imago oculos non habet manus vero suas sub ascellas suas ponit
sub taedio pigritiae suae torporem a se
sed ea velut.
stans juxta
exterius quidem novit, sed eam quam diligeret
B. in ventre ipsius
pulchritudinem Ecclesiae admirantes
miracula prophetiae
generositatis novae sponsae
aliqua turris alicujus civitatis
quia etiam in ortu
C. Dei praesignavit
sequuntur praemonstravit
in primo mane
quid est hoc (*bis*)?
D. quoniam ut illi in uno
cum etiam in novissimo
436 A. ut Ezechiel *cod. fol. 29.*
et ingressus sum pactum
B. scilicet ut Samsonem
postquam deinde
idem Filius Dei
natos illius exhaeredavit
per paganos Deum ignorantes in zelo
et cum praevaricationibus
C. conjuncta erat
Diabolum secuta fuerat
illius rapuerat
erroribus tradiderat
velut Saül
interfectus exspiravit
sic etiam filius iniquitatis Filium meum in electis suis
tunc idem Filius
D. sicut et David
cum in novissimo
et ad viam salutis
praecucurrant
non transcendat, sed

VI. VISIO PRIMAE PARTIS.

437 A. fulgentes, ita ut qui in una acie
in se praetendebant
in alia acie
velut in speculo
qui in acie una istarum fuerunt
qui vero in alia
et qui in alia (*ter*)
B. qui autem in una
in quoque oculo
C. et qui in alia fuerunt
in eisdem pennis quasi
genere musicorum mirabilibus vocibus miracula illa
438 A. tibi demonstratur *cod. fol. 30.*
qui in una acie
quoniam isti angeli
B. C. qui archangeli
Dei attendentes
multociens praeveniebant, sed
D. unde qui in acie una
qui virtutes
439 A. sunt, fortiter adversus
quae ipsi hoc modo
turbam habent.
creatori ipsorum incessanter demonstrant
ita quod iste... et quod ille
B. Sed quamdiu interrogatio et responsum
per quod monstrabitur
qui autem in alia
C. mortalitatis peccatorum
in alia acie
sinceram fortitudinem justitia induant, ne in diversitatem
sed ut caput s. quod Christus Dei Filius est inspiciant
in necessitatibus hom. dirigant
D. qui in alia acie
ad terras movit
440 A. sed qui in alia
non potest apprehendere *cod. fol. 31.*
B. omni annisu
suam ad interna
qui in una acie
in quoque oculo
Dei exspirant
C. qui in alia
qui seraphim sunt significantes ut sicut ipsi
et ut maxima desideria visionis ejus habent, ita quod et. etiam in iisdem desider. suis
cum multa puritate in ecclesiasticis mysteriis vigent
D. quatinus ad gaudia quae aeterna sunt perveniant
musicorum mirabilibus vocibus miracula illa resonant
miraculorum illorum
441 A. velut etiam David
justitiam faciunt
quid est hoc? homo multociens ineptam exultationem
442 A. cum peccatum illud
ammonitionem meam non transcendat. [1])

[1]) Habentur ergo decem et tres spissae paginae varietatum in sola libri *Scivias* prima parte omnium breviore, quae Patrologiae paginas implet 54 sive col. 108. Quo vero longius pergit totum opus, eo uberius fruticant variae lectiones in codice Palatino, sicut et in codd. Wiesbadensibus, quas omnes, ut dixi, recepi, collegi, servavi. Sed aequus lector justa lance perpendat, quanta moles creverit per 404 columnas totius editi textus, quam vero molestum sit atque inopportunum ingens hujusmodi laciniarum volumen inter anecdota consuere, quin tamen perspicuum sit omnia Hildegardis opera esse renovanda, et ex codicibus qui adhuc supersunt, plene tandem et plane repurganda. Sed urget nos alia messis, hisce varietatibus uberior, centum prope novarum epistolarum, quae locum in reliquo tomo potiori jure requirunt.

SANCTAE HILDEGARDIS

EPISTOLARUM

NOVA ET ALTERA SERIES 1)

XXXIII.

Epistola Hildegardis ad Philippum Coloniensem archiepiscopum.

Sub solis, horti, turris, vermium et columbarum allegoriis hortatur Philippum, avaritia in primis oppugnata, ad vitam integram exercendam.

O tu, qui in persona illa es, quae a Deo et non ab hominibus es, quem Deus omnium rector hominibus dat, ut in vice sua sint, unde et tu provide qualiter in vice Christi sis. In visione enim vidi quasi solem, nimio ardore suo in lutum plenum vermium fulgere; qui prae gaudio aestus se erigebant, sed tandem fervorem caloris nequaquam sufferentes, se deponendo absconderent: unde et lutum illud magnum fetorem emisit. Vidi etiam quod in hortum sol fulgebat, in quo rosae et lilia ac omnia genera pigmentorum crescebant, et ubi per calorem solis flores floruerint, et pigmenta in radicibus suis multiplicata sint, ac dulcissimum odorem dederint, ita quod plurimi homines suavissimo odore isto repleti, de horto isto quasi de paradiso gaudium habuerint. Et audivi vocem desursum dicentem tibi: Propone tibi, o homo, utrum eligere velis in praedicto horto deliciarum manere, aut in fetente stercore cum vermibus jacere; et utrum altum templum, cum turribus bene ornatum, per cujus fenestras oculi columbarum aspiciuntur, an parvum habitaculum stramine obtectum, in quo vix rusticus locum cum suis habere poterit, salubrius te condeceat.

Lutum vero cum vermibus est prima radix originalis peccati, quae per consilium antiqui serpentis exorta est, quam natura virginitatis suffocavit, quando Filius Dei ex Maria Virgine natus est: in quo hortus omnium virtutum surrexit, quam etiam episcopales personae imitari debent.

Ipsos etiam excelsum templum per altam doctrinam episcopalis officii ascendere decet, quemadmodum et columba oculis suis in altum aspicit, et non secundum oculos accipitris, id est non secundum mores hujus saeculi facere debent, qui vulnera quidem faciunt, quae oleo non unxerunt. Excute etiam [te] de rusticalibus

1) Germanicis ex codicibus morosius exspectata, tandem accedit nova epistolarum Hildegardis collectio; unde necesse fuit, post duas et triginta epistolas superius positas, nonnulla interponere, quae demum missa facimus, ut inceptam telam, continuatis numeris, texere pergamus. Exoritur ergo epistola XXXIII, recepta ex codice Caesar. 628 f. 38. De Philippo Coloniensi cf. p. 414 not. 9, et epistol. XXV et XLVIII inter editas.

moribus avaritiae, ita scilicet ne plus congreges quam habeas, quia avaritia semper pauper et egena est, nec gaudium egeni habet, cui sua sufficiunt. Avaritiam ergo ut stipulam sparge et conculca, quoniam omnes honestos mores dissipat, velut tinea vestimentum demolitur, ipsaque semper mendicat, et velut parvum habitaculum justitiae est, quod locum non habet, ubi honestos mores conservet. Juxta hoc habitaculum sicut tumulus terrae jacet, quem vermes fodientes evertunt: significant quod plurimi episcopi qui per rectam doctrinam mentes hominum elevare deberent, cogitationes suas in thesauros suos ponunt, nec verba quae aliis dicant, aut quibus se ipsos reficiant, attendunt.

O Pater, in veritate tibi dico quod omnia verba haec in vera visione vidi et audivi, et propter jussionem et petitionem tuam ea scripsi. Non ergo super his mireris, sed omnem vitam tuam a pueritia tua usque nunc considera. Nomen quoque tuum muta, scilicet ut agnus de lupo fias, quia lupus agnum libenter rapit. Et esto in epulis peregrini filii, qui peccata sua confitendo, ad patrem suum cucurrit, dicens: *Pater, peccavi in coelum et coram te.* [1]) Super quo omnes chori angelorum gaudebant, mirantes quod post nequitiam peccatorum suorum, Deus tantam gratiam illi contulit. Itaque adjunge te floribus et pigmentis, quatenus propter dulcem odorem tuum populus gaudeat, quoniam honestum et utilem pastorem habeat, et ut etiam vocem Domini audire merearis: ***Euge, serve bone et fidelis, intra in gaudium Domini tui.*** [2])

Cod. Vindobon. 629. fol. 1-9. *Ad saeculares homines* [3]) *Hildegardis*. Vide supra p. 341.

f. 9 b. *Anastasio Apostolico Hildegardis*. Patrol. CXCVII, col. 154.

f. 12 b. *Danieli* [4]) *Bragensi episcopo Hildegardis*. Patr. col. 177.

f. 14. *Rutardo* [5]) *Eberbacensi abbati Hildegardis*. Patrol. col. 195.

f. 15. *Guntero* [6]) *Spirensi episcopo Hildegardis*. Patrol. col. 172.

f. 16 b. *Diettero* [7]) *abbati de Mulenbrunnun Hildegardis*. ib. col. 283.

f. 17. *Ad monachos*. Vide supra p. 334, 335.

f. 20. *Sophiae* [8]) *abbatissae Hildegardis*. Patrol. col. 323.

1) Luc. XV, 21. — 2) Matth. XXV. 21. — 3) Inde excutitur cod. alter Caesareus 629 (Dionys. Cat. t. I. 2599.) alias 881 Theol. 787, in quo, si cuncta plus minus integra expenderis, tibi erunt epistolae numero CLXXII (Dionysio CLXVI). Totius codicis seriem intactam relinquimus, in qua fortasse latet ordo epistolarum chronologicus, quae non videntur multum recedere ab Eugenii, Anastasii et Adriani temporibus, sive ab a. 1148 ad 1159. — 4) Danielis nomine solvitur nodus in quo haeserunt Bollandistae, impediti charactere H edd. praefixo, intruso Henrico Pragensi (a. 1187-1197) pro *Daniele* (a. 1148 1167). — 5) Iterum ab errore in littera H edd. emendantur. — 6) Gunterus de Harneberg sedit a 1146-1161. — 7) Nomen rursus sub falsa littera H latet in edd. apud Martenium. Sed mox incipit in codice foliorum perturbatio aut lacuna quae multa sustulit. Nam in transitu ad fol. 17 rumpitur series, et ea succurrunt quae supra in hoc tomo p. 334 a linea penultima: *via erat* etc usque ad pag. 335 lin. 18. Nec satis. Series enim requirit ut post fol. 17 primum ponatur folii 19 pagina prior, tum fol. 18 integrum, et inde reducatur folii 19 pagina altera, ut non solum peccetur in fol. 17 extravagante, sed error creverit ex alio exemplari antiquiore et dissoluto. Verum et alia folia ab aliquo cacodaemone lacerata aut perturbata, insanabili tumultu laborant.

8) Sophia, cujus epistola nuper a cl. Reuss Patrologiae commissa est, dicitur abbatissa *in*

XXXIV.

Bernardo et Gregorio cardinalibus [1]) *Hildegardis.*

Vigilantiam requirit a praelatis, curam boni nominis, et in omnibus justitiam ac in sacris negotiis integritatem.

f. 20 b. Fons aquarum clamat ad vos, imitatores ejus, per me vivum et acutum: Comprimite atque corrigite nigros insidiatores ac furtivos speculatores, qui in plumbum vertuntur, in tortuosis peccatis, et qui de Aquilone asperguntur in nequitia Diaboli, et qui se contrarie porrigunt ad caput praelatorum suorum per nimietatem iniquitatis. Fugate illos de pastorali cura, quae poenam de canibus portat; et quamvis quidam praelati sint obumbrati per vicissitudinem morum, tamen non decet quosdam praelatos propter quosdam subditos abjici. [f. 21] Ideo inspicite hoc per purissimum oculum, ut non deficiat honor vester, qui per nomen suum tangit illum, qui fuit et est rectus et justus per omnes vias suas in omnibus instrumentis suis, ea praevidendo ante [interstitia] dierum [2]) antiquorum. Ipse faciat puros oculos vestros, qui non spernit pupillum et pauperem, quia mons myrrhae et thuris estis, prae vallibus sordidi putei. Audite ergo illum qui semper vigilat viventibus oculis, et qui non est taediosus propter procellas quae sunt pars calicis eorum qui assimilantur simulacris, quasi dii sint per prosperitatem suam. Vos autem qui vultis habere potestatem, honores magni montis in palatio regis, nunc dilatate justitiam Summi, [3]) ad illius honorem. Hoc decet nos propter clarum nomen vestrum. Nunc ergo aspicite in igneum datorem, [4]) qui infundit bonum intellectum hominibus. Sed et quis homo potest conari contra vocem illam, quae tonuit, ascendens supra alas, et quae abyssum superavit, sonans per tegmen maternae viriditatis? Et quae alae ventorum possunt per velocitatem suam currere super vocem illam? Num potest vox haec parvam pennam [5]) facere volare, sic quod nullus gladius contra eamdem pennam se possit movere? Nunc vos, o imitatores excelsae personae, fons vivus clamat haec ad vos, quia vestram personam non decet ut habeatis oculos coecorum et vestigia vipereorum morum, et furtivam rapinam denudantem altare Dei. Et cur hoc facitis? Sed quia hoc facitis, non potestis solvere corrigiam calceamenti dominici corporis. Ideo castigate vos. [6])

Kisingen; eamdem vero ***in Ziringen*** ponit Codex Gebenonis sive 628. Epistola autem in cod. 629 editis multo brevior; timendum ne caeterae porro brevitate insignes, truncatae sint.

[1]) Occurrunt sub illo tempore Bernardus, Lucensis dictus, episcopus Portuensis a. 1159-1176. et Gregorius Sabinensis a. 1154-1163. — [2]) ***instincta dierum*** in cod. apographo indiligentissime descripto, quem ego saepe invitus sequi cogor. — [3]) fort. ***Dei*** adde. — [4]) ***igneus dator*** etiam legitur in superiore ad Sophiam epistola: quae verborum similitudo arguit temporis proximitatem. — [5]) ***Pennam*** se humillime vocat Hildegardis, nec sine elegantia in epist. ad Odonem, infra sub num. LXVII. — [6]) finis fort. deest cum solita salutatione.

XXXV.

Congregationi Hirsaugiensium [1]) *Hildegardis.*

Scandalis reprehensis, fugitivum quemdam monachum, ut clementer excipiatur, commendat.

Lux vivens dicit: O turba, quae remigas in naufragio mundi, quare tabescis in infirmitatibus magnorum periculorum fetentis nequitiae, per temeritatem tenebrositatis? Nemo nunc abscidat gladium suum a femore suo, quia mundus modo habet tempus injustitiae et abjecturam summitatis gloriosae victoriae, propter tempestates nigri tyranni. Ideo surgite, et armate vos contra saeva jacula, quae (f. 22) infixa sunt in calorem carnis et in spurcitiam Diaboli. Insequimini vestigia illius, qui perditam ovem suam ad summa retulit, per oscula humanitatis suae, reportantis eam in brachio potentiae suae, per suavissimum odorem misericordiae suae. Suscipite ergo in visceribus dulcissimae misericordiae lugentem, fugitivum propter stultitiam morum suorum, et amplectimini eum, omni devotione parcentes culpae illius, et adducite eum in stabulum sodalium societatis vestrae. Deus accendat lucem suam in vobis, ne extinguamini in luce veritatis.

XXXVI.

Hildegardis Sibyllae [2]) *trans Alpes.*

Aegrotam ad sublevandam, contra fluxum sanguinis quoddam praebet phylacterium.

O Sibylla, hoc tibi dico in luce veracium visionum: Tu es filia sylvarum in turbine morborum. Deus vigilat super te, ut non detur anima tua in dispersionem. Ideo confide in Deum. Haec autem verba circa pectus et circa umbilicum tuum pone in nomine illius, qui omnia recte dispensat: « In sanguine Adae orta est mors; in sanguine Christi mors retenta est. In eodem sanguine Christi impero tibi, o sanguis, ut fluxum tuum contineas. »

EX CODICE HAFNIENSI S. HILDEGARDIS

INSCRIPTO: CAUSAE ET CURAE

De sanguinis fluxu. (f. 145.)

Cum ergo multus sanguis de naribus fluit, accipiat anetum, (*Anethum graveolens*, L.) et bis tantum millefolii (*Achillaea millefolium* L.), et has herbas viri-

[1]) Monuit nos Trithemius multas Hirsaugiae remansisse Hildegardis epistolas, quae sane, praeter duas editas, sunt in nostro codice haud minus quam numero tredecim.

[2]) Nuper Florentiam profectus, incidi, Laurentianam ingressus, in hoc epistolium, quod vix genuinum duxissem, nisi memoraretur in Vita a coaequalibus scripta, lib. III, n. 40; quam praeterea sine varietate retinet codex noster. Caeterum innumera supersunt Hildegardis apophtegmata de fluxu sanguinis, neque inopportunum duxi nova quaedam et anecdota hac de re decerpere ex rarissimo codice Hafniensi libri *de causis et curis*, describente cl. Descemet, cui acceptam refero appendiculam septem excerptorum huic epistolae subjectam.

des fronti ac tymporibus et pectori suo circumponat... Et hae herbulae virides esse debent, quia virtus earum in viriditate praecipue viget... Quod si in hieme est, herbas pulverizet, et ipsum pulverem modico vino aspersum in saccellum ponat, et fronti ac tymporibus ac pectori superponat, quemadmodum praedictum est (Cf. *Subtilitatum*, *Physicae liber* I, LXVII), quoniam calor vini ad restringendum sanguinem eidem pulveri vires tribuit.

De fluxu sanguinis (f. 153.)

Si quis fluxum sanguinis habet, accipe duos vitellos ovi, et eos distempera, et succum metre *(Erythraea centaurium* Juss.*)* Adde quantum medietas unius vitelli, et aceti quantum duae testae ovi capiunt, et tunc modicum de pulvere cinamomi *(Laurus cinnamomum* Burm.*)* et de pulvere zituar *(Amomum zedoaria* L.) minus quam pulvis cinamomi sit, eis immitte, et cum his simul miscueris cum modica aqua *suffun* [1]) aliquantum spissum interea para, et da illi qui fluxum sanguinis patitur, modice calidum, tam jejuno quam pranso, ad sorbendum, et sic saepe fac, et melius habebit.

Item de fluxu sanguinis per posteriora. (f. 153.)

Qui fluxum sanguinis patitur Bramberecruth (*Rubus fruticosus* L., ex *Physicae* lib. I cap. CLXIX interpretandus videtur, quippe ibi de « Brema » agitur, « in qua Bramber crescunt ») et bis tantum Bluthcruth (*Lápathum sanguineum* Campd.) accipiat, et modice tundat, scilicet usque dum succum reddat, et sic in vinum ponat, et inter cibum, et post cibum, sed non jejunus bibat... Farinam quoque similae accipiat, et ex ea cum solo melle et modico sale tortellos faciat, et eos comedat... Interim autem dum infirmitatem hanc patitur, panem triticeum comedat, sed siligineum et hordaceum devitet. Bovinas quoque carnes et porcinas, et omnes pisces qui squamas non habent, ac caseum et cruda olera, et cruda poma, et quidquid assum est, devitet. Reliquas autem carnes quae molles sunt, et reliquos pisces comedat, et jus Pisae (*Pisum sativum*, Tournef.) sorbeat, ipsam autem pisam, et lentem, *(Ervum lens,* Tournef.) et fabam *(Vicia faba,* L.) devitet. Sed et omnem cibum calidum ne comedat, sed temperatum accipiat, ita quod nec calidus nec frigidus sit (Cf. *Physicae* lib. I, cap. VI). Suave quoque vinum bibat, sed aquam interim devitet, quae haec omnia nociva sunt homini infirmitatem hanc habenti, ut etiam de dissenteria dictum est.

De haemoptoica passione. (f. 154.)

Si mali et concreti ac venenosi humores in homine superabundaverint, et eum sanguinem excreare et vomere per aliqua tempora fecerint, interim nullam medicinam ille homo sibi adhibeat, ne sanguis per medicinam exterritus ipsum interius exulceret, et plus solito effluat. (Cf. *Physicae* lib I, cap. LXIII, ubi haec verbatim leguntur). Sed postquam idem sanguis hominem illum aliquantum fatigare cessaverit, salviam (*Salvia officinalis* L.) in leni et suavi vino modica aqua mixto coquat, modico quoque boumoleo aut butyro addito, et sic cocto per

[1]) Corr. *Suffen*, quo verbo S.ª Hildegardis usa est in *Physicae* lib. I cap. XV, LXXV, CV, CXVI, CXXXV. CLXXII, et lib. III cap. VII, latine autem significat: *Sorbitiuncula*.

pannum colet, et modice et non ad sufficientiam non jejunus, sed pransus bibat. Salvia enim interiori feditati humorum resistit, vinum autem cum suavitate aquae temperatum infirmum istum refocillat et confortat, boumoleum vero aut butyrum illum interius sanat.

Item de sanguine. (f. 154.)

Si sanguis in homine malis et aquosis humoribus excitatus, per posteriora eius cum egestione ciborum effluere ceperit, ille eum non restringat, quod purgationem ei affert, et quoniam ei pro purgatione est. Sed si supra modum idem cum egestione per eum transit, gamandraeam (*Teucrium chamaedrys*, L.) oleribus et aliis bonis herbulis addat, ex quibus cibum faciat, et ita eumdem cibum moderate comedat; et gamandraea praedictum sanguinem minuit, et eum restringit; olera autem et aliae herbae eum refocillant.

Item de haemoptoica, (ibidem)

Si ex amaritudine cordis et cogitationum splen et pulmo hominis laeduntur, ita quod homo in his interius oppressus, sanguinem excreare et evomere cogitur, eamdem emissionem sanguinis in se repente non restringat, ne inde interius exulceratus, sanguinem magis et magis evomat, sed cum idem vomitus sanguinis in eo aliquandiu cessaverit, in pollice dexterae manus sanguinem minuat, quatenus sanguis illuc tendat, qui in sinistra parte hominis eumdem dolorem affert, et sic ille curabitur.

Item de sanguine. (ibidem)

Si per tristitiam interiores venulae in homine ita constringuntur, quod ille interdum sanguinem evomit, eumdem sanguinem restringere non festinet; sed in quiete et in silentio sustineat, usquedum per se in ipso (f. 155) cesset, ne si repente restringere curaverit, inde potius laedatur quam juvetur, quod effluere tandem per se cessabit.

fol. 23. *Congregationi Andernacensi Hildegardis*. Patrol. col. 337.

XXXVII.

Item Friderico regi [1]) *Hildegardis*.

Timorem Dei coeco et insipienti ex ambitione imperatori suggerit.

fol. 25. O rex, valde necesse est in causis tuis ut providus sis. Video enim te in mystica visione velut parvulum et velut insane viventem ante vivos oculos. Sed tamen habes adhuc tempus regnandi in terrenis materiis. Cave ergo ne summus rex prosternat te propter coecitatem oculorum tuorum, qui non recte

[1]) Altera est ad eumdem imperatorem epistola, inter edd. XXVII, de qua disputant Bollandistae in comment. n. 42, 53, Nostra autem multo brevior haud magis mutila videtur, quam altera mox proferenda sub num. CXXVII, laconica similiter et aspera brevitate insignis. At non dissimulandum hoc epistolium XXXVII laciniam videri ex epist. edita excerptam, praeter initium, sed cum varietate et emendatione nonnulla.

vident quomodo virgam recte regendi in manu tua habeas. Vide etiam ut talis sis, ne gratia Dei in te deficiat.

fol. 26. *Monacho de monte* [1]) *Hildegardis*. Patrol. col 357.
f. 27. *Henrico episcopo de Bevez Hildegardis*. Patrol. col. 180.
f. 28. *Oldoni abbati* [2]) *Hildegardis*. Ibid. col. 302.
f. 28 b. *Abbati de sancto Emmeranno Hildegardis*. ibid. col. 200.
f. 29. *Richardo praeposito* [3]) *de Undenesdorf Hildegardis*. Ibid. col. 305.
f. 30. *Odalrico canonico Augustensi* [4]) *Hildegardis*. Ibid. col. 344.
f. 30 b. *Hermanno* [5]) *episcopo Constantiensi Hildegardis*. Ibid. col. 174.

XXXVIII.

Cuidam homini Hildegardis.

Breve monitum de nimium sibi confidente et castigando.

f. 31. Qui confidit in desideriis suis, ita quod in illis ad me non aspicit, verberibus eum caedam. Surge igitur cinctus, quia non sinam tibi haec. [6])
Dietmaro [7]) *abbati de sancta Waltburge Hildegardis*. Patrol. col. 298.

XXXIX.

Manegoldo [8]) *abbati de Hirsaugia Hildegardis.*

Suadet ut in munere suo maneat, compescat dyscolos, neque affectet altiora.

O dulcissime pater, et in amore Christi frater, ollam video circumdatam tam magna claritate, ita quod vix possum videre si olla sit. Sed et ibi video aliquantulum amari gustus, contrarium tamen magna contentione, et postea turbinem qui tamen ad praemium Dei praedestinatur. Sed hoc grave pondus quod portas, non in indignatione Dei est. Sed tibi occurrent mores ursorum et pardorum, et interdum venenum aspidum; sed gladius Dei illos occidet, et contra [9]) illos ut probus miles surges. Nunc moneo te, ut frenum imponas discipulis tuis, et ne sinas eos loqui malum adversum te. Vera lux tibi dicit: Quare non percutis nequissimos servos, qui tibi occulte insidiantur, sicut araneae quae pungunt? (f. 32)

1) In edd. respondet Hildegardis anonymo, fort. monacho de Monte S. Disibodi. — 2) *H. abbas in Selboth* appellatur in edd. Unde non unus error emendandus est, nisi ob simile argumentum eadem epistola ad alium Oldonem missa fuerit, id quod de pluribus litteris suspicari lubet. — 3) Nomen Richardi praepositi in edd. desideratur. — 4) In edd. ad hominem prorsus ignotum respondetur. — 5) Epistola edita dirigitur ad Virdunensem episcopum Adalbertum, qui sedit a. 1156-1163. Hermannus vero a. 1136-1166 Constantiae sedem tenuit. — 6) Vix non mutila lacinia. — 7) In edd. scribitur ad H. de Flanheim praepositum. — 8) Mirari subit cur initium idem sit ac in epist. ed. XXXV col. 199, tum pergatur in solitos Hirsaugiensium tumultus, sed cum novis quaerelis; postmodum vero clausula recurrat ad epist. ed. XXXV. Eadem vero refricare Hildegardi placuisse, in perpetuis Hirsaugiae turbis, constat ex collatis cum epist. memorata XXXV, tam nostra XXXIX quam altera infra CXXII, in qua tertio recoquitur symbolice eadem olla intumescens.

Vigila igitur strenue, quod postulat causa in moribus populi in hoc tempore. O mitissime pater, ego paupercula forma non video in vera luce quod omnino de officio tuo movearis. Memorare autem quod homo es in terra, et ne valde timeas, quia Deus non requirit semper in te coelestia.

XL.

Luthgardi comitissae [1]) *de Nifum Hildegardis.*

Rectam in saeculo viam, quietem in solitudine purosque in mente oculos insinuat.

Lux in serenitate dicit: Mons ascendit et in turbinem vadit; unde memor esto, filia, ut recta itinera facias in gustu boni intellectus, sicut psalmista dicit: *Declina a malo et fac bonum, inquire pacem et persequere eam.* [2]) Sic etiam collige tibi quieta loca, ut anima tua non deficiat, quia Deus non derelinquit justos, sed in sua pietate suscipit peccatores. Unde elige tibi rectas vias, et in aeternum vives, purosque oculos habe in mente, ut illusio non decipiat te.

XLI.

Luitburgae moniali de Treveri Hildegardis.

Locum ne festinanter mutet, hortatur, et de monialibus afflictis monita et solatia ministrat.

O tu de mundo orta, et filia Dei in Christo nata, omnia loca sunt in potestate Dei. Idcirco provide tibi minorem congregationem propter tuam infirmitatem, quia Deus discernit imbecillitates, infirmitates, aetates et constrictos mores, secundum qualitates hominum. Ideo nondum imponas tibi firma fundamenta ullius loci, antequam tu ipsa proberis in anima et corpore tuo. Aliis autem sororibus tuis S. M. adhibe consolationem, quantum potes in tua possibilitate. Ipsae etiam sibimet ipsis utilia provideant, ut non deficiant in animabus suis. Nunc igitur vive in religiosa vita, et Deus non derelinquet te.

XLII.

Cunezae matronae de Strazburc [3]) *Hildegardis.*

Ad pietatem inter angustias, spinasque vitae suaviter urget.

fol. 33. Tu homo, inter spinas sedes, et undique circumspicis, et ad te rosas et lilia colligis, ac benivolentia in te manet: sed tamen in operibus tuis quidam defectus est. Unde nunc exsurge, et ne taedium habeas, ut de spinis surgas, ne te

1) *Commetesse* cod. — 2) Ps. XXXVI, 37. — 3) Haud semel neque ad unam piam feminam in Argentina civitate libenter scripsit Hildegardis, perinde ac variis et nobilibus personis respondit Verduni, Metensium, Lausannae, Lotharingiae, Alsatiae et Helvetiae, rarius in caeteris Galliis. Cf. epp. LXXIII, XCV, CXXV, CXXVI etc.

suffocent, quia Deus non delectatur in opere illo, quod inter spinas aedificatur. Ergo, o filia Dei, cito surge, antequam sol tibi occidat.

Sophiae [1]) *abbatissae de Altwich Trajecti Hildegardis.* Patrol. col. 322.

XLIII.

Berthae matronae de Vulda Hildegardis.

Ab incauta reliquiarum religione et superstitiosa temporum ac dierum observantia coercet.

In visione quam in mysterio Dei video, haec verba audivi: Ad istas reliquias, quae sanctitatis non sunt, respondendum non est. Sed dico: Nullum pondus in ponderibus adaequandum est diebus, mensibus, annis vel aliis (fol. 34) temporibus, quae a Deo ordinata sunt. Sed tantum vivus Deus, qui rex regum est, et cujus judicia justa sunt, intime exorandus est, ut peccata peccatorum abluat per orationes illas, quae in Spiritu Sancto exquisitae sunt, quia multae occasiones se ipsas in stultitia deceperunt, [2]) sicut idola per strepitum incredulitatis voluerunt, quando in irrisionem populos eduxerunt.

XLIV.

Luitgardi matronae de Strazburc Hildegardis.

Paucis eximia dat et rara encomia.

O beati lucidi, qui subjacent candelabro regis, et quos Deus in magna providentia procuravit, ita quod eos de sinu suo non abscidit! In illo etiam et tu permaneas, et habe laetitiam in mente tua, quum Deus praedestinavit te in salvationem aquae fontis salientis in vitam. Unde vive, et Deus non derelinquet te.

Baldwino [3]) *canonico de Trajecto Hildegardis.* Patrol. 312.

f. 35. *Bertholdo* [4]) *sacerdoti et monacho de sancto Euchario Treveri Hildegardis* Patrol. 296.

XLV.

Manegoldo abbati Hirsaugae Hildegardis.

Ne abbatiae onus deponat, deprecatur.

Tu es in praesentia Dei sicut fumus myrrhae et thuris unde mons Sion [5]) quaerit ut sis esca in domo Jacob: sed si quis columnam hanc quae totam domum sustentat, absciderit, domum dejicit. Quapropter per septem fenestras prospice, con-

1) Abest Sophiae nomen ab editis. — 2) Respicere videtur affectatos Catharorum mores tunc inter Rhenanos grassantium. — 3) Pro Balduino in edd. adducitur *H. de domo* (cathedrali) in Moguntia praepositus. Hic vero media tantum pars habetur epistolae ed. XCI. — 4) In epistola ed. alius habetur *Richardus abbas in Sprengersbat*; codex plura in fine resecuit. — 5) Iterum aliquid regeritur hic ex ed. ep. XXXIV, ac repetitur id ipsum quod omissum erat in superiori ep. XXXV, nec tamen sine varietate. Repetita id genus notatu digna sunt.

siderans ubi accipiter veniat, et cave ne ille te diripiat. [1]) Pasce ergo oves tuas in mansuetudine correptionis, quia dies salutis a te non fugit, et nondum cinis eris. Esto quoque speculum vitae in oculis columbae [2])

XLVI.

Congregationi de sancto Euchario Treveri Hildegardis.

Profugum monachum congregationi suae reconciliat.

Terra terram non abjicit, nec spernit sibi simile; sed illa illam aedificat, quantum possibilitas ipsius est. Ideo decet et vos, ut propter auxilium et misericordiam Dei, in consilio sapientiae reducatis ad stabulum errantem ovem, ita ut Deus vobis parcat in peccatis vestris, quia misericordiae terra estis.

XLVII.

Cuidam matronae Hildegardis.

Matrem familias ad fiduciam in Deum movet.

O filia, confide in Domino, et esto sollicita pro te et pro filiis tuis secundum praeceptum Dei, sed tamen devotionem, quam Deus tibi dedit et dat in amplexione charitatis suae, ne deseras, quia tu mundum istum semper habuisti in lacrymabili dolore. Deus adjuvet te, ut vivus lapis fias in coelesti Jerusalem.

XLVIII.

Cuidam abbati Hirsaugiae Hildegardis.

De saecularium quorumdam consuetudine caute respondet.

Victoria non haurit concupiscentiam (fol. 36) in causis istis, de quibus me interrogas. Sed tamen ligatura ejusdem carnis, quam scire quaeris, plus est in viro illo, quam in muliere, non tamen sic quod hoc opus videam impleri in peccatis. Video autem in te turbines caloris, qui tandem fracto labore, sine opere evanescet.

Fol. 36, 37. *Cuidam congregationi Eberbacensi* [3]) *Hildegardis.* Patrol. col. 369.

XLIX.

Congregationi Zwifeldensium [4]) *Hildegardis.*

Seniori abbati praestari obedientiam praecipit.

Sicut audio in umbra mysticae visionis, dico: Magna negligentia facta est in se-

[1]) *decipiat* edd. — [2]) *in oculis vitae* edd. ineptissime. — [3]) Nomen congregationis primum suppressum fort. fuit ob epistolae asperitatem. — [4]) Aliae sunt ad Zwifeldenses epistolae apud nos et in edd. CXL, CXLI, quarum prior similis est quam nostra argumenti.

niore, patre vestro, quem vigentem reliquistis sine voluntate ipsius, sicut similitudo in David invenitur, cui Abisag Sunamitis adjuncta est munda necessitate, quam postea filius ejus Adonias petivit, sed a sapiente Salomone jussus est occidi. Audite ergo: seniori patri vestro Abisag Sunamitis, pulchra scilicet congregatio adjuncta est, quam postea filius ipsius petivit, et judicium Dei super illum venit. Sed Deo non displicet, ut senior pater vester Sunamitem suam in amplexione habeat, cum illi vires defecerint, ita quod [cum] in via necessitatis ire non poterit, viro sapienti ac utili eam commendet, quia Deus preces pauperis non spernit.

L.

Wezzelino laico de Bergun Hildegardis.

In parabola vallis, montis, avium et patris familias conversionem involvit peccatoris.

In vera visione haec vidi, audi: Quemdam hominem in valle cujusdam magni montis video stantem, qui optionem in gustu animae suae habet. Et idem homo mittit optionem quam habet in altitudinem (fol. 38) ejusdem montis, et aer ipsius montis optionem illam suscipit, ita quod inde igneum calorem accipit, sicut oleum, quod ab igne accenditur. Sed mundae aves, quae ab immundis avibus separatae sunt, veniunt, et aerem illum in alas suas suscipiunt, ac inde celeres in volatu suo fiunt. Quod nobilissimus pater familias videns dicit: Unde venitis? Quae respondent: Quidam alienus homo in valle montis stans, suavissimum ventum in altitudinem ipsius montis ad nos misit, et inde veloces facti sumus ad volandum ad te. Et idem pater familias ad eas dicit: Iste homo quamvis a longe stet a me, tamen propter cursum illum, quo vos ad me misit, volo illum amare. Qui autem bene vult vigilare, hunc intellectum percipiat. Deus multotiens propter orationes sanctorum de lupis agnos facit, sicut etiam de publicanis justos.

fol. 39. *Cuidam sacerdoti Baldevvino*[1]) *de Trajecto Hildegardis.* Patrol. col. 346.
f. 39, *R. abbatissae inferioris monasterii Ratisbonae*[2]) *Hildegardis.* Patrol. col. 34.
f. 40, 41 *Cuidam abbati*[3]) *de Monte beati Disibodi Hildegardis.* Ibi col. 205.

LI.

Congregationi de sancta Cruce in Woffenhein Hildegardis.

Electioni novae matris providet.

Cum sol in radio suo obnubilatur, tristitia in mundo est, sicut in dulcissima matre vestra factum est. Unde in Spiritu Sancto vos admoneo, ut malum contradictionis et casum superbiae atque indignationem oblivionis Dei fugiatis in proposito electionis alterius matris, ita ut verus sol radios suos ad vos emittat ad

[1]) In edd. ad ignotum B. epistola dirigitur. — [2]) In edd. scribitur *N. abbatissae sororum in veteri monasterio Moguntinae ecclesiae.* — [3]) Hic tacetur nomen abbatis, nec forte sine consilio ob asperam monitionem. Sed in edd. nomen *Helingeri* non dissimulatur.

eligendum matrem quae vicem Christi bona intentione in vobis habeat. Pietas Dei custodiat vos, ut ad innumerabilem gloriam illam [perveniatis] [1]) quam Deus electis suis praeparavit.

LII.

Cuidam monacho [2]) *de Monte beati Disibodi Hildegardis.*

Insigni laude dilectum monachum paucis exornat.

Os tuum coeleste est, et mens tua cum nube floret, unde radix tua ascendat; et ita Dominum Deum tuum adora, ac indue loricam, atque militare intra bacchantia vitia, lasciviam fugiendo, et avaritiam non amplectendo. Deus autem quem occulte invocas, in amore suo suscipiet te.

LIII.

Item cuidam monacho de Biscoues Hildegardis.

Inconstantem redarguit, ne temerario ambitu cadat.

Qui decreta novit, dicit: Mens tua similis est flato (sic) venti, per inquietudinem cordis tui, sicut sol interdum apparet, et interdum in tempestatem vadit. Sed rapina holocausti in te non sit, quia Deus illud tibi dabit, cum voluerit. Cave (fol. 42) autem, ne sis fugitivus a gratia Dei, quando ipsa te perdere non vult.

f. 42, 43. *Abbati* [3]) *de Monte sancti Disibodi.* Patrol. col. 203.

LIV.

Abbati de Monte sancti Disibodi [4])

Cur et quomodo ex abbatia S. Disibodi Hildegardis discesserit.

O pater in persona, et o quam libenter dico, ut pater sis in opere, veni in locum illum, ubi Deus virgam vicis suae tibi dedit. Quidam de turba fratrum tuorum super me, sicut super nigerrimam avem, et ut super horribilem bestiam fremebant, atque arcus suos contra me intendebant, quatenus ab ipsis [non] surgerem. Sed in veritate scio, quod Deus in mysteriis suis me de loco illo movit, quoniam in verbis et in miraculis ipsius anima mea ita commota fuisset, quasi ante tempus moritura esset, si illic permansissem. Nunc illis qui ibi in devotione me suscepe-

[1]) *purae matris* absonum apogr. — [2]) Taedet excidisse nomen monachi Disibodiani tantopere commendati, inter querelas adversus caeteros, quem suspicor esse dilectissimum Hildegardi Volmarum, cujus una dumtaxat epistola a Guiberto Gemblacensi servata ad nos pervenit. — [3]) Scilicet *Cononi* cujus nomen in edd. non reticetur. — [4]) Quae insignis epistola censenda est scripta circa a. 1148, quum a Monte S. Disibodi transiit Hildegardis ad S. Rupertum; qua satis superque edocemur adversus eam exarsisse dissidia et simultates; immo non defuisse piae matris querelas et lamenta, nisi, quod ferme opinandum, symbolico aut oratorio sermone usa fuerit. Nemo non videt quam gravis esse debuerit monachis jactura ex Hildegardis secessione.

runt, salus et benedictio sit; sed aliis qui illic capita sua super me moverunt, Deus gratiam suam secundum misericordiam suam porrigat. He, he! o mater mea, [1]) in lugubri molestia me suscepisti; (fol. 44) fac, ut cum tempus in hoc saeculo tibi defecerit, tempus tuum feliciter in aeternitate prolongetur, ita ut in salvatione justorum appareas.

LV.

Sororibus de Elsun [2]) Hildegardis.

Iterum de discessione a S. Disibodi monasterio.

Inveni voluntatem Dei in sacrificio hujus populi, et locum statutum ejus. Et hi habebant pennas felicitatis ac beatitudinis: Sed nec insanabile venenum aspidum super eos cucurrit. Et admonitionem Spiritus Dei audivi, illos ad admonendum vel corripiendum, quemadmodum scriptum est: *Ite in castellum quod contra vos est, et statim invenietis asinam alligatam et pullum cum ea. Solvite et adducite mihi. Et si quis vobis aliquid dixerit, dicite quia Dominus his opus habet, et confestim dimittet eos.* [3]) Et iterum in alio modo dictum est: *Amen dico vobis, nescio vos.* [4]) O vae irrisioni! et o vae errori illorum, qui volunt dicere, quod contradictio misericordiae mala non sit, quae se contra coelum exaltavit, et in infernum cecidit, ita quod omnia elementa turbavit ac subvertit. O floriditates virgae, audite quod scriptum est: *Laetare, sterilis quae non paris, erumpe et clama, quae non parturis, quia multi filii desertae magis quam ejus qui habet virum.* [5]) Et iterum audite, quod dictum est: *Surge, illuminare, Hierusalem, quia venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est.* [6])

Et ideo fugite insanabile venenum aspidum, quia propositum vestrum in quo Deum amplexae estis, non decet ut in vanitate ambuletis, et in veneno pulluletis. Nunc vobis sit salus in cornu salutis, in quo David ascendit (fol. 45) ad humanitatem Salvatoris, per quam admonitus est, ita quod reversus est ad poenitentiam de peccatis suis. Modo autem festinanter currite ad me, et afferte mihi vitulum sacrificii.

LVI.

Congregationi sororum in Babenberch [7]) Hildegardis.

Solatia dat et consilia.

In praescientia Dei sunt bona et mala atque contradictio. Deus bona perfecit, et malum contrivit, atque contradictionem correpsit. In vobis autem sit bonus numerus beatitudinis, quae Dei est, quando saecularem pompam conculcastis, et

[1]) Suspicari jubet appellari S. Disibodi monasterium. — [2]) Ejusdem sane temporis, ac fere similis argumenti. — [3]) Matth. XXI, 2. — [4]) Matth. XXV, 12. — [5]) Galat. IV, 27; Is. LIV, 1. — [6]) Is. LX, 1. — [7]) Martenius edidit col. 283 n. LXIV epistolam ad *abbatem de S. Michaele in Bavenbergh*, quae in cod. nostro proxime succedit.

idcirco etiam nequitiam oblivionis Dei abjicite. Sed et in vobis semper sit aestas illa, quae facit oriri rosas et lilia atque alia pigmenta Spiritus Sancti, ita quod in vobis non crescant inutiles herbae, quae sunt squalidi mores, qui ad superbiam et ad vanitatem nutum faciunt. Nunc vero estote in amplexione illa, quae de virtute in virtutem proficit, ita ut quum ad januam sponsi pulsaveritis, cum gaudio suscipiat vos.

fol. 46. *Abbati de sancto Michahele in Babenberch Hildegardis.* Patrol. col. 284.

LVII.

Christinae priorissae de sancta Cruce in Woffenheim Hildegardis.

In gerenda administratione animos addit.

« Multum valet et magnum donum Dei est, ad hominem illum, qui talis est in scientia, quod coelum sustinere potest. »[1] Hic est sensus: Nullus hominum fugere debet, qui ad hoc valet, ut per virgam Dei congregationem sanctorum sustineat. Sed donum Dei tibi hoc inspiret, ut lumen ipsius diligenter feras, amen.

LVIII.

Manegoldo[2] *abbati de Hirsaugia Hildegardis.*

Moestrum abbatem inter domesticos tumultus consolatur.

O pater in persona, et frater in amore Dei, de oculo cordis tui inquietam mentem absterge, atque de te ipso ac de grege tuo tristitiam abscide, quia nunc est tempus bellorum in moribus hominum, ita quod nec in disciplina, nec in districtione timoris divini sunt. Tu tamen ne formides, quia vas ignei Spiritus es. In hoc etiam quod interdum tribulationem et angustiam habes, ne timeas, quoniam Filius Dei eadem passus est. Nunc in aeternum vive, et Spiritus Sanctus non derelinquet te.

fol. 46-48. *Henrico comiti,*[3] *postea monacho in Mulenbrunnun, Hildegardis.* Patrol. col. 358.

fol. 49. *Hillino Treverensi*[4] *archiepiscopo Hildegardis.* Patrol. col. 167.

fol. 50. *Item.*[5] *ad congregationem sororum suarum Hildegardis.* Patrol. col. 1065.

1) Me quidem fugit undenam is locus sit. — 2) Summatim si quis velit causam Hirsaugiae ventilare, conferat epp. XXXV, XXXIX, XLV, XLVII, LVIII, LX, LXXXIII, LXXXIX, XCVIII, CIV, CXXII. — 3) Hactenus ignoravimus monachum obscurum, sola littera H conspicuum in ed. ep. CXXXI, esse nobilem comitem Henricum, cui prolixam, elegantemque ascribit parabolam de duobus servis aut servientibus (*sergents*), equestri veterum morum consuetudine venustam. — 4) Tandem, sed serius, detexi in hac epistola laciniam breviusculam, quam paulo superius p. 486, uti novam ex Gebenonis farragine extraxi. — 5) Accedimus ad prologum praestantissimi commentarii in symbolum Athanasianum, quem supra p. 494 ex altero cod. Caesareo attigimus, in quo istud prooemium deerat totum. Hic vero recurrit solum, absque insigni varietate, praeter gravem lacunam a verbis: *Et secundum quod*... usque ad

fol. 51-57. [*Philippo decano* [1]) *Coloniensi Hildegardis.*] Patrol. col. 243-253.

LIX.

Rad(ulfo) Magistro Hildegardis.

Magistrum monet ipsi ab inflante scientia cavendum, censura sub lepido apologo tecta.

In vera visione arborem vidi, quae in ramis suis multam viriditatem habuit. Et aestas illi floriditatem infigere videbatur, sed illa taedio affecta floriditati aliquantum se subtraxit. Unde aestas illi dixit: Floriditatem tibi dare volebam, sed tu eam noluisti. Et aestas in hoc cessavit. Sed ego radix [2]) tibi dico: Cave ne propter multam prudentiam doctrinae, propter multa argumenta hujus saeculi, ignea dona Spiritus Sancti derelinquas, et in aeternum vives.

LX.

M[anegoldo] abbati de Hirsaugia Hildegardis.

Abbatis animum per parabolam confirmat, et interroganti de nonnullis animabus defunctorum respondet.

Ad sapientiam vidi, et haec verba audivi et vidi: Quaedam arbor in Libano fuit, ad quam hiems in moribus suis venit, ut exsiccare et arefacere omnia solet. Radix autem ejusdem arboris terrae ita infixa erat, quod hiems eam subvertere non potuit, sed tamen stirps ejus per hiemem aliquantum denigrata fuit, folia vero ipsius viriditates non dereliquerunt, nec ceciderunt. Nunc, pater, istud ad te signatum intellige. Locus autem de quo quaeris similis est valli positae juxta agrum, qui ad fertilitatem tepidus est, cum semine impletur, sed qui tamen in illa parte frequenter fulget. Gratia vero Dei illum non contemnit, sed ipse in multitudine calcantis torcularis est, quod circumroratur, usque dum purgatio populi in praesenti errore finietur, qui populus non post longum tempus melior erit.

Anima quoque de qua interrogas, magnum meritum cum sanctis nunc habet, sed quoddam malum in judiciis suis prius habebat, quod ita esse non aestimabat, et aliena quaesivit aliquantum, se vindicando, et ob hoc magnas poenas passa est. Cum autem homines, ad sanctitatem signati, bona opera non faciunt, quae per di-

justitia Dei destruet vos, a col. 1065 C ad 1066 B. Praeterea rumpitur filus in exitu fol. 50, amissisque forsitan pluribus foliis, in fol. 51 fit saltus in medias res alienas, quae pertinent ad epistolam ed. XLVIII, missam ad Philippum Coloniensem decanum. Nec suspicio abest prooemium, ut jacet editum, non fuisse commentario praefixum, cum nihil commune cum symbolo habeat, sed prae se potius ferat quoddam instrumentum in primordio conventus ad S. Rupertum constabilitum inter duo monasteria vicina, circa a. 1148, haud inopportunum ad componendas controversias.

[1]) Prolixa igitur incidit ex abrupto epistola ad Philippum, scripta ante a. 1147, in quo creatus est episcopus. Agnoverunt in ea Bollandistae satis perspicuum de Lutheri tempore vaticinium. Unde operae pretium erit varietates codicis nostri alibi colligere, sed multae insunt et gravissimae lacunae. — [2]) In cod. *rad* cum compendio, nec cogitandum id resolvere in *Radulphe; radix* enim de Deo Hildegardi vox solemnis est.

vinam gratiam sciunt et intelligunt, Deus signa (fol. 58) de sanctis suis illis non ostendit. Et finis hominis illius, de quo quaeris, nondum adest, sed et luci aliquantum tardus est. Homo autem ille de quo interrogas, benevolentiam habuit, quae ad Deum ascendit, et Deus eum amavit.

Haec verba sapientiae ego paupercula forma tibi scripsi. Nunc moneo ut tristitia, quae in stirpe praedictae arboris de squalidis et vilibus moribus vicissitudinum hominum apparet, non valde timeas, nec a bona consuetudine tua, nec a bonis operibus tuis recedas, ut in aeternum vivas, et pater tuus in gaudio te suscipiet.

LXI.

B. abbati de Zwivelden [1]) Hildegardis.

Aerumnis vexatum refocillat.

In claritate te video, et haec claritas est conditio tua, qui in hoc carcere afflictionem contra vitia habes, et in claritate illa audivi vocem ad te dicentem: Fili, recordare quod in vita ista malum tibi adest, et ideo magna praemia tibi parata sunt. Et tu in discretione Dei disce, quod tanta praemia tibi parata sunt, quantas pugnas pateris. Infirmitas tua rutilans lux mihi est peccata purgando.

LXII.

Cuidam homini Hildegardis.

Quantum valeat oratio pro defunctorum refrigerio memorat.

Haec verba de sapientia audivi: Oratio magnam virtutem apud Deum habet, et per illam Deus rotam captivitatis animarum subvertit; unde etiam poenae istius animae valde constrictae sunt, et in aliquo [refrigerio] eam video. [2])

LXIII.

N. . . . . [3])

Quemdam abbatem solatur, ac ne onus dimittat, monet per allegoriam multiplicem.

In operibus et moribus tuis, quasi arborem te video, quae in foliis suis multam viriditatem habet, in qua tamen ramus unus arescit. Et elementa dicunt: Nos per mixtionem viriditatis tuae ad te venimus, sed quaedam tempestates nos laedunt. Hae sunt dubietates et varietates, qui in moribus tuis per tribulationis tuae circuitionem habes, velut molendinum. Sed non sic. Aspice in agrum, qui aratro re-

[1]) In edd. epistola LXX directa ad eumdem abbatem, ejus nomen significatur tantum a littera B, et in ea suadetur, sicut fere caeteri omnes modestissimi praelati, in hoc commercio litterarum, ne susceptum onus pastorale dimittat.— [2]) Intricatae apographi scripturae suppletur, nec magis integra quam praecedens epistola videtur. — [3]) Abbas innuitur ex tenore epistolae et ob symbola hyacinthi et berilli, quibus lapidibus et coloribus minores praelati utuntur. Respici videntur Hirsaugienses, sed ultima obscura fortasse hiant,

volvitur, et diligentius distribuitur, et lutulento[1]) fimo involvitur, ut fructum multum afferat. Hoc est patientia, quae humiditatem et viriditatem in omnibus bonis operibus facit, cujus tabernaculum durum et asperum est, sed magna praemia dat, et coelestis regni januam aperit. Nunc istam ad te trahe, et observa te diligentius ab hyacinto et berillo, qui in fulgore non fulminant, sed a floribus qui viriditatem in virtutibus non habent, et qui facile cadunt, qui te per discordiam inobedientiae plus amant, quam per poenitentiam. Locus iste in quo habitas, Deo placet; unde patientiam osculando, amplectendo habe, et eum non dimitte, quia possibilitatem hominum vulnera tergere habes, qua saecula in coelum praeparas, et in aeternum vives.

LXIV.

Abbati de sancto Nabore [2]) *Hildegardis.*

Ad patiendum in Christi exemplo hortatur.

Hortorum pigmentarios auctores et consiliatores boni consilii habere debes, qui diligentius praecepta legis colligant, non aspicientes retro sui aratrum, sed victimam coram se praesentem, et divinam, quam Ecclesia habet, non ficta significatione, sed Filii Dei, ita quod ipse in passione sua doluit et passionem docuit. Si non habueris lignum pomiferum et vitalia in discretione praeceptorum Dei in hominibus, tunc recede ad alia pigmenta. Adhibe illis adjutorium in omnibus necessariis istis, non sic ut diem in te abscondas, et noctem te facias, ne Dominus tuus te inculpet. De schismate Ecclesiae non jubet me Dominus loqui, sed gladium suum vibrat, et arcum suum tendit, quod in bonitate bonorum est. In aeternum vives.

fol. 59-62. *Congregationi de Monte beati Disibodi Hildegardis.* Patrol. 374.
fol. 63. *Maguntino Archiepiscopo* [3]) *Hildegardis.* Patrol. col. 157.
Abbati Nothario [4]) *de* [*Ebra*] *Hildegardis.* Ibidem, col. 359.

LXV.

Odoni Suessionensi magistro [5]) *Hildegardis.*

Elogium Odonis vix incoeptum abrumpitur.

In vera visione mysteriorum Dei scribo, videndo et audiendo et sciendo in uno modo. Tu autem, o homo, similis es nubi, quae progreditur et regreditur, et quae in hac utraque parte aliquantulum lucida est, et per quam tamen....

[1]) *luculento* apogr. quasi perpetuo errore. — [2]) Obscura in cod. scriptura amanuensi visa est, nec magis perspicua epistolae intelligentia. — [3]) In edd. vocatur Arnoldus, qui Moguntiae infulas tenuit a. 1151-1160. Codex omittit lugubrem et feralem epistolae partem, qua Arnoldo occiso a. 1160 interitus praedicitur. — [4]) Novum nomen, sed nota epistola in edd. CXXXII, ubi dirigitur ad ignotum monachum. Ab initio pars media truncatur, quae tamen nescio quo jure postliminii revocatur infra in fol. cod. 66, ac si in duo epistolia dissecaretur.

[5]) Adest igitur Odo, Suessionensis origine, Parisiensis magisterio, tum abbas Cisterciensis in Ursi campo, postmodum S. Romanae Ecclesiae cardinalis, postremo Tusculanus episcopus,

fol. 64-65. [*Adamo abbati de Ebra.*] Divinitas acute inspexit etc. Patrol. col. 195.
Nicolao abbati de Halesbrunnum Hildegardis. Patrol. col. 291.

LXVI.

Eleemosinario de Ebra Hildegardis.

Poenitentem jubet confidere et sperare.

fol. 66. [M]ens tua orat, et desideria tua in siti justitiae Dei flagrant, et dicis: Ubi sum? Et quo ibo? Sed et lamentabili voce medicinam in peccatis tuis quaeris, et animus tuus dubitando ac tremendo per sufflatum distenditur propter judicium Dei, et non dicis gaudendo: Deus propter magnam misericordiam suam suscipiet me. Non autem sic, sed crede, confide et spera, quia Deus te amat, ac te suscipiet. Ablue autem te in confessione et poenitentia. et in aeternum vives.

Notario Abbati de Ebra [1]) *Hildegardis.* Patrol. col. 359.
fol. 66, 67. *Herlwino* [2]) *archiepiscopo de Bremun.* Patrol. col. 162.
Abbati [3]) *de Eberbusde* [*Hildegardis*]. Patrol. col. 295.

LXVII.

Dietzelino monacho de Sigeberch Hildegardis.

Monachum et ejus socium spe et fiducia adauget.

Haec causa, quae in hoc signo erat, de quo me interrogasti, magis fuit in amore Dei, quam in vindicta ejus, quia ipse vidit, quod magnus timor in cor tuum ascendere debuit. Et ille homo de quo quaeris, etiam felix fuit, quoniam Deus signa sua aliquando hominibus ostendit, ut bonum fructum dent, sicut ros qui in bonam terram cadit. Mens autem tua est sicut torrens purae aquae, sed aliquantulum inquietae (fol. 68). Nunc vero ascende in mansuetudine, similis soli, qui unaquaeque tempora sua placide et quiete habet. Sic tu, o bone miles, fac, et lumen animae tuae ita constitue, ne in nimietate ullius causae arescas, quia te amat, et sacrificium tuum vult.

Abbati de Elevvangun [4]) *Hildegardis.* Patrol. col. 334.

quantumvis hactenus taceatur in quacumque Italiae sacrae nomenclatura, in quibuscumque Tusculanae ecclesiae publicis diptychis. Sed eheu! vix incoepta epistola, suspensa in abyssum periodo, series rumpitur in transitu ad fol. 67. in quo altera, truncato capite, epistola ad Adamum abbatem de Ebra, in edd. XXXI, neque in alio folio, sed neque in alio codice spes ulla est stragem reparandi.

1) Edita ep. mittitur ad quemdam ignotum qui se humillime inscribit: *Peccator de Ebra*, quem Martenius fecit *monachum*. Sed quod hic habemus, nihil aliud est quam prior pars epist. CXXXII ex editis. — 2) Sub hac epigraphe habetur tantum dimidia pars epist. X inter editas, ubi archiepiscopus Bremensis dicitur Hartewigus, qui sedit. a. 1148. 1161. — 3) Iterum inest dimidia pars epistolae LXXIII ad abbatem *de Eberburde*. — 4) Ed. epist. CXIV dirigitur ad abbatissam Coloniensem *in loco sanctarum virginum*, nec mirum, quum sit de frequentissimo argumento, opus pastorale non esse dimittendum. Modestia praesulum utriusque sexus saepe coegit Hildegardem ad idem scribendum.

LXVIII.

Cuidam sacerdoti de Metis [1]) *Hildegardis.*

De reddenda villicationis ratione et de officio strenue implendo monet.

Lumen visitationis ad te dicit: O fili salvationis, te decet fugere castra inimicitiae, quae flagrant ad te, ut animam tuam vulnerent. Nunc attende ut villicationem tuam recte habeas, ne a Domino tuo inculperis. Primum *declina a malo*, et *fac bonum*, [2]) postea sacerdotale officium et praeceptum in obedientia observa, atque animam tuam vigilanter custodi, et in aeternum vives.

LXIX.

Abbati de Wilre Hildegardis.

Castigat quem diligit Dominus.

Sapientia ad te dixit: O fili patris tui, quem ipse valde diligenter diligit, ita ut si aliquando ab eo discesseris, virga passionis te percutiet, atque in sinum amplexionis suae te attrahet. Ideo non time tormenta illa quae pateris, et ne fatigeris, quia lumen salvationis te suscipiet.

LXX.

Eberoldo sacerdoti Hildegardis.

Interrogata de muliere ad vitam contemplativam propensa, praestare illi activam respondet.

fol. 69. Si quisquam hominum ex arena montem congregat, et tabernaculum super illum aedificat absque fundamento et fortitudine lapidum, in vanum laborat, quia cadit; sed in planitie terrae et in robore lapidum aedificet, et in securitate stabit. Haec de domina illa, de qua interrogas, dicta sunt. Spiritus Sanctus illi contemplativam vitam nondum infudit, unde in activa vita sit cum abstinentia et in eleemosinis ac orationibus, in habitu religionis, et hoc faciat in solitudine propriae haereditatis suae, et gratiam apud Deum inveniet.

LXXI.

Berthae [3]) *ducissae Hildegardis.*

Laudes cum severitate miscet.

Video te in via, ubi Deus manum tibi porrigit, et ideo noli eum respuere. Deus [te] amat, quod animam tuam requirit; attamen vicissitudinem habes in quibusdam

[1]) *De meli* apogr. Metis increbuisse famam Hildegardis, testatur epistola XLII ed. nobilissimae abbatissae S. Clodesindis. — [2]) Ps. XXXVI, 27. — [3]) Quaerendum num Bertha ducissa eadem sit quam regina Graecorum mox adducenda.

operibus, et in aliquibus obligationibus, quae inutiles sunt. Acres ergo mores fuge, et misericordiam amplectere, quia Deus vult in te sacrificium laudis. Et Deus tibi parcet, atque ovis salvationis eris.

LXXII.

Rudegero monacho de Ebra [1]) *Hildegardis.*

Monacho curiose inquirente de suis somniis, de Eugenio papa, de quodam fratre, de altissimis mysteriis, prudenter Hildegardis tacet, aut eidem caute respondet.

Acuta ostensio in vera visione dicit: O fili Dei, in factura qua homo es, et in fide bonorum operum attende, quod possibilitas tua non est nisi in Deo, et per Deum. Deus omnia scit, et scientiam nulli homini pleniter dat, nisi sicut praevidet, quod oportunum sit. Nullus enim homo in prophetia, neque in inspiratione Dei, neque in sapientia scit omnia, neque dicit, nisi quantum Deus vult illi in miraculo ostendere. Illud autem lumen, quod in vera visione in anima tua aspexi, hoc est, quod tu es filius salvationis, sed tamen in magnis laboribus vives, aliquando in fatigatione et imbecillitate carnis, et in multis cogitationibus, quae interdum in te volant in altum, et quae interdum in terrenas causas vadunt, et quae interdum in vana gloria tibi obsistunt in mirabili ostensione, sicut scriptum est: « Dominus scit cogitationes hominum quoniam vanae sunt. » [2]) Cave ergo ne de (fol. 70) cogitationibus et somniis tuis audacter requiras, quamdiu in hoc itinere vivis, in quo finieris, quoniam alia signa de papa Eugenio Deus mihi non ostendit. Attamen video te valde constrictum, et inde solvi debes in hac vita. Deus etiam non ostendit mihi longitudinem aut brevitatem dierum fratris illius de quo me interrogas, et neque in annis, neque in temporibus; sed tamen tempus illud habet quod nondum finietur; sed fortiter currat, quia aliquantum tepidus est, et aliquantum fatigatus in carnalibus causis, et quia aliquantulum habet errantes vias in cogitationibus suis, et hoc ostendat in confessione sacerdoti. Ego vidi etiam de corpore Christi, quod vis illa quae in uterum Virginis descendit, ita quod Verbum Dei vera caro factum est, permanet usque hodie, sicut scriptum est: *Filius meus es tu, ego hodie genui te* [3]). Et eadem vis de tempore illo cum Verbum Dei incarnatum est in Virgine, permanebit usque in novissimum diem. Vidi etiam quod eadem vis super in igne et in rutilante aurora apparet. Et qui in utero Virginis carnem et sanguinem fecit, ille etiam in altari panem et vinum alio modo carnem et sanguinem facit. Nunc autem video et te in elevatione manuum tuarum similem vicissitudini nubium propter varietatem multarum cogitationum, ita quod aliquando dubitas. Et hoc dimitte. Vide quis ille sit, qui opera sua in altari operatur. Et quis est iste, qui haec mirabilia posset enarrare? Cum sic simpliciter cogitas, video te purum, sicut solem, et sacrificium tuum Deo placet, atque animam tuam liberabit.

[1]) Cirstercienses monachos, maxime in Ebra, cum foveret Hildegardis, indulget non nihil curioso illi Rudigero, neque abstinet se ab excursu ad altiora incarnationis et Eucharistiae mysteria, quae caute legenda sunt et ad severioris Theologiae trutinam reponenda. Quid hic de Eugenio papa lateat, quis divinabitur? Stamus interea intra a. 1145-1153. — [2]) Ps. XCIII, 12. — [3]) Ps. II, 7.

*

LXXIII.

Duci Matthaeo Lotharingiorum [1]) *Hildegardis.*

Matthaeo comiti, etiam patris ejus ventilata memoria, acriter loquitur Hildegardis.

Mystica Dei dicunt: Tu es dux ad ducendum populum, sicut dux qui regit populum meum Israel. Sed cum [ad ungendum] populum non habes misericordiam, hoc est sacrificium laudis, et cum eum in balneo non lavas, ut eum salvifices, tunc eum non ducis, (fol. 71) sed eum in peregrinationem miseriae [2]) reducis. Tu quoque es mons in benedictionibus filiorum, et non in percussione, serviens [3]) Servi illius, in quem mons aspicit. Nunc autem admonitio Dei te monet, ut in benedictionibus sis, ne tu et filii tui in vallem cadatis; sed regi dabis osculum, sicut dictum est: *Osculetur me ab osculo oris sui* [4]). Pater tuus mons fuit, et frequenter in vallem respexit, et osculum regi non dedit, sed tamen in benevolentia vitam finivit, sed cum modico bono opere. Deum autem non decet ut illum omnino in perditionem mittat, sed post multum tempus illum salvabit. Nunc adjuva illum, et per te ipsum, et per alios. Deus desiderat te, et ut te trahat ad se. Unde curre, et Deus adjuvabit te.

LXXIV.

Friderico laico Hildegardis.

Spem moerenti restituit.

O fili correptionis Dei, et hoc modo, quia quem pater diligit, illum frequenter corripit. Unde provide tibi, et confido Deo quod tu non sis anima perditionis. Attende quoque quid misericordia sit, ut dictum est: *Misericordiam volo et non sacrificium* [5]). Nunc filiis Dei parce, quatenus tibi ipsi et natis tuis beatitudinem acquiras. Porrige ergo ejusdem filiis Dei manum tuam in adjutorio, ita quod etiam gratia Dei tibi non desit.

LXXV.

Hugoni de Coleun [6]) *Hildegardis.*

Fratrem cum fratre reconciliari jubet.

Ecclesia saepe mirabilia narrat, et unde interdum super veritatem in irrisione

[1]) Utinam comes Matthaeus diligentiores praebuerit aures monitis, non solum Hildegardis, sed piae matris Adeleidis, quae a S. Bernardo ex multis voluptatibus saeculi erepta, post obitum comitis Simonis conjugis, a. 1139, se in monasterium Tardomonte prope Divionem recepit. At ruptis repagulis fortasse laxioribus, Matthaeus ita se praecipitem per avia dedit, ut semel et iterum in brevi tempore a. 1142 ab Eugenio III fulmina tulerit excommunicationis, ac longum et atrox bellum cum episcopo Metensi et aliis sustinuerit. Optimus ejus pater Simon suavi amicitiae consuetudine cum SS. Bernardo et Norberto fruebatur. Matthaei uxor nomine Bertha, vel Judith, quum soror fuerit Frederici imperatoris, invita fortasse causam dedit marito superbiendi, et tam ecclesiastica quam civilia jura praefracte conculcandi. Suspicor eamdem esse Bertham, cui epistola LXXI superius datur. — [2]) *In peregrinatione misericordiae* cod. — [3]) *Serviens* gallice *Sergent*, quo sensu Ludovicus rex dicere se gestiebat *le Sergent du Christ*. — [4]) Cant. I. 1, — [5]) Matth XII, 7. — [6]) Quid si Hugoni Coloniensi? Colonia germanice *Coeln*.

ivit. Unde admoneo te ne fratrem tuum R. in corde tuo injuste accuses, et ne mentem tuam in vagatione pravorum verborum super illum implices, quia Deus scit, quod non recte in hoc facis. Cave ergo ne Dominus tuus te inculpet in hac iracundia tua, et in aliis similibus causis. Deus autem tibi parcat in omnibus peccatis tuis.

LXXVI.

Abbati de Busendorf Hildegardis.

Manum aratro firmam figere praecipit, gregem pascere, et in cimiterio jacere sacrificii.

Lumen in lumine dicit ad te: Esto bonus servus in mente, et in bono desiderio vigila, et assimilare aquilae quae in solem libentius aspicit, quam in umbram umbrae. Non etiam tabescas in torpore boni laboris, sed fortissima mente aratrum in manu tene, atque ovile tuum ita recte pasce, sicut in tua possibilitate cum Deo habes, et strenue curre cum aquila in lumen aspiciente, ne in taedio arripiaris. Fuge quoque nigredinem impietatis (fol. 72), sicut Deus discernit in causa bonae voluntatis. Deus enim vult te in cimiterio sacrificationis suae habere. Nunc in aeternum vive.

LXXVII.

Odoni de Parisiis Hildegardis. [1]

Monitum. Admirationem in primis movent dogmaticae Hildegardis epistolae, quasi ex tempore dictatae et ad summos theologos missae de abstrusis non semel et intricatis quaestionibus; inter quas facile primum locum habet epistola inter editas CXXVII, ubi disputatur an *Paternitas et Divinitas Deus sit,* contra Gilbertum Porretanum, qui sustinuit quod *Pater non eo est Deus quo est Pater.*

Magister Parisiensis, a quo hac de re interrogatur Hildegardis, tantum littera V designatur in codice Hemerodensi, qui Martenio tres et octoginta dedit novas litteras. Errorem in littera V primum mihi detexit codex Laurentianus S. Crucis Plut. XXII, 4, f. 142, ubi diserte et cum pleno nomine ad *Odonem Magistrum Parisiensem* responsum Hildegardis dirigitur. Quae sola ibi epistola rescribitur, quasi caeteris una praestantior. Nunc id confirmat codex Caesareus in quo prorsus eadem emicat epigraphe.

Praeterea calculum alium addit codex Parisiensis 3230, inscriptus: *Quaestiones Magistri Odonis, postea abbatis Ursi Campi, tandem episcopi Tusculanensis.* A quo docemur Odonem fuisse ab Eugenio III interrogatum de controversia Porretana, quae urgente S. Bernardo, in concilio Remensi a. 1148 ab eodem Eugenio profligata fuit. Quinimmo fol. 20 laudati cod. Magister Odo disputat ex professo contra hanc Gilberti propositionem, uti falsam: *Pater non eo est Deus quo est Pater,* et argumenta adducit quae respicere videntur Hildegardis epistolam.

Quibus perpensis, opportunum mihi visum est, tum propter summam epistolae dignitatem, tum ob gravissimas varietates ex collatis tribus vetustis codicibus, cum vero maxime intuitu venerandae memoriae antecessoris mei Tusculani, novam editionem instituere.

Ego paupercula forma, in fumo [2]) aromatum montis excelsi, dico: Sol lumine suo descendit, et multas indignationes [3]) vicissitudinis locorum illustrat: et sic.

[1]) Ex cod. Caesareo 629 fol. 72, 73, ex Laurentiano supra memorato et ex Hemerodensi apud Martenium descriptum, qui sub siglis C, L, H, designabuntur. — [2]) *in summo* L. — [3]) Ac si concrete: *Sol... multas res indignas in variis locis illustrat.*

o tu magister, in magistratione multos rivulos in Scripturis habes, [1]) quos inter alios interdum spargis, scilicet inter magnos et parvos. Sed valde tremisco, propter humilem formam, quae in me est. Nunc audi. Rex in solio suo sedet, et magnas columnas et valde elegantes in magnis ornamentis coram se statuit; quae supra [2]) ornamenta eboris erecta sunt, et quae [3]) omnia indumenta regis in magnis honoribus gestabant, et ea ubique ostendebant. [4])

Tunc regi placuit, et parvam pennam de terra levavit, et illi praecepit ut volaret, sicut idem rex voluit. Penna autem a seipsa non volat, sed aer eam portat. Sic ego non sum imbuta humana doctrina, nec potentibus viribus, nec etiam aestuo in sanitate corporis, sed in adjutorio Dei consisto. Et dico tibi: [5]) A quodam homine in doctrina fluente, et me interrogante, audivi, quod « Paternitas summi Patris et divinitas Dei non esset Deus. [6]) Et me pusillam rogavit, ut de hoc ad verum lumen diligentius [7]) aspicerem.

Et vidi, et didici, in verum lumen videndo, et non per me [8]) in me requirendo, quod Paternitas et Divinitas Deus est; quia homo hanc non habet potestatem, ut de Deo dicat, sicut de humanitate hominis, et sicut de colore facti operis de manu hominis. Videns ergo lux in secreto verbo sapientiae dicit: Deus plenus est, et integer, et absque principio temporum; et ideo non potest dividi sermone, sicut homo dividi potest: quoniam Deus totum est [9]) et non alius, ac idcirco [10]) illi nihil abstrahendum, aut addendum est. Nam etiam et Paternitas et Divinitas est ille, qui est, ut dictum est: *Ego sum qui sum.* [11]) Et qui est, plenitudinem habet. Quomodo? faciendi, creandi, perficiendi. [12])

Quicumque enim dicit quod Paternitas et Divinitas non sit Deus, hic nominat punctum absque circulo. Et si punctum vult habere absque circulo, [13]) illum qui aeternus est, negat. Et quicumque negat quod Paternitas et Divinitas Deus sit, Deum negat, quia vult quod aliqua vacuitas in Deo sit, quod non est: sed Deus plenus est, [14]) et quod in Deo est, Deus est. Deus enim nec excuti, nec excribrari secundum hominem potest, quia in Deo nihil est quod Deus non sit. Et quoniam creatura initium habet, ex hoc invenit rationalitas hominis Deum per nomina, sicut et ipsa in proprietate sua plena est nominum.

Nunc iterum audi, o homo, pauperculam formam in Spiritu tibi dicentem: Deus

[1]) Vix clarius describetur Odonis codex Parisiensis *Quaestionum* ad omnigena Scripturae loca multifariam exposita. — [2]) *quae sunt ornamenta* H. *qui super* C. — [3]) *et qui* C. — [4]) *et ea ubique ostendebant* om. H. — [5]) Hic plura in solo H omissa et interposita in hunc perversum modum: *Dico tibi, quomodo in vera visione edocta sum, quid paternitas et divinitas sit, quoniam ego a te percepi hoc plurimis necessarium esse, quatenus veraciter in vera fide roborentur. Nam ad verum lumen vidi et didici vigilanter et aperte videndo, quod non per me* etc. — [6]) Objectio est, plane sculpta in officina Gilbertina — [7]) *lumen dignitatis* C. — [8]) *et nec per me* L. — [9]) *totus est* C. — [10]) male et confuse H iterum: *et ideo non potest dividi sermone, sicut homo dividi potest, quoniam Deus totum est, et non alius, ac idcirco.* — [11]) Exod. III, 14. — [12]) Quae verba, unde totum argumentum porro explicandum circumscribitur, fuse evolvit Hildegardis in *Scivias* lib. III, vis. VII, n, 7, 8, 9, ac totus locus in codice Laurentiano eadem manu docti et diligentis cujusdam viri saec. XIII epistolae nostrae subjicitur: id quod fugit doctum Bandinium, cui etiam nova et inedita evasit epistola. — [13]) *et si punctum v. h. a. circulo* om. H. idem mox habet *negans.* — [14]) *et quod in Deo est, Deus est* om. L. —

vult ut recta itinera facias, et ut illi subjectus sis, et ut etiam vivus lapis sis in lapide angulari. De ligno vitae non deleberis. [1])

LXXVIII.

Abbati de Justo monte Hildegardis.

Cuique suum dare in ferendis oneribus suadet.

Qui dat dona dantibus, et cursum currentibus, dicit: Recta itinera ovili tuo ne prohibeas Quomodo? Qui duros labores in via sufferre non possunt, illis leniora juga impone, quae sustinere valeant. Puer enim non potest par esse juveni, nec juvenis seni, nec senex istis, et ideo permitte hunc hominem onus illud adire, quod possit perficere. Deus autem animo tuo stabilitatem hanc infundat, ut inutiles vicissitudines fugias.

LXXIX.

Hartmuldo laico de Cuntichum Hildegardis.

Peccati cujuscumque confessionem commendat.

Gratia Dei juxta te est, et largitatem tibi dat. Et haec te vult: unde eam a te non abigas, quia nigerrima avis ab Aquilone ad te currit, et tecum ludit, ac de corde tuo holocaustum abstrahit, quod Deo dare debebas. Deus enim unicam fidem diligit, quam cum costa tua habere debes, et ideo nigerrimum ludum praedictae avis fuge. Nunc autem oculos tuos ad illum leva, qui te creavit, et qui te in sanguine salvavit (fol. 74) ac illi vulnera tua ostende, atque medicinam ab illo quaere, quia omne peccatum non confessum thesaurus Diaboli est, ut thesaurus ille, quem inutilis homo inutiliter in vase suo recondit. Cum autem peccatum Deo confessum fuerit, Diabolo spolia sua Deus abstrahit. Emenda ergo peccata tua, antequam ira Dei super te veniat, et ne in morte finiaris, quoniam Deus te vult, sed oculos tuos ab illo abscondis. Et ideo si ad Deum currere volueris, ipse te juvabit.

LXXX.

Cuidam homini Hildegardis.

Lapsum peccatorem erigit.

In vera visione aspexi, et inveni, quod nulla res Deo resistit, quia Deum non decuit, quod Diabolus illum superaret, sed Deus illum in cavernam stravit, ubi nullam possibilitatem contra Deum habet. Ideo citius surge, et siliquas porcorum relinque, quod est cultura idolatriae, et ad patrem tuum curre, et gaudebit su-

[1]) Non deest aliqua spes, utinam certis novisque fulta documentis, ita expletam fuisse hanc prophetiam, ut Odoni etiam restituatur *Beati* titulus.

per te in sanguine vituli, et in symphonia resurrectionis tuae. Et unde quod multi a Deo fugere voluerunt, voluntas filii sui eos ad se traxit, quia Deus non est amator perditionis ovilis sui, quod in sanguine suo lavit. Et tibi dico: Surge citius, et Deus te suscipiet, quando peccata tua plus in stultitia, quam in malitia latuerunt.

LXXXI.

Berthae reginae Graecorum [1]) [*Hildegardis.*]

Tutelam divinam allegorice describit, ac vota pro sobole regia addit.

Exspiratio Spiritus Dei dicit: Ranium [2]), quem Deus diligit, illum in hieme tegit, et viriditatem floris in aestate de illo perducit, atque pestilentiam nodorum, per quam arescere potest, de isto tollit. Et rivulo aquae qui in Oriente de lapide oritur, ablata est spuma aliarum aquarum, quia velociter currit, et quoniam aliis aquis utilior est, quia in eo nulla putredo est. Sic illis hominibus contigit, quibus Deus diem prosperitatis concedit, et rutilantem auroram honoris, et quos principalis ventus Aquilonis cum squalido flatu inimicantium hominum non opprimit. Ideo aspice ad illum, qui te tetigit, et qui de corde (fol. 75) tuo holocaustum quaerit ac munus praeceptorum suorum. Ad illum ergo anhela, et det tibi gaudium sobolis secundum voluntatem tuam, et secundum petitionem necessitatis tuae. Vivens enim oculus ad te respicit, et te habere vult, et in aeternum vives.

LXXXII.

N.

De rudis hominis ignorantia ejusque matrimonio rite instituendo agit.

Unicuique homini, qui terrenus est, de terrena materia natus, impossibile est coelestia inspiciat, nisi quantum in fide capere possit. Unde ab isto homine Deus nullam scientiam quaerit, quam idem homo nec a se ipso, nec ab alia ulla terrena causa comparare valet, scilicet nec audiendo nec videndo. nec alio ullo comperto experimento. Sed tamen istum eumdem hominem de recto semine video ortum, et de aliena sorde aliquantum sorditatum. Et ideo de occulta et non veraciter experta causa ipse judicandus non est, sed in timore et in amore Dei et in recta conjunctione per licentiam Ecclesiae cum costa sibi adjuncta vivat, sicut Deus ab initio constituit.

LXXXIII.

Manigoldo abbati de Hirsaugia, Hildegardis

Abbatem semper colluctantem, ne animum spondeat, sustinet.

O pater et mitissime frater, video in te aliquam causam inutilem in fatigatio-

[1]) Bertha, apud Graecos Irene, soror Gertrudis, quae fuit uxor Imperatoris Conradi III, ipsa prima fuit uxor, a. 1144, imperatoris Constantinopolitani Manuelis Comneni. — [2]) Etiam me fugit *Ranium*, arbusculus qui vel Cangio, ut apud me exstat, ignotus est.

ne et oblivione. Video quoque in anima tua et in ovili tuo ignem non strenue ardere. Sed dicis: Eis resistere non possum. Et ita mentem tuam ponis velut dormias. Non sic erit. Sed dies salutis in te splendet, quia Deus juvat te in omni re, quod per eum incoeperis. Quia omnes creaturas produxit, et eas in se nominavit, ut in novissimo die omnia ad se colligat. Faciat in te ignem fortissime ardere.

LXXXIV.

Hildenrico Hildegardis.

Serpentis calliditatem in tentationibus significat.

Sollicitudo tua ligaturam habet, quam Deus per misericordiam suam solvet. Attamen contemptibiles et tepidos mores fuge, ne in serpentina dolositate (fol. 76) inveniaris, quia serpens interdum amplexus habet, interdum oscula, et interdum direptiones, atque frequenter sibila facit, ut turbo flat. Et inter haec fortis miles semper cadit. Unde inter haec omnia custodit te, quum gratia Dei se a te non abstrahit, sed nutum ad te facit, et manum ad te porrigit, si volueris. Sed tu dicis: Non possum. Et respondebo tibi: Possibilitatem habes solem inspicere et fugere: sed valde gloriosum est cum sole esse, et malum in tenebris manere. Sed dicis: Facilius est ut in tenebris sim quam in luce. Et respondebo: Abstrahe te de moribus rusticorum, et cum gloriosis militibus mane, et tunc mercedem apud Deum habebis, et mansionem cum animabus justorum. Gratia enim Dei te expectat, atque in sinum suum, ut volumen, te colligere vult. Unde in sole semper permane.

LXXXV.

N.

Pro dyscolo non rejiciendo deprecatur.

Lux vivens dicit: Non abjice illum in hoc tempore, dicens: Nos omnes nolumus ut iste super nos dominetur, quia immundum vas est. Sed Deus illum in oblivione non habet. Unde tu in hac voluntate tabesce, quando Deus multos diligit, quos homines spernunt. Et in sapientia disce judicare, atque in aeternum vive.

LXXXVI.

Zeizolfo monacho Hildegardis.

Egregium monachum confortat.

Video te ut pulchram auroram in operibus tuis, et ut dilectum filium, quem Deus in haeredem sibi constituit. Et ideo tormenta tua ne timeas, quoniam ut aurum in fornace probatur, et ut a plumbo separatur, sic pater tuus te probat et purgat. Tu ergo vivus lapis es in Hierusalem.

LXXXVII.

Congregationi de Cruchdal. [1]) *Hildegardis.*

Parabolam de arbore fici, ad instar Evangelii, fuse exponit, ad fructus vitae religiosae describendos.

Prima plantatio, quae in prima radice Jesse floruit, ad turbam istam dicit: Arborem fici habebat quidam, plantatam in vinea sua. Quemadmodum enim benedictio multiplicavit benedictiones nobilis germinis, sic etiam Deus in magno studio et in benedictione (fol. 77) sua plantavit spiritale germen in vinea Sabaoth. Et germen illud dulce et suave per ventum sanctitatis fuit, atque sicut folium fici, in bono rumore in latitudinem crevit. Sed bonus rumor absque fructu non proderit, nisi pomum in gustu obedientiae appareat, quando arbor fici cum sollicitudine custodienda est, ne arescat. Et fructus ejus primum amarus est, et postea dulcis. Sic etiam spiritalis vita cum multa sollicitudine custodienda est, ne hiems taedii eam in mente hominis aridam faciat. Et initio in labore amara est, quia proprietatem et voluptatem carnis et caetera similia prohibet, sed contemptus mundi valde dulcis et suavis est, quando sanctissima anima in sanctitatem se implicat, sed praecavendum est, ne arida fiat. Sed et idem homo qui praedictam arborem habebat, etiam fontem habuit, de quo multi rivuli effluebant. Et horribiles et valde nigrae ac pessimae bestiae venerunt, et facere volebant ne fons ille flueret. Et quaedam ex ipsis in ora sua fistulas posuerunt, et aliae arundines, ac aliae folles, et contra eumdem fontem ignem efflaverunt. Nunc autem antiquus vir te, o turba, fontem eduxit, de quo rivuli sanctitatis effluunt; sed horribiles in perversitate et valde nigrae, candorem innocentiae fugientes, ac pessimae bestiae spiritualium vitiorum in malignitate veniunt, facere volentes, te movendo, ne sanctitas de te procedat. Et quaedam in ora inceptionis suae fistulas squalidorum morum ponunt, et aliae arundines in inanitate taedii bonorum operum, ac aliae folles in inflatione arrogantiae, et adversus te ignem efflant, dum multus timor mentium eorum in magnis molestiis erigitur, ita quod vitam quae in Deo est, pro poena habent. Et haec omnia sunt horribiles bestiae, quae vos, o filiae Hierusalem, aridas volunt facere, et de vita desperare. Sed antiquus vir, qui arborem fici plantavit, fructum ejusdem arboris in diversis operibus considerat, et virgam manu sua tenet, dum per merita sanctarum animarum, quae (fol. 78) Deum frequenter amplectebantur, a vobis vitia abstrahere vult, et vos in manu sua tenere. Nam cum praecepta sanctae Regulae et obedientiae atque bonae consuetudinis, quae per antiquos sanctos posita sunt, in vobis arescunt, vir ille dicit ad cultorem vineae, scilicet ad praecepta disciplinae: *Ecce anni tres sunt, ex quo venio quaerens*

[1]) Duae exstant in edd. epistolae CIX et CXVII, quae facile habebuntur ejusdem abbatissae Crouchdalensis, cui ignoto nomini praefigitur H in priore, A in posteriore epistola, sed binae ab eadem penna venusta et eleganti profectae, opinor, quibus Hildegardis affatim respondere juvit. Ad eamdem quoque pertinere autumo et hanc novam epistolam, cui uti tertiae tertius annus, in parabola fici infrugiferae notatus, aspiciet.

fructum in ficulnea hac, et non invenio. [1]) Cum opera charitatis et obedientiae atque bonae perseverantiae in arbore ista considero, sed sonum rumoris dat, et cibum naturae ad perfectum non comedit, cum non profert flores pomorum in virtutibus, nec viriditatem foliorum in sanctissimis operibus, nec perfecta opera in castis corporalibus castigationibus. Et dicit in virga correptionis meae: *Succide ergo illam; ut quid etiam terram occupat?* cum eam in flagellis suis corripit. Nam in prima plantatione locus vester sanctificatus est; postea exul factus est, ubi non vult bibere materna verba in sanctitate et electione; unde tribulationibus et angustiis castigatur, sed tamen non occidetur. Deus enim inspicit, quod primam plantationem ejus valde amavit, et quod in eam sanctissima opera in sanctis animabus aedificavit, et ideo illam in admonitione Sancti Spiritus non relinquet, ubi praecepta disciplinae dicunt: *Domine, dimitte illam et hoc anno, usque dum fodiam circa illam, et mittam stercora.* Et Deus in sanguine Filii sui respicit, sicut scriptum est: *Postula a me, et dabo tibi gentes hereditatem tuam,* [2]) quia *in te mihi bene complacui.* [3]) Et istam turbam in constructione et in asperitate et in paupertate ad se colligit, ut scriptum est: *Hierusalem, convertere ad Dominum Deum tuum.* Et iterum: *Surge, et sta in excelso, et vide jucunditatem quae veniet tibi a Deo tuo;* [4]) et esto decora in virtutibus, quia Deus sacrificium laudis a te quaerit, et te retinere vult, sicut te in prima plantatione vidit, et dona Sancti (fol. 79) Spiritus non deserent te, sed in sanctificatione permanebis.

LXXXVIII.

Friderico monacho de Esrom [*Hildegardis*].

Monacho et fratri eius Rudolfo constantiam inculcat,

Haec verba in sapientia audivi: Sol fulminat, et nigrae nubes illum obnubilant. Quare? Quia ipse non stat in stabilitate, sed de ventosis flabris periculorum saepe movetur, sed tamen aer iterum in magna utilitate attenuatur, et sic sol iterum micat. Sic est mens hominis. Quomodo? Cum virtutes Dei in templum, id est in cor hominis, ascendunt, tunc multotiens turbo tenebras, fallente Diabolo, venit, ac in templo illo tenebras faciunt. Non possunt nox et tempestas solem prohibere, ut nunquam fulgeat? Non. Sic sancta anima in magnis periculis posita est, et in praefatis vicissitudinibus fatigatur. Attamen bona opera in ipsa non deficient; sed studet ut ad bona opera ascendat. Unde, o care fili, noli timere, quia Deus animam tuam vult in sacrificio laudis per hostiam arietis. Sed et purus lapis in templo Dei eris. In praedictis etiam flagellis memor esto Rudolfi fratris tui, qui in patria tua magnam molestiam sustinet, et cave ne illum prohibeas in sancto loco permanere, in quo nunc est. Nam pro certo scito, quod anima ejus in vicissitudine fatigationum obnubilabitur, si illum de loco isto abstraxeris. Tu autem vive, et talentum tuum fac Domino tuo crescere.

[1]) **Luc. XXIII, 6 sqq. — [2]) Ps. II, 8. — [3]) Matth. III, 17. — [4]) Baruch. IV, 36.**

LXXXIX.

Manegoldo abbati de Hirsaugia Hildegardis.

Pacem fovet et quietem, tam in abbatis sinu quam in conventus gremio servandam.

O pater; mens tua existimavit quod in diebus tuis secura pax esse deberet. Nequaquam. Sed num esset hoc possibile in isto saeculo? Dies autem clari, qui tibi positi sunt, hoc est quod non incredulitatis et defectionis et horribilis sensus dies non obnubilatur. Memor esto ergo quod Deus David elegit, et quod regnum ejus cum ipso non defecit, et quod animam ipsius non perdidit; sed tamen magnum dolorem et laborem sustinuit. Sed tamen Deus dies David tenebrosos non nominavit. Vide etiam quod Helias clamando (fol. 80) et ejulando dixit, quod Deum in aurora fidei fere nullus hominum cognosceret. Sed disce, quale responsum a Deo acceperit, sic tibi est. Nam in turba tua multae animae sunt, quae sicut lucida aurora fulgent, quia Deus ipsas valde diligit. Et hoc idem est in anima tua, sed et Adam de Paradiso expulsus est, et nullus filiorum ejus postea Paradisum corporaliter vidit. Attamen sanctae et beatissimae animae sibimet ipsis paradisum cum floribus virtutum faciunt, et ad superna coelestia anhelant. Et haec sunt in militia tuorum centies et millies, plusquam in aliis, qui in vicissitudine eorum sunt. Sed et Deus ad Israeliticum populum dixit, quod illis daturus esset terram lacte et melle manantem. Multa tamen fulgura et tonitrua de ira Dei super illos ceciderunt. Nunc esto credulus et non incredulus, quia nullus homo securam pacem habet in hac vita, sed in aeterna. Sed ferox es in aliqua nigredine. Attamen pulchrae puellae ad januam mentis tuae pulsant; sed illis cito non respondes, sed dicis: In tam magno negotio taediorum et cogitationum ac frequentium inquietudinum mentium oppressus sum, quod vobiscum manere non possum. Et pulchrae virtutes ad te dicunt: In formatione tua taedium non habuimus, et necessaria tua non reliquimus. Et quare sic nobis respondes? Nunc sancta charitate te circumcinge, et osculum cordi tuo in purissima humilitate dabit.

XC.

Irmindruldi, comitissae de Widen [*Hildegardis*].

Incitat ad pietatem, tranquillitatem, largitatem erga pauperes, pro filio futura supplex ad Deum.

Anima tua in diligentia prudentiae est et in sollicitudine cordis tui per gratiam Dei. Et suspiria ad Deum habes, quae utilia sunt. Sed naturale tibi est, quod in mente tua fatigationem frequenter habeas. Sed discere debes, quod per gratiam Dei larga sis, et quod in benivolentia eleemosinas des, quia qui in latitudine viarum ambulant, sub amplexione Dei sunt, valde amabiles Deo erunt; si vero in caverna maceriae columbarum sunt, in sinum Dei colliguntur. Sed et bonum est, ut sis Martha, et ut Maria ames. Pro filio autem (fol. 81) tuo libenter orabo, ut eum in gaudio tecum habeas, et ut eum in laetitia suscipias. Tu autem in aeternum vives, et Deus in aureo numero salvationis providebit tibi.

XCI.

N. . . . . . .

Sub allegoria solis, roris et pluviae monita praebet.

Illam radicem, quae in Spiritu Sancto plantata est, decet quod in radio solis resplendeat, et ut congrua pluvia illam aspergat, quia bona terra quae rectum fructum profert, de sole et pluvia atque de rore germinat. Unde, beatissima anima, templum tuum cum discretione sustine, ita quod illa viriditas, in qua Deum in amplexione habes, non deficiat, quia Deus animam tuam valde amat, et in sinum suum te colliget, atque te in aeterna felicitate suscipiet. Nunc in aeternum vive, et vigilanti animo ad Deum suspira.

XCII.

N. . . . .

Fortissima animae arma, quomodo portentur, edocet.

O miles Christi, qui fortissima arma induisti, nunc provide strenue quomodo ea portes, quia tempestas Diaboli multos fortes milites pigros facit. Tu autem memor esto; ne tibi sic contingat, et disce quomodo fortis miles dinoscitur. Ille fortis miles est, qui virili animo arma sua portat et desideranter cum inimicis suis pugnat, et quanto plus inimici sui illum volunt occidere, tanto majus studium habet illos perdere. Sic tu fac, et citius surge in prima aurora, sicut incoepisti, sicut scriptum est: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi,* (II Tim. IV, 7) in victoria Dei, et vigilanti animo. Tu, fili Dei, tibi dico, quia in hac peregrinatione miserae terrae in mortali corpore adhuc vivo: nunc ora pro me.

XCIII.

Dunoni priori de Babenberch [*Hildegardis*].

Obedientiam et humilitatem variis ornat symbolis.

In vera visione haec verba vidi et audivi: Vita vivet, et mortem superat, sicut parvus puer David Goliat superavit. Et mons in alto aspicitur, et vallis jacet, et interdum in viriditate sua flores germinare facit, sed multo plus inutiles herbas et tribulos et spinas producit. Nunc tu, homo, intellige. In quadam domo viri duo sedebant, quorum alter miles fuit, alter vernaculus. (fol. 82) Et ad eamdem domum duae pulchrae et sapientes puellae venerunt, et ad januam pulsaverunt, et hominibus illis dixerunt: In longinquis regionibus famam, quae bona non fuit, de vobis audivimus, scilicet quod in multis scrutationibus contra regem dixeritis. Et rex de vobis dixit: Qui sunt squalidi isti? Et quis sum ego? Ideo nunc audite consilium nostrum ad victoriam vestram. Ego humilitas vitam in incarnatione Filii

Dei vidi, et mortem conculcavi. Opera autem obedientiae mons sunt, et benivolentia vallis cum floribus. cui tribuli et spinae in multis tempestatibus vitiorum saepe accurrunt. Et in domo cordis tui, o homo, sedet miles, scilicet obedientia, et vernaculus, scilicet superbia, et ad januam mentis tuae charitas et obedientia pulsant, ita quod non totum facias quod in possibilitate tua malum habes. Nunc autem discerne quod miles vernaculum superet, ne pulchritudo obedientiae sub pedibus vernaculi jaceat, quia superbia dicit: Impossibile est vincula illa disrumpi, quibus homines ligo. Cui tu responde, charitatem audiens tibi dicentem: In coelo integra sedi, et terram osculata sum, et superbia contra me juravit, atque super sidera volare voluit; sed eam in abyssum projeci. Nunc autem vernaculum mecum conculca, et in me charitate, o fili, sta, et humilitatem velut dominam in amplexione habe, et nunquam confunderis, nec morte morieris.

XCIV.

Sororibus de Wehterswinkele [*Hildegardis*].

Florida monita ex Cantico canticorum decerpit.

In vera visione viventis luminis dico: O filiae Hierusalem, vobis annuntio, quod non ausa sum aliud dicere quam quod Dominus mihi ostenderit. Sed tamen in congregatione vestra video claritatem timoris et amoris Dei, sicut dictum est: *Quae est ista, quae ascendit per desertum, sicut virgula fumi et ex aromatibus myrrhae et thuris.* [1]) Et ideo anima mea de commansione vestra gaudet, quasi vobiscum sim. Nunc ergo de me et de sororibus meis sponso et consolatori vestro nunciate, ut nos simul in locum illum congregemur, ubi *hiems transiit, et imber abiit et recessit; flores apparuerunt, vineae florentes odorem dederunt, et vox turturis audita est,* [2]) quatenus terra nostra fiat hortus omnium aromatum, et ut colligamur in amorem amplexionis dulcedinis charitatis ejusdem sponsi nostri. Sed et tu, filia Dei, quae poenas hujus saeculi fugisti, et flores in paradiso colligere venisti, nunc persevera fortiter in perseverantia bonorum operum. Amen.

XCV.

Cuidam matronae de Buurzun [*Hildegardis.*]

Quid agendum inter duos conjuges sibi molestos et infideles, expendit.

De vivente luce haec dico: De costa viri fecit Deus formam mulieris, et illis talem fidem dedit, sicut anima et corpus secundum Dei constitutionem habere debuerunt. Quicunque autem homo de sua materia se avertit, et aliam viam incedit per conjunctionem mulieris, tam criminosus est, sicut Adam fuit in transgressione praeceptorum Dei per consilium mulieris et serpentis; et expulsus est a facie Dei, sicut Adam, donec veniat tempus quod in poenitentia lavetur. Quando vero

[1]) Baruch IV, 36; V, 5. — [2]) Cant. III, 6.

Verbum Dei incarnatum est, invenit rationalitas per sapientiam, ut homines in alieno sanguine conjunctionem haberent, ne aliquis possit dicere: Tu es sanguis meus; de tuo sanguine concipiam, et pariam filios. Isti itaque homines, qui in hac transgressione legis inveniuntur, alieni nominantur in aliqua felicitate. Et quia Samaritanus in alia via venit, ideo oportet haec ita fieri. Mulier, quae prolem habuerit, non potest a viro suo abscedere, nisi plangens vox Ecclesiae ad illum clamet, dicens: Quia tam criminosus es, idcirco non oportet te uxorem habere, neque filios procreare.

XCVI.

Cuidam abbati Hildegardis.

Contra falsos pastores mercenarios.

Sapientia dicit: Nullus homo nebulam et terrores tempestatum potest coelum nominare. Hoc est: Qui in propria voluntate sua et in avaris desideriis, sicut fur, pastoralem curam rapit, nullo modo pater nominatur; sed facit sicut Samaritani, qui in duabus partibus, scilicet cum idolis et veteri Lege divisi erant. Huic (fol. 87) sine mora fugiendum est, et ad parvulos Dei se implicet, et haec verba notanda sunt.

XCVII.

Cuidam monacho de Ebra [Hildegardis.]

Levitatem inter et charitatem suspensum monachum ad meliora charismata dirigit.

Deus te praevidet, et praefecit in duabus partibus, scilicet in parte una levitatis et in altera parte charitatis plenae. Sed in parte levitatis dolor tuus aliquantulum deficiet, sed tamen via anxietatis in hac vita tibi non deerit. In parte autem charitatis in aspectu hominum habes quod populi te non abjicient, sed quod te amabunt. Et Deus animam tuam vult.

XCVIII.

Manegoldo abbati de Hirsaugia Hildegardis.

Quasi ad incitas adactum abbatem in loco suo retinet.

Mystica Dei dicunt: Deus vult ut coelum sustineatur. Quomodo? Pater, qui ovile ad pascendum suscepit, hic coelum est; quia sicut coelum omnia luminaria dat, ita pater iste praecepta Dei ovili suo ostendit, ac toedium negligenter habere debet, ne dominus suus ei dicat: Serve nequam, quare oves meas dimittis? Sed dominus suus ei dicat: *Euge, serve bone.* Et in mea memoria oves ad pascendum duces, quamdiu ovile non dicit: *Nolumus hunc regnare super nos.* Quod si ovile hoc dicit, tunc relinquendum est, sicut etiam Jesus incredulos Judaeos reliquit. Nunc autem tu, homo, in aeternum in Deo permanebis, et recte omnia prospice.

XCIX.

Gerhardo comiti de Wertheim Hildegardis.

Lugentem ob patrem, matrem et duos fratres, unum in vinculis, alterum mortuum, solatur.

Care fili Dei, in dulci amplexione Dei es, sed mens tua in turbinem vadit, et postea lucida erit. Attamen Deum libenter rogo, ut angustias patris et matris tuae destruat, et ut circumcinctio gratiae suae illis cito veniat, quia cornu suum illis saepe praeparat, qui in magnis laboribus sunt. Et ideo etiam Deus fratrem tuum a vinculis ejus absolvere potest. Sed et frater tuus qui ab saeculo transivit, juvari potest, et ideo XXX celebrationibus missarum aut per te aut per alios, illi succurre. Deus autem animam tuam illuminet, et in aeternum tabernaculum te inducat.

C.

Abbati de sancto Michaele in Babenberch Hildegardis.

Dialogum instituit inter Sapientiam, Discretionem, Misericordiam et Temperantiam, ut modum vivendi statuat.

In serena luce haec verba audivi: Sapientia et Discretio ad invicem (fol. 85) dixerunt: Quam adjutricem nobis quaeremus? Et ad invicem sibi responderunt: Temperantiam. Sed et Misericordia de nostro officio salutem populis annunciet. Et sic sederunt. Tunc Sapientia dixit: Quid faciemus, quod bella et bella inter filios hominum sunt? Et Differentia respondit: Cum Filii hominum in plateis sibi occurrunt, ita quod semetipsos interficere volunt, tunc oculos eorum cum sole obscura, et ego cum nube; et disseramus eis quod Deus in angelicis consuetudinibus eos aedificavit, et deinde corporales partes. Et cur modo animas suas suffocent, cum tanta merita habeant? Et tu da illis scutum de sole, et ego armillas ferreas, atque alias armaturas de nube tanti ponderis, quod se amplius movere non possint. Tunc etiam Temperantia dixit: Et ego rete coram via eorum expandam, ut si injustas semitas ire voluerint, per rete impediti non possint. Sed Misericordia dixit: Ego annuntio, quod Sapientia coelum et terram in magna gloria constituit, et quod Discretio ad pulchritudinem oculorum omnia ad videndum et ad cognoscendum bene distinxit, et quod Temperantia dulcia et aspera in bonum cibum convertit, ita quod et comedi et glutiri possunt. Sed et versatilem gladium habeo, cum quo aufero omnia aspera, per quae homines lacerantur, et omnia montuosa quae transire non possunt, et haec ita explano, quod et pusilli et magni, fortes et debiles ipsa pertransire et tolerare valent.

Nunc, o tu, diligens et sollicite pater, certas rationes ad te dictas intellige, atque summa judicia et justitias Dei filiis tuis cum misericordia strenue ostende et cum magno timore, quia cum ipsi bella malorum operum incoeperint, et cum ea in plateis voluntatis suae perficere voluerint, tunc oculos intentionis eorum cum sole justitiae obscura, et cum nube disciplinalis correptionis, quia spiritu coelestes et corpore secundum Christum sunt, et prohibe, ne animas suas extin-

guant, multa (fol. 86) merita in coelestibus habentes. Et exhibe illis scutum defensionis de sole justitiae, et armillas ac armaturas obedientiae de nube disciplinae, de quibus se tamen vix expedire possunt prae gravedine peccatorum. Sed et rete correptionis coram eis expande, compellens eos rectam viam ambulare, quia Deus coelum et terram in magna gloria constituit, et suavia ac dura ita temperavit quod pati poterunt. Atque misericordiam imitare, quae omnia ita explanat quod superari valent; sed et tempora temporum discerne, ac mollia corpora filiorum tuorum inspice secundum verbum Dei, ubi dixit: *Misericordiam volo, et non sacrificium,* [1]) et sicut etiam apostolis dixit, quibus lacte opus est et non solido [2]) cibo, atque cum oleo eos unge, ne per amaritudinem deficiant, et ne per ignorantiam errent. Nunc igitur, o fili Dei care, provide ut templum tuum cum benivolentia luceat, et ne mens tua in vicissitudine nubium quasi in inquiete bellorum circumeat, sed cor tuum in purissimum fontem constitue, et in dulcissimo amore eum amplectere.

CI.

Congregationi de sancto Michaele in Babenberch Hildegardis.

Ex Canticor. VI commentarium Ecclesiae et congregationi Bambergensi accommodat.

In purissimo fonte vidi, et haec verba audivi: Quidam homo venit in hortum suum, ut videret si flores ibi florerent, et si aromata ibi crescerent, et dixit: *Descendi in hortum nucum, ut viderem poma convallium, et inspicerem si floruissent vineae, et germinassent mala punica. Revertere, revertere, Sunamitis, revertere, revertere, ut intueamur* [3]) *te.*

Hoc est: Filius Dei de corde Patris descendit, et in amaritudine naturae hominis carnem induit, ac in ipsa amaritudine multos dolores absque peccato sustinuit, et sic poma convallium vidit, cum prophetia in ipso completa est. Postea ros de coelo descendit, et apostoli germinaverunt, quando praeceptum Dei audierunt, et ibi illud impleverunt, sicut dictum est: *Ite in orbem universum, et praedicate,* [4]) et in spe Christi, si floruissent vineae. Tunc etiam ardens sol quosdam infudit, qui propter amorem Dei sanguinem suum fuderunt, quando martyres effecti sunt, et sic in istis germinaverunt mala punica. Et hoc modo, per aliam vitam, quam a primo Adam acceperint, reversi sunt, atque aliud novum genus hominum apparuit, quod ante nativitatem hujus hominis non fuit, cum eidem humano generi dictum est: *Revertere, revertere, Sunamitis.* Et sic in Ecclesia, quasi in coelesti harmonia, elevata sunt omnia ornamenta, scilicet exercitia angelorum, cum iterum dictum est: *Revertere, revertere, ut intueamur te.* Nam omnes coelestes virtutes faciem Ecclesiae mirabantur, quae in virginitate clare vidit, et in publicanis et peccatoribus acute audivit, atque in vera viduitate locuta est. Quomodo? Quando Deus natus est, oculi Ecclesiae in virginea natura aperti sunt, et in vocatione peccatorum et poenitentium acutissima aure audivit, atque in vera viduitate verba locutionis clamando protulit, sicut scriptum est: *Aquae multae non potuerunt*

[1]) Matth. IX, 13. — [2]) Hebr. III, 12. — [3]) Cant. VI, 10, 11, 12. — [4]) Marc. XVI, 15.

extinguere charitatem, nec flumina obruent illam, [1]) quia virginei flores circulum ardentis rotae in carnea natura reliquerunt, post exempla Agni, in vestigio virginitatis ambulantes, atque pompam et divitias ac terrenas causas hujus saeculi relinquentes. Et omnia genera ista, sicut genera aquarum multarum, charitatem in illis corrumpere non potuerunt. Unde etiam scriptum est: *Et dilatabitur cor tuum, quando conversa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi. Inundatio camelorum operiet te, dromedarii Madian et Epha.* [2])

O Jerusalem, magna dilatatio in corde tuo erit, in innumerosis ornamentis, cum fortissima vis in sole virginitatis in te diffundetur, sicut mare alias aquas praecellit, et cum communibus populis in vera abscissione gladii Verbi Dei saeculum relinquens in magnis criminibus et praevaricationibus, ut camelus oneratus, atque in omni lascivia dromedariorum meorum et vitiorum.

Nunc ergo audite et intelligite, o dilectissimi filii Jerusalem, qui in (fol. 88) ista vocatione estis, et qui in caverna maceriae sicut columbae sedetis, tunica Christi induti, qui assumpsit quod ante non habuit, cum humanitatem induit, sed tamen in deitate permansit. Secundum illum ergo ambulate, qui dixit: *Non sicut ego volo, sed sicut tu vis, Pater.* [3]) Et ita auream ligaturam obedientiae habebitis. Nunc ergo imitatores illius estote, in speculo magistri, quia sicut homo faciem suam in speculo videt, sic in magistro vestro faciem Dei videtis, et benedicite illi, dicentes: Domine et magister, exemplum quod dedisti nobis, sequemur. Num quid non videtis, nec cogitatis de primo perdito angelo, qui magistrum suum in honore permittere noluit, sed super illum se erexit? Sed manus magistri illum in abyssum dejecit. Nunc ergo custodite, ne in ista correptione corripiamini, non recte videndo, et super magistrum vestrum injuste judicando. Quod si magister vester cum caedente virga in inquietudine vobis minatur, humiliate vos ad illum, humili devotione dicentes: Pater, pater, haec pati non possumus, unde precamur, ut parcas nobis. Et tunc etiam cum inclinato capite, consilium aliorum magistrorum in humilitate quaerite, et hoc etiam cum magna discretione et disciplina facite, ne coram superno magistro accusemini. O dilectissimi filii, nunc videte in quali studio primum plantati sitis, et cavete ne vosmet ipsos invicem seducatis. Deus autem in aureum numerum vos computet, et ardens sol Spiritus Sancti in omnibus bonis vos plantet.

CII.

Gertrudi quondam Palatinae [4]) *Hildegardis.*

Palatinam dejectam e nobili loco et afflictam consolatur.

Dies illos, qui tibi per nobilitatem et divitias hujus saeculi aderant, Deus inclinavit, ne proprietas mentis tuae per lapsum Adae te seducat. Sed cor tuum non

1) Cant. VIII, 7. — 2) Is. LX, 4; 6. — 3) Matth. XXVI, 42. — 4) Eadem nobilissima Palatina recurrit in epist. CIX, ubique dolens, multisque aerumnis vexata. Nonne vidua erit uxor comitis Hermanni Palatini, qui dum Imperator Otho III per Italiam bella gereret, defecit et hostili manu invasit imperium; sed tanto bello impar, profligatusque circa hos annos, damnatus

turbetur, quia Deus inclinationem istam super te adhuc habet, ne mons superbiae animum tuum opprimat, quoniam Deus hominem illum quem diligit, valde corripit, ne latas vias propriae voluntatis currere possit. Unde gaude, filia Sion, quia manus Domini te habet, ita quod in nulla parte secura sis. Et Deus etiam hoc in te operatur, quod lapis angularis sis. Deus autem te videt, et scit, et te numquam derelinquet.

CIII.

Sophiae abbatissae de Kizingun Hildegardis.

Renovat monita ad animum erigendum.

(f. 89) In vero lumine vidi igneam sphaeram similem rotae in te circumeuntem. Et ut angustam viam ambulas, in qua ad solem aspicis, sed tamen turbines vicissitudinis cujusdam nubis per vagationem mentis tuae operiet te. Et tu clamas: Quando liberabit me Deus? Et respondet tibi: Te derelinquere nolo, sed volo ut rete ita apprehendas, ne corrumpatur, quoniam si illud dimiseris, in aliam viam vertetur, quod Deum non decet. Nunc in Deo gaude, et in aeternum vive, quia Deus diligit te.

CIV.

Manegoldo abbati de Hirsaugia Hildegardis.

Turbidam abbatis vitam allegorice pingit.

Claustrum tuum velut turrim video, duas fenestras habentem; quarum altera est ut rutilans fulgor aurorae, mixtus cum nube, altera ut lux diei. Sed eadem turris ab imo usque ad medietatem suam valde nigra est, quae nigredo praedictas fenestras obscurare vult, sed eas movere non poterit. Animum autem tuum video quasi diem, ubi in mane sol lucet; sed tamen ipsa dies tempestates saepe portat, quae tamen non multum periculosae sunt, et in quibus sol interdum apparet. Obscurum sermonem istum tibi modo dico; postea autem, cum Deus voluerit... [1])

CV.

N. . . . . . .

Tribulis et spinis vexato solatia ingeminat.

In aurea luce haec verba audivi: O fili Dei, provide et attende, quod exilium sit in quo es, secundum mundum. Nam in illo nebulae et tenebrae sunt, atque magna inquietudo omnium tempestatum. Et si aliquis homo in ista inundatione

fuit ab irato victore ad canem super humeros per duas horas portandum, sive ad supplicium dictum *Harnescar;* qua ignominia oppresso, infelix Palatinus in monasterium Eberacense secessit, ac paulo post obiit. Cujus fortasse exemplo uxor derelicta Gertrudis ad claustra transierit, quum jam una cum viro condidisset conventum in Bildhausen; digna sane quae ab Hildegarde consilia et solatia reciperet.

[1]) *palam aperiam*, aut quid simile excidit.

ad Deum anhelare voluerit, et eum amplecti, tunc multae torrentes aquae et multa flumina illum saepe operient, quatinus eum ab hac intentione avertant, scilicet aliquando in carne sua, aliquando in saeculari vocatione. Sed cum hoc summus Pater viderit, virgam extendit, et hunc (fol. 90) filium percutit, quatenus dulcedinem vanitatis non gustet, sed ut ad interiorem hominem aspiciat. Et sic homo ille in magnis laboribus fatigatur. Nunc, care fili Dei, si iste filius es, dulcissimam matrem, scilicet discretionem amplectere, et ipsa hoc modo te corrigit, quod carnem tuam cum misericordia ungas, ne deficiat, et ut etiam interiorem hominem osculeris. Et sic diligenti desiderio ad Deum anhela, et ipse semper te custodiet, ita quod flumina totum te non operient. Nunc esto vigil in mente, et Deus te diliget, et nunquam te derelinquet.

CVI.

Bertholfo [1]) *monacho de Zvvivelden Hildegardis.*

Pacem suggerit et proximum iter nuntiat,

Video ut vidi, et audio ut audivi. Te autem video velut hominem, quem Deus vult, et quem diligit. Sed tamen vicissitudo morum et velut mobilis arundo in mente tua interdum est. Sed [2]) Sigebodum video in intentione sua rutilantem, et in occupatione quorundam laborum suorum fatigatum, qui tamen utiles sunt. Pauca haec verba vobis modo dico, sed cum Deus voluerit, in corpore me videbitis. [3])

CVII.

Gerwino monacho de sancto Euchario Hildegardis.

Propositum consilium aliis inserviendi approbat.

O dilecte fili Dei, tibi respondebo. Illa electio Dei est ita: Deus noluit, ut in perditionem et in periculosa peccata ires, sicut propria voluntas hominis frequenter postulat. Et ista electio non est officii tui, sed tamen non video indignationem Dei esse in hac causa, qua occupatus es in invocatione hominum. Correptio autem in te hoc modo est, quod voluntatem tuam interdum implere non poteris, quam libenter (fol. 91) impleres. Deus provideat, et regat omnem causam tuam in anima et corpore.

CVIII.

Adelhedi abbatissae de Gandershem Hildegardis.

Nobilissimam abbatissam, interdum curis et molestiis depressam, sublevat.

Serena lux ad te dicit: Dies noctem praecellit, et nox scientiam loquitur quomodo? Dies videndo et audiendo probat, in quo laetandum et gaudendum sit; et

[1]) *Bercolfo* cod. habere videtur cf. ep. 123, 128, 155. — [2]) *Sigebo deum* cod. — [3]) Quasi promissum iter exegit fortasse Hildegardis quando in provecta aetate, tandem dissidia Hirsaugiana composuit.

nox plurimas optiones in multis utilitatibus habet, et diem attendit. Sed et tempestas interdum percurrit, et postea pura dies apparet. Tu filia Dei, in prima luce fuisti, et in torculari calcata es, sed postea latitudinem viarum ambulasti. Nunc praevide, ne bonas vias derelinquas, quia Deus te vult, et te scit, ita ut si ad illum aspicis, festinanter te adjuvat. Cum autem vanitatem saeculi tangis, ad te superflue currit. Itaque in duabus partibus elige quod tibi bonum sit, quoniam si Deum videndo et audiendo invocas, non derelinquet te. Deus te adjuvet, ut dies in te clarescat, et ut nox a te recedat, quatenus gemma in virtutibus fias. Et sic in aeternum vives.

CIX.

Gertrudi quondam Palatinae Hildegardis.

De Palatinae nova sede, pro ipsa et suis monialibus eligenda, disserit.

O filia Dei, quae curam habes animarum, quae intrinsecus latet, et, o amantissima filia Dei G. quae semper sollicita es in anima tua, quod quaeris de loco illo, in quo mansio tua sit in pascuis animae et corporis, Deus mihi non ostendit. Sed ista verba in lumine audivi: Perscrutamini in scrutinio vestrae scientiae et aliorum sapientum, [1]) atque eligite vobis habitaculum, quod utilitati vestrae necessarium sit, non autem spiritalium et saecularium mixtio, quasi unum sint, quia Deus hoc negotium dat (fol. 92), quod ea in alterutrum subministretis, quae ad necessaria hujus vitae pertinent, vanam gloriam fugientes. In omnibus enim locis Deum invenit, qui illum in rectis invocationibus quaerit. Unde, o filiae Dei, scientiam in sancta rationalitate Deus non spernit, quia hominem ad similitudinem suam fecit. Mansionem tamen vestram lucidam video, in quocumque loco eam Deus providerit. Nunc iterum gaudete, et propositum vestrum in Deo custodite.

CX.

N. . . . . . .

Laudes censura temperatae.

In vero lumine video, in aliqua ascensione, ad Deum mentem tuam rutilantem, et tamen in occupatione tempestatum vicissitudinis morum es, sed manus Domini tangit te, et sub umbra sua tenet te, nec umquam te derelinquet, sed tamen magni labores tibi assunt, quos ut Goliath superabis. Anima tua cum Deo vivet, et in velocitate cervi, cum Deo permanebis.

[1]) Neque spernenda doctissimae Hildegardis ammonitio, bis ad Palatinam inculcata, de scientia et sapientia vel a monialibus gnare et strenue exercenda.

CXI.

Reginae Anglorum [1]) Hildegardis.

Reginae, cui angustiae non desunt, condolet.

Mens tua similis est parieti, qui est in vicissitudine nubis, et undique circumspicis, sed requiem non habes. Istud fuge, et sta in stabilitate cum Deo et hominibus, et in omnibus tribulationibus tuis Deus adjuvabit te. Deus benedictionem et auxilium suum in omnibus operibus tuis tibi det.

CXII.

Regi Anglorum [2]) Hildegardis

Juvenem regem ab illecebris aulae et aulicorum munit.

Ad quemdam virum, quoddam officium habentem, Dominus dicit: Dona donationum tibi sunt, velut regendo, tegendo, protegendo, providendo, coelum habeas; sed nigerrima avis de Aquilone ad te venit, et dicit: Tu possibilitatem habes facere quodcumque volueris; fac ergo hoc et illud, et causam hanc et illam, quia tibi non est utile ut justitiam (fol. 93) inspicias, quoniam si eam semper inspexeris, non es dominus, sed servus. Tu autem latronem haec tibi consiliantem non audias, qui te in prima aetate magnae gloriae denudaverat, quando pulchra forma de cinere factus es, et quando postea vitale accepisti spiraculum. Unde etiam in Patrem tuum, qui te creavit, diligentius aspice, quia mens tua benivola est, ita quod bonum libenter faceres, nisi quod squalidi mores hominum in te irruunt, et cum illis per aliquod tempus implicaris. Hoc, care fili Dei, strenue fuge, et Patrem tuum invoca, quoniam manum suam in adjutorium tuum libenter porrigit. Nunc in aeternum vive, et in aeterna felicitate permane.

CXIII.

Bertholdo sacerdoti de Bunnun Hildegardis.

Prudentem amici periclitantis curam commendat.

Deus praevidit omnia viventia, et plena opera digiti sui, et ea in gloria sua constituit. Sed in aliqua parte istorum Deus claritatem tibi infundat, ita ut fugias tenebras in vicissitudine turbinum. Iste autem homo qui in amicitia tua est, in stultitia animae lassus est, velut in ignorantia infantuli, ita quod non aliqua ho-

[1]) Dubio procul alia non est illa Anglorum regina quam famosa nimis Eleonora, quae tam Angliae quam Galliis fax feralis et atrox discordiae fomes extitit. Utinam eam poenituerit in saevo carcere, quo pluribus annis post 1172 inclusa fuit! — [2]) Taedet hunc regem esse Henricum D. Thomae carnificem a. 1170, multo utique tempore postquam Hildegardis, juniorem allocuta circa 1154, sub initio regni, ferocem adolescentem ad meliora sollicitavit.

ra admonitionem audit, et iterum in alia hora eam audire desinit. Tu ergo qui in vice Christi es, virgam correptionis illi per administrationem provide, quia dies ejus sine viriditate securitatis spei aridi sunt. Nunc in aeternum vive, et in animo tuo speculum veritatis esto.

CXIV.

N. . . . . . .

Vagum quemdam et lubricum monet, tacet vero propemodum de duabus feminis et de quodam puero interrogata.

Video in vero lumine, quod mens tua vadit sicut dies oritur, ita quod interdum clara est, et iterum ut mixta nubes cum turbine; et postea vides eam rutilantem, sicut auroram. Ligaturam in virga ferrea Deus mihi modo non ostendit. De duabus autem feminis, de quibus me interrogasti, Deus mihi responsum non dat: sed tamen eas in magnis periculis non video. Deus (fol. 94) infantem scit, sed non in perditione. Quis enim homo totum mare haurire poterit, et stellas dinumerare? Sic nullus homo omnia scire poterit nisi solus Deus. Nunc autem in una die anima tua vivat, et in illo in aeternum permaneat.

CXV.

Cunrado [1]) archiepiscopo Moguntiensi Hildegardis.

De bono et malo tam in mundo quam in Ecclesia disputat.

Haec verba in vero lumine vidi, et audivi: Dies diem vocat, et pestilentiam comprimit, ut dictum est: *Dies diei eructat verbum, et nox nocti indicat scientiam.* [2]) Nam Deus rationalis est, et omnis justitia in Deo est, atque omnia bona et justa ab ipso processerunt in homine et in omnibus creaturis. Et factura ipsius in ipso pura est, ut scriptum est: *Omnia per ipsum facta sunt.* [3]) Dies praeclarus non esset, scientiam si non haberet, scilicet tenebras, quae laudem diei ostendunt. Sic etiam malignitas et impietas Diaboli Deum ostendunt, quoniam omnis impietas ac inquieta bella illi obsistere non possunt. Deus malum non fecit, sed illud superavit, velut scabellum pedis sui, quia sine ipso factum est nihil. Nunc tu, o fili Dei, in invocatione diei es. Apprehende ergo scutum fidei, et pulcherrimam justitiam Dei in amplexione cordis tui diligenter habe, velut dulcissimam amicam in sinu tuo atque in omnibus operibus tuis tenebras injustitiae fuge, quia Deus verax est, ita quod electus filius haereditatis sis, et non concubinae, scilicet injustitiae. Sed et cingulo justitiae te cinge, atque in amore aeternae felicitatis lumbos tuos (f. 95) constringe, nec etiam in invocatione diei illos audi, qui Deum spernunt, et qui opera illius contradicunt, ut dictumest: *Erue a framea, Deus, animam meam, et de manu canis unicam meam,* [4]) ita ut tu incidentem gladium

[1]) Conradus Moguntiae sedit a. 1161-1165. — [2]) Ps. XVIII, 2. — [3]) Joan. I, 5. — [4]) Ps. XXI, 21.

in malignis hominibus fugias, atque infidelitatem verborum hominum, qui Deo quasi canes [1]) contradicunt. Nunc autem Deus te doceat, ut fidelis servus sis, et ut in aeternitate vitae permaneas.

CXVI.

N. . . . .

Promptam obedientiam et spiritum orationis vovit.

Fons saliens non indiget aliis rivulis, hoc est obedientia, quae de saliente fonte fluit, quae omnia tenet et sustinet et super omnia est. Unde tu, o factura digiti Dei, fuge fatigationem obedientiae, ita quod non sis filius peregrinationis, qui patrem suum relinquit, et in aeternum vives. Nunc decet te et nos pauperes, ut aspiciamus in fumum, qui ascendit de manu angeli, hoc est oratio, quae de corde nostro ascendit: eam debemus diligentius invicem dispensare. Nunc cor et mentem tuam pura charitas colligat, ita ut limatus lapis in superna Jerusalem fias.

CXVII.

N. . . . Hildegardis.

Curam animarum retinendam suadet, donec aliud Deus statuerit.

De vivente lumine dico: Cavernam columbae tibi ostendo, quae latitudinem viarum hujus saeculi non vult, quia jugum ligaturae obedientiae tibi imposuisti. Unde curam animarum quam habes, postula de magistro tuo, ei obediens, et omnes causas tuas ipsi ostende, velut in claustro sis. Et postea cum tibi dixerit, ut ad ipsum venias, tunc veni.

fol. 96. *Andreae praeposito de Eberbutde Hildegardis.* Patrol. col. 300.

CXVIII.

Cunrado [2]) abbati de Keishem Hildegardis.

Haesitanti ne discedat, remoram subdit, quin tamen eum abire prorsus prohibeat.

Cum oculus tuus videat, et scientia tua vigilet, quare dormis, sicut lassus in cinctione rectae providentiae oculi tui? Circui ergo sollicite in bona providentia, ne talentum tuum infeliciter abscondas, quando tibi non prodest, ut abjicias alligationem illam, qua ligatus es, dum duos oculos vel oculum unum aut aliquam partem vivendi sub tua custodia habes. Si autem nullum oculum vivendi in tuis vides, sed semper claudicationem, tunc fuge, et abstine te a villicatione tua.

Gervino monacho Treverensi (Hildegardis) Patrol. col. 311.

[1]) *Canis* cod. apogr. — [2]) Idem Abbas, cui ampla et vehemens datur inter edd. XXXIII epistola, a qua ejusdem censura haec prorsus epistola non videtur aliena.

CXIX.

Cuidam homini (Hildegardis.)

Afflicto compatitur.

Rogo altitudinem Dei, ut tibi auxilietur; qui desolatos et orphanos ad vitam reduxit, tibi auxilium det. Tu vero, homo, qui te (fol. 97) dicis periculosam vitam habere, audi. Melior est tibi pauper et constricta vita spiritalis vitae, quam inter vagationes.... [1])

CXX.

Cunrado, laico de Andernachven Hildegardis.

A pia peregrinatione dissuadet.

Admoneo te et exhortor te in Deo meo, ut contineas te ab itinere illo quod peragere desideras, quoniam nec in anima, nec in corpore tuo tibi expedit, quia vires tuae aruerunt. Sed da elemosinam tuam in bona intentione in usus alicujus monasterii, sive ad utilitatem pauperum, propter honorem Dei et sancti illius ad quem tu ire cupis. Et Deus suscipiet te.

CXXI.

Rumundae conversae de Kizzingun Hildegardis.

Consolatur eam, spemque et fiduciam in Deum excitat.

Secreta lux dicit: Tu es lassa, et quasi derelicta de domo illius qui te creavit. Sed revocaberis inter alienos, et ideo cessa a peccatis tuis, quoniam Deus non vendidit te in perditionem, sed invenit te in perdita ove, quae revocata est ad vitam. Cur dubitas, quasi non sis in salvatione? Quaere ergo Deum in angustia et in dolore animi tui, et vives.

CXXII.

Manegoldo [2]) monacho de Hirsaugia Hildegardis.

Monacho, ad pacem revocato, fata Hirsaugiensium vaticinatur.

Ollam quam vidi, fortiorem nunc video quam prius eam viderem, et nunquam cadet, nec allidetur. Scientia tua, quae est oculus animi tui, videt ad Deum, sicut puer ad patrem suum, quem amat. Nam in lucida via stas, aspiciens ad Orientem: sed nigra nebula te fatigat; sed tamen te non interimet. Donum tibi oblatum placidum tibi esset in lumine, sed qui tibi illud offerri prohibuerunt, nigri

[1]) Codex hiat. — [2]) Nisi alter sit Manegoldus monachus quam abbas notus Hirsaugiensis, vel hic *monachus* inscribatur, ac si epistolam hanc CXXI adhuc monachus receperit, ante alteram ed. XXXIV, in qua Hildegardi ostensa dicitur olla, quae etiam nunc adducitur iterum.

sunt propter malignitatem suam, frendentes ut ursus cum dentibus suis. Animam autem abbatis tui video aliquantulum dissolutam in cruribus ejus, sed (fol. 98) tamen in ventre et in pectore ac in cerebro ipsius est adhuc in inquietudine. Post cujus finem, video in isto loco magnum turbinem, sed tamen deinde lucidam lucem.

CXXIII.

Berdoldo abbati de Zvivelden Hildegardis.

Haud sine ambiguis verbis, ammonet atque confortat.

Lux vivens dicit: Quemdam hominem vidi, quem quasi debilem ac claudum in praecellentia magisterii dimisi. Quomodo? Qui in imbecillitate carnis suae, velut nudi naufragi, rebelles erant, hos ipse fugit propter timorem belli. Sed nunc illum video, sicut humilem et flebilem peregrinum. Unde illum inspicio velut filium haereditatis, virga verberatum propter inquietudinem morum mentis suae. Volo autem eum in primitivam ecclesiam restituere, quasi felicem hominem, cum mons in tauro demergitur. Nunc in aeternum vive.

fol. 98-100. *Elisabet* [1]) *de Sconaugia Hildegardis.* Patrol. col. 216.
fol. 100. *Bertholdo abbati de sancto Euchario Treveri Hildegardis.* Patrol. col. 287.

CXXIV.

Luthgardi de Karleburch Hildegardis.

Matronae de saeculi negotiis et aegroto marito percunctanti respondere non omittit.

O creatura Dei Luthgardis, dispone res tuas secundum necessitatem tuam, quia non video languorem viri tui ab eo recedere ante finem suum. Obsecra ergo, corripe et mone illum pro salute animae suae, quoniam multas tenebras in eo video. Deus ad te respiciat, ita ut vivas in aeternum.

CXXV.

Sibyllae [2]) *Lausannensi Hildegardis.*

Conjuges ab aerumnis propter afflictam sobolem revocat.

O Sibylla, quae es factura digiti Dei, corrige vicissitudinem morum tuorum, et non extende te in ventilationem mentis tuae, de qua te non potes excusare, quia Deus omnia pervidet. Sed Deus non jubet judicia sua super te edisseram, sed ut pro te orem, quoniam quidam ante peracta opera parentum tuorum, nunc ha-

[1]) En celeberrima et coaequalis prophetissa Schonaugiensis; cui datur ab Hildegarde responsum quod in nostro cod. gravi abundat varietate alibi colligenda. — [2]) *Sillibae* in cod. Aliam esse quam *Sibyllam trans Alpes* in ep. XXXVI, et ideo utramque etiam distincto loco significari, hanc *trans Alpes*, illam Lausanensem, in promptu autumarem, nisi in vita Hildegardis lib. III, n. 40 utroque cognomine appellaretur *Matrona Sibylla de civitate Lausanensi trans Alpes.*

bent oculos ad vindictam, quia Deus etiam flagella sua aliquando extendit ad tertiam et quartam generationem. Confide tamen in Domino, quod te liberet de manu gladii inimicorum tuorum, quamvis filia tua ab eis eripiatur. De salute autem animarum magis loquor quam de casibus hominum, et ideo multotiens de his sileo, quia Spiritus Sanctus non effundit manifestationem in confusione criminum populorum, sed justum judicium. Nunc Deus ponat te in praedium vitae, ut in aeternum vivas.

CXXVI.

(fol. 102) *Martino et Isabellae Lausannensibus Hildegardis.*

Utrumque incitat ad bonum, prout Deus quemque urget.

Martine, sonum interrogationis perveniendi ad Deum habes, sed nondum opera, Isabella vero, benivolentiam rutilationis et gemitum cordis ad coelestia. Benedictio autem Domini super filios vestros veniat, et Beatricem ab omnibus angustiis suis liberet. Deus adjuvet vos, ut apprehendatis disciplinam legis et salutem animarum vestrarum, et in aeternum vivetis.

CXXVII.

Friderico imperatori [1]) *Hildegardis.*

Imperatorem increpat.

Qui est, dicit: Contumaciam deleo, et contradictionem illorum qui me contemnunt, contero per memet ipsum. Vae, vae huic malo iniquorum me spernentium! Hoc audi, rex, si vivere vis; alioquin gladius meus percutiet te.

CXXVIII.

Bertholdo [2]) *abbati (Hildegardis.)*

De rebus et officiis monasterii consulit.

Mi pater, quod a me quaeris, non est mihi facile ad dicendum propter vicissitudinem meorum stultorum hominum, qui sunt pingues in elatione mentis, sicut tauri. Sed tamen vidi hominem in ista turba pusilli animi et mansueti, nomine L. Istam vidi in vero lumine placidam Deo in magistratione. Nunc, dulcissime pater, provide in tua sollicitudine quid sit in Deo et in homine. Deus faciat tibi purum cor et animum, et infundat in te bonam scientiam cum sanctitate in Deo et in pastorali cura sui gregis.

fol. 102, 103. *Adriano* [3]) *apostolico Hildegardis.* Patrol col. 54.
Naceche [4]) *abbatissae de Crouchdal Hildegardis.* Patrol. col. 330.

[1]) Aspera quidem est et imperatoriae brevitatis epistola quae tanto minus sublestae fidei erit. Cf. ep. 37 et ed. 27. — [2]) Scilicet idem abbas Zwifeldensis ad quem epistola CXXIII. — [3]) Sedit Adrianus a. 1154-1159, quod notandum ad chronotaxim epistolarum. — [4]) Nomen igitur insolens habetur Chrouchdalensis abbatissae, in editis jejune et male inscriptae H, ad quam ac-

CXXIX.

N. . . . . (fol. 104)

Clericum monasterio paratum, a saeculo qnantocius fugere suadet.

Luna cadit, et mors occidit: propria voluntas interimit vendentes oves et boves, per jacturam mentis tuae, in clamanti voce perficiendo nociva. Luna, quod tu saecularis fuisti, et desideria tua annuerunt peccatis, uti voluisti. Saecularia vadunt, mala desideria occidunt, peracta prava opera in interitum vadunt. Nunc aperi ostium mentis tuae per patientiam, et voca Dominum operariorum, et ostende te illi dicens: Nova et vetera dereliqui. Primum votum iniisti dormitando, aliud incoepisti cum lambente infantia. Tunc erexit se mens tua in opinione primi angeli, quod magister esses retro, et non ante faciem Dei. In primo voto incoepisti, et aliud perfecisti, sicut vetus et nova Lex unum sunt. Hoc tibi non nocebit. Cum omni devotione relinque noxia pondera quae tibi electio Dei non dat. Tu es mollis terra, quam aratrum subvertere debet, hoc est obedientia: si non in ligatura fuisses, semper in errando esses. Fuge, fuge, fuge mortem moriendi, et erige te ad vitam, et Deus suscipit te, et manum tibi porrigit. Locus iste in quo dormis, Bersabee est similis, non Deum tangendo, sed ab ipso fugiendo.

CXXX.

N. . . . .

Clericum ejusque cognatum urget, ut claustrum petant.

Sapientia [1]) ista verba me docuit, vidente anima in non extincta vera visione. Sol micat in corde tuo, per desiderium optionis in qua vita progressurus sis, sed tamen obnubilatio dubitationis te aliquantulum circumcingit, sicut ovis per ligaturam illius ducitur, qui eam ad holocaustum vult ducere, quia tunc exterretur contra voluntatem tuam, quum cum bubus et haedis libentius pasceretur, et tunc exit, quo vult, dissipans ligaturam suam, comedendo locustas, et pastor nescit ubi sit, dicens: *Amen dico vobis, nescio vos:* [2]) quia bona opera tua non tangunt me, et in hoc te non sentio, hoc est, nescio te. Nunc tu, ovis, provide quomodo in veteri Testamento arietes et vituli offerebantur: sive vellent, sive nollent, igne comburebantur. Nunc ad Orientem per ligaturam colli tui respice, et ambula in recto itinere sicut convenit clericum, donec pastor te vocet, et cuculla induat, sicut Johannes Baptista sacerdotalis [3]) fuit et tortuosa veste in heremo indutus, justitiam Dei clamando. Nunc sede in hac peregrinatione, quasi in exiguo pulvere, Deum non spernendo, quia ipse te vult. (fol. 105) Cognatum tuum Hesse, quasi ardentem ignem ante Deum video. Da illi consilium, quod festinando ad Deum currat.

cesserat itinere recenti Hildegardis, paulo ante hoc responsum lepida amoenitate floridum. Cf. infra edd. epp. varietates. — ([1] Initium deesse putem. — [2]) Luc. XIII, 25. — [3]) f. *sacerdotali.*

CXXXI.

N. . . . .

Nobilem militem deprecatur, ne anima ejus pessumdetur.

O miles hujus saeculi, respice ad illum, qui te in nobilitate suae benedictionis liberum statuit, et custodi, ne te rusticum per mala opera in consuetudine vitiorum facias, et ne coelum et terra lamentabili voce super benedictionem Domini sui clament, quod perierit, quando anima tua de corpore tuo exierit. Nunc in aeternum vive, et Deus illuminet te.

CXXXII.

N. . . . .

Adolescentem in saeculo sanctificandum permittit.

Sapientia in vera visione ista verba me docuit: O fili, qui imago Dei es, mens tua campus latarum viarum est, scilicet volendo, desiderando, et in temeritate currendo, ac multa tam inculta quam utilia in vicissitudine requirendo; sed oculus animae tuae, nolens et volens, in arctam et angustam viam aspicit, per inspectionem plurimarum alienarum causarum, in quibus mens tua occupata est. Nunc vide quod impossibile est illi, per constrictam viam ambulare, qui in latitudine viae stat, quia lata mens in constrictione viae secundum voluntatem suam non habet, et disce quod multi ad latam viam aspicientes, et in illa ambulantes, sed tamen animam suam amantes, magnam beatitudinem habuerunt, quum arctam et angustam viam ambulare non possunt. Sic tu es. Comprehensio autem brachii Dei saecularis populus est, et oculus ejus spiritalis populus, et utramque partem Deus valde diligit, cum in praecepto ejus incedit. Hoc et tu disce, et in aeternum vives, sed tamen in torculari frequenter conculcaberis, sed non sicut peregrinus filius, sed sicut amicus Dei.

CXXXIII.

N. . . . .

Animam lubrico gyro vagantem sistere jubet.

Lumen in vera visione haec verba mihi dedit: O tu anima, valde fatigata es, et motione molendini circumdata. Sed Deus in amaritudine passionis suae amat te, unde ad illum respice, et adjuvat te.

CXXXIV.

N. . . . .

Turbidum compescit, et sollicitum de alia anima aeque anxia monet.

De lumine, [1]) quod in anima mea intueor, haec verba vidi: De vidente oculo,

[1]) Multa in apographo nebula.

quod Deus est, omnia conspiciuntur. Ipse videt te velut validum turbinem, qui aliquo tempore dividitur, et ita lux fulget. Tu etiam mobilis es per varietatem, sed bonam vitam desideras. Tamen de ista anima, quae [1]) suspiria habet me interrogandi, mihi non est licitum dicere, sed adjuvare, quia in aliquo genere vitii, malitiae varietatum illi in vita sua aderant, sed bonam vitam considerando amplexa est, quod fides est in Deo. Qui bona (fol. 106) Domini osculatur, illum nunquam interimit, sed virga poene illum purgat. Tu es anima, quae possibilitatem habes ipsum amare, si ad sinistram non respicis. Unde ad illum te porrige, et adjuvabit te.

CXXXV.

Sacerdoti . . . . Hildegardis

Imaginem boni pastoris adumbrat, suadetque in munere stare constanter.

In vera visione haec verba audivi: O fili Dei, utilitatem hortorum et motionem molendinorum habes, sicut pastor ille, qui gregem suum ita pascit, ne lupus veniat, et ne oves suas dispergat et rapiat. Et etiam idem pastor dicit: Iste labor calorem solis a me avertit, ita quod mihi exiguus est. Et sic de ovibus suis discedere vult. Sed Dominus illi dicit: Quare de ovibus meis discedere vis, cum latrocinantem insidiatorem non habeas? Ubi autem latrocinans insidiator infidelitate omnia furatur et perdit, si ibi pastor de ovibus suis recedit, coram Deo culpabilis non est, quia adjutorium non habet. Sed tu fatigationem quamdam in quibusdam nigris et variis moribus habes, velut in acuta et inquieta et torrente aqua; in purissimum ergo solem aspice, et ejus mansuetudinem disce, quia Deus bona opera a te postulat, et animam tuam habere vult.

CXXXVI.

N. . . . . . .

Sub involucro multiplicis floris monita tegit.

Verum lumen haec verba dicit: In quadam valle flos stetit; sed pigmentarii venerunt, et illum spinata sepe circumdederunt, et ita per molestiam suffocabant, quia folia ejusdem floris de turbinibus ventorum saepe inclinari et defluere solebant. Et sic idem flos viriditatem non habebat. Et ideo etiam pigmentarii illum non attendebant, nec amabant, sed alium florem quaerebant, et inutilem herbam invenerunt, nec illam volebant; sed quemdam florem mollem et rutilantem invenerunt, et ad illum declinabant. Sed eum ornata sepe non circumdederunt, nec defensionem contra validam tempestatem ei parabant, sed eum absque defensione sic stare permittebant. Et quidam homo venit, atque modicum habitaculum super eumdem florem posuit, ne totus periret.

Nunc tu, fili antiqui Patris, respice (fol. 107) [1]) ad Orientem, quia vetus et nova

[1]) *Qua* cod. — [2]) Hic fol. 107 vertitur cum periculo saltus ad aliam epistolam.

Lex in uno Deo posita est, sicut pallidus flos et rutilans flos in radice una, ubi unicornis venit, [1]) et pallidum florem illum lambendo sugebat, ac totam viriditatem ejus illi rutilanti flori immisit, ac ei suavissimum ventum inspiravit, ita quod fortissimum odorem super omnia daret. Unde nullus homo tam tardus et tam rebellis in justitia Dei sit, quod rutilantem florem istum dividat, et pallidum florem illum huic rutilanti immisceat, quia vetus Lex circumcisionis et nova Lex baptismi in uno populo pariter coli non possunt; sed unus magister in uno rutilante flore sit, nec ille in duas partes dividatur, nec relinquatur, nec schismata et anathematizata opera in eo inveniantur; ita quod supernum caput suum relinquere velit, et ad antiquum serpentem declinare. Nunc tu, o felix homo, audi: Lux vivens ista verba me docuit: Deus te ita non constituit, ut totus pereas, sed ad eum diligentius respice, et in aeternum vives.

CXXXVII.

Abbati . . . Hildegardis.

Abbatem, ut in munere, sicut in acie maneat, hortatur.

Quidam vir in stabulo suo stetit, et in tristitia hac et illac ubique aspexit, quo ire posset, sicut mens tua est. Sta ergo in stabilitate et in recto itinere ambula, sicut praeliator vir, qui contra omnes inimicos suos armatus est. Nunc etiam singularis amicus Dei esto, ita quod vivus lapis in fenestris coelestis Jerusalem fias.

CXXXVIII.

Abbatissae . . . Hildegardis.

Ad fidem et fiduciam in Deo movet.

Tu speculum Creatoris es, quia te inspicit, et opera tua colligit, et a te requirit ut fidelis sis, et ut fiduciam ad ipsum habeas. Deus te non spernit, sed in amicitia te habet, et saevissima naufragia te non operient. Onera tua (fol. 108) in lege Dei porta, quamdiu possibilitatem habes scintillam accendere. Nunc in aeternum vive, quia Deus amat te.

CXXXIX.

G[odefredo] Trajectensi episcopo [2]) *Hildegardis.*

Per aenigmata respicit ad schisma germanicum.

Serena lux dicit: Lux [3]) dat vitam, et tenebrae schismata, et nocturnale tempus tristitiam. Homo qui vitam habere cupit, schismata non habeat. Quomodo? Quasi Deus non sit, scilicet ad illum nec suspirando, nec tendendo, nec dicendo: Tu me fecisti. Sed tamen qui hoc facit, circulum, id est prosperitatem saeculi, interdum quaerit. Et quis eam illi dabit? Nemo, nisi ut tempus temporum in pro-

[1]) Dictum alibi est de unicorne, supra p. 222, 353, de quo ubique Verbum incarnatum in Virgine intelligitur. — [2]) Cf. ep. ed. XX. Sedit Godefredus a. 1156-1159. — [3]) *lex* apogr.

speritate aliquando surgit, quia Deus hominem fecit, et aliquando evanescit, quum de Deo dubitat. Sed et nocturnale tempus contristari decet, quia cum homo per proprietatem desiderii et voluntatis suae in peccatis [in] nigram quasi noctem se implicat, cum tristitia saepe circumdat, quia nullam spem ad gaudia operum suorum habet. Unde, o miles Christi, legi Dei subjace, quantum eam videre potes, et virgam correctionis in manu tua secundum praecepta legis Dei tene, ita quod in aeternum vivas; et sic nocturnales tempestates istas fuge, quia Deus sic vult; et ad animalia illa, quae undique oculos habent, aspice, ita quod in omnibus rebus tuis ad Deum videas, quatenus carus Dei filius nomineris.

CXL.

N. . . . .

Sanctorum orationes Deo gratas ostendit.

De vivente lumine haec verba vidi et audivi. Merita sanctorum coram vero sole fulminant, et eadem homines praecurrunt, quia opera istorum et bona opera hominum unam complexionem per bona desideria ad Deum (fol. 109) tenent; et ideo homines salutationem orationum ad invicem habent, ut Joannes in Apocalypsi vidit: *Et ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum de manu angeli coram Deo.* [1]) Unde etiam eamdem salutationem diligentis et devotae [2]) orationis igneus Spiritus Dei et vobis et nobis donet. Nam in hoc lamentabili tempore rami Ecclesiae arescunt, et viriditates virtutum vim patiuntur, sed tamen velox cervus quandoque veniet, qui justitiam Dei evigilare faciet. Et idem cervus, scilicet bonus praeliator, te, fili Dei, operari in fortibus virtutibus faciat, quia vult ut vivens lapis in coelesti Jerusalem sis.

CXLI.

N. . . . .

Priscas cujusdam abbatis et suas aerumnas memorat.

Animam tuam [3]) in te clarescentem in Deo video, et turbinem validum inter fratres tuos; sed tamen non majorem priori, et etiam quosdam squalidos ibi per lasciviam mentis video; sed hoc claustrum aedificationis Dei speculum sanctitatis inter multos fratres esse, et labores tui minores sunt quam initio incoepisses. Nunc virgam correctionis Dei in stabilitate strenue habe, ne tibi Deus minetur. Anima tua sit in amplexione viventis luminis. Deus nos adjuvet, manum suam in omnibus tribulationibus nostris porrigendo, et sit auxilians mihi pauperculae formae in meo dolore.

CXLII

N. . . . .

Charitatis charismata decantat.

Illa dies optima est, quae noctem malignitatis in corde hominis obscurat, quia

[1]) Apoc. VIII, 4. — [2]) *notae* cod. — [3]) *anima tua* cod. Epistola dirigitur fort. ad Hirsaugiensem.

Serpens eamdem malignitatem efflavit. Sol autem (fol. 110) diem benivolentiae illuminat, quae etiam in tenebris luna non caret. Spiritus Sanctus abstrahat a te omnia vitia malignitatis, et faciat in te ut sis in amicitia dulcissimae atque amantissimae charitatis, quae fortissimum cervum cepit, et symphoniam super omnes coelos dedit, et in thalamum omnium mysteriorum regis intravit, et in speculo cherubini cum omnibus ornamentis se ostendit.

CXLIII.

N. . . . . . .

Praelatum quemdam inertem expergefacit.

Circulum solis habes, et illum frequenter tangis. Quare dormis per taedium ignorantiae, quasi non sis, et quasi te movere non possis, per vicissitudinem tempestatum aquarum? Quando te vocavit, fatuum te esse noluit. Et iterum, cum verba sapientiae audieris, interdum prae gaudio ludis, et aliquantulum in nebulam verteris. Sic non sit. Sed in stabilitate et honore aedifica domum sapientiae, ut milites tibi non dicant: Plurima et plurima pater huic filio dedit. Ubi modo illa sunt? Nunc in multas cavernas solis [1]) aspice, et ea in sinu tuo diligentius collige. Virgam quoque in manu tua vigilanter et strenue tene, et non in amaritudine, sed in multis miserationibus. Nunc in aeternum vives, quia Deus in sua legatione te habebit.

CXLIV.

N. . . . .

Sacerdoti sacri muneris dotes in veteri et novo foedere recenset.

In serena luce haec verba vidi et audivi: Sancta vasa in tabernaculo Domini in prima ostensione Legis secundum carnem posita erant. (fol. 111) Postea formam sanctitatis Deus in ariete complevit, sicut ros de coelo super gramen descendit, quia omnis viriditas spiritalis homo [2]) in forma videtur, et verba ejus de inspiratione animae audiuntur. In circumcisione enim carnis Deus serpenti confusionem dedit, ac postea in semetipso omnia consecravit. Haec audi, o sacerdos, ita quod in te sit castitas et continentia, quia ad vos dicit propheta: *Qui sunt hi, qui ut nubes volant, et quasi columbae ad fenestras suas?* [3]) Deus autem circumcisionem in carne primum signavit, postea in Spiritu Sancto justitiam formavit. Cor enim tuum aliqua mole oppressum est, te etiam plus desiderante quam operibus tuis ad illum anhelante. Nunc ad verum lumen aspice, et virgam ferream in manu tua cum Deo confidenter porta.

CXLV.

N. . . . .

Feminam levem et tepidam commonefacit.

Video te in aliqua mobilitate similem arundini, et in gravedine sicut plumbum

[1]) Sed *cavernas solis*, ecquis antea indigitavit? — [2]) In cod. *sic homo.* — [3]) Is. LX, 8.

in moribus tuis; ac in alia parte video in anima tua suspiria sicut ignem ardentia; et stude ut illud perficias, quia Deus adjuvabit te. Nune disce ut mansueta sis in Deo, ungendo populos et etiam tuum animum, et Deus valde amabit te, et cum illo in aeternum vives.

CXLVI.

N. . . . .

Totam vani cujusdam impostoris historiam seriatim enarrat.

[fol. 112]. Aspiciens in vera visione, vidi quosdam homines in pinguedine peccare, quosdam in fatuitate, quosdam in impietate. Sed in impietate vidi hominem istum cum amaris et saevissimis moribus conversari, et vidi quod interdum in semetipso clamando se jactabat, et quod elegit quod sibi placuit, ita quod et interdum cum gustu animae in oratione et in servitio Dei voluntatem suam quaesivit, et eam implevit, et quod ad se ipsum respexit, sine ascensione quae ad Deum tendit, et quod ad semetipsum et ad alios in moribus suis frendebat. Unde quaedam vitia Diaboli velut sibilo venti eum invaserunt, et ipsi persuaserunt, quod quaedam mira faceret, quod prae amaritudine animi sui nulli hominum dicere volebat. Et sic in strepitu mentis suae sylvam petivit, et in eam ire voluit, quatenus ibi miracula faceret, quae impossibilia homini sunt, atque in hac voluntate, aquam transire tentavit, et ibi mirabilia facere voluit. Quod Diabolus videns, et voluntatem ejus inspiciens, in eadem aqua quosdam terrores fecit, quos homo iste fugere volens, in mortem precipitatus est. Ipso tamen [1]) sic mori nolente, sed in amara poenitentia meminit, quod Diabolus eum deceperat. Et moriendo dixit: Domine, adjuva me. Et [quum] libenter viveret, sed mortuus est. Nunc autem animam ejus in quadam tam magna nigredine esse scio, quam explicare non possum, sed non in nigredine inferioris putei, qui non finietur. Attamen ad Austrum velut lucidam materiam bonorum operum ejus, quae fecit, lucere video, quod Diabolus erubescit; in qua tamen materia anima ipsius nunc non est. Sed ego paupercula in angustia animae meae audivi et vidi, quod in plenitudine illa, cum omnia opera hominum in justo judicio Dei perficientur, praefata anima in hoc, quod dicitur, vix invenietur. Quia tamen in fine suo poenitet, dixit: Nunc omnes fideles haec verba audiant, ut vitium hoc fugiant, ne in semetipsos confidentes aspiciant, velut voluntas eorum Deus sit, quum a se ipsis non sunt, sed ad illum, qui Deus ipsorum est, respiciant, et invenient quia praefata anima se illuc extendit, ubi nihil invenit.

CXLVII.

Episcopo [2]) *G. de Halberstath Hildegardis.*

Cujusdam beati, fortasse inter patronos Halberstadienses, merita testatur.

In vera visione haec verba vidi et audivi de sapientia, ad inquisitionem populi dicta, propter benivolentiam ejus et propter merita istius justi, qui inter beatos

[1]) *ipso* etc. Sic cod. — [2]) Gero de Schermecke Halberstadtii sedit a. 1160-1177.

et justos qui sancti sunt, connumeratus est. Et eadem sapientia de eo dicit: Per quatuor elementa venti eleventur (fol. 113), et hoc cum laudibus in populis sonent, quod in clamanti voce orationis praecucurrit. Nam cum justi peregrinationem dolorum pertransierint, et ad beatitudinem pervenerint, in quibus testamentum criminosorum criminum per infidelitatem et per illusionem contra Deum et contra justitiam ejus non inveniebatur, justo merito gratia Dei in illis laudanda est. Justus enim iste haec suspiria habuit, quae per speculatum oculum Cherubim ad thronum Dei ascenderunt.

CXLVIII.

N. . . . .

Radici robustae et campo aciei quemdam assimilat.

In vero lumine vidi et audivi vocem ad te dicentem: Vide radicem quae in lapidea terra surgit, quae magnis laboribus evertitur, sed tamen fructus ejus perfectus et utilis in bono gustu est. Tu es terra quae in magno strepitu belli inpugnatur, et cui vicissitudines vitiorum Diaboli contrarii venti inania objecerunt. [1]) Sed tamen victoriam habes in bona fama, unde in fortissima vi boni operis in stabilitate permanebis.

CXLIX.

N. . . . .

Inquietum hominem corripit.

Lux vivens dicit: Te viro sapienti assimilo, qui sacrificium Deo obtulit, dicendo: Quae vel qualis est vita mea? et qui non montem, sed paupertatem in inutilitate se nominat. Sed tamen aliquid lutulentum in te video, hoc a te abscide, et in vagationem inquietae [2]) vicissitudinis relinque, et robustus in via stabilitatis esto, ad Deum currendo, ut cervus ad fontem, et sic ad matutinam stellam respice, quae diem ostendit, et in nocte lucet.

CL.

N. . . . .

Perseverantiam et stabilitatem laudat.

In horto, in quo nunc es, permane usque dum mens tua perfectior fiat; et omnia bona quae in sinum mentis tuae colligis, in eodem loco, in quo nunc manes, perfice, quantum potueris, atque cum freno timoris Domini te constringe, ne in periculosam viam vadas; et contine te usque dum meliora tempora tibi occurrant, et vives.

CLI.

N. . . . .

Gravi et ampla querela abbatissam redarguit, adductis in exemplum ignotis martyribus, de quorum reliquiis interrogabatur.

In vero lumine haec verba vidi et audivi: O mons, o collis, et o mons electionis,

[1]) *objicirunt* cod. — [2]) *inquietis* ibid.

tu signa quaeris, sed primum de peregrinatione tua in qua nunc es, disce quia magno studio per veram ostensionem te constitui, sicut veram ostensionem in radice Mambre ostendi, atque cum omnibus margaritis ascendentium (fol. 114) virtutum in rutilante aurora ornatis te ornavi, et sicut columbam, in humilitate per cavernam aspicientem, te simplicem feci, et ebore totum mundum relinquentem te assimilavi, et filiam regis te nominavi, ac diademate ornavi, ita quod omnes te videntes ad te venire desiderarent, quia et inaures de auribus tuis pendebant. He, he! ubi te nunc video! Ubi jaces? Sic nec collem te nunc video, sed lutulentum limum, quum honorem fugis, et asinum cum sacculo desideras. Signaculum quoque meum mihi abscidere vis, sed non poteris. Et de hoc tibi non respondebo. Melius enim tibi esset, ut gregem tuum congregares, et ut dispersionem tuam inspiceres. Nunc caput tuum eleva, et recte ambulare disce, atque priorem honorem require, ac speculativam vitam, in qua te consideres, habere stude. Sed hoc non facis, sed magis rusticales mores inquiris, qui cum cineribus lutulenter ebulliunt, quemadmodum talpa hortos perfodit. Nunc istud atque caetera vitia relinque, ac in purissimo sole ad me vide, et tunc de nominibus sanctorum atque electorum meorum diligentius me interroga. Multas reliquias tam virginitatis quam alterius sanctitatis apud te habes, qui velut sol in virtute sua fulgebant; atque plures et plures tecum habes, qui in angelico vultu in vita sua vivebant, et qui per martyrium crucis se ipsos abnegabant, et pompas saeculi relinquebant; qui tunicam laudis a populo nondum habent, sed qui repentinam persecutionem passi sunt, et festinanter truncabantur, et hoc modo omnia bona opera in fine complebant; tunica laudis induebantur, quoniam hoc plus aliis indigebant, quia multa bona opera viventes non operati sunt, sed tantum in fine. Illis autem omnia bona opera sua in coelesti Hierusalem lucent, cum ea vident et audiunt, quia in citharis et organis ac in omnibus supernis laudibus sonant. Nunc canite et jubilate in meritis sanctorum, ac multo studio studete, ut per bona opera in (fol. 115) societate illorum sitis, et in aeternum vivetis.

CLII.

N. . . . .

Apocalyptico spectaculo, martyres adducit, colloquentes de inito et ineundo cum daemonibus certamine.

Et iterum [1]) sub altare, quod est ante oculos Dei, et sub throno Dei, vidi candidam turbam, et illam haec verba dicentem audivi: O Israelitica turba illorum hominum, qui in societate nostra estis, mundum relinquendo, et jugum Domini portando, haec verba audite: Cum antiquus serpens ad primam mulierem verba deceptionis suae protulit, et illa consilio ejus non restitit, idem serpens pessimam et turpissimam venam ab ore suo in ventrem suum glutiendo intraxit, de qua mors venit et exivit, quae diem mysticae geniturae, quam Deus in Adam et Eva creaverat, obnubilavit, ita quod illa postea non apparuit. Et serpens in se-

[1]) Non tam epistola quam pagina libro *Scivias* vel ***de Divinis operibus*** addenda.

metipso scivit, quod mundus deficere non debuit, atque in vena turpitudinis suae conceptionem hominum sensit. Unde cum homo in eadem vena omne desiderium suum complet, ita quod nullam victoriam facit, tunc idem serpens nigrum ignem de ore suo exspuit, qui postea tormentum ejusdem voluptatis est, quem ignem omnis diabolica turba inspicit, et hominem illum deludendo, cachinnum parat, dicens: Ubi est Deus istius? Sed illi, qui in desideriis suis victoriam faciunt, sagittas in pharetra parant, et eas in venam ejusdem serpentis lucido igne mittunt, ac illam sic vulneribus perforant, quae serpens ille erubescit, velut homo nuditatem suam, sed eam tegere non potest. Tunc ut leo rugit in schismate errantium et in spurcitia ac in turpitudine omnium malorum, atque omnem fortitudinem suam contra vulnera ista exacuit, ut ea aliquo modo obnubilet. Nunc audite et intelligite, omnes fideles, per cancellos Ecclesiae, ut contra diabolicas artes victoriam habeatis, et ne honorem ac beatitudinem felicitatis vestrae destruatis, quatenus nos qui sub altari et sub throno Dei sumus, gaudium vobiscum habere possimus, quia gaudemus, cum per bona opera Diabolum a vobis expellitis.

CLIII.

N. . . . .

Praelatum edocet de discreto regimine, neque eum onus dimittere permittit.

In sereno lumine vidi et audivi vocem ad te (fol. 116) dicentem: Mens tua est quasi impetus aquae, et ut rete ad capturam non recte extensum, quia quod desideras et quod praecipis, ita vis fieri quod interdum non erit. Sed aspice quod arator agrum primo subvertit, et postea cribrat, ac sic semen suum seminat. Subversa terra duri et asperi homines sunt, illos leviter comprime. Cribrata autem terra benivoli sunt, quibus palam loquere, et perfectos cum omni instructione bonorum operum instrue, quia ipsi hoc suscipiunt. Et ne sis velut impetus aquae per iracundiam, nec sicut dissolutum rete per dubietatem, sed sta in stabilitate, et Deus adjuvabit te, et onus tuum firmiter tene, et in aeternum vive.

CLIV.

N. . . . .

Ordinem monasticum altius repetens, angelicum illum esse renuntiat.

In vero lumine audivi vocem ad te dicentem: Dominus prophetis suis miracula sua inspiravit, et apostolis in igne verbum suum infudit. et in sigillo suo signavit, ita quod praedicationes eorum in omnem terram fulminaverunt, et sic Jerusalem aedificata est, sed parieti turris defuit. Tunc igneus [Spiritus] ignem accendit, qui olim in aquas spiravit, sicut dictum est: *Spiritus Domini ferebatur super aquas.* [1]) Et in semetipso aspexit quod latus viri per consilium primi perditi angeli obnubilatum fuit, et quod casta generatio ita omnino perierat, et quod contra callidum serpentem castam generationem in suo igne generavit, similem an-

[1]) Gen. I, 3.

gelico ordini. Hoc sunt monachi et virgines, in integra tunica Christi, qui etiam sunt fenestrae Jerusalem, quae ex purissimo auro fulminat in virtute solis. Unde si quis tyrannus cucullam integram, scilicet tunicam Christi, exuerit, manus Domini illum occidet, sicut David illum in ira sua dijudicavit, qui Saulem occidit, quia lapidem rabiei in turrim Jerusalem jactant. Nunc elige tibi, quod bonum sit, ita quod cucullam cum igne habeas, et in aeternum vives.

CLV.

Bertholfo abbati de Zwiveldun Hildegardis.

Modicum et temporaneum tribulationis momentum esse ait.

O tu anima, quamvis in proxima tribulatione constituta sis, gratia Dei te praeveniet, et tempestas tua non erit valida, et cum aestas apparuerit, gaudium erit. Iste carcer inquietus est, similiter (fol. 117) ut vitia et virtutes in omnibus hominibus sunt. Anima illa que in hac vita posita est, et tamen fulgore solis non caret, in gaudio gaudiorum erit, ita honor sanctorum valde cribratur, sed tamen in laude semper est, quia *justus si morte praeoccupatus fuerit, in refrigerio erit.* [1]) Unde per gaudium taedium non habe, quia in ista sphaera computatus es.

CLVI.

Manegoldo abbati de Hirsaugia Hildegardis. [2])

In Deo nauclerum esse, cui confidendum ostendit.

O tu persona, fuge tempestates et vitia, quae ad vicissitudines squalidorum morum tendent, et nauclerum qui in manu navim suam gubernat, non habeas, sicut villicum qui interdum in amplexione, interdum in oblivione est. Nam in hortum tuum sic aspicis, quod gaudes, quando prosperitas sicut sol fulminat, et quod irasceris, quando in nimia inquietudine nebula surgit; sed in hac utraque parte patientiam habe, usque dum Deus tibi succurrat. Ut autem turbareris fieri oportuit, quum quidam casus sine cura in conviviis erant, quos tamen in periculo velut naufragium non video. Hoc etiam locum tuum in dissipatione aspicio, sed igneus incensor cor tuum accendat.

CLVII.

Eberoldo sacerdoti Hildegardis.

Sacerdos hostia sit, ut ovis ad occisionem.

Vide diligentius in qua via ambules, quia mens tua est quasi ager qui sustinere non potest, quod strenue cum aratro scindatur, sed tibi adest ut planas vias, ad altare Deo sacrificando, ambules. Nunc vide quod ovis quae ad altare ducitur, funem rumpere non debet, alienam viam aspiciens, quia omnes injustae viae aut hic aut in futuro saeculo purgandae sunt.

[1]) Sap. IV, 7. — [2]) Scripturae veteris vestigia pumice eradicata, videntur hunc titulum inducere.

CLVIII.

Eberhardo [1]) *Babergensi episcopo.* [*Hildegardis*]

Peregrinam puellam ad monasterium convolantem commendat.

Quidam vir in mane diei surrexit, et vineam plantavit, postea alienas vias propter plurimas argumentationes inspexit, et studium suum sic finitum est. Nunc, pater familias, ad peregrinam filiam G. respice, quae de terra sua vocata est, sicut Abraham qui de terra sua exivit. Haec enim omnia sua dedit, et margaritam emit. Nunc autem mens ejus in multa sollicitudine suffocatur, velut uva in torculari. Adjuva ergo eam quantum potes, ob amorem illius qui ante principium fuit, et qui in misericordia omnia implevit, [f. 118] ita ut vinea in filia ista non destruatur.

CLIX.

Gerwino abbati Hildegardis.

Post luctum, jubilum auguratur.

Tempus curationis tibi nunc concessum non est, quia terra vindictam Dei clamat, et coelum ab injustitia obnubilatum est. Et iterum non post longum tempus coelum laudem Dei jubilabit, et terra scissuram captivitatis suae habebit. Plateae loci tui, in quo habitaculum et virgam correctionis habes, tenebrosae sunt, de vicissitudine inquietorum morum; et aliquantum venenosum vitium et inobedientiam emittunt, unde inquieta bella sunt. O alta persona, non existimes te altum per elationem mentis tuae, et non fremas in impetu iracundiae super oves gregis tui, sed unge et corripe eas, quantum potes, et in aeternum vives. Cum autem Deus voluerit, postea exemplum primae aurorae apparebit.

CLX.

Manegoldo abbati de Hirsaugia Hildegardis.

Hirsaugiensem ut a monasterio ad tempus recedat, suadet.

O amantissime pater, et fili laboris [2]) saeculi hujus, sed tamen Deus te trahit ad se. Nunc tempus est tribulationum et aerumnarum et errantium viarum inter filios hominum. Et nos qui spiritales esse deberemus, obnubilati sumus de nequitiis aereorum spirituum. Unde etiam in claustro tuo malignitatem nunc velut plumbum video, sed tamen a Deo lumen tecum est. Sed sapientia ad te dicit: Subtrahe te, et secede modicum temporis et spatii a filiis tuis, sed tamen virgam magisterii ne abjicias, sed eam in manu tua tene, sicut pater interdum a filio suo recedit, cum filius illi contumeliam infert. Sed cum idem filius in defectum pervenerit, patrem revocat, et illi ad veniam supplicatur. Haec tibi nunc adsunt.

[1]) Eberhardus Bambergae sedit a. 1145-1166. — [2]) *Tu fili et laboris* cod. Paulo post *aeriorum* id.

Unde filii tui et a praelatis et a communi populo in confusionem ducentur, illis dicentibus: Bonum virum et rectum magistrum isti pati noluerunt. Quapropter filii tui confusi, nutibus et pulsationibus postea te revocabunt, et deinceps suavius cum (fol. 119) eis laborabis quam prius fecisses. Et haec est una plagarum, quas vobis praedixit, sed tamen Deus non derelinquet vos. Nunc autem convalesce, et esto robustus miles, et Deus adjuvabit te.

CLXI.

A. comitissae Ratisbonensis civitatis Hildegardis.

Litem ad imperatorem deferendam statuit.

Video bonum et utile tibi esse, quod de praedio tuo, de quo mihi scripsisti, coram imperatore quaerimoniam facias. Et confido in Domino, quod hoc in genere tuo consoleris. Pro salute autem tua et pro felicitate tua Deum orabo.

CLXII.

Reginberto sacerdoti Hildegardis.

Militari allegoria sacerdotem ad certamen hortatur.

Deus viam ideo instituit, ut homines in ea ambularent. Sed duo viri in via stabant, et alter ad alterum dixit: In plateis tam libenter quam in via ambulo. Et alter dixit: Ita aestimo. Et postea respexit ad spinas et tribulos, et illa desideravit. Et Dominus dixit eis: Isti me nolunt, neque in vexillo meo pugnare volunt, ideo de me abscisi sunt. Tunc de Oriente milites in armis valde ornati venerunt, dicentes: Ista via ambulare nolumus. Et Dominus illis pennas cujusdam architecti dedit, et Cherubim oculis suis ad illos vidit. Ac isti de lumine illius resplenduerunt, et de eodem lumine tam fortes facti sunt, quod in certamine faciari [1]) non potuerunt. Alii autem viri in brevi tempore fatigati sunt, et ita perierunt, quia cibo vitae pasti non sunt. Nunc, o care fili Dei, ad illos militantes milites respice, quatenus in aliqua parte cum eis sis, et in aeternum vives.

CLXIII.

Guibertus Hildegardi. [2])

Salutationes et pars ultima superioris epistolae primae p. 328-330.

Salutant te Domnus Abbas [3]), et Prior noster, cum tota sibi commissa matre mea Gemblacensi ecclesia, pro salute tua supplicantes Deo, et hoc ipsum vicissim a te pro se ipsis fieri obsecrantes.

[1]) Sic meum apogr. An legendum *fatigari*? Sequentia id suadent. — [2]) Quae primo loco exstat supra epistola Wiberti ad Hildegardem p. 328, excepta ex cod. majori Wisbadensi, exstat in altero codice Bruxellensi 5534, una cum sequentibus, quas partim mihi rescripsit D. Franciscus Chamard, partim mecum pro solita humanitate et diligentia Bollandistae communicarunt. Deerat autem codici Wisbadensi appendicula salutationum. — [3]) De abbate Joanne cf. p. 350.

Saluto te praecordialiter ego, qui hanc tibi scripsi epistolam, et qui, me hanc dictante, excepit, dilectus frater noster, alter aeque Wibertus, [1]) specialius et ipsi orationum tuarum suffragia exposcentes.

Salutant te dilecti et ex facie noti dilectores tui, Domnus Sigerus de Waura [2]) et Nicolaus miles, juvenis de Niel, quem cum ipso te visitante in quadragesima vidisti.

Salutat te frater Franco, reclusus ecclesiae nostrae, filius probus in Christo, et frater Robertus, languens corpore, sed valens mente, in monte qui dicitur Sancti Wiberti decubans.

Salutant te domnus Emino, ecclesiae nostrae presbyter parrochianus, et alius quidam juvenis, dilectus meus, cujus et nomen et quid de eo suggeram ab illa poenitente muliere charissima, nota [3]) tibi familiariter, intimabitur.

Hi omnes speciales et proprias petitiones pro necessitatibus, quibus urgentur, quas evolvere longum esset, sanctitati tuae libenter insinuarent, si ore ad os tibi aliquatenus loqui valerent, quod quia interim fieri non potest, tu exorata, pro singulis Deum cui omnia nota et possibilia sunt, interpelle, quatenus eis in ipsis tribulationibus, et maxime quibus periculosius angustiantur, sicut nobis expedire scit, adjutor pius in oportunitatibus subveniat, conferens et in his subsidium et de reliquo remissionem peccatorum, correctionem morum et gaudium sempiternum. Quae omnia et sua benignitate et tuis precibus et mihi et his pro quibus tibi supplico, indulgeat ipse qui est super omnia benedictus Deus in saecula. Amen.

CLXIV.

Guibertus Radulfo Villariensi. [4])

Fuse exponit cur et quomodo ad Hildegardem venerit, undenam duobus manserit annis apud eam, quid egerit et quaenam tunc temporis Binguiae successerint. In fine recurrunt rancida de solvendis Villariensium priscis et novis quaestionibus fastidia.

Servo Dei Radulfo, Villarensi monacho, amplo semper mihi dilectionis sinu suscipiendo, frater Guibertus, solo habitu et nomine monachus, artem regni coelestis virtutum armis comprehendere...

I. Nam quia eorum error non de malitia surgit, sed ex ignorantia, ne ulterius in me scandalizentur, et materiam eis peccandi praebeam, justum, immo necessarium arbitror, ratione abscessus et remorationis meae reddita, rei veritatem aperire. Neque enim ego, sicut vel suspicantur ipsi, vel amici mei versipelles illi astipulantur, aut levitate usus, aut instabilitate actus, locum meum deserens, huc emigravi.

II. Ante annos aliquot, cum venerabilis virgo Christi Hildegardis in finibus no-

[1]) Miror hunc Wibertum alibi non comparuisse in nostris Guiberti litteris. — [2]) Idem sane de quo supra p. 305, 382, 395, nec jam dubium quin nobilis miles factus fuerit monachus Gemblacensis. Hic vero respicitur ad epist. superiorem VI. — [3]) Idem opinor, de quo p. 398 fusius. — [4]) Ex cod. cod. Bruxellensi fol. 160. scripta videtur a. 1180, eodem tempore quo similia argumenta adversus detractores excussit cum Bovone Gemblacensi. cf. p. 405. Adeo prolixa et parergis oppleta epistola est, ut neque a benigna amanuensium patientia totum petere, neque robustissimis lectoribus omnia committere ausus fuerim.

stris famae praeconio celebrari inciperet, et gratia supernae illustrationis qua perfundebatur, opinioque piae conversationis ejus per multorum ora volitans, de die in diem magis ac magis illucesceret, quibusdam utriusque sexus personis in favorem ejus declinantibus, et nescio scienter an ignoranter varia de illa jactantibus, inter credibilia, etiam nonnulla quae fidem excederent, de modo praedictae illustrationis ipsius ferebantur. Interea multi, odore unguentorum ejus tacti, sicut humanus semper animus insolitorum cupidus est, ex agris atque vicis simul et de civitatibus properabant ad eam; et alii devotionis, alii curiositatis causa, illi exhortationis et orationis ejus suffragia expetentes, isti utrum propheta in Israel apparuisset, et an aliqua de futuris audirent, experiri cupientes, utrique tamen cum redirent, novitate dictorum auditores suos attonitos efficiebant, sed neutri de modo gratiae illi coelitus collatae cuiquam relatu suo satisfaciebant, pro eo scilicet quod non miraculis visibilibus illustraretur, sed fulgore invisibili et ipsi soli noto, anima ejus irradiari diceretur.

III. Et vehementer quidem delectabar in his, quod in diebus nostris malis, in quibus praeter comminationem divinam, ablata est visio et prophetia, et senes in quibus est sapientia, de medio facti sunt, et tanta raritas sanctitatis reperitur in terris, inventum esset organum, divinis et humanis usibus aptum, quod inspiratione Dei repletum, refunderet fidelibus quae accepisset: delinquentes scilicet et superbos gravi rugitu increpando, moerentes pro peccatis et contritos corde lenibus sibilis recreando, bene incedentes et rectos ad superna appetenda subtilibus incitamentis ac si quibusdam acutissimis jubilis provocando. Nam et profunda cordium penetrare et intueri ferebatur, clam et perperam gesta ad correctionem quibusdam, modeste tamen, improperare; de his etiam quae ventura aliquibus essent, non pauca pronuntiare.

IV. Delectabar ergo, ut dixi, tam insolito tamque favorabili famae praeconio, proponens, si mihi constaret de his, et opportunitas aliquando praestaretur, me ejus et alloquio frui et consilio. Sed non oblitus quod de eadem fama propheta loquitur, quantum scilicet per mendacia crescit, quodque rara [1]) fides ideo est, quia multi multa loquuntur, non quidem omnino loquentibus ista resistebam, sed pigrius ad credendum et ad investigandam rei veritatem movebar, maxime cum nec quisquam esset ex revertentibus, qui aliquid certi super hoc nuntiaret. Contempta ergo laciniosa loquacitate dissidentium, simul et revolvens illud Joannis apostoli: *Charissimi, nolite omni spiritui credere* [2]), *sed probate Spiritus, si ex Deo sunt*, et quod ipse Satanas transfigurat se non solum in angelum lucis, sed etiam in effigiem Christi,... intendi animum, quatenus operose nubem caliginis seu dubitationis hujus prorsus ipse mihi amoverem, et potius ejusdem sanctae anus verbis, quam aliorum rumusculis, quid de universis ejusque famae disperserat, tenendum esset, ediscerem, ne diu super his vacillans, vel falsa pro veris susciperem, vel vera tanquam falsa rejicerem...

V. Domnus scilicet Sigerus, vir nobilis de Waura, qui licet exterius sub habitu militari deserviret, tamen Deo jam tunc devotus erat, quique eo tempore eamdem venerabilem Dei famulam prae intentionis studio frequentabat, et plurimo

[1]) *rata fides* apographa. — [2]) 1 Joan. IV, 11. 4 Cor. XI, 14.

apud illam familiaritatis ausu potiebatur. Cum igitur scirem hunc nulli omnino falsitati velle acquiescere, et ab ipsa domna scilicet Hildegarde, mutuae gratia dilectionis quicquid exigeret, posse obtinere, scripsi [1]) epistolam, et ei perferendam tradidi. In qua, si bene memini, primo supernae benignitati pro insolita muneris ejus in sexu femineo praerogativa grates retuli; deinde ipsam, cui tam clarum et munus et nomen divinitus collatum esset, ut calcata omni jactantia, in humilitate et gratiarum actione firmiter persisteret, ammonere curavi; postremo, postpositis his quae de ea vulgo jactabantur, et me et alios movebant, obnixe deprecatus sum, ut amoto totius erroris scrupulo, quae de his ex vero tenenda essent, edoceret.

VI. Quid plura? Perlata est epistola, et ut ex rescriptis patuit, non parvipensa. Respondit enim illa [2]) diligenter ad singula, et si vigilanter attendatis, in nullo librorum quos ante vel post scripsit, ita expresse de modo illustrationis suae disseruisse eam invenietis, sicut in ipsa quam tunc ad me per praedictum virum remisit epistola. Requirite ambas, et meam scilicet, et hanc, in armario vestro: nam ibi utramque reor haberi; et nil secus quam dico, in eis scriptum comperietis. Sed quoniam in illa quam mihi direxit, nonnulla erant quae tantum ingenium et inexperientia mea ad liquidum penetrare non poterat, tum propter horum, tum propter aliorum notitiam ab ea eliciendam, sedit animo, si Deus annueret, et occasio se offerret, illam invisere; quatenus et efficaciam doctrinae et gratiae ejus, si possem, per me ipsum subtiliter rimando, experirer, et maxime ut orationum et meritorum ipsius suffragiis fulciri mererer.

VII. Et ecce dum horum explendorum oportunitatem operior, inopinata quidem, sed idonea satis occurrit. Quidam namque matris Ecclesiae beatae Mariae sanctique Lamberti Canonicus, clara admodum praefulgens origine, tendentium ad illam tractus exemplo, et animatus consilio, cum et ipse ad eam ire disponeret, socium peregrinationis suae habere me vehementer ambivit.... Ratus ergo occasionem hanc diu cupitam, a Deo mihi offerri, illico petenti laetus assensum praebui, et accepta ab abbate licentia, junctis votis et paribus studiis, spe profectus, ad ejus praesentiam pervenimus, et mansione gratissima, quatuor apud eam dies egimus. [3])

VIII. Quo quidem tempore, sicut de se et beato Martino refert Briccius, credi non potest, qua nos humilitate, qua benignitate susceperit, congratulata plurimum et gavisa in Domino, quod tanti habita esset a nobis, quam suscepta peregrinatione expetissemus. Ego quantum in tam brevi spatio temporis fieri potuit, universa ejus subtiliter explorans, et nihil fictionis, nihil fallaciae, nihil hypocrisis, nihilque penitus quod vel nos, vel quemlibet rationis sequacem offendere posset, in ea notare praevalui. Cuncta illius, ut breviter dicam, religione, discretione, modestia, aedificatione et honestate splendentia. In contemplatione tota, Dei, non sua in oratione plurima [quaerebat?]

IX. Dein post exiguum temporis decursum, Domino Fulmaro [4]) piae recorda-

[1]) Nempe epist. n. I, p. 328. — [2]) Quam vide epistolam p. 332. — [3]) Anno 1178, ut videtur. — [4]) De quo saepe p. 381. Carpit Guibertus bonum monachum, cui sane Gemblacensis non sine periculo suffectus fuisset in prophetissae scribendis oraculis aut litteris.

tionis viro, vitae metam bono fine attingente, qui ei et praepositi vice fungebatur, et visionum ejus seriem simplici et impolito sermone ab ea prolatam excipiens, styli quo poterat cultu illustrabat, suo post Deum orbata adminiculo, communicato cum amicis consilio, ut meo illius loco frueretur solatio, me per litteras evocavit.

X. At ego per Abbatem de Parco, [1]) familiarem ipsius, Dominum Philippum, vix obtenta licentia, ad eam denuo accessi, comitante Domino Walchero, custode abbatiae sancti Amandi Helnonensis, qui eam videre nimis aestuabat: non quidem firmum adhuc conversandi cum illa habens propositum, sed ut et iterata ejus benedictione confortarer et alloquio. Et tunc nimirum venientibus nobis, sicut et prius, immo satis plusquam prius, gratulata est, Deoque et nobis super adventu nostro grates retulit, praedictoque viro post emeritam ejus notitiam et dulcia consolationis verba ad sua redeunte, magna a me precum instantia, ut saltem donec alium qui ei assisteret, cum ea remorari non abnuerem, exegit. Inveni autem duos monachos, fratrem scilicet ejus carnalem, qui loco praepositi, exteriora regebat; [2]) et alterum, qui ei interius deserviens, spiritualia sororibus exhibebat officia; quorum primus majoris ecclesiae beati Martini in Maguntia, sequens ecclesiae sancti Stephani in eadem urbe canonicus extiterat. Cum quibus intrans et exiens, imposita mihi peragebam officia.

XI. Nondum ab adventu meo duobus ad integrum mensibus evolutis, custos ille sancti Amandi, longiori via anhelans et ferventi sole decoctus, revertitur, instantissimis precibus ex mandato abbatis sui et totius conventus exorans, ut expeditus undique, Helnonem perpetuo ibi mansurus, commigrarem. Putabat enim a Gemblaco propter.... [3]) doni ex toto recessisse, et ultra illo non debere reverti proposuisse. Jamque aestimationem suam monachus sancti Amandi intimarat, cumque et ei per susceptionem tanti laboris, et his qui miserant illum, pro affectu quem erga me ostendebant, gratiam agerem, et petitioni eorum parere pararem, ab omnibus illi resistitur, nec aliquatenus efficere valuimus, ut mihi assensus ascendendi praeberetur.

XII. Quo ad sua revertente, et e vestigio germanus ille domnae meae Hildegardis, brevi cribratus febre, defungitur; et alter socius ejus extrema, de qua non adjecit resurgere, comprehensus infirmitate, tecto recipitur; mihique soli magna pars curae monasterii imponitur. Sequenti mense, abbas meus idem Gemblacensis, vehementi plurimorum pulsatus instantia, ad reducendum me per se proficisci compellitur; et Binguiam veniens, cum honore quidem, sed non sine trepidatione multa (praesaga mente suspicabantur quid quaereret), suscipitur. Prolata adventus sui causa, omnes continuo sorores afficiuntur moerore; haerent animo, vultu expallent, inhorrescunt pili earum, gelidoque per artus singularum decurrente sanguine, obrigescunt. Aggrediuntur abbatem, obsecrant cum gemitu et su-

[1]) Ad quem aut a quo sunt edd. epistolae. LVI, LVII, LVIII. LIX, quas Bollandistae primae luci dederunt. — [2]) Infra Hugo dici videtur, et cantor. De quo nulla alibi, quam sciam, memoria superest. Nec cogitandum putem de H. praeposito in Domo, neque de N. decano S. Martini ad quos edd. epp. XCI et CXXIX, nec mihi satis constat hunc fratrem esse Hugonem cantorem mox memorandum. — [3]) Lacuna in codice, non videtur inconsulta, post quam fort. leg. *domni*.

spirio, ne me vinculis obedientiae astringat; compatiatur necessitati, et misereatur desolationis earum: me solum relictum, qui eis in ministerio quotidiano deservirem; optime universis in me complacuisse; propterea, non me ad revertendum urgeat, donec alium qui eis praeesset, invenirent. Quid abbas, tantis interpellationibus obsessus, faceret? Victus pietate, cedit, et me ibi in manu Dei dimisso, inefficax revertitur.

XIII. Consequenti tempore, semel et secundo infra eumdem, ut opinor, annum, adest etiam episcopus noster, Leodiensis videlicet, [1]) qui in ecclesia Maguntina a fratre ipsius Dominae Hildegardis bonae memoriae Hugone, cantore, ab infantia educatus usque ad electionem archipraesulatus ejusdem ecclesiae, quamvis obsistente imperatore, sedere non obtinuerit, profecerat, et eidem piae matri adeo devotus erat, ut in omnibus ei obsecundare paratus esset. Hoc ergo, ut dictum est, adveniente, circumdat eum chorus virginum, et magistra primo interpellante, suppliciter et obnixe ab omnibus exoratur, quatenus vel quoad ipse viverem, vel saltem usque ad obitum ipsius magistrae, qui jam imminere videbatur, ibi me commorari juberet. Rogantque, ut si minus blandimentis efficeret, jure id praelationis exigeret. Convenit me solum super hoc episcopus, sed nullis verborum involucris circumvenit. Ego enim nusquam nisi in concilio et congregatione, non feminarum, sed virorum (et utinam justorum!) vitam, Deo juvante, terminare disposui.

XIV. Cumque neutrum praedictorum apud me praesul impetrare valeret, ego nefas et improbum ducens illum cum suffusione dimittere, neque ei in aliquo non parere, annum integrum me ibi, causa Dei et respectu imperii ejus, exacturum, si gratanter acciperet, spopondi, verens ne aliquando me, si occasio se offerret, inobedientiae et obstinationis elogio suggillaret. Sciebam enim eum Domnam hanc vehementer venerari et diligere, et votis ipsius sine refragatione velle satisfacere. Reversus coram eis episcopus, refert quid effecerit, addens quod si ad commorandum [2]) eis animus meus quandoque flecteretur, quia homo sub potestate constitutus, hoc non possem, ipse per me ab abbate mihi licentiam acciperet, et scripto firmaret. Sed me nihil horum annuente, digressi sumus.

XV. Similiter etiam Coloniensis archiepiscopus Domnus Philippus, vir magnificus, qui summa ei devotione et reverentia obnoxius tenetur, eamque saepius visitat, et me quoque, licet immeritum, non parum diligit, multa fortitudine contendens mecum, magnitudinis suae mole me premit, et frequenti ammonitione ad hoc ipsum adducere tentans, nec valens evincere, nescio quo tamen pacto pro benignitate sibi insita, et blanditiis et auctoritate consilii sui astrictum me hic hucusque detinuit. Quid memorem abbates, quid altas et amplas et aliqua dignitate insignes, religiosas et saeculares, quae ad eam [3]) undique confluunt, personas recenseam? Quae ejus instinctu concitatae, ad cohabitandum ei me pene jugiter urgent et provocant. Istae sunt, frater charissime, istae turpes et indecorae, indecentes et inhonestae, ut subdole fingunt, causae quae me ad hanc Domnam et adduxerunt, et cum ea remorari compellunt [4])...

[1]) Leodiae sedit Radulphus a. 1167-1191. — [2]) *commovendum* apographa. — [3]) *qui ad eam.* ibid. — [4]) Inde per amplas et plurimas paginas Guibertus invehitur adversus suos detractores, quae satius erat intacta in codice relinquere, ut alia non par...

XVI. Caeterum ut residuo epistolae vestrae breviter respondeam, hanc tam prolixam jam demum concludam, licet vos id graviter ferre non ignorem, scilicet quia incassum novas quaestiones ad absolvendum dirigitis, qui optatum de veteribus obtinere non valetis; et quod me ad insistendum sanctae feminae pro earum solutione et expositione tantopere urgetis, quem non minori quam vos desiderio in hoc ferri non nescitis, sed multa, proh dolor! obsistunt votis nostris. Super quo ne dubitetis, et calvam me magis quam veram praetendere putetis excusationem.

XVII. Ipsa me obstacula necesse est singillatim edicere. Primum est, quod a puellaribus fere annis divina, ut reor, dispensatione, Domna haec perpetuo aegritudinis verbere castigatur, adeo ut pene semper lectulo decumbat, et cum inevitabilis necessitas eam cogit exire, plus aliorum manibus quam propriis pedibus feratur. Datus namque est illi Angelus, stimulus languoris, qui eam jugiter colaphizet, ne in magnitudine revelationum extollatur, aut altum sapiat, sed humilibus consentiat; et universum stratum ejusdem infirmitatis crebro versante, triticum purgetur, ut excussum a palea coelesti horreo recondatur. — Porro secundum id in ea vota nostra praepedit, quod eam a mane suo, hoc est a primaevo, quando alii florem inchoant, ipsa jam succidi et arescere coeperit, nunc temporis processu ad vesperum, id est aetatem illam pervenit, de qua David: *Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni, si autem in potentatibus octoginta anni, et amplius eorum labor et dolor*, [1]) tantaque prae vetustatis contritione et jejuniorum maceratione imbecillitate confecta est, ut carnibus consumptis, pelli ejus arida ossa cohaeserint, nihilque aliud quam omnimodam excisionem et solum quod ei superest, sepulcrum quotidie praestolemur. Quis a tali instrumento, et scarie senectutis et aegritudinis terebratione demolito, doctrinae suavitatem, et non potius gemituum eruptionem expectet? cum ex usu sciamus quod et calamus quassatus, et quodcumque vas musicum rimis hiscens aliquibus, non melodiam cantus, sed stridoris dissonantiam emittat. — Tertium vero idemque maximum in illa spem nostram fraudat a desiderio suo, quod fidissimo fratris nuper defuncti destituta auxilio, cum sit mulier fragilis, instar gigantum, sub aquis gemere, id est ritu virorum fortium, sub multitudine in monasterio collecta et sibi imposita, ex debito curae pastoralis laborare, multorumque servire moribus, et in necessitatibus se ipsam non sine ingenti sollicitudine impendere compellitur. Nam et ego, utpote novus adhuc theutonicae incola terrae, et disparis homo linguae, ad plenarium illi ministerium exhibendum in plurimis deficio. Et abbas coenobii Montis sancti Disibodi, de quo ipsa, cum a parvula ibi inclusa fuisset, divina visione exiit, et ubi necessarios domui suae et magistros et ministros ex instituto Maguntini archiepiscopi assumere debet, nullatenus acceptas animo ejus personas praebere acquiescit, dicens injustum sibi videri, ut pro alio fulciendo suum ipse monasterium, evulsis columnis, decidere patiatur.

XVIII. Quae cum ita sint, quod personae huic senii simul et morbi, ut dictum est, longo fatiscenti incommodo, et tantis distentae occupationibus, quod medi-

[1]) Ps. LXXXIX, 10.

tandi tempus? Quae vacandi morae? Quod profunda fluviorum, id est alta divinorum eloquiorum, scrutandi spatium? Quae illi de talibus tractandi voluptas? Quae laborat in gemitu suo, et crebris incitationibus ad exitum urgetur, cujusque oculus et anima et venter turbatur, ab his magis illam, [1]) ut de aerumnoso vitae hujus educatur exilio quam ut ei Scripturae secreta revelentur, orare compellatur. Cum igitur scriptum sit: *Sapientiam scribae in otio*, [2]) et item: « Pluribus intentus minor est ad singula sensus, » quid, obsecro, occultissima legis Domini mirabilia, ad quae consideranda vix acutissimi magistrorum oculi sufficiunt, deficientem et semimortuam, multisque oppressam curis, mulierem frustra inquietando provocatis? Scire tamen vos volo, quod ad singulas eorum scilicet quaestionum nostrarum rescripsit, sed brevitati, quae sicut aliquando grata est, ita non numquam obscuritatis et ambiguitatis patiens, necessariae earum elucidationi non satisfecit. De qua tamen illarum absolutione quid infortunii acciderit, eloquar, an sileam? Sed eloquar, ne ulterius in ejus exactione mihi molesti sitis.

XIX. Reverendae memoriae domnus Wescelinus, nepos ejus et familiarissimus ei, sancti Andreae Coloniensis praepositus, [3]) omnes earumdem quaestionum solutiones in rotulo simul collectas, ut eas diligentius consideraret, secum Coloniam detulit. Sed non longo post moriens, nihil de eis, ut nobis referrentur, alicui disposuit. Cujus obitu comperto, cum eas a domno Gilleberto canonico, nepote ipsius, mihi charissimo, qui ei et in domo et in praepositura successit, cujus anima in pace quiescat, nam et ipse jam obiit, cum, inquam, ab hoc eas instanter exigerem, neque ab eo, neque a quoquam domesticorum utriusque aliquid certi elicere praevalui. Proinde, quia cum caeteris rebus tum maxime libris, utpote vir studiosus et religiosus, abundabat, quos et diversis ecclesiarum locis testamento delegavit, crediderim et has ab aliquo eorum, quibus arcana ejus scrutari permissum est, fuisse subreptas. [4]) Quum ergo recuperationis earum nulla nobis spes suppetit... [5])

CXLV.

Guibertus Philippo Coloniensi archiepiscopo. [6])

Transeo quae mecum Binguiae gesseritis, quomodo, commendante me paternitati vestrae venerabili filia vestra, matre mea Hildegarde, dilatato corde diligendum me susceperitis, oculos vestros in beneplacito super me posueritis, familiarem me semper vos habiturum, si vobis vicinus manere vellem, pollicitus fueritis. Taceo quam dulciter me, Bobardiae, dum ad vos eo, cum imperatore inibi demorante, venissem, benigne susceperitis. Hoc, inquam, et alia hujusmodi praeteriens, ad ea nunc venio per quae, vobis post Deum et beatum Martinum opitulante, tandem in bonis impletum desiderium meum [fuerit], quum post obitum

[1]) Aliquid deesse videtur. — [2]) Eccli. XXXVIII, 25. — [3]) *episcopus* apographa perperam. — [4]) En ergo novum et incognitum Hildegardis opus, caeteris accensendum, quod fuisse tam negligenter circumlatum et amissum, dolendum est enimvero. — [5]) Huc usque apographa mea. Clauditur epistola, post multas paginas, sero, sed optimo consilio monachis dato, potius magistros adeundi. — [6]) Idem de quo saepe, Epistola ex eod. cod. 5529 f. 95. Scripta circa a. 1181.

praedictae sacratissimae Virginis Hildegardis, apud quam et vestro et Leodiensis episcopi praecepto per biennium manseram, uno anno ferme evoluto, accepta ab illo conventu sancto, quem nostis, Virginum super hoc valde moesto, licentia, repatriare deliberassem, Deo inspirante, ut ex effectu claruit, sedit animo, ut quum et equis et sumptibus abundabam, quod a pueritio in voto semper habueram, antequam his evacuarer, si aliquatenus vel modo possem explendo, sepulcrum beatissimi Martini visitarem... [1]) Gratulanter excepistis de obitu domnae Hildegardis, et de dispositione domus, quomodo se post matris mortem sorores haberent, paterna sollicitudine interrogastis.

APPENDIX

AD EPISTOLAS S. HILDEGARDIS

I.

DE LAUDIBUS B. MARTINI TURONENSIS.

Prologus Guiberti monachi, [2]) *postmodum Abbatis Gemblacensis, ad Philippum Coloniensem Archiepiscopum in sequens opusculum, in quo videlicet tota vita ac transitus beati Martini secundum priorem historiam operose describitur.*

I. Quoniam de his quae specialiter parvitati meae dignatio sublimitatis vestrae, venerande pater, injunxit, quibusdam causis intercurrentibus, de quibus alias satisfaciam, obsecundare vobis non potui, ne ad vos vacua redirem manu, opusculum quod de virtute animi seu spirituali militia et operibus beatissimi pontificis Martini, et devotione sola inchoatum, nulli adhuc dicaveram, vobis pro supplemento intermissorum consecravi: et qua tardum facultate permisit ingenium, perficere maturans, quum pro negotiis vestris, Bobardiae, comitatu imperatoris teneremini, et ego illuc pro causa necessaria venissem, illud ibi vobis praesentare curavi. Suscepistis gratantes, [3]) respexistis, revolvistis, legistis, quantum placuit, laudastis. Et clericis vobis assidentibus, hoc ipsum facere volentibus, et libellum de manibus vestris et meis rapere intendentibus, et vehementer exigentibus, quid et cujus esset hoc, propter verecundiam, insinuare dissimulavi, nec legere permisi, metuens ne opus rude et impolitum curiosis et saeculari eloquentiae assuefactis auribus, inconsulte traditum videretur. Quod quum, Deo auxiliante, quantum per me fieri poterit, correctum fuerit, et vobis redditur, dabitis operam, ut iterum alicujus periti censura judicis diligentius examinatum, plenissime corrigatur, et sic demum, si judicabitur ut flammas evadat, ad gloriam Dei

[1]) Suspenso apographo, tantum a cl. Bollandistis sequentia notantur: « Post quam narraverit auctor quomodo mortua B. Hildegarde, Coloniam progressus, aditum ad Philippum habuerit, ita pergit: *Gratulanter etc.* » Cujus itineris ad S. Martinum exstat quoddam Guiberti μνημόσυνον in opusculo rythmico *De laudibus B. Martini*, quod in appendice magna ex parte referimus, una cum altero opere *de laudibus B. Benedicti*. — [2]) In cod. Bruxellent. 5527-5534 fol. 61. cf. supra p. 431 not. — [3]) f. *gratanter*.

et laudem sanctissimi pontificis et ad legentium incitationem, vestra auctoritate edatur.

II. In quo opusculo, precor ut non inepti pictoris tremulam manum, sed pulcherrimam depicti imaginem attendatis, et ei per imitationem assimilari studeatis. Sit vobis illa et specular in quo non solum faciem, sed a planta pedis usque ad verticem vos intueamini; sit et exemplar, secundum quod componamini; sit norma, ad quam dirigamini; sit et forma, cui imprimamini. Ideo etenim non mirabilia quae fecit, sed imitabilia quae exercuit, non ea in quibus est lucidus, sed ea in quibus est sapidus, id est, fortitudinem animi et virtutem purissimae conversationis ejus, majori diligentia quam miracula ejus prosequutus sum: ut et vos et quilibet auditor, salutatis iis quibus veneratio, non affectatio debetur, illis potius quae salubriter imitationi proponuntur, adhaereatis; quia et Redemptor noster non dixit: Venite mecum signa facere, sed dixit: *Tollite jugum meum super vos, et discite quia mitis sum et humilis corde.* [1]) Nec dixit: Estote mundi rectores, sicut pater vester mundi rector est, sed: *Estote misericordes, sicut et Pater vester misericors est.* [2]) Nec beatos miraculorum exhibitione claros, sed paupertatis, patientiae, mansuetudinis, et caeterarum virtutum aemulatione fretos, pronuntiavit.

III. Nam et propterea virum hunc potissimum vobis proponendum elegi, quoniam in nullo alio numerosiora et expressiora virtutum ipsarum experimenta, nec qui dignius in diverso genere vivendi pluribus proponi posset, comperire potui: quia et laicus, tam integrum se a vitiis saeculi custodivit, ut jam non miles, sed monachus putaretur; et eremita vel monachus, tanto vigiliarum abstinentiae et supernae intentionis vigore praeeminuit, ut aversus a cura praesentium, et nihil temporis otio concedens, supra naturam hominis videretur; et episcopus, tanta auctoritate decus dignitatis suae promovit, ut non satelles regum (quod in usu hodie, degeneri sacerdotum inconstantia, transisse dolemus), sed ipsorum imperator regum censeretur. Quum sicut scriptum de eo est, si quid rogandum esset a regibus, imperaret potius quam rogaret. [3]) Et cum sanctitate summus haberetur, usque ad ferendas non tantum verborum, sed et verberum injurias, vilitatis et paupertatis amore, omni se infimum exhiberet. De quibus ejus hic modo quid plura dicerem virtutibus, quum totus inde sequens libellus refertus sit?

IV. In quo etsi aliqua, quae in illa ejus notissima non leguntur vita, inserui miracula, ammonita certum habeat sanctitas vestra, nihil omnino me, quod non alicubi scriptum invenerim, posuisse; praeter illud solum, quod Thebaeorum martyrum sanguinem ante annos ferme sexaginta sui pontificii effusum, precibus eum de terra a qua absumptus fuerat, dixi elicuisse. Quod etsi scriptis nondum ad me pervenit, tantorum tamen et veritate et religione praeditorum id testium relatione didici, ut inde penitus ambigere non possim. Et in ecclesia B. Mauritii Remis missam aliquam de hoc miraculo scriptam viderim, et a monachis ejusdem loci audierim, et inibi, et Turonis solemnitatem exceptionis praedicti sanguinis festive celebrari. [4])

V. Cui scilicet libello brevem quidem, sed vehementem in Zabulum adjeci invectionem; machinamenta ejus, ex hominis dejectione propositum Dei convellere molientis, proponendo irridens, et sapientiam pii Redemptoris, in mysterio incarnationis absconditam, ex hominis reparatione, non potentia, sed justitia, subdola callidi hostis molimina cum laudis praeconio evacuasse ostendens.

VI. Subjeci eis oratiunculas duas: in prima ipsum videlicet beatum Martinum obsecrans, ut et hic in spirituali militia desudantes suo nos interventu ad promerendam victoriae palmam a superno certaminum inspectore obtineat adjuvari. In

[1]) Matth. XI, 29. — [2]) Luc. VI, 36. — [3]) Sulpic. Sever. *Vit.* n. XX. — [4]) Cf. *Acta SS.* octobr. t. VII. §. XV. p. 383 386. ubi fuse et acriter explodi tur traditio Turonensis, quin tamen ullum sit verbum sive de Guiberti testimonio, sive de vetere officio Remensi quod erat investigandum.

secunda, ut in futura omnium resurrectione ad accipiendam vitae coronam, victoribus praeparatam ab eodem justo laborum remuneratore, in dextris impetret collocari.

VII. Composui praeterea et alium libellum, et praemissis addidi de specialibus piissimi patroni veneratoribus, non omnes quidem, sed praecipuos sub uno colligens, ex iis quos in diversis vel historiis, vel sanctorum gestis venerationi ejus deditos invenire potui. ostendere volens in quantam admirationem et devotionem memoria ejus ab antiquis habita sit; quamque sedula suos ipse cultores protectione confovendo semper munierit; atque per haec lectorum seu auditorum amorem et ad excolenda merita et ad poscenda ipsius suffragia excitare intendens.

VIII. Cuique principium, eidem, id est, vobis finem operis hujus dicans, communi beatae genitricis Mariae et ejusdem reverentissimi pontificis Martini miraculo in calce posito, et pro vestra primo, deinde pro auctoris atque lectorum hujus opusculi, omniumque fidelium Christi praesenti et futurą salute, ambos communiter deprecans, libellum terminavi. Caeterum in hoc ea quae ex novo prioribus vel interjeci vel subjunxi miracula, in ipsa eorum descriptione qua certitudine et quibus mihi comperta sint auctoribus, non tacui. Mediocri vero vel potius humili stylo et uniformi in his omnibus describendis rythmis usus sum, tum quia melius nescivi, tum quia veritus sum, ne si diversis metris dicenda ligarem, et in scribendo mihi morosa prolixitas, et simplicibus in legendo damnosa obscuritas oriretur.

IX. Spero autem et si non omnibus, eis saltem qui aliqua beato pontifici devotione obligati sunt, opusculum ipsum non ingratum fore. At si quis tam ineptus est, ut propterea laborem meum reprehendat, et judicet superfluum, quod sufficientibus priorum de eo scriptis ista recapitulando superaddiderit: audiat primo, me ad laudem Dei et ad commendationem ipsius sancti haec compegisse, nulli ea impudenter ingerere, neminem ad transcribendum cogere; deinde, videri mihi suo quemque magis quam alterius et labore juvari et commendari devotione; et proinde, in his laborando, non aliorum qui de illo scripserunt dicta vel reprobare, vel obscurare intendisse, sed mihi ipsi satisfecisse; et postremo, ad hoc ista collegisse, ut devoti sancto, in quorum manus forte inciderint, his tam ad venerationem quam ad imitationem, et ad potiora de ipso ab aliis ante nos splendide vel prosa vel versu edita perquirendo provocentur.

X. Quod ipsum et vos facere, venerande pater, per intimam sui spiritus infusionem doceat rex aeternus, ut secundum exempla praecipui militis sui Martini legitime vos certantem ex alto prospectans, et nunc auxilium vobis ferre, et in futuro praemium referre dignetur, qui in palatio aeternae beatitudinis milites suos in misericordia et miserationibus coronare consuevit; annuat et ipse ut verba mea placeant in conspectu principatus vestri, et ut fructus meditationis seu laboris mei dulcis sit interno gutturi ista legendo gustantium. Amen.

Explicit prologus.

INCIPIT PARS PRIMA

In qua ortus, generis nobilitas, morum probitas, patris et imperatoris persecutio, modus exterioris militiae, divisio chlamidis, nominis mutatio, conversio, puritas monachatus, amor in Deum, fervor religionis viri sancti succincte describitur.

Christi miles magnanimus,
  Martinus, actu splendidus
  Qua fulserit militia,
  Quae tulerit et praemia,

Ad regis ejus titulum
Et posteris ad exemplum,
Laudum herois avidus,
Referre gestit animus.

Qui certantem roboravit,
Et victorem coronavit,
Praestet et mibi congruam
Sermonis elegantiam,
Ne gesta viri fortia,
Deauratu dignissima,
Pro sensus hebetudine [1])
Vili circumdem schemate;
Sed et mater Ecclesia
Ejus attollat merita.
Cujus in suis praeliis
Semper defensatur armis.
Hic nobili prosapia
Exortus in Pannonia, etc.

INCIPIT II. LIBER

In quo assumptio ejus ad episcopatum, confusio detrahentium, pulchritudo interioris hominis ipsius, ex decore seu fortitudine virtutis contracta, humilitatis et paupertatis in eminentia et dignitate episcopali retentatio, et exempla ad id pertinentia, pastoralis virgae et annuli pontificalis quibus utebatur significatio, vigor disciplinae, et alia nonnulla ad spiritualem sancti hominis militiam spectantia digeruntur,

Pastoralis virgae significatio. [2])

Non ignorat quo mysticus.
Quem gestat, spectet baculus,
Summo recurvus, medio
Rectus, acutus infimo:
Quibus signis revocandi
Sustentandi, stimulandi
Quique docentur subditi
Pro causa sui meriti.
Quin etiam ferri clavo
Quo armatur in extremo,
Infestantes gregem ferae
Innuuntur configendae.
Haec Martinus virgae suae
Monimenta cautissime
Considerans, ferre suum
Se computat judicium,
Si non impendat operi
Officium pastorali,
Et exemplis rei confirmet
Quae subjectos verbis docet.
Pastoralem quoque virgam
Dicit fungi lingua quadam.
Quam gestante [3]) se, monitis
Conveniat assiduis
Lingua ejus, ejus forma,
Quae diversis composita
Sed non abs re materiis,
Insignitur mysteriis:
Ejus enim curvatura
In pluribus metallina,
Hoc est auro vel argento
Fulgens, sive aurichalco,
In quibusdam est cornea,
In nonnullis eburnea,
Vel generis alterius
Quae sculpi possunt ossibus.
Ipsius porro medium
In cunctis fere ligneum
Et merito; at extimum
Nil justius quam ferreum.
Aurichalcus signat boni
Constantiam propositi;
Argentum eloquentiam,
Aurumque sapientiam;
Cornu quod excedit carnem,
Mentem summa appetentem,
Quae veluti reflectitur,
Dum proximis compatitur;
Os quodvis fortitudinem,
Sed ebur castitudinem,
Candorem pudicitiae,
Frigenti juvans specie.
Ligno fructus medicinae
Et effusus disciplina
Figuratur, et maxime
Sceptrum regalis gloriae,
Quae omnia nobis unum
Crucis Christi confert signum;
Cujus virtus vivifica
Sanat, docet, regit cuncta.
Ejusdem ferro baculi
Competenter designari
Potest seu sapientia,
Sive perseverantia:
Praeter quas omnes aliae
Virtutes prorsus vacuae,
Nec fecundantur meritis,
Nec munerantur praemiis.
Qui baculus si ex sola
Fabricetur materia,
Ejus nimirum plurima
Cassabuntur mysteria.
Quo circa curiositas
In hoc non est diversitas
Rerum quibus conformatur;
Sed figuris decoratur,
Quas Martinus et in suo
Saepe retractans baculo,
His congruum cautissima
Se reddit vigilantia.

[1]) *hebetitudine* cod. ut alibi pluries, sed contra rythmum. — [2]) Vix dubium quin ideo Guibertus ita baculum et annulum episcopi in hoc elogio prolixe cecinerit, quod alicubi in S. Martini annulum et baculum venerabundus incideri t. — [3]) *qua gestantes se monitis* id.

*

Significatio Annuli.

Et inter haec dum ad suum,
Quem digito fert annulum,
Auro gemmaque conditum,
Crebro flectit intuitum,
Altioris mysterii
Ex annulo discit suos
Quid doceat discipulos.
Nam spectanti quiddam unum
Ex duobus compositum,
Neutrius substantia
Alterutro depravata,
Nil occurrit conformius
Quam Redemptor noster Christus,
In Deo sumens hominem,
Nec omittens Deitatem,
Ut sic auro majestatis
Gemmam claudens nostrae carnis,
Ut clariorem redderet,
Non absumptam destrueret.
Ex quo unus in persona,
Sed non unum in natura,
Deo sua exequente,
Carne sua sufferente,
Et claruit miraculis,
Et patuit suppliciis,
In diversis effectibus
Nec permixtus, nec divisus.
Hoc igitur mysterium
Tam salubre, tam jocundum,
Martinus semper in sui
Junctura spectans annuli,
Sponsam Christi Ecclesiam
Fidem castitatis puram
Sponso servare, monitis
Exhortatur creberrimis.
Nam et ob hoc episcopum
Gestare dicit annulum,
Ut in paranympho ipsa
Suo discat Ecclesia,
Quid sponso suo debeat,
Idque illi custodiat:
Videlicet quod annulus
Digito monstrat indutus,
Nam et propter hoc digito
Inducitur illi, a quo,
Ut traditur a physicis,
Semper salit vena cordis;
Ut quum refertur oculis,
Sensum quoque tangat cordis;
Ammonetur reminisci
Videlicet incarnati
Ex Virgine Verbi Dei,
Cujus quivis episcopus
Annunciator positus,
Et illius semper pia
Habeatur memoria,
Qui Virginis ex utero,
Tamquam sponsus e thalamo,
Procedens, tam mirificum
Inde produxit annulum,
Causa sibi subharrandae
Praeelectae dudum sponsae,
Ne amatorem alium
Susciperet praeter eum.
Sed et frequenter annulo
Dum utimur pro sigillo,
Quidni figuret etiam
Arcanorum custodiam?
Glorietur ergo sponsa,
Tali signo communita,
Fidem sponso servans, tanto
Boboratam sacramento:
Quo scilicet humanati
Æterni Regis Filii,
Qui celebrans magnificas
Nutu paterno nuptias,
E cunctis mundi partibus,
Et ex diversis gentibus
Aggregavit sibi sponsam,
Ab aeterno dispositam.
Quam venditam sub peccato,
Et omni foedam vitio,
Mancipatam daemonibus,
Sub idolorum cultibus,
Ille pulcher et decorus,
Rubicundus et candidus,
Et electus ex millibus,
Dulcissimus sponsus ejus,
In ipsis suis nuptiis
Interemptus ab impiis,
Pii cruoris roseo
Redemptam lavit fluvio.
Ut etenim ostenderet
Quantum eam diligeret,
Et ut victoriosius
Triumpharet de hostibus,
Non ipsorum potestate,
Sed benigna charitate,
Ab illis sibi, qui suis
Adversabantur nuptiis,
Inferri mortem pertulit;
Et moriens eos stravit,
Instar Samson qui oppetens
Plures occidit quam vivens.
Tum exultet de caetero
Super sponsa perpetuo,
Levatus super omnia,
Et coronatus gloria.
Sponsa quoque in aliqua
Sui parte ut regina,
Sponsi stans in dextris aeque,
Sponsi gaudet visione.
Pars aliqua quae in via
Pro sponsi sudat gratia,
Dum sterilis evadere
Maledictum, et parere
Sponso suo spiritalem
Enititur progeniem,
Ab illo sibi praemia
Praestolatur reposita,
Nec deficit in labore,
Ut gaudeat ex mercede,
Quum omnia in omnibus
Erit sine fine Deus.

O nuptiae mirabiles,
Et in aeternum stabiles,
Quarum dotales tabulae
Sponsi scribuntur sanguine!
Quo etiam pacta novi
Annotata Testamenti,
Coelestis regni solidos
Haeredes confirmat illos,
Qui nec maris, nec feminae
Procreantur voluptate,
Sed baptismo renovati,
Dei fiunt adoptivi.
Sciens Martinus maxima
In his stare sacramenta
Sponso, sponsae et filiis
Qui propagantur ex eis,
Omni cum diligentia,
Omnique reverentia .
Quibusque competentia
Libens reddit officia.
Sponso astat ut amicus,
Et ad vocem gaudet ejus;
Sponsae servit ut dominae,
Et ut matri quoque suae;
Quorum quae servat munera
Non usurpat ut propria,
Nec in illis umquam suum,
Sed ipsorum quaerit lucrum.
Nam a sponso sponsae missum
Saepe remonstrans annulum,
Hanc ad amorem incitat,
Et in fide corroborat:
Horum quoque pro filiis
Ad salutem dirigendis,
Omnis pastoralis virgae
Typos exercet opere.

INCIPIT PARS TERTIA

In qua specialiter inter plurima commendantur ista: gratia prophetalis; auctoritas adversus reges et caeteros magnates; mansuetudo ad humiles; sapientia in verbis, de rebus etiam minutis; temperantia in prosperis; constantia in adversis; zelus in destructione idolatriae; devotio in propagando cultu fidei christianae; claritas potentiae et diffusio sempiternae memoriae ejus; splendor et soliditas religionis Majoris Monasterii quod fundavit; nobilitas et divitiae ecclesiae Castri Novi, in qua requiescit; virtus et celebritas sepulchri ipsius; ostensiones ejus frequentes in igne, et quid significent; triumphus de Danis et Suedis; translatio in Burgundiam et relatio sanctissimi corporis ejus in Turoniam [1] *utraque numerosis et ingentibus gloriosa prodigiis.*

Praeeminentia in operatione signorum exteriorum.

Jam ipsius extrinseca
Proponantur miracula,
Quibus fulsit prae omnibus
Quorum gesta comperimus...... [2]
Et o mirum replicatu!
Ejus quoque supplicatu,
Terra reddit ac si novum
Cruorem olim bibitum.
Nam a Roma regrediens,
Et Agaunum perveniens,
Dum vult secum certissima
Sanctorum ferre pignora,
Juxta locum passionis
Thebaidae legionis,
Solo defixis genibus,
Polo porrectis manibus,
Ante tot annos martyrum
Absorptum terra sanguinem
Refundere gramineum
Cogit ab imis cespitem:
De quo post ipse plurimas
Consecravit ecclesias,
Eorum claras nomine
Quorum micarent sanguine....

Splendor et soliditas religionis Majoris Monasterii quod fundavit.

Quae civitas tam ditia
Duo simul palatia
Titulavit uni sancto,
Urbs Turonis ut Martino?
Hinc Majus Monasterium
Ad Orientem positum,
Fovens in se florigera
Monachorum examina,
Longe, lateque cognitum,
Caput attollit splendidum,
Tam majus cuncto ordine
Quam sic dictum et nomine.
Hoc fundavit vir beatus,
Jam pontifex infulatus,
A tumultu populari
Optans illic feriari,
Nam secretus erat locus,
Heremitis tantum aptus,
Hinc sinu cinctus Ligeris,
Hinc objectu clausus montis
Una tantum et hac arcta
Adiri poterat via,
Spiritualis otii
Amicus et silentii.
De quo videlicet loco
Dum comprobat in his cunctis
Viros esse se virtutis,
Si qui transcendunt opibus,

[1]) Cod. *Turonia.* — [2]) Hic plura in cod. abscissa sunt

Sed cedunt idem moribus:
Sed aut his, aut his omnibus
Quid sudarem in dicendo,
Quum quidquid scriberem, minus
Appareret ipsis rebus?
Nam et Dei donariis
Atque potentum xeniis
Quantum spiritualibus
Bonis et temporalibus
Intus et foris creverit,
Incompertum non habebit,
Quisquis ejus melliflua
Frequentat alvearia.
Hic solida religio
Nullo vacillat lubrico;
Hic hospitum susceptio
Jucundo fervet studio;
Aegrotantes hic benignis
Refoventur obsequiis;
Hic pauperes largissimis
Pinguescunt eleemosynis.
Capituli districtio,
Et orandi devotio,
Altaris diligentia,
Chorique reverentia
Tanti constat apud eos
Quantum decet Dei servos,
Fratrum praestant conventibus.
Ita pauci facultate,
Nulli vincunt honestate,
Quam et tenent inconvulse
In omni rerum serie.

Nobilitas et divitiae ecclesiae Castri Novi in qua requiescit.

Ast aliud latus urbis,
Quod occasum spectat solis,
Castrum quod vocatur *Novum*
Decenter est communitum.
Cujus castri magnificam
Quis admirari gloriam
Cogitando sufficiat,
Nedum verbis comprehendat?
Quod sicut Novum nomine
Sic est novum et stupore,
Dum quilibet adveniens,
Et ejus opus intuens,
Inter tam multifarias
Divitiarum copias,
In promtu semper habeat
Super quibus obstupescat.
Liger haud secus fluvius,
Ab ejus labens moenibus,
Castrum munit, et optatis
Refertum ditat commodis;
Cum commeatu navium,
Quaestus multarum mercium
Quotidie de diversis
Illuc vehit provinciis.
Nec parvum inter alia
Commoditatum genera,
Quod dapes largas piscium
Mensis ministrat civium.
Vallatum Christi numine,
Et Martini munimine,
Assultus quosvis hostium
Ridet, quamvis ferocium.
Intus vero pulcherrimis
Domorum aedificiis
Ut quibusdam magnificis
Decoratur palatiis.
Vici diversi generis
Hinc inde vernant palliis,
Quae venatu vel gloriae
Panduntur vel pecuniae.
Illic et quidquid aequoris
Inficitur conchyliis;
Illic et quidquid tinguitur
Quovis succo, reperitur.
Tam radices quam unguenta.
Fragrant illic pretiosa;
Nil illic cari pulveris,
Aut rari deest corticis.
Varietate pellium
Peregrinorum murium
Illuc convectas de longe
Jucundum est inspicere.
Metallorum quorumlibet.... [1])
Illic tanta congeries,
Ut solos nummos vincere
Putes acervos paleae.
Si me non verum dicere
Fors autumas, locum pete:
Et videbis hic confertas
Trapezetarum exedras.
Constanter enim omnium
Illuc genus monetarum
Asseritur et afferri
A confluis et referri,
Quae nullius sunt nominis.
Quis vasa vel argentea
Dinumeret, vel aurea?
Hinc cyathi, paropsides;
Hinc caphi, cruces, calices;
Illinc jacent altaria,
Gemmis et auro fulgida.
Omnis chorus insignium
Illic coruscat lapidum,
Illic rubet in floribus
Vetus ebur speciebus.
In thesauris reposita
Quis jam credat computanda,
Quum tanta sint quae omnibus
Patent castrum intrantibus?

[1]) Versus unus vel in cod. vel in apographo excidisse videtur, nec tamen suspensa sententia.

Virtus et celebritas sepulchri illius.

Verumtamen multimodam
Ipsius Castri gloriam
Longe vincit mirifica
Aedis sacratae fabrica,
In qua pauper et exilis,
Ille quondam, sed excelsus
Jam Martinus, et celebris
Tam nomine quam opibus,
Pausans diem generalis
Praestolatur anastasis,
Resumturus illic situm,
Pignus carum, corpus suum.
Qui paupertatis propriae
Custos vigil, et in morte
Cum egenis in publico
Sese jussit polyandro
Sepeliri, non ignarus
In futuro divinitus
Eumdem locum ob sua
Glorificandum pignora.
Super quem cellam primitus
Sacer exstruxit Briccius,
Venusto quidem opere,
Sed quantitatis modicae.
Et pontifex Perpetuus,
Sancti cultor praecipuus,
Qui a primo Turonicam
Sextus rexit ecclesiam,
Signorum frequentissima
Considerans magnalia,
Quae manabant divinitus
A mortuo viventibus,
Nec posse ferre modicum
Confluentes sacrarium,
In hoc ipsum, ut credimus,
A Domino destinatus.
A transitu ejus anno
Quarto et sexagesimo,
Super eum egregia
Templi struxit fastigia.
Quod quantae magnitudinis
Extiterit et decoris,
Ex relatu historiae
Francorum promptum noscere.
Praesul Dei, angelico
Juvante ministerio,
Artus sacros, ex pristinae
Loco levans sepulturae,
Gemmis et auro vestiit;
Et celsius collocavit,
Eo die qui annuus
Ordinationis ejus
Fluxerat, et festivus
Agebatur ab omnibus,
Hoc se velle Deo signis
Approbante manifestis.
Nam quum per tres jejunande
Dies totos et orando,
Conarentur instantius
Ab imis terrae sinibus
Eruere thecam, sacras
Continentem reliquias,
Id non nisi quarto die
Potuerunt efficere:
Sic voluit duplicia
Solemnitatum gaudia,
Uno die dator largus,
Suis conferre civibus.
Auxit quoque sancti pia
Perpetui solertia,
Hanc quam praedixi geminam
Ex tertia laetitiam:
Eo die post dedicans
Quam struxerat basilicam,
In Christi Jesu nomine,
Et Martini sub honore.
Quo factum est ut fidelis
Summae cultor Trinitatis
Uno die festo trino
Excolatur a populo.
Cujus basilicae clarum
Opus stetit inconcussum,
Usque ad sancti tempora
Hervei felicissima:
Qui ex Francorum stemmate
Clara satus origine,
Tam meritis quam opibus
Dives, sublimis, inclytus,
Ut, favente Christo, factus
Est ejusdem archiclavus
Basilicae, jactans suum
In Domino cogitatum,
Finitimis principibus
Se certatim juvantibus,
Semotis quoque plurima
Mittentibus impendia,
Incarnati ex Virgine
Pro redimendo homine
Anno Verbi millesimo
Plus sive minus tertio,
A fundamentis erutum
Opus idem et restructum,
Eo quo nitet hodie,
Fastu provexit gloriae:
Licet ibi sint plurima
Modernius innovata,
Studiose sublimata,
Totius templi machina.
Hic erutis, hic stantibus
Fundamentis prioribus,
Semper augere civibus
Decus loci ferventibus.
Et templi quidem fabrica,
Immensis structa sumtibus,
Ut dictum est, mirifica
Apparet contuentibus.

INCIPIT PARS QUARTA

In qua comprehenduntur ista: profectio ejus ad reconciliandos clericos Condatenses; fortitudo spiritus ipsius in infirmitate carnis; exhortatio ad discipulos flentes; invectio in Diabolum insidias parantem; animae migrantis ad coelum a sanctis cum tripudio occurrentibus gratulabunda susceptio; carnis mortuae mirabilis in decorem mutatio; Pictavorum et Turonorum de vendicando ab alterutris corpore suborta contentio; ejusdem corporis ad urbem Turonicam relatio; triumphalis et digna exequiarum ab omni ecclesiastico ordine celebratio; nominis et diei natalitii ejus per omnes Ecclesiae partes diffusa et solemnis veneratio.

CONCLUSIO

Quid plura tandem? Optimum
Reconditur margaritum,
Quum fuerit opportunum,
Creditori reposcendum.
Sed quod dico reconditum?
Quum per orbem universum
Tanta luce resplendeat,
Ut nullum prorsus lateat?
Nam cujus natalitius
Sancti Dei solemnius
Celebratur ab omnibus
Redemptoris fidelibus.
Exceptis paucis, alii
Sanctorum patrocinii
Certos fines habent sui,
Non usquequaque cogniti.
Hic patronus generalis
Et totius praesul orbis,
Jam a cunctis excolitur
Nullaque meta stringitur.
Exeundum orbe erit,
Qui Martini noluerit
Vel supplices non videre,
Vel glorias non audire.
Quis hominis nomen ejus
Non audit, nisi surdus?
Quis hunc tacet, nisi mutus?
Et quis nescit, nisi nullus?

Quoquo Christus nominatur
Rex omnium et Dominus,
Jam Martinus honoratur
Ipsius miles inclytus.
Nec spargitur diffusius
Sancto nomen alicujus,
Nec quisquam locis pluribus
Coli scitur celebrius.
Nam quis praeter matrem Dei,
Sive beatorum coeli,
Tot dives est ecclesiis,
Tot locuples coenobiis?
Quae civitas vel oppidum
Non habet oratorium
Martini, si non pignore,
Saltem dicatum nomine?
Quocumque vadas, venias,
Si roges, semper audias:
Haec vel illa basilica
Martini est ecclesia.
Nempe in tali munere,
Largiente suo rege,
In regno princeps tertius
Est iste miles maximus.
Ob hoc ineffabilibus
Purae mentis concentibus,
Semper exaltantem eum
Laudemus regem omnium.

Explicit liber panaegyricus a Guiberto Gemblacensi ad eumdem Philippum rythmice editus.

Incipit libellus secundus et tractat de specialibus beati Martini veneratoribus, in quanta videlicet admiratione et devotione memoria ejus ab antiquis habita sit, quamque sedula suos ipse cultores protectione confovendo semper munierit. — Gallus et Severus. — Sulpitius Severus Bituricensis. — Paulinus Nolanus, — Maurilius Andegavensis. — Liborius Cenomanensis. — Martinus abbas. — Clarus abbas, — Maximus Cainonensis. — Heros Arelatensis. — IX Fratres Gothi. — VII patrueles ejus, dicti Dormientes. — *Florentius Salmurensis. — Ambrosius Mediolanensis. — Severinus Coloniensis. — Briccius Turonensis. — Perpetuus Tur. — Herveus Tur. — Nicetius Lugdunensis. — Fortunatus Pictaviensis. — Gregorius Turonensis. — Germanus Parisiensis. — Amandus Trajectensis. — Benedictus,* [1]) — *Maurus. — Aredius, — Trojanus. — Brachio. — Venantius. — Leopardus. — Columbanus. etc.* [2])

Martine, par apostolis,
Vita, fide, miraculis,
Laudum tibi solemnia
Concelebramus munia.

[1]) cf. supra p. 440, — [2]) Post Columbanum, plura nomina cum brevi rythmo sequuntur inter quae legitur et annotatur: « *De episcopo lupum patiente.* Is erat episcopus Leodiensis XLV. nomine Eraclius, anno incarnationis 959. aut circa, qui claro Saxorum sanguine ortus est. »

Ave, miles egregie,
Triumphator gloriose,
Jam conregnas regi tuo
In coelesti palatio.
Salve, sacerdotum gemma,
Chori tui diadema,
Jam micans inter limpidos
Coronae Christi sapphiros.
Ave, decus confessorum,
Salve, specular virginum,
Cum quibus tibi praemia
Vitae pararunt merita.
Ave, lampas clericorum,
Salve, norma monachorum,
Quos ut consortes habeas
Et virtutum efficias.
Ave, morum disciplina,
Et virtutum officina,
Pro quarum exercitio
Festorum vacas sabbato.
Ingressus regnum gloriae,
Agis dies laetitiae,
Claro qui functus transitu,
Gaudes in Abrahae sinu.
Intendas inde supplices,
Et protegas te laudantes
In pignus nobis veniae
Dona reportans gratiae.
In conspectu Deitalis
Epulando jocundatis,
Nunc vox, exultationis,
Juxta psalmum, et salutis
Semper inest splendifluis
Justorum tabernaculis,
Ubi sonus epulantium
In voce confessionum.
Sed non ita debriaris
De torrente voluptatis,
Quam jam pleno hauris ore,
Nostri recordare.
Nec, pontifex sancte, velis
Consummari sine nobis:
Sed cum resurges, optime,
Fac nos tecum resurgere.
Ut ante thronum judicis
Aggregati cum dexteris,
Cum sinistris nil commune
Deprehendamur habere.
Quo ab illis sequestrati
Evadamus supplicia
Atque istis adunati
Conregnemus in gloria.
Jam, praesulum praesul, vale,
Et valere nos effice,
Ut cum Christo tua prece
Gaudeamus sine fine.

II.

N. EPISTOLA AD GUIBERTUM

De duplici miraculo S. Martini. [1])

Expertum est... apud oppidum Ypram, quod in memoria aeterna erit justus, quae beatissimi patris et patroni totius sanctitatis, Martini memoriam in quotidianis beneficiorum miraculis admiratur. Audi, lector sedu e, quis in vita sua extitit Beatus Martinus, cujus post transitum transitoriae vitae in transitivis hoc fuit exemplum charitatis.

Die quippe quadam, duo viri scholares ex Scotia, aliquantulum expensarum sportulis exhausti, repatriare cupientes, Ypram, in profesto Sancti Martini, venerunt, liberalibus imbuti, mechanicos interpellare pro gratia non aeque judicant; sed pro hospitalitatis solatio... deductis vespertinis cum clero laudibus intercedunt. Verum expostulant... ad ecclesiam pagi praecipuam Beati Martini patrocinio consecratam accedunt. Clerus attenuatos honestis usibus despicit: et inflectunt ad mechanicos degeneres clerici clericos generosos.

Solet acutius aliquando laicus intelligere et operari susceptionem pauperum: ita quod clerus, qui praedicat susceptionem, minus suscipiat, et inferior sit ad

[1]) Multos ante annos iter agens per utrumque Belgium, bospitioque jamjam excepturus apud doctissimum amicum, Brugensem episcopum, J. B. Malou Yprensem, incidi in narratiunculam, quam cursim ac fere aliud agens, omissa etiam codicis et folii nota, commisi chartulae fuliginosae, nunc fere evanidae et derelictae. Quam typis dare minime cogitaveram, sed loci Yprensis notitia allectus eram, et aliqua spe eam cum illustrissimo hospite refricandi; alia vero seriora ita tempus consumpserunt, pro suavi et uberrimo hospitis commercio, ut discesserim, oblitus omnino narratiunculae, quae non caret batavica quadam lepiditate. Ut ut est, tu, bone lector, qui huc usque accesseris, utere, si lubet, et fruere.

mercedem. A Clero siquidem contempti clerici, quaerunt extra ecclesiam, quod in ecclesia habere debuissent. Et quanto potentius repulsam tolerant, tanto celerius eis divina pietate suffragantur.

Extra ecclesiam ecclesiae patronus prosequitur eos... Reverentes alloquitur, et dicit: Vultis hospitem? sequimini. Subsequentes eum, venerunt extra villam. Qui locum ingressi protinus amoenissimum, praeter naturam temporis; conspiciunt flores, rosas et lilia, et eorum percipiunt odores: viror amoenus, aer serenus, hospes melliflua charitate plenus... O beata charitas! quae propositio? Quis panis? quale pigmentum! quae fercula! quis dapifer! Dic, hospes: quis domum tam repente paravit? Dicit hospes: En Dei charitas ea potest. — Quis Deus? Deus charitas est. Deus cibus est et potus. Ipse flos et amoenitas. Temperies, intemperie temperata, hospitibus memoriam sui vel temporis auferebat...

Ea tempestate, intempestae noctis silentio, Dives quidam pagensis indigena, de longe motus equo accelerabat, ut ea nocte familiam domesticam videret et congauderet, et patroni festum et sui reditum ageret. Audiens idem tumultum jocundantium, insilit in eos, aestimans insidiatores esse... Ingressus itaque vir locum amoenitatis praecipuae, mirabatur quidnam accidisset ei. Dixitque: Pacificine estis? Dixerunt: Sumus. Qui dixit: Unde vobis ista mansio? Quis eam cito fundavit? Nudius tertius quum huc transirem, non erat. Dixit hospes: Meum est domicitium, mea solemnitas. Mane nobiscum, et utere bonis. Mansit ille, donec dilucesceret. Orto sole, disparuit hospes et hospitium. Sed in argumentum fidei, flores non disparuerunt, ut in quanta extiterant amoenitatis delectatione, etiam floribus videretur. Pagensis obstupebat se, subeunte die, suum hospitem et hospitium amisisse, et scholaribus dixit: Quid est, domini, quod fecistis? Si sic per artes hospites et hospitia et temporum beneficia vobis facitis, ars est potior quam natura. Quinimmo, ecce flores et amoenitas veris et viroris loco supersunt. Dicunt illi: Non est ita. Vir ille beatus et felix, cujus patrocinium invocavimus, a clero despecti, nos sicut et te suscepit. Cum essemus in pago, duxit extra pagum, et ampliavit in nos, te teste socio, charitatem. Numquid non ipse est beatus Martinus.

Conversus vir ille pagensis ad pagum cum suis scholaribus, coepit praedicare magnalia Dei, et ad videndum locum dictum provocare. Fit cursus populi, et quod illi tres ore clamaverant, in prato prospiciunt. Vir itaque pagensis, comparato se et sua illi consecrat loco. Similes et duo illi scholares fecerunt. Erigunt basilicam et hospitalem domum in honore sui sancti hospitis, et opere completo, quoad vixerunt, Beato confessori Martino inibi devoti ministrarunt.

Qui quum non haberent reliquias, eodem sancto favente, renuentibus canonicis, acceperunt.... Sic demum fit ut... prior ecclesiae saecularium canonicorum, incendio casuaria [1]) consumpta, aliam in loco illo in honorem sancti Petri fabricaret, et basilica prato monasterium clericorum fieret et major ecclesia. — In pago siquidem Yprensi haec acta sunt, et quotidie Deus in illa ecclesia, cujus est patronus sanctus Dei confessor Martinus, miraculis mirabilia mirabiliter operatur.

Quantum fas est mente recipere, pater amabilis Guiberte, illa tibi descripsi, ut quum sanctissimi patris et patroni Martini cultor eximius es, pro me intercedas ad ipsum, ut levet fastidium, mentem exornet, tuum in Domino corroboret scriptorem, qui cum Patre etc.

[1]) *Casuaria* idem prorsus quam *Casale*, *Casalia*, et similia apud Cargium meum, cui tamen deest *Casuaria*, nisi vocabulum sit depravatum.

III.

GUIBERTUS GEMBLACENSIS

De laudibus B. P. N. Benedicti. [1]

I. Juvenum fuge consortia, et inhibe pedem tuum a semitis eorum, exemplo sancti Patris illius, vere per omnia Benedicti, de quo beatus scribit Gregorius, [2] quod cum multos in studiis litterarum ire per abrupta vitiorum cerneret, eum quem quasi in gressu mundi posuerat, retraxit pedem, ne si quod de scientia ejus attingeret, ipse quoque in immane praecipitium totus iret. De quo et in consequentibus doctor idem refert quiddam ad hoc [quod] tibi persuadere multum cupio, quod scilicet ad locum dilectae solitudinis ab occupatione exteriori rediens, solus in superni oculis inspectoris habitaret secum, dum vigili custodia circumspectus, ante obtutum ipsius conditoris se semper examinans, oculum mentis exterius non divulgavit. O quanta requie, quanta securitate, seclusis tumultibus, fruebatur iste in pacato conscientiae purae tabernaculo! Qui nulla animi vagatione distentus, sed sibi praesens, et inter cordis claustra se ipsum custodiens, dicere valebat cum psalmista: *In pace, in idipsum dormiam et requiescam*, [3]); et illud de Canticis Canticorum: *Ego dormio, et cor meum vigilat.* [4] Nimirum sedebat solus, et tacebat, quia levaverat se super se, portans jugum non solum ab adolescentia, sed et a pueritia sua, praestolansque cum silentio salutare Dei; et iterum vel aliqua ex parte experiens, quam bonus sit Dominus sperantibus in se, animae quaerenti illum, et meditabatur illud Jeremiae: *Pars mea Dominus, dixit anima mea, propterea expectabo eum.* [5] Id quoque: *Factum est verbum Domini in gaudium et laetitiam cordis mei, quoniam invocatum est nomen tuum super me, Domine Deus exercituum. Non sedi in consilio ludentinm, et gloriatus sum. A facie tua solus sedebam, quoniam comminationibus replesti me.* [6] Profecto qui ab omni saecularis negotii exoccupatus impedimento, universa haec vel volvebat mente, vel tenebat opere, constat nimis quia nec juga boum quinque probare in se, nec domum ad domum conjungere, nec agrum agro copulare, nec villam emptam curioso circuitu ad videndum perambulare, nec uxorem ducere appetebat, hoc est nec sensualitati inservire, nec augendis saecularibus, ne similis et curis ligaretur, insistere, nec voluptuose vivere intendebat: territus exemplo illius, qui cum spiritualem substantiam suam a benigno patre sibi divisam dissipasset, vivendo luxuriose cum meretricibus, ad tantam redactus est inopiam, ut siliquas porcorum quos pascebat, in cibum desideraret, nec acciperet. Sciebat enim sensus carnis ex infirmitate pronos esse ad malum, et spontanea remissione praecipites ferri in vitia, et eos qui divites volunt fieri, in laqueum Diaboli incidere et in desideria multa et nociva, quae mergunt hominem in interitum; et uxoratos tribulationem carnis pati, et inseri doloribus multis, et divisos per multa, cogitare quae sunt mundi, quomodo placeant uxoribus. Sciebat etiam complures, abundante iniquitate, a charitate tepescere, et fieri magis amatores voluptatis quam Dei; et in Scripturis hujusmodi homines vocari fornicatores et adulteros, et propter hos vel de his David dicere ad Deum: *Perdidisti omnes qui fornicantur abs te*; [7] et Paulum de hujusmodi proferre sententiam: *Adulteros et fornicatores judicabit Deus*; [8] increpationem quoque Jacobi vehementem in tales jaculari vocem dicentis: *Adulteri nescitis quoniam amicitia hujus mundi inimicitia est Deo.* [9] Videbat non solum mun-

[1] Ex cod. Bruxell. 5535. Ea tantum descripta sunt, quae ad vitam S. Patriarchae in codice pertinent. — [2] *S. Benedicti vita* cap. 1. — [3] Ps. IV, 9. — [4] Cant. V, 2. — [5] Thren. III, 24. — [6] Jerem. XV, 16, 17. — [7] Ps. LXXII, 27. — [8] Hebr. XIII, 14. — [9] Jacob. IV, 4.

di ipsius figuram interire, sed et ipsum totum cum concupiscentiis suis transire, non in eo quod subsistit, sed in eo quod vanitati subjectus est. Recurrebant animo ejus sententiae sapientissimi Salomonis, videlicet quod *adolescientia et juventus vanae sunt*; [1]) *quod si vixerit homo mille in annis, et his omnibus sanus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis et dierum multorum, qui cum venerint, vanitatis arguentur praeterita,* et quoniam, sicut in consequentibus ait, *cuncta quae fiunt, adducet Deus in judicium,* [2]) pro omni re, sive bonum sive malum sit; tum vero, et totius saeculi novissimam esse horam, cum tamen unicuique suae hora migrationis incerta existeret; mortemque justorum pretiosam, et peccatorum pessimam; et postremo, universos ubi in fine ceciderunt, irremeabiliter sine fine permansuros.

II. Haec et hujusmodi quasi comminationes Dei meditabatur, in his erat, secundum haec se instituebat, ne erraret in solitudine, placitus Deo: puer vero, gratia Benedictus et nomine, quanto secretior, tanto districtior sui ipsius censor, castigans corpus suum et in servitutem redigens, ne in vacuum curreret aut cucurisset, in tantum ut, salvo intellectu mystico, veraciter dicere posset: *Pellis meae consumptis carnibus, adhaesit os meum carni meae, et derelicta sunt tantummodo labia circa dentes meos.* [3]) Quam districtus autem sui corporis artifex, vel potius sacrifex extiterit, quam fortem, quam acceptum se Deo sacerdotem in se ipso sacrificando exhibuerit, ex hoc uno colligitur. Cum aliquando instinctu Zabuli carnis illecebra pulsaretur, superna gratia factus se ipso fortior, urticarum et veprium juxta densa succrescere fruteta conspiciens, exutus indumentis, nudum se in illius silvae aculeis et incendiis projecit. Ibique diu volutatus, toto ex eis corpore vulneratus exiit, et per cutis vulnera eduxit ab internis vulnus mentis, quia voluptatem traxit in dolorem, cumque carnaliter arderet foris, extinxit quod illicite ardebat intus. Sic sacerdos novus se ipsum Deo incunctanter victimans, vicit peccatum, et in peccato triumphavit incentorem peccati Diabolum, qui mutavit incendium. Et hac prima congressione ita in conspectu ejus ad nihilum re dactus est inimicus, ut in hac parte denuo congressum non repeteret, quia sicut ipse postmodum perhibebat, ita deinceps in eo est tentatio voluptatis edomita, ut tale in se aliquid minime sentiret: et ab hoc jam duplici clarus victoria, dum et in se triumphat carnem et spiritum in tentatore, per vindictam divinae libertatis ex integro suus, immo Dei factus. De caetero non pugnae, nec tamen desidiae, sed sui custodiae vacabat, claudens et rigans hortum sanctarum plantationum suarum, et inebrians partus sui fructum. Nam satio vel plantatio quam in eo coelestis agricola inchoaverat, ejus ad vitam studio, sicut ait apostolus, *Dei adjutores sumus,* [4]) multos et praecipuos in illo virtutum fructus peperit.

III. Quorum clara acquisitio ne incuria deperiret, aedificatione vel munimento vallabat eos, aquarum conductu rigabat, et ut adhuc in senectute misericordia uberiori stillicidio superni roris multiplicarentur, impetratione opportuniorum imbrium perfundebat, maceriarum [ope] claudebat hortum; scilicet ut merito vocaretur aedificator sepium, convertens semitas in quietem, ne aut fur subintraret, aut mala denuo per eum bestia transiret, cum ejus sata vel plantata non direptioni nec conculcationi paterent. Divisiones vero aquarum deducentibus oculis ejus, rigabat eum, ex irriguo autem superiori desiderium spiritualis gratiae quotidiano in se profectu adaugens. Huic intentus mentis exercitio, sedebat, sabbatizabat et non revertebatur; stabat et contemplabatur; tacebat et loquebatur; sabbatizabat et exercebatur. Absolvam compendiose, quomodo ad haec tam diversa vel contraria unus ipse tenenda sufficeret sine difficultate vel repugnantia. Sedebat ergo, quoniam sollicita seipsum consideratione, vel a propria sui ipsius negligen-

[1]) Eccle. XI, 8. — [2]) Eccli. XI, 9. — [3]) Job. XIX, 20. — [4]) 1 Cor. III, 9.

tia, vel a circumventione seu fraude hostis antiqui custodiebat. Ibat sursum, dum sanctorum operum quotidiano usu se exerceret. Non revertebatur, dum nunquam per iniquum aliquid sub semetipso recideret. Ibat tertio, dum mentis excessu nonnunquam in superna raperetur. Revertebatur, dum ad juvandam proximi necessitatem pio mentis affectu ab illa coelestium speculatione reflecteretur. Stabat, quia in virtutum constantia attentius se tenebat immobilem. Jocundabatur, quia Deum sibi per quotidianos profectus intelligebat esse favorabilem. Tacebat, non solum a verbo inutili, sed magis a totius pravi tumultu operis, de quo queritur Deus, dicens: *Clamor Sodomorum venit ad me, descendam et videbo utrum clamorem hunc opere impleverint.* [1]) Loquebatur, magno cordis desiderio, sicut ille qui ait: *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus*; [2]) itemque sicut ille cui dicit Dominus: *Quid clamas ad me?* [3]) Sabbatizabat mentis requie, custodiens animam suam, et observans ne portaret onera in die sabbati, nec inferret per portas suas Hierusalem, nec ejiceret de domo sua per diem sabbati. Sic sabbatizabat, sanctificans et invocans sabbatum dedicatum et sanctum Domini gloriosum, et glorificans Deum, dum non faceret vias suas, nec inveniretur voluntas ejus in die sancto Domini, promerens haec in ista requie studiosa, ut daret ei Dominus Deus semper requiem gloriosam, et impleret splendoribus animam ipsius. Exercebatur tamen in hoc sabbatismo, satagens ut haec omnia expleret sine alterutrius confusione vel detrimento. Quae ut adhuc strictius colligamus, sedebat circumspectione, ibat in Deum devotione, ad proximum benignitate, sibi sancta operatione, ascendebat contemplatione, revertebatur compassione, non revertebatur aliqua animi et operis dissolutione, stabat recta conversatione, delectabatur jugis legis Dei meditatione, sabbatizabat mentis requie, exercebatur sedula mandatorum Dei rite perficiendorum officiositate, ut his omnibus virtutum vel areolis vernans, vel fluentis exuberans esset, sicut hortus irriguus, et sicut fons aquarum, cujus non deficient aquae.

IV. Sic se interim agebat, sic informabat puerulus hic, sic ministrabat Deo, imitator Samuelis prophetae fidelis, non parva adhuc tunica, quam per singulos annos ex incremento charismatum paulatim texendo innovabat et augmentabat illi mater sua, scilicet Spiritus Sancti gratia. In hac interim veste, Deo non ingratus, de muneribus suis sacrificabat, donec acciperet meliorem puer pius et religiosus, qui a puerili tempore cor gerens senile, et aetatem semper morum maturitate transiit, et animi vigorem nulla unquam voluptate dissolvit, quia deinceps praedicta mater gratia, profectum filii habens gratissimum, non frustrari in eo spem suam considerans, paulo post induit eum purpura et bysso, vestivitque eum duplicibus, ut clareret opere et sermone, et hac diploide gloriae coopertus, immortali memoria et apud Deum notus esset et apud homines, et in solitudine non modo mentis, sed et regionis, aedificaret deserta saeculorum, et instauraret haereditates dissipatas, et suscitaret fundamenta generationis et generationis. Inde est quod circumquaque constructis, opitulante matre gratia, duodecim monasteriis, tot sacrificatores in eis constituit, quot fratres adunavit, et tot per eos Deo sacrificia obtulit, quot illi per ejus institutiones devota Creatori obsequia impenderent. Impleta est hic quoque prophetia David de eo dicentis: *Benedices coronae anni benignitatis tuae, et campi tui replebuntur ubertate, pinguescent speciosa deserti, et valles abundabunt frumento.* [4])

V. Sed nunquam germina horti hujus in angulo deserti conclusa, et aquae fontis istius in utre heremi collecta, diu latere [5]) debuerunt, satagente et ductante matre gratia, quae filium magnificare disponebat, radices geniminum ejus longe lateque transplantante, ab ortu usque ad occasum impleverunt terram, et umbra plan-

[1]) Gen. XVIII, 20. [2]) Ps. XLI, 2. — [3]) Exod. XIV, 15. — [4]) Ps. LXIV, 13. — [5]) *tenere* cod.

tationum ejus operuit montes et arbusta ejus cedros Dei, et exuberantia aquarum fontis istius erumpens effusa est super terram, et inebriavit eam, et multiplicavit locupletare eam. Hinc est quod hodie terra eadem, rivis ejus inebriata, et stillicidiis compluta, passim laetatur germinans. Nam sicut materialis terra profert germen suum, et sicut hortus semen suum germinat, sic spiritualis ejus agricultura, vomere disciplinae exarata, et semine verbi respersa, doctrinaeque imbribus irrigata, germinavit justitiam et laudem coram universis gentibus; unde non immerito illa ei Sapientiae verba coaptari possunt: *Radicavi in populo honorificato, et in parte Dei mei haereditas illius, et in plenitudine sanctorum detentio mea.* [1])

VI. Jam videmus, jam gaudemus quod praeceptor iste insignis inter caeteros non solum sibi laborem, sed et omnibus avertit inquirentibus veritatem; quippe qui agricolationis suae laborem uberi fructuum proventu votis suis respondere, hoc est scholae suae alumnos in stellarum numero multiplicari gratulabundus considerans, proclamat: *Ecce ego et pueri mei, quos mihi dedit Deus.* [2]) Et iterum: *In his placitum est spiritui meo, quae sunt probata coram Deo et hominibus.* [3]) Concordia fratrum et amor proximorum, proinde et vox illa psalmistae: *Ego sicut oliva fructifera in domo Domini,* [4]) et illa Sapientiae: *Ego sicut vitis fructificavi suavitatem odoris, et flores mei fructus honoris et honestatis.* [5]) Et si qua sunt similia, cui magis competunt quam isti, cujus progenies quotidie in omni genere et natione [6]) exempla patientiae et humilitatis ejus, ut dignum est, sequens, dilatatur et augmentum facit in aedificatione corporis Christi, ne deficiat usque in aevum sanctus? Cujus filii propter eum usque in aeternum manent; cujus haereditas sancta praeclara est illi in multis nepotibus; cujus successio et gloria usque in saeculum non delebitur; cujus spiritualis generatio benedicetur, et semen potens erit in terra viventium. Quos similiter, videlicet patrem cum filiis, sancta intuens Ecclesia, prophetica voce collaudat dicens: *Justus ut palma florebit, et sicut cedrus Libani multiplicabitur, plantati in domo Domini, in atriis Dei nostri florebunt, adhuc multiplicabuntur in senecta uberi, et bene patientes erunt ut annuntient.* [7])

VII. In quorum scilicet filiorum numero si forte ascribi desideras, necesse est ut doctrinam patris audias, dignum est ut praeceptoris mandata suscipias, justum est ut exempla justi in patientia et humilitate imiteris, quatenus in haereditate olim perdita per contumaciam, restituaris per obedientiam. Quid enim aliud doctrina ejus suadet transgressoribus, quid aliud praecepta imponunt praevaricatoribus, nisi ut id sibi defendant poenitendo, quod amiserunt superbiendo, et mutata vita, mutata via, ad eum recurrant obtemperando, a quo suae voluntatis attractus sequendo, longe aberraverant? Unde et ipse ponens in fronte regulae suae quo [8]) tota redoleat, clarumque illi de obedientia praefigens titulum, in principio prooemii sic loquitur: « Ausculta, o fili, praecepta magistri, et inclina aurem cordis tui, et ammonitionem pii patris libenter excipe, et efficaciter imple, ut ad eum per obedientiae laborem redeas, a quo per inobedientiae desidiam recesseras. Ad te ergo, inquit, meus sermo dirigitur, quisquis propriis voluntatibus renuntians, Domino Christo vero regi militaturus, obedientiae fortissima atque praeclara arma assumis. » Et ut legitime certantibus postquam suavem placidae mortis somnum dederit eis Deus, praedictam haereditatem, inobedientiae merito perditam, merito aequae obedientiae reformandam declararet, eamdem regulam ita concludit: « Facientibus haec regna patebunt superna. » Cujus videlicet regulae, si nulla alia ad informandos auditores instructionis esset utilitas, solum illud sufficeret capitulum, cujus tituli inscriptio est: « Quae sunt instrumenta bonorum operum, » [9]) in quo totius et veteris et novae legis praecepta, justificationes et consi-

[1]) Eccli. XXIV, 16. — [2]) Is. VIII. 18. — [3]) Eccli. XXV, 1. — [4]) Ps. LI, 10. — [5]) Eccli. XXIV, 23. — [6]) *per exempla* cod. — [7]) Ps. XCI, 13. — [8]) *Quid.* cod. — [9]) Reg. S. Bened. cap. IV.

lia breviter replicantur, et quomodo vel ubi exerceri vel impleri possunt, consequenter exponitur. Quae etiam regula, sicut in evidenti est, et beatus quoque testatur papa Gregorius, « sermone luculenta, discretione praecipua, » cujus conversationis et meriti et virtutis fuerit pater iste, luce clarius ostendit, quoniam vir sanctus nullo modo aliter potuit vivere, quam docuit.

VIII. Ad cujus eminentissimam sanctitatis excellentiam declarandam accedit virtutum ejus claritas; accedit et signorum magnitudo, in quibus quum multis praecellat, nulli prorsus veterum, nulli novorum patrum recta consideratione [1]) suppar esse dinoscitur: non Moysi, non Eliae, non Eliseo, non Petro, non Paulo, vel Martino quidem, qui praesulum gemma, monachorum decus, et quasi quidam confessorum apex suscipitur. Quibus et si cedit dignitate ordinis, non tamen inferior apparet miraculorum splendore, vel merito virtutis. Super quibus ne praesumptionis ego redarguar, et quae dico, ne magis temeraria quam ratione subnixa, magis absurda quam rata judicentur, non mihi credatur, sed auctoritati vel testimonio potius praedicti papae cedatur dicentis, quia « vir Domini Benedictus Spiritu omnium justorum plenus fuit. » [2]) Cujus sententiae veritati si quis imprudenti obstinatione reluctatur, firmiora operum quam virtutum accedunt testimonia, quibus omnis cujuslibet refragantis contundatur duritia. Nam aeternis Dei accumulatus muneribus, et copiosis irrigationibus fecundatus, manifestationem spiritus et ad suam salutem et ad filiorum utilitatem multiplici charismatum divisione percepit: ut potens fide, verbo et opere clarus, gratia sanitatum celebris, operatione virtutum locuples, prophetia praecipuus, dijudicatione spirituum perspicax, aliisque hujusmodi spiritalibus donis magnificus haberetur; ita ut in his et multa solus efficeret, et inter illos coelorum sublimes et potentes, nullus pene inveniatur cui non in aliquo similis appareret.

IX. Sed quibus ut exempli causa pauca ponamus, cum puer adhuc divinae vocationi, vel interna inspiratione, vel exteriori eruditione monenti se obsecundans, de terra et de cognatione sua exivit, et omnia mundi contempsit, nonne opus Abrahae explevit? Nonne apostolicae profectioni se et retributioni copulavit? In qua pueritia dum etiam eremi invadit deserta, in veste pellicea pererrat, vel latet in specu, ferme puero illi omnium beatissimo, qui antra deserti, teneris sub annis, civium turmas fugiens, petivit, [quis] similis invenitur? nonne eorum quoque conversationem tenet, *qui circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, in solitudinibus errantes et montibus et speluncis et cavernis terrae?* [3]) Quid autem illi de meritis perfectissimorum? quid de virtute fortissimorum defuisse credimus? qui, ut scribit Faustus, [4]) in diebus quadraginta affligens se frigore, non tunica, non cuculla, nisi tantum sacco utebatur cilicino, et duabus solummodo vicibus in ebdomada parvissimum potius cibum praegustare, quam sumere toto vitae suae solebat tempore? nec jacendo, sed magis stando, aut cum nimia eum lassitudo compelleret, sedendo, somnum capere; reliquis vero totius anni diebus, sub monachali tunica, semper asperrimo scapulis usque ad renes induebatur stragulo ejusdem subtegminis, in stratu super aggestum calcis et sabuli, semper usus cilicio? Numquid agonistae huic de pleno aliquid martyrio abrogare audebimus? et si non sanguis ejus ferro caedente semel ad horam diffusus est, an potius jure fatebimur, illum tot inter cruces eo asperius et perfectius, quo diuturnius pertulisse martyrium; aut quod verius est, tot peregisse martyria quot longo vitae suae tempore, frigoris, inediae, vigiliarum sponte perpessus est cruciamina? Diabolum vero inter haec nova ei exquirentem certamina qualiter flagellasse, torsisse et contrivisse jam juvenem, seu perfectae aetatis virum opinamur? de quo adhuc puer, quod jam supra retuli, inaudita triumphavit victoria.

[1]) *rectae considerationi* cod. — [2]) *S. Bened. vita* cap. 1. — [3]) Hebr. XI, 37. — [4]) *Acta SS. O. S. B.* I p. 284.

X. Sed ut ad magna ejus opera veniamus, quibus sanctorum maximis merito confertur, cum ei corvus obaudit, cum ejus inimicum Deus terribiliter occidit, quem misericordi ipse extinctum deflet affectu, nonne in duobus praecedentibus Elias nobis ex virtute, in tertio autem horum David ex pietate repraesentatur? Sed Elias, inquis, cum igneo et equis igneis in coelum raptus est. Bene, et Benedictus, cum grandi fiducia erectis in altum manibus, hora fere tertia, qua Christus ad passionem ductus est, et qua Spiritus Sanctus super apostolos descendit, cum inter verba orationis expirasset, vir recto Orientis tramite ab ejus cella in superna tendente, multis constrata palliis, et innumeris corusca lampadibus, videntibus discipulis, non modo ut ille aerium, sed et superius, id est aethereum coelum introivit. Sed nec impar iste Eliseo, manubrio, inquam, misso exciet ferrum de profundo. Sensus et corda perspicit, praesens absentes arguit, oleumque non modo ubi erat, augeri, et ubi non erat, creari et supereffluere dolio impetrat. Qui etiam dum mulieres delinquentes excommunicatione intentando ligat, et post animas ligatarum in terribili jam judicio Dei positas absolvit; qui claves coelorum manu linguae gerit, vel potius cujus lingua clavis coeli fit: unde hic ex potestate Petrus ostenditur. Et cum monasterii sui solo tenus diruendi cunctos habitatores illaesos ab hostibus liberari obtinet redimere, Pauli vicem tenet, cujus dum navis rerum jacturam pertulit, ipse omnium secum navigantium salutem in consolationem emeruit. Porro cum etiam mortuos exsuscitat, filium scilicet rustici, ad januam monasterii, et fratrem ruina parietis a Diabolo eversi contritum, et ita dilaceratum ut non nisi in sacco portari posset, in psyato suo delatum, non modo vitae, sed etiam pristinae soliditati restituit, numquid non praedictis quatuor illis coeli sublimibus, sed et Martino, patrono suo, quem maxime diligebat, trium mortuorum suscitatori magnifico, et aliis hujus potentiae viris justissime aequandus censetur?

XI. Sed jam succincte multa perstringamus, et ubique interpositione comparationum, magna in brevi contenta [1]) coarctemus, quo facilius perpendere possimus, in quantis singularis ipse transierit, et in quantum in pluribus summos primates curiae coelestis et partita sibi gratiarum perceptione et communi virtutum operatione contigerit. Vas effractum oratione solidat; vas integrum, sed pestifero repletum potu signo crucis rumpit, tamquam lapide; vas projectum cum oleo, et in saxo decidens, plenum et incolume custodit; vas vini a puero mentiente absconditum, reum salubriter suffundi volens, non perimi, a serpente teneri denuntiat; vas vacuum repleri a Deo olei liquore impetrat. Cassinum pergens, angelorum in figura juvenum gaudet et struitur alloquio, nec corvorum inter haec se persequentium qualicumque stipari non refutat obsequio. Daemones curae suae creditos infestantes et ipse suos subjectos habet, et aliorum ostentat oculis, et hunc quidem in forma Æthiopis, illum vero in draconis effigie, horumque et caeterorum malignorum spirituum comprimit impetus, phantasias adnihilans irridet, et ab obsessis potestative eos eliminat. Ab elephantioso lepram extricat, matutinumque reddit colorem maculoso. Innocuum solo respectu diruptis nexibus rusticum libertati restituit, et eodem terrore vultus sui superbum equi sessorem terrae decutit. Discipulorum et praesentium intelligit cogitatus, et absentium erratus spiritu insinuante deprehendit, redeuntibus transgressionem improperat, et ignoscit fatentibus. Hospitis quoque familiaris a Diabolo decepti et fractum redarguit jejunium, et verecundiae suffusionis ruborem, futurae emendationis spe, laevigat. Fratribus constitutum, adventus ejus diem sollicite praestolantibus, praecedenti nocte in spiritu adveniens, et eos antevenit, et de singulis quae necessaria essent, diligenter instruit, ipsosque postmodum de violatione pacti conquirentibus in apparitione illa pollicitum praesentialiter reddidisse se astruit. [2])

[1]) *Continuata* cod. — [2]) Vereor ne aliquid exciderit, inducta porro caligine.

XII. Visitatus aliquando a sorore Scholastica, post diem tertium digressionis ejus in cella consistens, elevatis sursum oculis, vidit ejusdem sororis animam, ex corpore eductam, in specie columbae coeli secreta penetrare. Alio tempore, intempestae noctis silentio, divinae insistens contemplationi, aspicit desuper lucem effundi, ita ut diem vinceret lux illa in tenebris emicans, conspicaturque in eodem lumine Germani animam Capuani episcopi, in sphaera ignea ab angelis in coelum deferri; et quod de nullo alio legitur, laxato spirituali intuitu in magnitudine Conditoris, cum jocunda admiratione sursum defigitur; et quoniam videnti Creatorem angusta est omnis creatura, universus ei mundus quasi sub uno solis radio collectus ostenditur. Spatarius regis Totilae, explorare convenientis, an ex spiritus prophetici perspicacia quae ferebatur, polleret, [in] persona ipsius regis adveniens, mox in insidiis suis comprehenditur, et cum toto pene quo stipabatur officio, a facie formidinis ejus terrae subruitur. Quo renuntiante quid expertus esset, metuens rex tanto se patri tentasse illudere, statim subsequitur, procidit solo tenus, veniam flagitat; nec audens ne ad jussionem quidem ejus, donec et manu elevaretur, assurgere; primo pro efferatione redarguitur, deinde caetera quae infra decennium, hoc est in spatio vitae suae, ei ventura erant, tremens et palpitans, et quis vel qualis esset ipse ac si ligatus, audire compellitur. Et quoniam Deo pertinaciter adhaerendo, unus cum eo spiritus factus erat, etiam alta et arcana Dei penetrans, clericum idcirco traditum Diabolo, ut a sacro ordine arceretur, intelligit, eique a potestate invasoris erepto accessum omnino ad ejusdem sacri ordinis ministerium interdicit, poenamque dirae mancipationis, si denuo clericatum usurpet, innotescit.

XIII. Imminentem sanctissimi transitus sui diem fratrum aliquibus nuntiat, multa perspectans tempora, etiam Mauro, discipulorum charissimo, post quadraginta annos futurum per litteras suum quoque praedicit obitum, casus et taedia longae peregrinationis insinuat, et super his constanter tolerandis animum corroborat, et dehinc mense tertio, glorioso illo quo praefatus sum ordine, tramite, vadit ad Dominum: cujus statim ascensus eidem Mauro in Galliis juxta Antisiodorum in loco qui Fons Rogi[1]) dicitur commoranti,[2]) et cum beato Romano qui olim ipsi sancto patri Benedicto sanctae conversationis habitum tradiderat oranti, per visionem circa horam tertiam revelatur. In qua visione duos suae congregationis fratres socios habuit, unum in cella consistentem, alium longe positum, ut non minus absentes quam presentes filii excessum reverendi patris agnoscerent.

XIV. Vides jam, ut opinor, si rerum aequus censor es, si quod non credo, titulorum et gloriarum Benedicti non aemulus aestimator, vides, inquam, beatum Gregorium, cujus nomen vigilans interpretatur, non dormitasse, cum dixit eum spiritu omnium justorum fuisse plenum. Qui tanta illustratur gloria, tot donorum fulget praerogativis, tanta inter consortes Christi unctionis copia, non in ora vestimenti secus pedes, sed in barbam Aaron juxta verticem irrigatur, ut non immerito eum Dominus aulae suae magnatibus interseruisse credatur, et collocasse cum principibus populi sui, et consedere fecisse cum senatoribus illis, cum quibus veniet ipse ad judicandum, ut veram faciat promissionem, [qua] se obligare dignatus est dicens: *Vos qui reliquistis omnia, et secuti estis me, cum sederit Filius hominis in sede majestatis suae, sedebitis et vos super sedes duodecim judicantes duodecim tribus Israel.*[3]) Quorum sublimitatem et fortitudinem intuens et admirans Ecclesia decantat: *Mihi autem nimis honorati sunt amici tui, Deus, nimis confortatus est principatus eorum.*[4]) Inter quorum nomina quae vivent in saecula, sive justitias quae oblivionem non accipient, sancti quoque hujus patris sapientiam, qua fretus vicit malitiam, et simpliciter recteque cum Deo et hominibus ambulabat, non solum laudant multi, sed omnes enarrant populi, *et laudem ejus pronuntiat*

[1]) *fons regi* cod. — [2] **Faustus in** *vita S. Mauri.* n. 31 p. 271. [3]) **Matth. XIX, 28.** — [4]) **Ps. CXXXVIII, 17.**

omnis ecclesiae sanctorum, nec recedet memoria ejus, et nomen ejus requiretur a generatione in generationem. [1])

XV. Possent ad comprobandum excellentiae ipsius culmen, quae dicta sunt sufficere, nisi adhuc quaedam ejus insignia valde mira opera, animo occurrerent, quibus legislatori et veterum maximo prophetarum Moysi paria et ipsi omnium Domino sanctorum similiter videtur peregisse. Sed si cui sermo iste durus fortasse et intolerabilis judicetur, advertat qui hinc offenditur, me servum Domino nec parem dicere, nec ut par aestimetur, cuiquam prorsus velle persuadere; sed tantum quaedam similia fecisse, sed non a se, sed per illum qui facit mirabilia solus, et per servos suos, sed solus auctoritate potestatis per servos benignitate dignationis. Unde ipse qui mirabilis est in sanctis suis, qui et sicut operari dignatur per eos, ita et laudari debet in illis, gratuita pietate, fidelium suorum commendans et extollens merita, ut ait in Evangelio: *Qui credit in me, opera quae ego facio, et ipse faciet, et majora horum faciet.* [2]) Quis itaque mihi jure succenseat servum Domino similia fecisse, cum Dominus ipse non solum paria, sed et majora facienda polliceatur a servo? Et haec itaque pollicitatio veritatis firma est, quia verbum Domini manet in aeternum. Quis hoc asserere auderet, nisi prius ipse id promisisset? Et utique pollicetur. Dicam ergo et incunctanter dicam, quia beatus iste et fidelis servus, et similia Domino suo servus egit, dum ipsius Pastoris summi boni vicem gerens, et agens officium, gregi commisso vigilanti sollicitudine curam impendit; dum sanavit infirmos et mortuos suscitavit, dum inimicos non solum verbo, sed tantum respectu terrae dejecit, et specialius in hoc quod sicut ille Petro, ita et iste Mauro super aqua ambulandi facultatem dedit, sed ille jussu, iste benedictione. Et haec quidem sunt in quibus non adaequamus, sed sicut de Melchisedech scribit Apostolus, ubi iste sanctus assimilatus est Filio Dei. Sed profecto pauci in talibus ei assimilantur. Est alia assimilatio amplior et utilior magisque necessaria, quae universos fideles comprehendit, quam et vir iste plenarie adeptus est, et quicumque vult salvus esse, ante omnia opus est ut eam adipisci nitatur. Quomodo vel unde est talis assimilatio, Apostolus docet: *Hoc sentite in vobis quod et in Christo Jesu, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est se esse aequalem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, etc.* [3]).

IV.

VARIAE

ET SELECTAE LECTIONES.

MONITUM.

Futuro omnium S. Hildegardis operum editori, quem prolixo votorum nostrorum desiderio optamus, consulere quum velimus pro viribus nostris, illi invidere nolumus neque possumus nonnullas saltem et selectas lectionum varietates ex raris codd. quos nobis haud sine labore et superatis obstaculis attingere contigit. Ac primum redeundum ad librum *Scivias*, codicemqne Palatinum, quem supra minima ex parte sollicitavimus, ut ex denso varietatum agmine, in schedis nostris instructo, praecipua scripturae discrimina in medium proferamus.

Redire insuper animus est ad codices duos vindobonenses, qui nobis referunt vetustissima Gebenonis exemplaria quibus non solum plurimae epistolae, sed am-

[1]) Eccli. XXXI, 11. — [2]) Joan. XIV, 12. — [3]) Phil. II, 7.

pla fragmenta tum libri *Scivias*, tum libri *Divinorum operum*, inter se collata, maxime ubi de Antichristo vaticinia proferuntur.

Intactum nobis hactenus mansit solum opus de *Divinis operibus*, nec sine moerore evanuit spes introspiciendi codicem rarissimum Trecensem, qui solus fortasse superest, quum ex duobus tantum praeter illum cognitis, unus Vindobonensis a medio hoc saeculo ex pluteis Caesareis evanuerit, alter vero quem ex privata bibliotheca sua Mansi adhibuit, in editione quam inter recognita Baluzii *Miscellanea* procuravit, ubinam lateat, forte ignoratur.

Postea mihi transeundum ad multas epistolas, sive a me, sive ab aliis publici juris factas, quas recensere juverit ad fidem codicum Vindobonensium et Bruxellensium, qui sero in censum meum contigerunt.

Incipiamus ergo a libro *Scivias*, revocato codice Palatino, morose quidem et minutatim excusso, sed a quo, neglectis innumeris varietatibus, ea tantum seligere animus est, quae ad rerum substantiam pertinent, ut etiam graviora sphalmata editorum expungantur. Quae velim addas collectaneis in p. 503-517, quibus perspicuum magis ac magis fiat, Hildegardis opera fuisse a bibliopolis audacter depravata, maxime a curatoribus qui latinas affectavere venustátes.

AD LIBRUM QUI SCIVIAS DICITUR.

Incipit II. pars libri **Scivias** ***simplicis hominis.*** **Cod. Palatin. 311 coll. cum Patrol. CXCVII.**

Col. 442, sub litt. B, visio I. Et ego homo [litteras] non callens in forma fortium leonum, nec docta exspiratione illorum... in mollitie fragilis costae... ut in homine visi sunt.

C. Caro et sanguis effecta est, eamque aspirant, ita quod vivens homo crecta est... praebuit... candidissimum florem pendentem in flamma, ut ros pendet in gramine, cujus odorem idem homo naribus quidem sentit, sed gustum ejus ore non percepit, nec manibus eum tetigit, ita videlicet se...

443 C. praefatae aurorae serenissimum *(sic saepe)* hominem... tanta ut easdem tenebras repercuteret... in acutissima altitudine...

444 A. in plenitudine magnificae fructuositatis et odoris mirifici... O quae es misera terra... per intelligentiam philosophorum... de petulantia morum...

B. quasi sint magistri ipsorum.

D. viventium et terram in terrenis ut pecora quaerentium, nec rationalitatem inspirationis Dei habentium...

445 A. ostendens... in ortu suscitationis ipsarum eduxit... competenter facit... perfectae institutiones suae...

B. necdum acuto... ita quod caro et sanguis effecta est [1])...

D. divino praecepto, consiliante Diabolo, dorsum praebuit, corruens in maximos rictus mortis, sic quod Deum nec in fide, nec in opere requisivit... per horrorem erumpentium,

446 A. tenebras significationibus... serenissimo opere...

D. et gravissimi dulcissimas laudes decantaverunt... pulcherrimum sanguinem.

447 A. Quid est hoc? in pondere ligaturae colligata perversitas iniquitatis Diaboli, ita ut a zelo Dei...

B. Nam se semper elevat contra Deum, dicens: Ego Deus sum! semper etiam errans super benedictum Deum, videlicet propter ipsum contradicens nomen christianum.

448 A. deinceps integra, nec plena... vulneribus et foeditate prostrata... eodem sereno homine...

B. criminosa oblivio.

449. *II visio II partis.*

A. Deinde vidi serenissimam lucem... et illa serena lux perfudit... illam serenam lucem... et idem rutilans ignis totam speciem ejusdem hominis... ita tamen in una vi possibilitatis... eamdem viventem illam... plenitudo illa quae nunquam visa est in ortu, et in qua nullus defectus est ille acutae fortitudinis quae plantavit omnes rivulos fortium...

B. Sine macula ariditatis, mortalitatis atque tenebrositatis...

450 A. tanto acutius in amore...

D. materia sudavit, de qua... nulla adversitas mutabilitatis tangit ..

451 A. In lapide est humida viriditas et palpabilis comprehensio atque rutilans ignis, sed humidam viriditatem habet, ne dissolvatur.

B. ea quae tetigerit... claritate et purpureo

[1]) Ut supra et iisdem verbis quam in relatione visionis; in qua enarranda mirum quantum mutaverint editores, eoque ineptius quod postmodum in interpretanda visione, Hildegardis constantissime eadem verba usurpaverit. A qua varietate in secundo loco abstinebimus, ne superflua repetitio fastidio sit, et notanda eadem discrepantia est in singulis visionibus, per totum librum.

vigore (*constanter ubi edd.* insito vigore *per totam columnam et etiam per sequentem)*

452 A. humida viriditas... nec sine rutilante igne, nec rutilans ignis sine humida viriditate, nec sine palpabili...

D. dum plenam... ad plenam *(ubi edd. passim* perfectam)... reliquit lasciviam mentis quae in stultitia morum est, sed cum magnis laboribus sollicite providet.... considerandum sit.... cum in stultitia pueritiae fuit.

453, 454 A. quae in stultitia vitiorum palpitat, sed in... utile sit, cum prius ad infantiam se pueriliter declinavit... priusquam veniat hora *(edd.* homo) purgationis... ubi etiam occurrunt tempora quae in integritate sua... submurmurat dicens: Non mihi placent volubilitates quas non intelligo utrum in prosperitate aut in calumnia... et sonantibus auribus...

III visio II partis. 453 B. imaginem tantae magnitudinis ut magna civitas... in modum retis perforatus multis foraminibus in quibus maxima multitudo hominum discurrebat.

454 B. eos ad caput suum trahens ubi ad os ejus exierunt.

455 A. ad puram poenitentiam revoco, et tu tamen ad Diabolum.... diversis tempestatibus fatigant... in raptoribus et homicidis, in adulteris et fornicatoribus.

456 B. quia nondum in fortitudine constantiae suae, nec ad candorem completionis suae perducta est...

D. scilicet nulla persuasio diabolicae artis, nec error claudicantis populi, nec diffusae tempestates in diversis terris...

457 D. quasi per os beatae matris (ecclesiae, *scilicet,ubi edd.*Mariae)...eadem matre patiente...

458 A. conservans virginitatem suam...

459 B. demonstrat, quomodo supra dictum est.

460 A. erexi... praevidi...

461 A. in viriditate germinis... (*sic* viriditas *fere semper pro* virtute *edd.)*

463 A. concupiscentiae calore et venenosae facturae.

B. in ingluvie Diaboli deceptuose subrepsit.

464 B. secundum quod iterum per doctrinam filii mei in evangelium scriptum est...

467 *IV visio II partis.* B. quod etiam tectum turris illius quod se velut in conum erexerat in claritate ejusdem fulgoris manifestius videretur...

469 C. rapacissimi lupi diversis calamitatibus dissecabant.

475 B. *V visio II partis.* Post haec vidi quod praefatam mulierem imaginem... supra quorum vertices similitudo gloriae ineffabilis Trinitatis.

481 B. Quia filium meum in virginitatis flore per virginitatis amorem imitati sunt, et exspirationes sonorum spirituum et germina canorum sonituum et volantia ornamenta prosperarum mentium...

509 A. *VI visio II partis.* Vidi quasi quoddam altare ad quod ipsa frequenter accedebat, et ibi dotem suam devote revisens ostendebat.

525 D. Quid est hoc?... sicut botrus cypri fortissimam plenitudinem potationis in se continet, sic etiam excellentia quae in Unigenito indeficientem magnitudinem in se habet, ita quod idem filius Dei numquam hoc modo exhaurietur, quin potum vitae sitientibus semper dare possit...

549 A. consilium quaerent, et velut a pontificibus et sacerdotibus eruditionem capient, et tunc velut ab apostolis...

554 A. Quamvis ego de coelis projectus sum, quum contra Altissimum praeliari vellem, quoniam ab eo vinctus sum... quia homo mihi consensit, et Deo non obedivit. Haec Diabolus in semetipso loquens.

555 A. *VII visio II partis.*

357 C. vermis... sursum inhians, ut eos qui ad coelestia tendunt p. d. s. dejiciat... per Filium Dei vires ipsius evacuatae sunt... tanti horroris et insaniae videatur, ultra quam homo effari potest...

Incipit tertia pars libri Scivias simplicis hominis. Prima visio tertiae partis. p. 565 A. Et ego homo... quae non sum digna nominari homo... habentem ferreum colorem... thronum rotundum in quo sedebat quidam juvenis perlucidus... ut nullatenus eum possem intueri... limum nigrum et lutulentum, tantae latitudinis, ut alicujus magni hominis pectus est...

576 A. Idem Goliat inscius virium David, eum prorsus pro nihilo computans vilipendit, sic constructa superbia Diaboli contempsit humilitatem in humanitate Filii Dei...

II visio III partis. 577 B. Deinde vidi de eodem sedente in throno... cum nube thronus ejusdem sedentis positus erat... ita quod idem lapis... et quod idem mons... urbis quadrangulae factum aliquantulum in obliquum positum, ita quod ejus angulus...

583 C. ubi comprehendis Christi cohortem, quae haec aedificatio est in bonitate Patris, et quod homo... unde et ipsa duo genera in unum coadunata.

D. incoepit... scientia boni in Noe, ut in angulo orientali, sicut praedictum est, sed quam in Noe ammonitio Dei erexerat...

III visio III partis f. 123. p. 591 *(Hic illic eraso corio, fit textus magis correctus et amplior, sed idem fere ut in edd.)*

601 A. *IV visio III partis.* f. 128.

603 A. in acuta Deitate...

D. quia per omnia per acutissimam Divinitatem expirabatur hoc tempus...

611 *V visio III partis.* f. 133.

624 A. lacrymabili opera pravi operis *(ab his vocibus sequentia in* B, C, D. *omittuntur usque ad verba:* ut hominem quem formaverat, redimeret, *fere in fine visionis V.)*

625 A. *VI visio III partis* f. 141.

642 *VII visio III partis.* f. 150.

651 *VIII visio III partis.* f. 155.

675 *IX visio III partis.* f. 168.

693 *X visio III part.*

709 *XI visio III partis. Inde incipiunt Gebenonis fragmenta, cujus duo codd. erunt A, B, Palatinus vero* P. *Tres codd. consentiunt, ubi nulla littera ponitur. Visio est quinque bestiarum Antichristo praeviarum, quarum una erat canis igneus sed non ardens, altera leo fulvus, tertia*

equus pallidus, quarta niger porcus, quinta lupus griseus.

709 A. Vidi ad Aquilonem, et ecce ibi quinque bestiae stabant... se (et se P.) ad Occidentem vertentes. Et ibi in Occidente coram eisdem bestiis. *Caetera om. A, B. usque ad 710.* B. *med.* ad quemque apicem ejusdem collis extensus esset... praeter funem illum... praedicti lucidi et lapides praefati muri... super eumdem angulum... ab umbilico suo deorsum... ita videlicet ut...

B. et ibidem veluti lyra... in transversum jacente... et ab ipso loco usque ad mensuram... talum suum umbrosus esset, ac ut ab eadem... candidior appareret... nunc etiam mihi ibidem iterum... eam modo ab umbilico suo... in eodem autem loco...

C. et ut os leonis... sed ab eodem capite... eadem imago alba... contritione tunsa erat... tangentes talum albae... idem monstruosum caput se tanto fragore a loco suo dissolvit, quod omnes.

710 A. ut eadem muliebris imago... magna massa multi stercoris... super quemdam montem... idem caput... de monte eodem cecidit... idem caput tanta sorde... in max. terrorem mitterentur. Ipsa autem nebula... nobis hoc fuisse.

B. ach! nos miseros... properemus in testamentum... quoniam ach! ach! ach! misere decepti fuimus... praefatae mulieris... audivique *(A, B. porro recurrunt)* vocem de coelo dicentem mihi... ita ut mundus... tam apud nuntios filii... nimium fatigata sit A, B...

C. clarior reddatur... quod haec visio... quinque bestiae sunt et stant... ferociter in se bacchantes A, B...

711 A. in sua quidem existimatione... et una bestia et leo... transilientes producunt A, B. P. ...jam perdet P... in semetipsis facientes habeat...

B. et divinam legem... alium similium malorum... alia ut lupus... in successibus inferentes... ea dividentes... *om.* ab inferno... praelo torculari suorum imponuntur A, B. *huc usque.*

C. coram eisdem bestiis... ad quemque apicem ejusdem collis extensus sit... eorumdem temporum... in ore lupi tenditur... torrentibus *(sic)* miraculis...

712 A. verba sonat.... cum in insidiis occidit...

B. praedicti lucidi praefati aedificii... operi bonitate... ubi idem filius hominis... fudit *(edd. pessime* ludit)...

C. quod electorum ipsius... ad completionem eorumdem membrorum ipsius... unde et ibidem velut lyra...

D. usque mensuram duorum... tangentem talum suum... verum est, an non?... sed ab eadem mensura... eorumdem testium.

713 A. Filius hominis ante... quae est magna statura in homine... in perdito tempore destituuntur...

B. tibi ibidem iterum...

D. Et ab eodem capite usque ad genua sua.... qua idem filius perditionis. .

714 A. tangentis talum... quid est hoc?...

B. pleniter jam coeleste... de magno terrore... quid est hoc? [1])...

D. de terreno magistro, sed ego qui sum, dico per eum...

715 B. lumen in stercore abscondunt.... in tartaro intinges...

C. plena est, sed...

716 A. tam paganorum quam...

B. nam eum mittere nolui nisi... idcirco ut omnis... in illo scandalizaretur... rete ipsius...

C germina florum suorum dilatare posset. *(inde recurrunt* A, B.)... veniet, velut cum jam... sole in occasum occidente...

D. terror illius perditionis repente A, B... advenerit tempus quo iste nequissimus.... in mundum ejiciet... parentibus suis...

717 A. perditionis concipiet... serpens videlicet... artibus suis inflat cum omnibus viribus suis... matris suae... demum consuetam...

B. semper noto sibi populo sese subtrahens (*Huc usque* A, B).

D. succum suum reddere.

718 A. derideatur. Quod quidem videntes in eum confidunt... habere volunt et eum propitiam...

725 *XII visio III partis.* f. 196.

729 *XIII visio III partis. (Vide varietates nonnullas infra ad Cantica).*

AD LIBRUM DIVINORUM OPERUM. [2])

Cf. supra p. 485 med. Patrol. CXCVII *col. 1017 n. XV. collato codd. A f. 3, et B* fol. 20.

A. Dies istos qui injustitia torpent, canis igneus...et supradictam levitatem...perlucida in eadem fide fulsit...diebus autem illis plurima...

B. per quosdam descensus... qui illa ita roboraverunt... darent. Deinde in apostolis et caeteris.

C. consuetudines morum hominum.... tam acerbe...

(Rubrica in solo A) Hic primum vae de quo scriptum est in Apocalypsi: « Vae, Vae, Vae habitantibus in terra, *de tribus libris angelorum, qui amant tuba cantare.*

D. rectitudinis inducet atque...

1018 A. et omnis ecclesia... et legem destruunt... et adulteria...

B. Hoc etiam ideo faciamus... sed non conveniens est...

D. in vestitu deficiat... possideat...

1019 A. funem subjectionis subtraxit et nobis... sed sicut illi et nos.

[1]) In toto opere edd. habent, pro hac frequentissima interrogatione, asperam et obstinatam varietatem *Quid hoc?* — [2]) Notare juverit, Dominicum Mansi codici suo religiose adhaesisse.

B. et quia voluntatem... nec ab hoc ullus nos... inductae sunt... illud pertractare... super omnes nos...

C. defectum habeat... non sustineat... in libro Scivias ostendit... et plurimae civitates... corruent... sicut enim fortior suam femineam mollitiem...

1020 A. sicut in principio... praefatorum bellorum *cod.* A... in cunctis ecclesiasticis constitutionibus... et illis plurima... quod is in lectum... pravae sodalitatis conjungens. Unde rex illam abjecit...

B. ut aliis videri non possent... et contra temporis curationis...

C. inconcussa perdurarunt... adulterium perpetrant... tam novae quam incognitae ordinationes pacis...

D. Christianis data sit... quae adventum Filii Dei praevenerat... tunc floreat...

1021 A. fructus terrae sublimis *Cod. A*...

B. in ipsis glorificabitur... atque magnificabunt, ubi etiam eum in gloria ad me rediisse...

C. Antichristus autem viride lignum non est, quod...

D. *om.* et in quibus nullum timorem futuri judicii novissimi temporis metuebant, ***additur:*** aridum vero lignum dies illi cum discessio...

1022 A. Tunc principes cum reliquo...

B. et omnia arma quae ad necem hominis. .. ferramenta retinentes (servantes B)... usus hominis... projicietur (ejicietur B) et tunc nubes jucundam et suavem... velut etiam in hyeme...

C. nondum apparuerat... ordines in veritate stabunt...

D. adesse timebunt... ad patriam suam intendunt... non habentes...

1023 A. baptizati Christum... Judaeis quoque et haereticis dicetur... insidiantes ad internecionem persequuntur...

B. in ictu oculi non venisset... qui latenter adveniens...

C. stabunt tunc, sed hac illac...

1024 A. in furore animorum... et sine labore sunt...

B. eodem modo polluent et contaminabunt... et inde non saturatur...

C. et ad litteram... averterint... redegerint... ut eos omnino pervertant...

D. et ideo ad defensionem meam et illorum quantocius inclina...

1025 B. et in defectionem ire debuit, quoniam in te fuit... suis perirent et omnino...

C. id est antequam mundus...

1026 A. Michael archangelus ad defensionem Christianorum pugnabit, ita ut filii Dei... ipsius in eos irruant... fortitudo nostra ipsius est...

B. Credimus... exurgent gentes...

C. Romanum regnum tenuerunt [1]... honorari vellent... ei subjicientur...

D. unaquaeque provincia et quisquis... oneri prius fuerit quam honori... non minuent (***mel. edd.*** tunc imminuent)...

1027 A. et ut quilibet archiepiscopus...

B. assurgere tentabit... sicut antiqui proceres fecerunt...

1028 A. quatenus in potestate et voluntate Dei sit... quia mundus et ea... et ad filium se convertent... perturbans... illi resistentibus ingeret...

B. quando antiquus serpens...

C. si catholica fide erit...

D. ad contrariam partem aperiat... ad pedes ejusdem descendere fecit... rota tunc primum movebitur...

1029 A. inconvulsa permaneret... mortifero cursu...

B. terrore concutiamini... verbosa deceptione vel seductione... (per illusoria verba A)...

C. unde summus existet... quod totus...

D. super omnem creaturam...

1030 A. jam incurvata...

C. homo committeret quin carnem suam calefaceret...

D. sic vivere vos jussit... quia si filii hominum sic non crearentur...

1031 A. et quod sitis, cognoscatis, quoniam... ne castitatis modum transcendant...

C. proni mente in corpore adorabunt...

D. et quicumque scripta Diaboli... a se ipso esse voluit...

1032 A. cum Sadducaeis in N. T. resurrectionem justitiae abnegaverunt...

B. praefatum caput leopardi...

D. et omnis hominis anhelitus... solus sine fine et sine initio est...

1033 A. infideles homines hoc modo... cum auctore suo destituet...

C. corporaliter separati sint...

D. ut in altum ascendet...

1034 A. Sanguis eorum effundetur ut fluat tanquam rivus... qui in primaeva ecclesia... in novissimo errore occidentur...

B. Nam me fatigat quod ordinatione tua, pater... nunc a me recedunt... diabolicae illusionis...

1035 A. ab omni malo liberet. Amen.

B. mortem temporalem subierint, sequentes illius... eos in nubes extulerit... quae Deo optime placet... per misericordiam movetur...

C. nunc huic voluntati... non valebit...

1036 A. Salvator et damnator qui (dominator A)... virtute ejicietur...

D. falsis suggestionibus... quum filiis ejus eum dejecit et cum per ipsum illum confudit. Et qui Deum...

1037 A. scilicet martyres qui usque... sicut etiam Abel... ut testimonium Filio Dei perhiberent...

C. et verus est homo...

[1] Vir insignis Görres hunc locum retulit, ut vaticinium aevi praesentis, sed multa ipse usus interpretandi licentia, nisi male intellexerit gallicus interpres, aut peculiari codice Gebenonis, inter plures qui exstant in bibliotheca Monacensi, cl. auctor fortasse usus fuerit. cf. *la Mystique divine* t. 1, p. 468, 469. De S. Hildegarde agentes, hunc librum nondum editum Bollandistae non attigerunt. Quae sane non adeo perspicua sunt, quin tuto intelligantur.

1038 A. hominibus alienos... Ita enim cum inspiratione... ut de omni tempestate infirmitas ei ita infecta est, scilicet de aere, de vento, de pluvia, quia complexionem de aere habet, ut nequaquam .. spiritus magna vi pietatis suae eam...

B. fatigationem ejusdem cognovit quod omnem vitam... edita sunt. Amen.

Additur in cod. B: « Item de Antichristo in libro *Scivias* dicitur, quasi *scire vias*, quia Spiritus Sanctus in libro illo per os sanctae Hildegardis loquitur de omnibus articulis fidei et de omnibus sacramentis Ecclesiae, et adventum Antichristi et totam vitam ejus et finem vitae praedicit omnibus prophetice, et caetera. *Insanus homicida* »... Vide supra p. 486.

AD EPISTOLAS. [1])

Epist. II. Anastasio PP. Patrol. 151 coll. cum cod. vindob. 629 f. 9. O persona...

B. et qui non lassatur... ad frenandum. . quare non abscidis... et suavissimum odorem.

C. et qui in similitudine gallinarum... cantare tentant...

D. ita quod ipse maximum...

152 A. quod fallax et contrarium... et homini malum suggessit...

B. cathedra, Deum contemnis quando *(om. sequentia:* malum amplecteris, ita quod illud non abjicis, sed oscularis, quoniam).

C. audi igitur illum...

D. interdum tempora contractionis, ac... Ignotam linguam sonaret [2])... *(om.* atque ut multimodam, sed sibi consonantem melodiam sonaret)... et dictum est illi hoc quod in latina lingua desuper tibi ostensa...

153 A. quando consuetudo.

Epist. III. Adriano PP. col. 144, cod. f. 102, 103.

A. Qui vitam... habes autem... frenabis capillos...

B. potieris pugnam saevitiae praeliorum (*edd.* Semeiae)... *multa in fine omittuntur a verbis:* sed hoc grave, *usque ad* ne timeas quod. *In clausula:* et Deus non derelinquet te, in lumine illius sed videbis.

Epist. VI. Arnoldo Maguntino col. 157, cod. f. 63.

C. quare abscondis faciem tuam a me?.. propter mystica verba quae a me. p. sed secundum quod...

D. ita quod respicias... in timore meo, et quare... *post verba* hoc nolo, *om. caetera usque ad clausulam.*

Epist. X. Hertwino Bremensi col. 162, cod. f. 66, 67. [3])

C. [qui] in primo die... et quia etiam scientia...

Epist. XIII. Hillino Trevirensi col. 167, cod. f. 49. Sapientia sonat...

A. qui in tres turmas exiit... He! He! tempus hoc effundunt. cf. supra p. 486.

C Audi, quod justitia Dei te continet, quoniam gratia Dei in vanum te non constituit, sed cum bona opera facere incipis, cito fatigaris...

Epist. XV. Guntero Spirensi col. 171, cod. f. 15. Lux summae inspirationis.

B. admonitionis Dei noli abscidere...

C. Nunc tu, homo... surge citius post ruinam... ita quod nigri... quando surgis a nigredine illa in qua nunc jaces, in qua tantum aspicis... multo germine sudavit quemque fructum...

Epist. XVIII. Hermanno Constantiensi col. 174, cod. f. 30. Lux vivens. cf. p. 527. not. 5.

174, 175 A. Pastor in praepositione animarum... Nam quando sol...

Epist. XXI. Danieli Pragensi, col. 177, cod. f. 12. Vox vitae.

D. illam desideret...

178 B. ubi etiam prius cum sapientia surrexit in Salvatore. Hoc, o tu homo...

Epist. XXIII. Henrico de Bevez col. 180, cod. f. 27. Vivens lux.

181 A. O miles, habe nos tecum.

Epist. XXX. Adamo de Ebra col. 195, cod. f. 64. cf. supra p. 534.

D. Hoc alae magnae fuerunt (l. *fort.* fecerunt,...

194 A. in initio omnis sanctitatis.

B. vicissitudinis morum efflat... in rota potentiae alarum mearum.

C. viriditas... arescat... *finis om.*

Epist. XXXI. Abbati Eberbacensi col. 195, cod. f. 14. Qui est dicit...

B. Villicus debet fortissimis moribus gladium in vagina dare et suavibus moribus sagittas in pharetra ostendere, et capaci benevolentia aromata medicinarum tribuere.

Ep. XXXIV. Manegoldo Hirsaugiensi col. 199, cod. f. 3. Ollam vidi...

Epist. XXXV. Abbati S. Emmeramni col. 200 cod. f. 28. Qui est, dicit.

B. Diabolus in aliquo homine viderit... in vitiis quae poenas... verbis, ubi tamen homo repugnans scit ea sic non esse.

[1]) Piaculo duxi, quantumvis nimium tomus cresceret, negligere et pessumdare graves varietatum lectiones ex codd. Caesareis collectas, in epistolis majoris momenti saepius necessarias, saltem ut indiculum praeberem futuro et optato curatori, si quis tandem exurgat, qui novam editionem Hildegardianam omnibus velit numeris absolvere. Etiam in majoribus litteris multa minutiora omittere oportuit.

[2]) Nemo quem sciam notavit, in hac epistola ad Anastasium PP. memorari satis aperte opuscula Hildegardis, nempe *Linguam ignotam* et *Cantilenas.*

[3]) Vid. supra p. 535 not. 2.

Epist. XXXVIII. Cunoni S. Disibodi col. 203 cod. f. 42. O magna stultitia...
C. in sonitu gustus bonorum operum.
D. ita quod eum nec tegis, nec celas...(*In antiphonis inter carmina inserendis*).
204 A. O culmen in clavibus coeli...
B. turris culmen... *finis om.*
Epist. XXXIX. Helengero S. Disibodi col. 204 cod. f. 40. In spiritali visione.
C. pater familias respondit... verum deinde taedium habes, ita quod orationem non perficis.
Epist. XLV. Elizabeth Schonaugien. col. 213 cod. f. 98-100. Ego paupercula forma.
217 A. produxerunt, pecora quoque et bestiae... homini daret... avertit. Hominem enim Deus inspexerat.
D. in pusillanimitate mentis meae, plurimum fatigor in sollicitudine timoris...
Epist. XLVIII. Philippo Coloniensi col. 214-233; cod. A. 629 f. 54; 628 f. 22, 630 f. 80. sive A, B, C. Qui erat et qui.
244 B. Qui est, omnem... est. ita quod unumquodque formatum... semper nova.... ventus fluit...ros, gustus ejus in viriditatem spirando...
C. velut pedes qui corpus sustinent... non haberent, firma coagulatio non esset, et si terra humiditatem et viriditatem non haberet, velut cinis esset... per aquas non fulgurarent...
D. tangendo scilicet quia homo in ipsis manet, osculando quoniam cum ipsis scientiam habet, amplectendo quia nobilem...
245 A. Moysen legale nuntium.
246 A. in unaquaque voluntate saeculari...
B. ut cinis sparguntur... illos praecedendo...
247 A. ut audiamus... timuit, ubi super nubem stetit A, B (*ut edd. C.*) videntes dixerunt...
B. de rabidis lupis occisi sunt cum Deo obedirent. voluntatem in modico et conveniente tempore...
D. Noe in aedificatione arcae ecclesiae fundamentum praefiguravit...
248 A. Ipse enim de Virgine natus...
C. Serpens videns haec infidelibus hominibus persuasit... ordinibus suis...
251 C. justitia injustitiam provocat... evenient his et accumulabuntur... miserias ingerunt...
252 D. in novissima tua...
Epist. LXIII, abbati Mulebrunnensi col. 282. cod. f. 16. Prudens vir audacis lucis... cf. not. pag. superio. 519.
Epist. LXIV, abbati S. Michaelis Bamberg. col. 284 cod. f. 46. In ignea...
D. rota gloriae suae.
Epist. LXVII, Bertholdo abbati S. Eucharii col. 287 cod. f. 100. Qui est dicit.
B. vel oculum unum habens in te...
Epist. LXXI. Nicolao Halesbrun, col. 291, cod. f. 65. Lux vera.
292 A. a te abjiciet, et vives. *Om. omnia in edd. sequentia quae aliena videntur.*
Epist. LXXVI. Dietmaro col. 298, cod. f. 30. Lux vivens.
D. O bone miles, exsurge.
Epist. LXXX. Oldoino abbati, col. 302, cod. f. 27. Gratia Dei.
Epist. LXXXIV. Richardo praeposito, col. 305 cod. f. 29. Qui est ostendit.
306 A. velut circulum hominis...
Epist. XCI. Balduino canonico, col. 312, cod. f. 34. Mystica Dei.
C. te requirit, ut vivas in recto itinere. *caetera om. usque in finem.*
Epist. C. Sophiae abbatissae in Altwich col. 322 cod. f. 34. In vera visione.
B. in vicissitudine saecularis vitae.
Epist. CI. Sophiae abbatissae in Kissingen col. 323, cod. fol. 20. O Sophia.
B. in igneo datore. *coetera pars media om.*
Epist. CXIV, abbatissae Ratisbonen. col. 331, cod. f. 39 Onus tuum.
C. firmum porta... in diversas regiones, quia...
D. velut in tanta sanctitate... quocumque modo sacrificium ejus constringas, quoniam...
Epist. CXVI. Andernacensi congregationi. col. 337 cod. f. 25. Fons vivus.
B. lasciviae serpens in primam mulierem...
C. non valens se relevare...
D. pulchri paradisi...
335 B. quod non dissipant se...
Epist. CXXII. Baldwino col. 346, cod. f. 39. Haec in vera.
Epist. CXXXI. Monacho de Monte. col. 337 cod. f. 16. Mens tua est.
Epist. CXXXI. Henrico comiti col. 358, cod. f. 46-48. Umbra mysteriorum.
359 B. in peregrinationem cecidimus.
C. in semetipsis excutiant.
Epist. CXXXII. Notario abbati col. 361, cod. f. 66. Video quod.
C. amabilis est. *Pars altera om.*
Epist. CXXXIX. Eberbacensibus, col. 369, cod. f. 36. Mystica Dei.
C. valida tempestas... et Deus claritatem illius...
Epist. CXLII. Congregationi S. Disibodi col. 374, cod. f. 59-62. In vera visione.
C. quae in me transitis per ignem spiritus sancti et per aquam...
378 B. aut quae ligna.

AD NOVAM EPISTOLARUM SERIEM.

Epist. I supra p. 328 coll. cum cod. Bruxellensi [1]).
330 l. 5 satage ut... l. 10 tum quia, occasione nacta tecum diu confabulandi, libenter im-

[1]) Serius ad me pervenerunt varietates ex his codicibus, nec mirum videatur tam multas esse lectiones novas, immo necessarias. Neque enim deest suspicio codd. Bruxellenses, olim Gemblacenses, fuisse a Guiberto abbate marte proprio temperatos et suae aptatos qualicumque latinitati. Ea tantum recipio quae ad rerum sententiam pertinent.

moratus sum *(quae varietas cum ipsa epistola non quadrat.)*... l. 29 an te illis... l. 30 in latinum proferat.

Epist. II. p. 331 lin. 15 vivendo regatur et anima p. f. c. contempletur: igneus autem spiritus suus corda eorum ita accendat, ne unquam ab ipso recedant.

Epist. III p. 334 coll. *cum codd. Vindob. 628 f. 33 et 629 f. 17.*

334 lin. 13 mysticum et aureum... l. 19 investigationis...

335 l. 29 se currere ostendunt... l. 36 in tepore...

Epist. VII p. 341 cum 629 f. 1.

341 l. 9 non est meum... l. 10 et acutissimum bonum... l. 11 quod homo est *(recte ut in nota)*. Nam Deus... l. 13 designat. De dispositione enim Dei omnia viventia procedunt. Ideo Deus nullum defectum habet, sed ipse mortem superavit... l. 18 malum expiravit... l. 19 habuit quod non decuit... l. 25 vos Deus construxit...

342 l. 1 nec illud tangit me... l. 20 quae non fecistis.

343 l. 9 aestimabat: unde et ob superbiam suam in perditionem ivit. sed quia... l. 26. Deo invidit et supra eum esse voluit...

344 l. 3 qui sum initium et finis dicam... l. 7 quum sudor ejus sanguinem bibit... l. 29 secundum merita cadentis... l. 40 de quo conceperit ipsum, quia in concipiendo virum illam habuisse ignoro...

345 l. 9 crimina hominum... l. 30 quod Cain operatus est... l. 31 per omnes venas...

Epist. X, p. 349 cum cod. Vindob. 629 f. 22.

349 l. 7 genita crescentium... l. 9 in quo numero bilibres.

Epist. XI, XII p. 352 368. *Vide supra p. 492. 493, ubi codd. conferuntur.*

AD CARMINA. [1])

Ex cod. Palatino f. 200 cf. Ordo virtutum supra p. 457. et *Patrol.* col. 733. *Querelae animarum in carne positarum.*

458. *Scientia Dei ad eamdem animam dicit.* Vide...

Anima illa. O nescio hoc quod sum...

459. *Scientia Dei ad animam illam.* Tu nescis.

Suggestio Diaboli ad eamdem animam dicit: Fatue...

Humilitas. Ego humilitas... ad requirendum... et ad coronandum...

Responsum Virtutum. O gloriosa... venimus.

464. *Strepitus Diaboli ad Humilitatem et ad reliquas Virtutes.* Quae es aut unde... quid sitis.

Humilitas respondet: Ego... in abyssum projecit te. p. 459.

Planctus ejusdem animae poenitentis in corpore et Virtutes invocantis. O vos regales P. 462.

[*Virtutes*] o fugitiva...

Poenitens anima in corpore. Ach!...

Poenitens anima in corpore. Nunc... P. 463.

Poenitens anima in corpore. Ego peccator, qui fugi vitam, plenus ulceribus.

Poenitens anima in corpore. O tu omnis militia...

Humilitas ad Virtutes. O omnes virtutes... lugentem me.

Virtutes ad poenitentem animam in corpore. Volumus...

Humilitas ad eamdem poenitentem animam. O misera filia...

Suggestio Diaboli ad eamdem poenitentem animam. Quae es aut unde... P. 464.

Poenitens anima contra Diabolum. Ego omnes...

Poenitens anima ad Humilitatem. Inde tu...

Humilitas ad Victoriam et ad reliquas Virtutes. O victoria quae... diabolum istum. O fortissimi...

Virtutes ad Victoriam. O dulcissima...

Humilitas ad Virtutes. Ligate ergo istum...

[*Victoria*] Gaudete, o socii.

[*Virtutes*] o Deus... haustum. P. 465.

[1]) Hoc revocatur opus Hildegardis dramaticum, prout exstat in Palatino ad calcem libri *Scivias*, nec tamen novae lectiones expectandae sunt, sed tantummodo accurata significatio personarum et varia singularum actio, quemadmodum scenica praeparatio fieri et scribi solet.

ERRATA.

Cum jam praecipua menda sive codicum, sive typorum emendantur in superioribus varietatibus, pauca supersunt ad saturam addenda, paucis om. quae lector per se sponte restituet.

P. 55 l. 12 legitur in codd. *bestialitates*, fort. leg. *bestialiter*... P. 57 l. 28 *hominum*... P. 217 l. 16 an f. *homo Dei est*... P. 331 not. 5 *quae vulgo merula*... P. 334 not. 4 (pro not. 3) *et fetentem*... P. 336 not. 1 *ex qua... modestiae*... P. 392 l. 24 *Spiritu Sancto*... P. 395 l. 19 *secreta defert*... P. 505 l. 31 *quas virtutes*... P. 580 l. 25 *et carie*. . P. 585 col. 2, v. 21 *disciplinae.*

INDEX RERUM

INDEX NOMINUM

INDEX GLOSSARUM

Sub littera A, B, C paginae in parte summa, media et ima signantur.

HUJUS TOMI ELENCHUS

PRAECIPUA AUCTORIS OPERA

Apud eosdem bibliopolas.

SPICILEGIUM SOLESMENSE . . . . — tom. I a. 1852.
» . . . . — tom. II a. 1855.
» . . . . — tom. III a. 1855.
» . . . . — tom. IV a. 1858.
JURIS ECCLESIASTICI GRAECORUM HISTORIA ET MONUMENTA — t. I a. 1864.
» . . . . — t. II a. 1868
ANALECTA SACRA . . . . — tom. I a. 1876.

Sub praelo.

ANALECTA SACRA . . . . — tom. II, III, IV. (*Patres Antenicaeni*)

Typis parata.

Juris ecclesiastici Graecorum historia et monumenta a saeculo X ad XV . . . . — tom. III, IV, V.
Fragmenta veterum Patrum et classica quaedam . . ANAL. — tom. V.
Hymnographi graeci veteres . . . . — tom. VI.
Juris ecclesiastici Graecorum paralipomena. . . . . — tom. VII.

Iterum edenda.

Vie du vénérable J. M. F. Libermann, III édition (sous presse)
Histoire de Saint Léger évêque d'Autun (épuisé)
Etudes sur les Acta Sanctorum des Bollandistes (épuisé)
La Hollande Catholique (épuisé)